

IOANNES STEPH WYDZGA
ARCHIEPS GNES
PRIMAS PRSC PRINCEPS

# R. P. F.

# GNATII COUTIÑO,

## ORDINIS FF. PRÆDICATORVM S. THEOLOGIÆ LICENTIATI,

# QVADRAGESIMALE.

Sivè Conciones ſuper Euangelia trium præcipuarum Feriarum Quadrageſimæ; videlicèt Mercurii, Veneris, & Dominici, & totius Hebdomadæ Sanctæ,

*Quas ex Idiomate Hiſpanico in Latinum tranſtulit R. P F.* HENRICUS HECHTERMANS, *Ordinis FF. Prædicatorum S. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor Conventûs Moſæ-trajectenſis.*

## TOMUS TERTIUS.

Cum Quadruplici Indice: I. Tractatuum & Conſiderationum. II. Locorum S. Scripturæ. III. Rerum maximè memorabilium. IV. Concionum ad Euangelia ſuper Feſta Sanctorum.

*BRVXELLIS,*

Typis & ſumptibus FRANCISCI VIVIENI, ſub ſigno Boni Paſtoris,

M. DC. LII.

*Cum Privilegiis Cæſareo & Regis Hiſpaniarum.*

# ELENCHUS

## Concionum, seu Tractatuum, & Considerationum, quæ in hoc Tomo de Quadragesima continentur.

### TRACTATUS I.

*Ad Diem Mercurii Cinerum.*



### TRACTATUS II.

*Ad diem Veneris post diem Mercurii Cinerum.*

# TRACTATVS III.

*Ad primam Dominicam Quadragesimæ.*

# TRACTATUS IV.

*Ad diem Mercurii post primam Dominicam Quadragesimæ.*



# TRACTATUS V.

*Ad diem Veneris post primam Dominicam Quadragesimæ.*

# TRACTATVS VI.

## *Dominica Secunda Quadrageſimæ.*



TRA-

---

# TRACTATVS IX.

## *Ad Dominicam tertiam Quadrageſimæ.*

# TRACTATUS X.

## *Feria IV. post Dominicam tertiam Quadragesimæ.*



# TRACTATUS XI.

## *Ad quartum diem Veneris Quadragesimæ.*

# TRACTATVS XII.

*Ad quartam Dominicam Quadrageſimæ.*



TRACTA-

# TRACTATVS XIII.

*Ad quintum diem Mercurii Quadragesimæ.*



# TRACTATVS XIV.

*Ad diem Veneris post Dominicam quartam Quadragesimæ.*

# TRACTATVS XV.

*Ad Dominicam quintam Quadrageſimæ.*



# TRACTATVS XVI.

*Ad ſextum diem Mercurii Quadrageſimæ.*



CON[illegible]

## TRACTATVS XVII.

*Ad ſextum diem Veneris Quadrageſimæ.*

# TRACTATVS XVIII.

*Dominica sexta Quadragesimæ.*



# TRACTATVS XIX.

*De Bono Latrone.*



ctûs

ctûs imprudentia, sed etiam præsumptuosa temeritas. 512

CONSIDERATIO VI.

Deus dolorem suum mitigat ortum ex eô quòd unus bona sua perdat lætitiâ, quâ eadem aliis communicat. 517

# TRACTATVS XX.

## De Lacrymis Sancti Petri.

CONSIDERATIO I.

Sicut in Deo intuitus officio linguæ fungitur; ita veris obedientibus signa pro vocibus serviunt. 522

CONSIDERATIO III.

Ut bona mundi reperiantur, oportet ea quærere, ubi perdita fuerunt: porrò fieri non potest ut Deum inveniamus ibi, ubi illum perdidimus. 527

CONSIDERATIO III.

Petro ad criminum suorum emundationem lacrhymæ servierunt pro baptismo: quandoquidem ita mundus evaserit, postquàm illa defleverat, ac si numquàm ea commisisset. 531

CONSIDERATIO IV.

Prudentem se Petrus ostendit dum criminum suorum veniam peteret, non locutus, sed oculis usus: lex etenim est prudentium, ut utilitatis suæ suspectam habeant causam, id quod aliquando damnum illis intulit. 535

CONSIDERATIO V.

Lacrymæ eo tantum fine creatæ sunt, ut criminibus impendantur: earum autem detorquet inclinationem, qui illas extra hanc necessitatem impendit. 540

CONSIDERATIO VI.

Qui sincerè peccata sua dolet, per totam vitam lachrymas fundit: illas etenim tantum hîc & nunc fundere, nihil est aliud, quàm interstitium facere doloris peccatorum. 544

# TRACTATVS XXI.

## De Mandato.

CONSIDERATIO I.

Non movebat ad dolorem Christum ipsa mors, sed absentia: ut enim ita hominibus afficiebatur,

# TRACTATVS XXII.

*De quibusdam stationibus Dominicæ Paßionis. nimirùm de Captura, Flagellis, Corona, Ecce Homo, Crucifixione, Depositione de Cruce, & Sepultura.*

## TRACTATVS XXIII.

### *De Resurrectione Salvatoris.*



## TRACTATVS XXIV.

### *Die Lunæ Paschatis.*

FINIS.

TRA-

# TRACTATVS I.

## AD DIEM

## MERCVRII CINERVM.

*Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, &c.* Matth. 6.

*Memento, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes. 3.

VNVMQVODQVE duorum istorum thematum, se solo, plurium, & prolixarum admodum concionum materiam subministrat: atque adeò facilè fuisset, formare vnam de virtute Ieiunij, ac circũstantijs, quæ illud comitari debent; id est, vt bonus, ac vtilis sit eius usus, non debeat fieri respectu aliquo mundano, sed propter motiua cœlestia: alteram verò de oratione, aut eleëmosyna; quæ documenta, præsens Euangelium proponit: aut disserere licuisset, quanti momenti sit mortis memoria, comprehensa verbis veteris testamenti, quibus Sancta Ecclesia hac solenni die vtitur, & quam sacra ceremonia cinerum, qui hodie capitibus nostris imponuntur, repræsentat. Verùm cum vtrumque hodie occurrat, visum mihi fuit (ad satisfaciendum obligationi meæ) necessarium, de vtroque argumento agere, & duo proposita themata simul componendo, præsentem concionem delineare. Vt autem ad Dei & domini nostri honorem, & spiritualem animarum nostrarum vtilitatem cedat, necessaria est diuina gratia. Supplicemus Matrem gratiæ, vt illam nobis impetret, & adhibeamus solitum medium Salutationis Angelicæ, AVE MARIA.

### CONSIDERATIO I.

*Quod cineres sint vnctio, quæ sanat vulnera animæ, balneum, quod eam mundat à maculis culpæ, & ornamentum, quod eam decoram ac speciosam reddit.*

§. I.

1. REM arduam (vt primo intuitu apparet) hodie præ manibus habemus; quandoquidem, in citatis verbis, sese statim ob oculos ponat, manifesta contradictio; nam Christus, diuinus animarum Magister, nos docet, ac præcipit, vt, cum ieiunamus, non simus sicut hypocritæ tristes, sed lætemur, capita vngamus, ac faciem lauemus; indicia (vt ex Sacra Scriptura, ac Sanctorum Patrum doctrina constat) lætitiæ ac iucunditatis: Ecclesia verò catholica Mater nostra, capitibus nostris cineres imponit; & nobis significat cineres nos esse, atque in cineres reuertendos. Recordationes hæ tristes

magis quam iucundæ, & melancholiæ potiùs, quam ad lubentiæ & lætitiæ effectrices. Non est apta ad lætitiam cōpositio, cineres capitibus imponere, & faciem puluere conspegere: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hoc est quod primo intuitu sese offert: Verumtamen, quantumuis prædicta discrepare videantur; mea quidem sententia, & nisi me ratio mea fallat, deprehendi, Ecclesiam, sacrâ illâ ceremoniâ (si quod illa significat, christianus homo efficiat) vtrumque accuratè adimplere, eò quòd in sensu mystico, cinere aspergi, idem sit quod vngi, lauari, & speciosum reddi. Improbabilis quibusdam videbitur hæc propositio, eò quòd nouitatem aliquam, & magis curiosum quoddam paradoxum, quam prædicabilem discursum continere videatur: sed non fuissem ausus eam asserere, nisi diuinæ litteræ, ad eam, vt sonat, proferendam, fundamentum dedissent. Qui fieri potest, quod Spiritus Sanctus, luto illiniri, vocet inungi? Negare mihi nemo poterit, ipsum fuisse qui sacrorum scriptorum calamum direxit.

2. Audite diuinum historiographum Sanctum Ioannem, referentem miraculum quod fecit Saluator in cœco nato, quem luto sanauit. *Lutum*, inquit gratus cœcus, *fecit Saluator, & vnxit oculos meos*; meliùs dixisset quod eos læsit, hæc enim est proprietas luti, & effectus argillæ. Sinite deuotum cœcum loqui (ait eloquentia Ambrosij) verissimè enim loquitur, neque magis clarè, & ad propositum nostrum apposite disserere potuerat. Et quidem hic Sanctus, Christianè philosophando super mirabili illa vnctione, dicit, illam significasse, quod si velimus infirmos animæ nostræ oculos conualescere, eos hoc vnguento vngere debeamus. Hoc

*Ioan. 9.*

*Ambros. apud Tolet. an. 6.*

est, considerare nostram Miseriam, & naturæ nostræ fragilitatem: *A cognitione enim sui incipit christiana perfectio*, inquit magnus ille Mediolanensis Antistes.

Ambrosium hic paulisper seponamus, atque isti doctrinæ iungamus alteram Gloriosi sancti Gregorij, quę priorem mirum in modum exaltat atque confirmat. Expendens illa verba amabilium canticorum Salomonis: *Laua eius sub capite meo*; interrogat, quod illud sit sponsæ caput, cui sponsum, diuinam suam manum, supposuisse dicit? Numquid ipsa sponsa est anima? vtique anima, numquid est spiritus? dubio procul. Nónne itaque caret corpore? verissimè. Sed, quî habet caput: *Sub capite meo*; si non habeat corpus? Qui vnum dicit, alterum supponit. 4.

Audite responsionē, nam & meretur: *Caput sponsæ, mens, qua anima principatur, assumitur.* Idem dicit Sanctus Petrus Damianus Cardinalis: *Mēs qua cogitationum caput est.* Ambrosium modò reuoluamus; quod autem dicere voluit, illud fuit: hoc caput mysticum inungimus cinere, quem in capite corporali exterius recipimus, cuius effectus est nos instruere, ac docere id quod sumus. Eo planè modo quo exterior ablutio in Sacramento Baptismi, & vnctiones in alijs Sacramentis, quæ sunt illorum materia proxima, adiunctæ verbis, quæ sunt illorum forma, non terminantur (vt fides, ac sacra Theologia nos docet) in superficie corporis; verum interius penetrant, & effectus suos in ipsa anima producunt, eique imprimunt. Et facilè captu est, quod hæc vnctio non subsistat in eo quod foris apparet; sed quod ad intellectum dirigatur; ac simul nos doceat, & consulat, vt memoria teneamus, eique imprimamus: *Memento quia puluis es, & in pulue-*

*Cant.* *Greg. ibid.* *Damian. epist. 11* *Genes. 3* *Thom. hic.*

*puluerem reuerteris.* Nam memoria,quãquam distincta potentia ab intellectu, tantam nihilominus cum eo affinitatem habet,vt multi censuerint esse vnũ & idem. Atque ita ex dictis probatur, cineres capitibus nostris impositos,perficere vnam partem illius generis lætitiæ, quã Euangelium habere nos vult: *Vnge caput tuum,* renouando in intellectu cognitionem nostri.

4. Quam necessaria autem omnibus sit ista cognitio,atque vnctio, colligitur ex multis locis antiqui Testamenti. Quærit, Angelicus Doctor noster Pater Sanctus Thomas, quæ fuerit ratio, propter quam Deus ac Dominus noster,eandem mensam herbarum, & fructuum terræ,brutis animalibus, & hominibus apposuerit, quandoquidem in proprietatibus & conditionibus naturalibus tam diuersi existant. Hoc sibi volunt verba illa capitis primi libri Geneseos: *Genes.1.* *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram,&c.Vt sit vobis in escam,& cunctis animantibus terræ.* *Thom. hic.* Videtur (inquit hîc Sanctus) haud æquum fuisse quod fecit Deus Adamo,ei nimirum, creaturæ tam nobili, &, vt paucis complectar,rationali,factæ ad imaginem & similitudinem Dei, eundem quem bestijs irrationabilibus, victum constituere. Verùm respondet Diuinus Magister, quod Author naturæ de Industria, & magna prouidentia idipsum fecerit. Et verò,quid illud quod nos scire voluit, se illo agendi modo intendisse? ei scilicet monitorem dare, qui continuo eum excitaret, ac memorem redderet vilitatis abiectæ suæ originis, vt videns quis sit, gloriosus & elatus non euanesceret. Et si quidem ab vna parte superiorem se, ac animalium absolutum dominum consideraret,ab altera vero recordaretur, eundem illi,qui & brutis animantibus fundum fuisse; quandoquidem de terra eos omnes Deus formauerit,atque iterum in eam, quantum ad corpus sint reuersuri. *Ratio quare voluit Deus, vt homo,& animalia cibos haberent communes, fuit, quia voluit illi dare occasionem suæ humiliationis, ne nimis superbiret de consideratione suæ prælationis: sed vt recordaretur, ex eodem luto se efformatum, atque fuerunt bruta,& in eundem se quoad corpus,vt illa reuertendos esse.* Quam medicinale collyrium fuit ista cognitio ad vulnera peccati parentis nostri Adami!

Quæstio est inter Sacræ Scripturæ Interpretes controuersa, quando, & quo tempore prædictus Adam egerit pœnitentiam? & vtrum plures horæ, dies,menses, aut anni elapsi sint? non tanti momenti est hanc modo resoluere. Quod piè credi potest,ac debet, est,exiguum tempus intercessisse inter pœnitentiam, & culpam: Verum scriptura hoc non clarè exprimit.Solummodo dicit in libro Sapientiæ: *Et eduxit illum à delicto suo.* *Sap.10.* Adiumento mihi nunc sit sententia nostri docti & insignis Concionatoris Leonardi de Vtino,qui dicit,quod Adam non egerit dignam,& vtilem pœnitentiam,nisi: *Vtin. citat à Penfiel. in prosapia.* *Cùm vidit filium suum Abel mortuum,* elegantem illum iuuenem in exordio vitæ defunctum,florem illum in verè ætatis decidentem & marcidum, illos oculos obductos, dentes obseratos, colorem pallidum, labra denigrata,membra dissoluta.Statim vt hæc vidit in dilecto suo filio,& amoris desiderium eum obstrinxit, vt proximè ad illum accederet,& diligentiùs atque attentè intueretur; reuersus est in se, & de peccato suo perfectè pœnituit. Hæc similiter fuit ratio (inquit gloriosus Sanctus Ioannes Chrysostomus) 5.

quare permiserit Deus, vt mortis sententia contra parentem lata, in filio suo adimpletam cerneret; vtpotè qui sciret quam admirabiles cogitationes ei imprimeret. Considera Dei prudentiam, non ipsum mori primum permisit, sed hoc eius filium pati, vt ante oculos tabescens corpus, intuitus & marcescens, magnam ex hoc aspectu Philosophiæ disciplinam caperet.

*Chrysost. hom. 11. ad popul.*

6. Quis non miretur, Sancti regis Dauidis singularem patientiam, & raram humilitatem consideràs? fugiebat persequente eum filio suo Absolone, iamq; transibat per montis cliuum, & ecce apparuit in eius vertice periurus Semei, qui iniurijs & contumelijs, maledictis & opprobrijs eum lacessiuit: aduertit autem sacer textus quod ei dicebat sequentia verba: *Egredere, egredere, vir sanguinum, vir Belial.* Progredere, progredere homicida, homo peruersus, Rex tyrannus, diaboli filius, nunc promerita exsolues, quin & proprius tuus filius regno te priuabit, ac teipsum videbis vilem, & ad nihilum redactum, magis, quam vnquam aliquis in mundo conspectus fuerit. Qui comitabantur Dauidem, audierunt hominis huius audacis, ac inhumani proteruiam & contumelias; rogauerunt, præ cæteris Abisai, facultatem faceret, eum pro meritis puniendi. Non solùm non permisit hoc patiētissimus Rex, verum etiam talem eis patientiæ doctrinam prælegit, vt, qui erant ferocissimi Leones, agni mansuetissimi remanerent. Quis nobis causam reddet huius tam insolitæ tolerantiæ, & in hisce particularibus rerum ac tempo[r]um circumstantijs; cum constet, Dauidem in alijs occasionibus, non ita passionum suarum dominum extitisse? Dicant alij quod sentiunt, ego verò in eadem Sacra Scriptura, huius difficultatis resolutionem inueni; Nam si aduertatur, in eodem capite paulo ante, dicit diuinus textus, quod prædictus Semei, eadem occasione ac tempore quibus maledicebat ac blasphemabat Dauidem, glebis eum appeteret, & lutum ac puluerem in faciem proijceret; *Mittēs lapides aduersus eum, terramq; spargens.* Atque adeo cum ipsum lapidabat, iram eius refrænabat, & terra ac lutum quibus eum conspergebat, eum armabant patientiâ, existente ei puluere quo caput adspergebatur, loco vnctionis, ne sumeret vindictam de tam iniquo & effronti inimico. Iuuat hanc meam cogitationem illa Sancti Patris Petri Damiani, qui sanctam hanc cōsiderationem, vnicam iræ medicinam appellauit: *Ira fortassis efferat animum? Dirige protinus oculos ad sepulchrum: mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quo furor humanus vergat, mens prouida contemplatur.*

*2. Reg. 16.*

*Damian opusc. 15 c. 23.*

Notatu digna est lex illa capitis primi libri Leuitici, qua mandabat Deus & Dominus noster, vt cum aues ei sacrificarentur, vesiculam gutturis, ac plumas, in locum in quo cineres effundi solent, proijcerent: *Vesiculam vero gutturis & plumas, proijciat propè altare, in loco in quo cineres effundi solent.* Vt quid hæc? Quod cineres, in venerationem victimæ, in altari oblatæ, tamquam res iam consecratæ, asseruentur, dignum videtur: verum vesiculæ canibus obijciuntur, ac plumæ ceruicalibus implendis congregantur. Multas, ac bonas legis huius rationes Sacri Interpretes assignant illa magni Hectoris Lusitani, huic rei est maximè propria. *Hæ sunt plumæ vanitatis, quas Deus præcipiebat euellere, & in locum cinerum proijcere. Locus cineris est memoria mortis, vbi ea, quæ mortales iudicant, eximent, ad quæ cupiditate incensi rapiuntur, reuolue-* 7.

*Leuit. 1.*

*Hector. Pint. in Ezech. cap. 1.*

re de-

*re debemus,considerantes quam brevi omnia illa euanescunt, & consumuntur, & nos cum illis in cinerem cõuertamur.* Quasi diceret per plumas intelligi superbas cogitationes,& per vesiculam gutturis repletam granis, auaritiam: Animas plumis nudatas (inquit doctus ille vir) quærit Deus, quæque non habent plumas superbiæ, præsumptionum,ac elationum animi, & quæ bonis terrenis non sunt implicatæ; quin potius *proijciant in loco in quo cineres effundi solent.* Vult Deus vt eat homo ad cinerum cumulum tamquam ad vnctionem,vt intelligat se tunc gratum sacrificium oblaturum Deo,quando plumas vanarum præsumptionum,fatuas animi elationes, atque inordinatos appetitus diuitiarum in cineres proijciet. Idem primus aduertit Angelicus Magister, vti in eius Pædagogo Principum curiosi videre possunt. *Thom.l. 3. de regimin. Princip.*

8. Itaque hoc idem sacrâ illâ ceremoniâ intendit Ecclesia Catholica,vt scilicet cõstet,puluerem illam,esse oleum, & cinerem,vnguentum spirituale, nec dubitari potest quin reuera sit diuina vnctio: *Unge caput tuum.* Cui enim vndique tot partibus caput turbatum ac perfractum foret,quot sunt fallaciæ, errores,& insaniæ,quæ caput peccatoris percurrunt & perflant; tot vertiginibus,debilitatibus, tanto memoriæ defectu,mirabilis medicina est, parum cineris miseriæ,& mortalitatis nostræ; pulueres profecto medicinales, quæ applicatæ cum hisce verbis: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Medẽtur per exorcismum cuilibet tumori, ac superbiæ, excitando hominem existimantem aliquid se esse ab obliuione qua tenebatur, cumque sit instar infirmi, idque nam agnoscat; ingerit ei cognitionem sui; curat vulnera eaque recreat & lætificat: quæ lætitia,ad animæ salutem, hac vnctione spiritualis cineris, obtinetur.

Naturalium rerum scriptores referunt de apibus,quod si longius à fauis suis recesserint, ac relictis aluearibus examen apum altius solito,per aëra volitet,optimum remedium vt ex alto reuocentur, & ad aluearia reducantur, illud sit, puluere eas conspergere, & vi luti ac glebarum efficere vt in vnum congregentur. *Examen apum se procul in altum librans,relictis fauis,& cunabulis recessurum,si terræ glebis ac puluere petatur,reducitur ad alueare.* Quia hoc animalculum alas habet, subinde, instar auium, segerit, errante volatu deuias, verùm tanta est vis ac efficacia luti & terræ, ad illud humiliandum, vt vix contactum, diuersorij sui recordetur; & ad incunabula in quibus natum est, reuertatur. Symbolum eorum, qui euanescentes, obliuiscuntur vilitatis originis suæ; quibus efficacius remedium adhiberi non potest,quo fiat vt vanarum præsumptionum volatũ contrahant, quam si memores reddantur, puluerem eos esse, & in puluerem reuersuros. Atque ita bene conueniunt, *Cùm ieiunas, vnge caput tuum*, &, *Memento, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* 9. *Nuceus Nucleus Domin. 4. post Pascha part.2.*

§. 2.

ET *faciem tuam laua.* Ad hoc suppono, per faciem hic intelligendam esse conscientiam, prout aduertit S. Bernardus sermone primo de hac die,his verbis: *Potest & lota facies conscientia pura, & vnctum caput intelligimens deuota.* Et verò ad lauandum,non parum conferunt cineres, per quos, magnus Sanctus Augustinus,intelligit pœnitentiam; nam cineres proprij sunt pœnitentibus, & pœnitentiæ symbo- 10. *Bernard. serm.1. in die Ciner. August. in illud Psal.101. Cinerem, &c. in gloss. ordi.*

lum multis de causis, ut idem sanctus confirmat, sed ex omnibus, proposito nostro illa vel maximè modo inseruit, quod cineres ad lauandum apti sint atque vtiles, adeoque significant pœnitentiam, quæ purificat, atque ab anima peccatorum maculas abstergit: sunt eum conscientiæ quædam tam immundæ, vt necesse sit in lixiuium, ad eas purgandas, inijcere, & transire debeant certum lixiuium strictæ confessionis, & magnæ contritionis peccatorum.

II. Quam bene hanc veritatem intellexit magnus ille Dux Populi Dei Sanctus Moyses; cùm postea quam Israëlitæ in deserto in Idololatriam inciderant, descendens de monte, arripuit vitulum quem fecerant, & adorauerant, eumque concremauit, atque in cineres redegit, eosque in aquam proijciens, eam continuò ad bibendum præbuit: *Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israël.* An non conuenisset magis, vt cineres illos proiecisset in mare, aut in visceribus terræ sepeliuisset, vt non amplius extaret illorum memoria, prout postmodum fecerunt tyranni corporibus multorum Sanctorum, quos Martyrio affecerunt, cum essent ministri Dei, & organa Spiritus Sancti? Quanto potiori iure, debuisset Moyses idem facere cum cineribus Idoli, quod est supellex Diaboli, & instrumentum peccati? Sanctus Augustinus pro Moyse fideiubet, & dicit, Sanctum hunc virum prudenter admodũ in hac re processisse, & factũ eius mysterijs plenum esse; æstimanda sunt eius verba: *O ira prophetica, & animus non turbatus, sed illuminatus!* Alium discursum prosequitur Magnus Pater; ego vero, pace eius, ista verba, ad meum propositum expendere debeo. O ira prophetica, & factum non tam animi crudelis, quam intellectus illuminati! quasi diceret: Non sine causa dedit Moyses hebræis puluereum & cinereum istum potum, eos nimirum instruens, vnctionem quam vulnera suorum peccatorum requirebant, & remedium peccatis suis necessarium, esse aquam, & cineres, id est, Pœnitentiam; lixiuium quod conscientias ipsorum mundaret, & animas, adeo contaminatas, expurgaret, & quod confici deberet ex lachrymis oculorum, & consideratione abiectæ essentiæ, & vilitatis; quasi hoc lauatorium esset vnicum remedium, ad recuperandam munditiem quam per idololatriã perdiderant.

Exod. 32. August. in Psalm. 73.

Reflectamus ad verba Augustini. O ira prophetica! Iram Moysis Magnus Doctor vocat prophetiam. Si Theologos interrogauerimus, quid sit prophetia; respondebunt cum Cassiodoro, citato ab Angelico Doctore Sãcto Thoma, quod: *Prophetia est inspiratio, vel reuelatio diuina rerum euentus immobili veritate denuntians.* Supposità hâc doctrinâ, magnus Ecclesiæ doctor dicere voluit, heroicam illam Moysis actionem, fuisse prophetiam eius, quod faustis legis gratiæ temporibus, quibus fruimur & gaudemus, accideret: nimirum quod cineres capitibus impositi veræ pœnitentiæ signum, peccatoribus forent instar lixiuij, quo eorum conscientiæ lauarentur, & nitidæ, ac puræ redderentur. 12.

S. Thom. 2.2. qu. 171. art. 3. arg. 1.

Ad eandem lucem expendere possumus illud Dauidis, Psalmo 101. qui vnus est ex pœnitentialibus. *Cinerem,* inquit peccator iam contritus, *tamquam panem manducabam & potum meum cum fletu miscebam.* Interpretes diuersimodè explicant hæc verba: sed inter omnes, hic maximè conuenit Glossa Lyrani: *Modicum habens de pasta* 13.

Psal. 101.

*ſta, eam decoquens in cineribus, & ſic cineres erant admixti in pane, & lachrymæ cadebant de oculis meis præ dolore, ita quod cadebant in vaſe, in quo debebam bibere.* Dicere voluit: Quando decreui agere pœnitentiam, & mutare excubias aberrantis vitæ meæ, cibus meus erat modicum ſubactæ farinæ, coctæ cum cineribus, & potus meus lachrymis erat permixtus; erant enim tam copioſæ, quæ ex oculis meis currebant, ut poculum, ex quo bibebam, replerent. Magis clarè: Quando comedebam, aut bibebam, vnicâ actione duas res faciebam, ſuſtentabam corpus, & vnâ nutriebam animam; panis enim miſcebatur aquæ, in cibum corporalem; & lachrymæ cineribus, in ſuſtentationem animæ; atque adeò vtraque ſimul faciebant vnam maſſam, aut lixiuium valde vtile ad purificandam meam conſcientiam, eamque à maculis contractis per peccata homicidij, furti, & adulterij quæ commiſeram, emundandam. Quis dubitet Dauidem, cum hæc ageret prophetæ oculis, conſideraſſe lauatorium faciei, vel conſcientiæ, quod Chriſtus ex ſe progignendus, futuris temporibus, fideles ſuos doceret eſſe veram à peccatis ſuis expiationem?

14. *Ioan.9.* Sanctus Petrus Chryſologus ſingulari ſtudio, aduertit, modum quo Saluator viſum reſtituit cœco illi, de quo paulo ante mentionē fecimus, idq́; tam extraordinarijs circumſtantijs, quarum vna fuit expuere in terram, eâque permixtâ ſaliuâ, viſum reddere: *Expuit in terram, & liniuit ſuper oculos eius: diuino ore dat ſaliuam, vt ſanitatis gutta baptizaret oculos peccatoris.* (*Chryſoſt. ſerm.176.*) Eadem illa Diuini oris ſaliua, quæ oculis, quâ carebant, lucem communicabat, fuit ſalutaris baptiſmus, qui animam à maculis ſuis expurgauit. Si luto, & Chriſti ſaliuâ exterius illuminatus fuerit, eâdem illâ, ipſius anima exterius baptizata fuit. Hac agendi ratione anticipatè perficiens, quod cœleſtis Magiſter poſtmodum nos docuit verbis ſuis, à Sancto Matthæo relatis: *Et faciē tuam laua*; quam pulchrè conueniunt cum illis Sacri libri Geneſeos! *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

§. 3.

ET ſiquidem ſecundum communem ſenſum Sanctorum Doctorum, lauare faciem: *Et faciem tuam laua*; ſignificet quoque eam componere, & adornare, non deeſt etiam cineribus hic effectus. Expende cum Sancto Patre Bernardo locum quemdam Canticorum Salomonis, huic propoſito optimè conuenientem. Rogauit aliquādo Sponſa Deum ſuum; Sponſum, & diuinum Paſtorem animarum, vbi eſſet in meridie, vel, vt melius dicam, vbi æſtiuaret, & meridiaretur: *Indica mihi, vbi cubas, vbi paſcas in meridie?* Ille vero ſiccè atque aſperè reſpondit. Et quidem Sanctus Bernardus exiſtimat, rationem, propter quam eam dedignaretur, & tam rigidè cum eâ ageret, illam fuiſſe, quod ipſa cum eo iam ageret de gloriâ, eâque fruendâ, tamquam beata. Idem aduertit glorioſus Sanctus Ambroſius: *Petit carnis adhuc infirmitate circumdata, claram diuinæ eſſentiæ viſionem.* Poſtmodum ei dicit: *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Illa enim te docebunt quæ tibi expediunt. Multa tibi ſponſa mea, ad perfectionem adhuc deſunt, ob hoc enim eam vocat pulcherrimam interē mulieres; hoc eſt, inter animas terrenas, quæque, licet bonæ, tamen nondum comprehenderunt, neque tamquam beatæ viſione Dei beatificâ perfruuntur: *Pulcherrima inter mulieres, ex eo quod adhuc in cor-*

15. *Cant.1.* *Ambroſ. Hexam. c.7. & 8.* *Bernard. ſerm.38. in Cant.*

*in corpore viuit, citra perfectum adhuc pulchritudinis, proficit, ac proinde non pulchra omni modo, sed pulchra inter mulieres, id est, animas terrenas, &c.* Locus hic, propter varias Commentatorum interpretationes, intellectu difficilis est; Sancti Bernardi est admodum spiritualis, & proposito nostro valde quadrat: *Sed reprimenda videtur propter præsumptionem, & sui ipsius commonenda cognitione in quâ nimirum visa est aliquatenus caligare.*

*Bernard. cit.*

Rigida hæc dedignatio, ac contemptus, digna negligentiæ eius pœna fuit, cum humilis suæ conditionis, id est abiectæ originis suæ oblita, plus debito præsumpsit. Recordare, inquit diuinus Sponsus, humilium principiorum, & vilis exortus tui: *Abi post vestigia gregum.* Ouium vestigia sequere, hoc enim vel maximè tibi conuenit.

Verumtamen hunc loquendi modum non intelligo, hæc profectò non est bona via; minus malum foret ante oues incedere, prout Euangelicus Pastor: *Ante eas vadit*; ei enim, qui post eas vadit, vt Docti quidam annotarũt (res quidem mihi admodum cognita, & magis quam antiqua; sed eam suppono, in ordine ad dicta melliflui Abbatis) puluis, illarum pedibus excitatus, in oculos conijci solet, & sæpenumero ventus tam vehementer perflat, & tantus puluis excitatur, vt impossibile sit eas sequi. Equidem diuinus Bernardus ad hoc respondebit, hoc esse, quod sponsus velit sponsæ euenire, vt incedens post gregem, puluis ei in oculos incidat, & ouium vestigia, suiipsius, ac deinde dilecti sui cognitionem ingerant. Totum hoc, licet diuersis verbis, dicere voluit dulcis calamus Bernardi, expendẽtis, non dixisse ei sponsum, vt esset inter gregem sed post illum. Quasi insinuans, eius ignorantiam adeò esse culpabilem, vt reddiderit eam indignam, quæ in numero ouium gregis sui reponeretur, quæque eam ad ordinem brutorum animalium, sicut & primum parentem Adamum, redegerit: *Non saltem inter greges manere permittitur, sed post abire iubetur. Quomodo inquis? Quomodo legis? Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ecce quomodo facta est egregia creatura. Puto dicerent iumenta, si loqui fas esset: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.*

*Ioan. 10.*

Interim sacra Sponsa inter gregem pascitur, sui reminiscitur, errorẽ suum agnoscit, hacque consideratione occupata, seipsâ dignior effecta est, ac cinere oculos feriente tam formosa, vt idem Sponsus summis laudibus extollat pulchritudinem faciei eius: *Pulchræ sunt genæ tuæ*; iamque ad stuporem speciosa, & pulchra ei videtur. Vnde ei tanta accessit gratia? Quis tantam ei contulit pulchritudinem? Tam exiguo tempore tanta mutatio? Effectus hi sunt pulueris, & miracula cineris; vestigijs gregis debet fortunata hæc Sponsa meliorationes suas, & augmenta gratiarum; nec deesse illi potest, elegantia & decor, quem cinis contigerit.

*Cant. 1.*

17. Aduerte cum S. Gregorio Nysseno verba illa quæ immediatè ante ei dixit Dilectus suus, comparando eam equo, vt ad litteram sonat: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te*; siue vt septuaginta Interpretes trãstulere; *Equa mea assimilaui te*; & persistens in eadem metaphora, adiunxit: *Collum tuum sicut monilia.* Absque dubio, similitudo hæc, quantũ ad primam eius partem, admodum inepta, videtur, & valdè indecens comparatio. Sed immeritò, inquit Sanctus Doctor: *Laudat enim*

*Nyssen. homil. 3. apud Gisl. in append. Patrum. 70. Interpr.*

*Cant. 1.*

*dat enim collum, quod in figuram circuli eat in gyrum, quòd etiam superbis, & ferocibus equis videmus fieri.* Intelligite similitudinem; alludit ad id quod agit generosus equus, quando gyrando collum, & saliendo, illud inflectit, & arcuat, torquendo caput ad conspiciendum pedes, & terram quam pedibus proterit. Sed, tantáne hæc est elegantia, quod eam cõparet monilibus pretiosis, & pro accepta ac gratiosa pulchritudinis parte designet? Ita quidem. Magnum enim est, in pedes mortalitatis nostræ, ac terram essentiæ nostræ oculos figere. Et virtute humilis huius cognitionis, remanent animæ tam speciosæ, ac talem virtutũ orbem conficiunt (ait idem Sanctus) vt propterea sponsus non dixerit, *Monile*, sed, *Monilia*; consideratio namque submissa, ac humilis terræ de qua sumus, ac reminisci in illam nos reuertendos, non vnam tantũ, sed multas virtutum gratias secum trahit: *Commendatur anima ex perfectione in vnaquaque virtute, sine quibus ea pulchra dici minimè posset.*

*Nyss. citat à Gislere.*

Conuenientissimè, itaque ac cœlesti quâdam sapientiâ, Sancta Ecclesia, hodierna die, quæ prima est sacri temporis Quadragesimalis, coniunxit duo hæc extrema, quæ primo intuitu tam opposita sibi videntur, prout finit Euangelium Sancti Matthæi, in quo Christus Dominus noster nos docet, & præcipit, vt cum ieiunauerimus, non appareat in vultu nostro tristitia, quin potius, lætitia, designata per vnctionẽ, & lauacrum, quæ illis temporibus ac locis fieri solebant, & sacra ceremonia Cinerum in capitibus, iuncta verbis, quæ Deus parenti nostro Adamo dixit, quando in eum tulit sententiam mortis. *Memento quia puluis es, &c.* Ad nos docendum, & insinuandum cineres hoc efficere, quod in Euangelio nos monet, atque illud, quod nobis consulit ac mãdat, operari puluerem, in quantum illa est oleum quod vngit intellectum & memoriam; est balneum quod conscientiam purificat; est decor ac ornamentum, quod animam pulchram reddit, eamque replet spirituali lætitia: atque adeò bene conueniunt, & fratrisant illud: *Tu autem cum ieiunas, &c.* & textus libri Geneseos: *Memento quia puluis es, &c.*

---

*Tu autem cum ieiunas, &c. Puluis es, &c.*

## CONSIDERATIO II.

*Quod ne oculi affigantur rebus mundi, optimum remedium sit, eos reflectere ad vile nostrum principium, hoc namque admodum viuaciter nobis persuadet ieiunium, quod Sacrum Euangelium nobis intimat.*

SANCTVM Quadragesimæ tempus, mortificationi carnis, ac pœnitentiæ de peccatis consecratim est: hoc idem nobis cõsulit, & persuadet Christus Dominus noster in Euangelio: *Tu autem cum ieiunas, &c.* Ieiunium scilicet Orationem, Eleemosynam, & temporalium rerum vitæ huius cõtemptum. Igitur conuenienter admodum cineres capitibus imponuntur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; nam ad agendum pœnitentiam, & contemnendum res terrenas & perituras, non est medium magis efficax, nec remedium magis certum, quam memoria mortis, & nouisse eas aliquando finem habituras. Hæc motiua maximè fortia sunt ad eas despiciendum, & non computandum inter bona. 1.

Notabiles fuerunt instantiæ, quas Sancto Loth fecerunt Angeli, ad eum libe- *Genes. 19.*

liberandũ à vindicibus flammis, quas, in dignas pœnas abominabilium criminum Sodomæ, cœlum fulminauit. Iterum ac sæpius ei dixerunt, vt, nisi perire vellet, ad tutum locum sese reciperet: *In montem saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Institit ille vehementer, ac timidus contendit, dicens, magis securum, & melius sibi prospectum fore in paruâ ciuitate, ibidem vicinâ, quam in deserto, quo Angeli eum deducebant.

Sed Loth breui mutat consilium, iuitque ad montem, quem illi persuadebãt: *Ascenditq́; Loth de Segor, & mansit in monte.* Quis non videat inconstantiam Loth, & quam facilè cõsilium mutet? Sed Ioachim, antiquus Pater, eum excusat, & in eadem scriptura, mutationis suæ causam detexit: *Viditq́; adscendentem fauillã de terra, quasi fornacis fumum*; Ignis enim proserpens ad eum approximabat, & incendij cineres iam ei penè in oculos incidebant, atque adeo nihil aliud facere potuit; & qui in principio recusabat commorari in monte, propter solitudinis incommoda, quique, iam assuefactus delicijs Sodomæ, voluit remanere in Segor, in qua, vtpotè in eodem climatè, & habens ibidem consanguineos & amicos, existimabat bene sibi futurum, neque propriam patriam sibi defuturam; vt vidit mortem sibi aduenientem, & fuliginem ac scintillas Sodomæ iam contingentes vultum incolarum ciuitatis; cùm eousque in eâ regione sibi tantopere complacuisset, iam eam abhorret; qui ita ei afficiebatur, iam eam fastidit, & eam videre non potest, ac magis quærit recessum, & asperitatem solitudinis, quam delicias Segor.

Tantùm potuit repræsentatio mortis, & considerare rerum maximè pretiosarum & delectabilium huius vitæ terminum & finem, puluerem esse ac cineres. Idem, inquit Ioachim, eueniet illis, qui cum mutari voluerint. *In illa hora videntes omnia esse turbata, inueniri sibi loca quietis, quamuis horrida, pro magnis delicijs computabunt.* Ioach. Abb. conc. veter. nouil. stamn. cap. 4.

Properat Elias ad desertum, fugiens persecutiones Achab, & tyrannides Iesabel: verùm aduertit diuinus textus, quod non recesserit plus quam aditer vnius diei paulò plùs minúsve: *Et perrexit in disertum viam vnius diei.* Descendit è cœlo Angelus ad consolandum & excitandum tristem & defatigatum senem; detulit ei panem & aquam, vt sese recrearet, vel potius post ieiunium sese paululum reficeret: *Panem subcinericium & vas aquæ*, cibum pœnitentium viro tam sancto, quique ad Dei obsequium, tam heroica facinora perpetrarat; ad confusionem illorum christianorum, quibus, cum nõ sint sancti, sed peccatores, difficile, melius dixero impossibile est, obseruare ieiuniũ, quod Ecclesia præcipit. Comedit & bibit propheta, & adiũgit Scriptura, quod *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Duo hic deprehendi magna ponderatione digna. Primum, Eliam seruare tam rigidam Quadragesimam, quadraginta dierum, & totidem noctium, nihil omnino tanto tempore comedendo: eumq́ue ab hominũ consortio sese procul recipere, vt videatur nihil iam amplius voluisse scire de mundo, nec rerum huius vitæ recordari. Quî tam rigidam abstinentiam? quî tam longam peregrinationem? Videtur, Vir Sancte, non aliud hoc esse, quam velle teipsum viuum sepelire. Siccine progrederis? Sed, te amabo, cur longum hoc iter ante Angeli visitationem non suscepisti? Stephanus

2. 3. Reg.

Can-

*Stephan. Cantuar. apud Tilman.*

Cantuarienſis,breuibus quibus,ſed excellentibus verbis rationem dedit: *Hic eſt panis ſubcinericius, qui datus eſt Eliæ, noſtræ abiectionis memoria.* Equidem, cum Elias prima vice ab hominum cōtubernio ſeſe ſubduxit, crudelitates Achab,eiuſque vexationes occaſionem dedere, adeoque ſufficiebat ei extra aulæ tumultum exiſtere:ſed reſolutio, quam modo ſumpſit,de ducenda vita Anachoretica, & ſolitudine perpetuò incolendâ,ieiunando, orando, ac nonniſi de Deo,& anima ſua agendo, effectus fuit ſicci panis, quem Angelus ei detulit.Hic enim,vtpote inuolutus cineribus,ſerias ei cogitationes tam altè impreſſit, vt iam ex rebus mundi huius non amplius deſideret, quam tugurium aliquod, aut ſpeluncam, in qua,tamquam in ſepulchro, commoretur. Alta & ſublimis conſideratio: omnia vitæ huius bona deſinunt in cineres,rem tam exiguam huius mundi? Confugere ad ſolitudinem, agere pœnitentiam,ieiunare, orare, & de ſua ſalute agere.O magna efficacia,& ſumma vis memoriæ mortis!

3. Hebræi Ægypto exeunt cum opibus ſuis, ac gregibus, onuſti auro, & argento, pleni ſplendidis monilibus, &lapidibus pretioſis, quæ Ægyptij illis commodarant: *Sed & vulgus promiſcuum innumerabile adſcendit cum eis, oues & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis.* (*Exod. 12.*) Nemo eis egreſſum impedit, veniunt magna ſecuritate, lento & commodo greſſu,& tam fidenter progrediuntur, ac ſi per proprias terras inceſſiſſent.Quid illud eſt,interrogat inſignis Abulenſis? Heri ita oppreſſi,hodie in tanta libertate conſtituti? Quomodo ipſorum præpoſiti & magiſtri eos abire permittunt? Quomodo Rex huic rei non inuigilat? Quomodo in finitimis oris regionis conſtituti eis liberum tranſitum concedunt, eoſque non detinent?Vt huic dubitationi reſpondeat, recurrit hic Magnus doctor ad Caput 33.libri Numerorum, vbi ſacer hiſtoricus dicit, quod Iſraëlitæ: *Exierunt Ægypto videntibus Ægyptijs, & ſepelientibus mortuos ſuos*; (*Num. 33.*) cum enim filij Iſraël exierunt de Ægypto, omnes incolæ occupati erant ſepeliendis corporibus primogenitorum,quos Angelus,dei miniſter occiderat. Igitur, inquit Abulenſis, quid miraris? quia refert, quod eos egredientes videant, ſi omnes in terra mortuos ſepeliant? *Tanto defunctorum primogenitorum tenebantur dolore, quod videntes hebræos diſcedere,non petebant ab eis vaſa aurea & argentea, quæ accommodauerant.* (*Abulenſ. q.40. in cap. 13. num.*) Quî fieri poteſt, vt homines, qui manibus in terra verſantur, ſepelientes defunctos quos præ oculis habent,recordētur bonorū ſuorum? neque auri,nec argenti, nec ſeruorum ſunt memores. Fœliciter procedant Iſraëlitæ, bonā ſuam ſortem morti acceptam referant, tam fortis enim fuit eius repræſentatio, vt ad eius conſpectum, Ægyptij non ſint amplius memores,niſi gemitus,& ploratus, omnes ſuos theſauros, ac diuitias nihili facientes. Tantam vim continet illud: *Memento,quia pulus es.*

4. *Sanguiſugæ*, inquit Spiritus Sanctus per os& calamum Salomonis,*duæ Sunt filiæ*,continuò *dicentes:affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia,& quartum,quod numquam dicit: ſufficit.* Primum hemiſtichium huius ſententiæ transferunt Septuagnita interpretes modo ſequenti: *Sanguiſugæ tres filiæ erant,dilectione dilectæ,& quartæ non ſufficit dicere: Satis eſt,* Ad plenam intelligentiam huius loci, ſciendum, quæ ſit mater, & quænam ſint filiæ ſi ſequenda nobis ſit opinio (*Prou. 30. 70. Interpr.*) 70.Interpretum,non eſt dubium quin

per istam matrem intelligi debeat concupiscentia in communi, vel appetitus inordinatus hinc attribuuntur. Tres filiæ, singulæ admodum incontentæ: verum quarta est insatiabilis, & caninâ fame laborat. Tres filiæ sunt ira, sensualitas, & auaritia. Hæ numquam acquiescunt. Quarta est ambitio, cui nulla res satisfacit; occasio vel ægritudo communis, qua si non omnes, maxima tamen mortalium pars infirmatur; tantum malum vt quodammodo incurabile videatur. Tota hæc doctrina desumpta est ex Sancto Augustino, cuius hæc sunt verba: *Libido generale vocabulum est omnis cupiditatis. Est enim libido vlciscendi, quæ ira dicitur. Est libido habendi, quæ auaritia nominatur. Est libido seu appetentia delectabilium, quæ luxuria dicitur. Est libido dominandi, quæ iactantia, seu ambitio appellatur.* Verùm, quod remedium esse potest ad sanandos quâlibet harum passionum affectos & læsos? Galenus in hac occasione cogitationibus meis fauet, experientiâ quâdam quam refert ex philosophia peregrina, loquens de tenacitate, quâ Sanguisugæ venis adhærent: sic vero loquitur: *Ab attrahendo vero non desistunt, donec cinere os earum aspergatur.* Itaque prædam non dimittunt nisi os cinere repleatur; verum simulatque hæc cura, atque industria adhibetur, statim eam relinquunt. Vtinam sufficiant eæ quas sacro cinerum ritu, hodierna die fidelibus suis adhibet Ecclesia, vt cessent omnes illiciti eorum appetitus, & omnimodè vanis suis præsumptionibus finem imponant, omnia enim hæc possunt cineres, vel puluis: *Puluis es &c.*

*August. lib 14. de ciuit. Dei c 15.*

*Galen. tom. 5. Clauf. 6. cap. 1.*

5. Grauis in hac materia fuit cogitatio Tertulliani. Primus omnium qui homines docuit veram agere pœnitentiam, fuit Deus Dominus noster: probat cogitationem suam ingeniosus pater, loco illo Genesis, vbi dicitur, quod cum videret Deus dissolutionem hominum, quamque effrænatè in turpitudines, & peccata præcipites ruerent, iamque decreuisset aquis diluuij eosdem exterminare, Moyse teste, tanta fuerit afflictio ac dolor animi, vt nimio eorum sensu rumperetur: *Tactus dolore cordis intrinsecùs, dixit: Pœnitet me fecisse hominem;* penitus eum destruere debeo: *Delebo hominem quem formaui. In semetipso pœnitentiam dedicauit.* Exemplar pœnitentiæ semetipsum hic exhibuit Deus, ac certâ quâdam ratione primus pœnitens esse voluit, inquit magnus Doctor. Hæc non intelligo, nam fides Catholica me docet, quod Deus sit purus spiritus, & non habeat cor: ac consequenter, minus potest habere dolorem nec pœnitentiam, nec displicentiam eius, quod fecit: nam habere cor, repugnat simplicitati essentiæ eius; dolere, attributo immutabilitatis, displicere factum, scientiæ eius præuisæ, & infinitæ sapientiæ. Omnia hæc clara admodum rudimenta sunt sacræ Theologiæ; verum non obstant sententiæ huius Doctoris: nam id quod dicere voluit, fuit, quod Deus sese exhibuerit nostrum præceptorem, atque ad docendum nos reipsa pœnitentiam facere, seipsum metaphoricè pœnitentem fecerit. Similiter moderni Commentatores explicant Tertullianum, quando referunt eius doctrinam; ad quam reflecto, vt discursus mei probationem, quam inquiro, ex illa deducam. Quam, obsecro, occasionem habuit Dominus noster ad agendum pœnitentiam in sensu allegato? Quam? Intueri finem mundi, atque homines iterum in terram conuersos, ex qua eosdem formauerat: *Finis vniuersæ carnis venit coram me.*

*Genes. 6.*

6.

*Gregor. l. 24. Moral. c.*

7.

Simu-

Simulatque eos mortuos considerat, sese exhibet pœnitentem, *Pœnitet me, &c.* Itaque si hæc ad doctrinam, & instructionẽ nostram fuerit, dictũ nobis fuit, quod ad hoc, vt peccator de peccatis suis doleat, & pœniteat, atque alius sit, quam ante fuerit, maximè efficax remedium sit consideratio, & memoria mortis: hæc est optimum vitæ directorium, & maximè tutum frœnum passionum.

Genes. 6.

6. *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerẽ reuertetur*; Mysteriosa hæc sunt verba Sancti Iob, quæ diligentem considerationem requirunt. Secunda pars huius sententiæ, quoad substantiam, est eadem quæ illa nostri thematis: *Et in puluerem reuerteris*; quid verò est deficere, ac finiri simul omnem carnem inquirit magnus Pontifex S. Gregorius? Estne fortassis omnes indispensabiliter morituros? Et quod mortis statutum sit vniuersale, ac neminem à falce eius parcat? Bene quidem ita dicere liceret; Hic enim est planus huius loci sonus, cui magnus pater plenè, ac ingeniosè occinit. Admirãda sunt eius verba: *Simul omnis caro deficiet, quando iam nullus suis motibus seruit: quia præsidens spiritus, cuncta eius fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio, omne quod in illo malè viuebat interficit.* Nostis quid sit omnimodè carnem deficere? Est hominem ita spiritualem reddi, vt passiones carnis ac sanguinis iam amplius ei non dominentur. Hic supremus perfectionis est gradus, cum spiritus carnem ita sibi subditam detinet, vt contra eum non rebellet, sed in omnibus ei deuictam se exhibet, & subiugatam.

Gregor. l. 24. Moral. c 26.

7. Verùm quod maiorem parit admirationem est, quod illa tam singularis perfectionis gloria, in instanti acquiri possit: *Deficiet omnis caro simul*; id est: omnia carnis vitia eodem tempore desinent. Quod hoc medicamentum tam salutiferum? Quod antidotum tam diuinum, quod, cum vnicum sit, simul ac semel animam curat ab omnibus suis infirmitatibus, quæ tantæ sunt ac tam diuersæ? magnum defensiuum est castitas, sed solum adimit turpitudinem; magnum liberalitas, sed vincit dumtaxat auaritiam; magnum abstinentia, sed solam gulam confringit. Adeò, vt singulis hisce virtutibus sufficiat vicisse sinum contrarium, & de particulari suo inimico triumphare. Et hoc quidem, non dico multis mensibus, sed non nisi multis annis efficiunt: tantùm abest vt vno momento vincere, & omnes carnis concupiscentias opprimere possint. Quomodo itaque Sanctus Iob pronuntiauit propositionem numquam auditam, quod eodem tempore, & eodem instanti omnis caro deficiet? Quod hoc secretum tam prodigiosum? Quæ quinta essentia tam efficax? Non videtis, inquit S. Gregorius. Notate sequentia verba: *Et homo in cinerem reuertetur: Id est*, inquit magnus Pater, *humilientur ex infimâ conditione, propter hunc puluerem, ad cuius memoriam, qui seipsos considerant, reuocãtur.* Omnia admiranda hæc subito in sese experietur Christianus, qui profundè meditabitur id quod est, & in quod breui est conuertẽdus: *Et in cinerem reuertetur.* Repentina enim hæc mutatio est effectus specialissimus recordationis cinerum, atque huic Ecclesiæ memento annexum est, in momento finem passionibus imponere.

8. Tam facilè est homini mortis consideratione armato, subditos sibi reddere suos appetitus, ac de maximè sibi contrarijs victoriam reportare. Obseruauit Rupertus Abbas, quod Magno

Moyse proijciente & spargente cinerem in Ægypto, quæ fuit vna ex plagis quas Deus rebelli illi populo immisit; confestum Magi Pharaonis, qui, sicut & Moyses, miracula patrarant, disparuerint: *Et sparsit illum Moyses in cœlum*, inquit sacer textus, ac prosequitur Tuitiensis: *Deinceps nulla fit mentio maleficorum*; nec illorum, nec nominum eorum, nec filiorum, nec descendētium, deinceps in tota Sacra Scriptura habetur memoria. O cineres benè consideratos! ô benè intellectam, & rememoratam mortem! Non dat locum incantationibus, nec cupiditatibus, nec ambitionibus, nec vanitatibus. Atqui, quod magis est, (vti cum Magno Gregorio diximus) tam efficax est illius consideratio, vt quod omnium virtutum exercitium, non nisi labente tempore, paulatim superando suum contrarium, & successiuè triumphum referendo efficere potest, illa momento temporis perficiat. O viuos, ac veloces mortis stimulos, & efficaces vires cineris, quæ sopitam animam ita excitant, & tam admirabiles effectus producere solent in ijs, qui eius recordantur, & cinerem se esse considerant, in eumque sese conuertendos, quæ eam sanant à spiritualibus infirmitatibus, ac vires suppeditant ad aggrediendum maximè arduum virtutis, & de suis inimicis triumphandum.

Exod. 9.

Rupert. l. 1. c. 36.

9. Atque adeò prudenter admodum, vt solet, dixit Mellifluus Bernardus, considerans pœnam, quam Deus Adamo, quia inobediens ei exstiterat, inflixit: *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Noluisti Adam mandatis meis obedire, nunc itaque immeritò mihi persolues: terra es, & in terram reuerteris. Hæccine, Domine, pœna est quam delinquenti huic, ac mandatorum tuorum transgressori infligis? Dulcis pœna, & amabilis vindicta: tantùm abest, inquit Sanctus Bernardus, vt conqueri possit Adam, vt denuo sese Deo obstrictum fateri debeat: *Quid causaris, ô Homo? terræ addictus es, factus ex terra, vt ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit.* Hæc non est pœna, sed misericordia, non punitio, sed fauor; proscribere quempiam, qui scelus aliquod commisit, atque ad natale solùm amandare, singularis est gratia quæ ei fit. Infirmum quempiam, ad vires recuperandas, & conualescendi causâ, in patriam mittere, est eundem plurimùm diligere, & salutis eius desiderium demonstrare. Hoc nobis fidelibus hodierna die agit Mater nostra Ecclesia. Transferat se, inquit, ægrotus ille ad patrium solum, tantoperè enim debilitatis est, vt illâ solâ ratione, amissam salutem recuperare possit. Omnia enim poterit Christianus, hac tanti momenti consideratione armatus, ieiunare poterit: *Tu autem cum ieiunas*; orare poterit: *Tu autem cum oraueris*; vanam mundi gloriam despicere poterit: Ne videaris hominibus ieiunans; poterit denique in cœlo, non autem in terra thesaurizare: *Thesaurizate vobis, &c.* Quæ sunt illa, quæ Christus dominus noster in Euangelio nobis commendat, atque adeò bene conueniunt: *Tu autem cum ieiunas*, &, *Memento quia puluis es, &c.*

Genes. 3.

Bernard. serm. de S. Martin.

*Tu au-*

*Tu autem cum ieiunas, &c. Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

## CONSIDERATIO III.

*Quod nihil magis displiceat diuinæ Maiestati, quam primum & singularem esse in via virtutis.*

1. MYSTERIOSVM præceptum fuit, quod Deus cap. vigesimo Exodi, populo suo imposuit, vt ferrum altaris lapidibus non iungeretur; eoque adiuncto foret immundum, & inutile ad sacrificium in illo offerendum: *Si leuaueris cultum super eo, polluetur.* Multæ huiusce legis rationes apud sacros Interpretes reperiuntur, quæ alijs occasionibus subseruire poterunt. Vnam vero præsenti admodum conuenientem designat gloriosus Sanctus Gregorius Nazianzenus, quæ est: *Quia natiuum & simplex artisq; ac fuci expers esse debet, quidquid Deo consecratur.* Nihil adulterinum Deo nostro placet, sed naturale ac simplex homines candidi, & sinceri, nam duplices, & ficti. Proprium namque virtutis est, solum Deum respicere, nec virtutis nomen meretur, quod alio intuitu agitur; atque id est, quod diuinus Magister in Euangelio docet: *Tu autem cum ieiunas, &c.* Videte ne sitis filij hypocrisis, neque cum illa viuatis: cum alij faciem lauant, & vos eam lauate, cumque eam habuerint repletã cinere, habete eam, vti & ipsi. Nolite simulatè sicut hypocritæ, vt sancti habeamini, incedere depresso in terram capite, pallidi, & macilenti, ad captandam auram vanarum adulationum, quasi singulares, & ab alijs differentes: *Vt dissimiles alijs videantur,* inquit glossa Interlinealis; & fortassis desumpsit à Sancto Bernardo, loquente de vno illorum: *Non melior esse studet, sed videri.* Scitote Deo solum modò placere opera, quæ cum simplicitate ac sinceritate fiunt, absque vitio ostentationis & fraudis, duntaxat Deo placendi causâ. Hic modus virtutis diuinis eius oculis solum acceptus est, vtpotè maximè cõmunis; securitas enim est in consuetis, & in obsequio Dei non est via singularis, quæ sit secura.

*Exod. 20. — Nazian. zen. orat. 19. — Interl. ad illa verba: vt appareant hominibus, cit. à San. — Bern. de 5. grad. humil.*

2. Vocat Deus Moysen ad montem cum eo colloquendi causa, ac iubet, vt secum ducat fratrem suum Aaron, & sobrinos suos Nadad, & Abiud, & cum illis septuaginta senes ex Israël: *Adscende ad Dominum tu, & Aaron, Nadad, & Abiud, & septuaginta senes ex Israël.* inquit Sacrum Oraculum. Ilicò sese offert ratio dubitandi, quomodo Deus mandet seruo suo Moysi, vt vadat alijs comitantibus, si eum vocet ad suiipsius contemplationem? Contrarium videretur magis consultum; nam vt anima Dei fauoribus, delicijs, ac suauitatibus perfruatur, debet quam maximè solitaria illa quærere. Sed Philo Hebræus magnum mysterium in diuino hoc mandato inueuit: *Enimuero,* inquit Philosophus, *periculosum est animam incomitatam, ad contemplationem eius qui est, ascendere.* Magni momenti instructio fuit, quam dedit Deus animabus spiritualibus, & ijs, qui agunt de oratione & contemplatione sublimium mysteriorum eius. Nempe, vt tam sanctum exercitium profectum faciat, non debeant curare vt sint singulares, & videantur soli in exercitio virtutis, quin imo sequi, & comitari alios qui eam profitentur. Atque hic author sententiosis admodum verbis discursui suo coronidem imponit: *Præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quam ad cœlum, à seipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut multis sophistis contigit.*

*Exod. 24. — Phil. lib. de migrat. Abrah.*

3. Bonus admodum fuit Propheta Elias,

lias, talem eum deprædicat sacra scriptura, factum quasi os montis ignem spirantis, accensum zelo honoris Dei &c. Hoc non obstante, si attente diuinum textum legeritis, inuenietis perditionem eius in singularitate aliquando extitisse. O Domine! absque me, iam honor tuus in mundo finem habuisset, nam: *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, & remansi ego solus.* O propheta, inquit Deus, & quantopere aberras! bonum foret vt in te comprehenderentur quotquot mihi seruiunt? solúsne tibi, esse viderîs, & absque te cuncta terminanda? Certiorem itaque te facio, me in vno solo angulo habere plus quam septem millia seruorum mihi fidelium: *Reliqui mihi plus quam septem millia.* Multi sunt qui mihi seruiunt, & sufficere sibi posset, si fores sicut vnus illorum, nec velle debes solus esse bonus, & virtuti deditus. Quærit doctus & antiquus Pater Rabanus, quomodo Propheta, quocum Deus familiariter agebat, & secreta sua communicabat, ignorauerit ea quæ in hac particulari occasione agerentur? *Tanto prophetæ quid difficile fuit cognoscere in hoc mundo famulos remansisse Deo?* Et rationem dat nostro proposito admodum conuenientem: *Sed qui humilis etiam occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat.* Modo rem tam claram celat Deus eum, cui aliàs secreta sua reuelauerat, vt sic præsumptionem eius castigaret. Quasi diceret Deus; Elia in quantum humiliter de te sentijsti, & sufficit tibi esse instar aliorum, & inter seruos meos numerari, non habebam in pectore meo rem tibi occultam: sed simulatque te pupugit singularitas, fauoribus meis indignum te effecisti. Ingredere, ingredere communem viam, si mihi placere desideras. Ne tibi videatur, quod solus sis securus, & reliqui omnes aberrent.

3. Reg. 1.

Rab. hic.

4. Hanc Dei nostri conditionem bene cognouit Sanctus Samuel: clarè patuit in illo eius facto, quod mea quidem sententia, fuit heroicæ humilitatis; cum populo ad exonerandam suam conscientiam, suiipsius ac muneris sui rationem redderet, ac demonstraret iustitiam & æquitatem quam toto regiminis sui tempore obseruarat, refert gratias, & fauores illos quos Deus fecerat duobus fratribus Moysi, & Aaron: *Et ait Samuel ad populum: Dominus qui fecit Moysen, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti &c.* Vt quid, inquirunt sacri Interpretes, quando Samuel agit de se ipso, mentionem facit illorum seruorum Dei, qui à tot annis iam obierant? Ad hanc dubitationem variæ responsiones afferri potuissent. Illa Sancti Gregorij Papæ est hic admodum propria: *Quid est hoc aliud; nisi quia & virtutis suæ culmen ostendit, sed in tanto culmine solus apparere noluit, quasi latentibus sensibus dicat: In tanta animi virtute mirandus non sum: quia in ea solus non sum.* Statim vt coactus fuit proprias virtutes edicere, nō potuit se in illis sine comitibus conspicere. De industria alios viros Sanctos retulit, ne solus probus videretur. Sciant omnes, inquit Propheta, quod si aliquid boni in me sit, prouenerit ex eo, quod bonorum vestigia sim secutus, ac eorum exempla, eo quo potui modo imitatus fuerim.

1. Reg. 12.

Gregor. hic.

5. Discipuli mensæ finem imponunt, inquit maxime IESV dilectus, & Dominus agit de dando Petro Primatum Ecclesiæ & non alijs; ad hoc examinat eum de materia Amoris; rogat: si eum plus diligat, ac tribus vicibus reiterat eamdem quæstionem ac totidem audit responsum, & tandem gregē suum, tam ouium, quam agnorum ei committit,

21. mittit, *Simon Ioannis diligis me plus his? dixit ei: Etiam.Domine,tu scis,quia amo te.Pasce oues meas,pasce agnos meos.*

Sexcenta circa hunc locum sese offerunt consideratu digna,ac multa super eo admodum pulchra Doctores proferunt. Eminētissimus noster Caietanus notauit, quod interrogatus Petrus,si plus alijs amaret, respondeat ad primum articulum de amando, considerans verò secundum de amando plus alijs, respondere non audeat. Ratio Cardinalis est sublimis: *Refugit Petrus respondere ad secundam quæsiti partem, scilicet plusquam his: hoc enim non nisi temerè,& præsumptuosè potuisset affirmare.* (Caietan. hîc.) Quemadmodum Petro cor suum IESV CHRISTO plenum erat,ita quoque non egit de prærogatiua in eius amore; qui enim cor suum Deo occupatum gerit, nec etiam in eum bene amando contendit præsumere principatum. Verus iustus non existimat sese alijs supereminere: sufficit ei esse sicut quilibet fratrum suorum, nec vmquam prætendit præferentiam, sed æqualitatem: ideò Petrus non dicit, se diuinum Magistrum amare, plusquam alij sui Condiscipuli; sufficit ei, quod cum amet,sicut alij, non vult nec esse, nec videri in eo singularis.

6. Meâ quidem sententiâ Christi Vicarius locutus est, expertus ea, quæ aliàs ei euenerant. (Matt.14.) Accidit enim,vt cognoscens Dominum ex naui suâ, in qua actu erat, petierit ab eo facultatem proijciendi se in mare,& ad illum veniendi.Incipit bonus senex animosè incedere: sed res taliter ei successit,vt (quamquam ipsum mare summam gressuum eius virtutum agnouerit) sese tamen timore perculsum, & quasi subuersum deprehenderit: *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam,vt veniret ad Iesum,&c. Et cùm cœpisset mergi,clamauit, dicens: Domine, &c.* Quæ hæc tam rara nouitas? inquit S. Pater Ioannes Chrysostomus: Fierine potest, vt in securitate sit discrimen,& in via, quæ ad Deum ducit, Petrus periculum patiatur? Quidni? respondet concionatorum Princeps, si via sit inuia,& singularis? *Itinere mirabili veniebat.* (Chrysost. hom 51. in Matt.) Diuina dispositione hæc ei perturbatio accidit,vt cogonscat Apostolus,quid sit à consueta via discedere,vt ad Christum eatus, & submergi timeat: nam alijs sese præferens, volebat solus inter fluctus maris ire ad Christum; vnde patet,non esse viam aliquam singularem,quæ sit secura.

Quis ignoret superbum illum Gigantem, qui tam frequenter solebat irritare,& prouocare exercitus Israël? 7. *Date mihi virum, vt ineat mecum singulare certamen,* (1.Reg 17.) dicebat audax ille,& temerarius Dei, & populi eius inimicus: Si aliquis sit qui manus mecum conserat,& solus cum solo audeat mecum vires experiri, veniat, ego eum prouoco.Galfridus,antiquus Pater,reflexit ad verba,*Singulare certamen,* atque modo insignem allegoriam deducit. (Galfrid. cit. à Burgens. lib. 1. vita Christi, c.2.) Notate, quod eos non prouocet ad pugnam communem,sed ad particularem concertationem: quo significatur,inimicum animarum non audere se communibus viribus exponere, erga singulares omnem suum adhibet conatum; communitatis robur arma habet potiora; verùm qui se singularem exhibet,facilè superatur: *Non timet nos solos aduersarius noster, idcircò prudēter prouocat ad singulare certamen: sciens quia væ soli,quia cum ceciderit,nullum habet subleuantem.* Communis inimicus,solus cū singularibus animabus agere intendit; nam virtutem comitatam,inuincibilem agnoscit.

8. Fallitur quisquis cogitat,singulari-

tatem dispositionem esse, ac viam ad virtutem. Gloriosus S.Bernardus epistolam scripsit ad quamdam Religiosam, cui non contentæ vitam communem, & sicut reliquæ, transigere, inciderunt cogitationes de petenda solitudine, ne quempiam videret, aut cum aliquo loqueretur. Hic Sanctus hoc eius propositum reprehendens, dicit in hunc modum: *Si de fatuis virginibus es, congregatio tibi necessaria; si de prudentibus, tu congregationi.* Consilium salutare! quasi dicat: Vel de fatuis virginibus es, vel de prudentibus. Si de fatuis, conuersatio cum prudendentibus tibi necessaria est, ad imperfectiones tuas corrigendas: si de prudentibus, communitas præsentiâ tuâ necessariò indiget, vt illæ, quæ non sunt tam perfectæ, tuo sese exemplo reforment. adeò, vt Sancti Doctoris conclusio sit, quod vitæ communi, & plurimorum virtuti, profectus eius, ac meliorationes sint alligatæ. Et ad hanc doctrinam melius stabiliendam, notat idem Sanctus, quam carò Sancto Thomæ Apostolo constiterit, solum, & extra communitatem abire: *Non erat cum eis quando venit Iesus.* Quis dubitare potest, quin ille Sanctus illo tempore debuerit benè occupatus fuisse, aut fortassis positus in quodam angulo, Magistri sui mortem, & discessum, & absentiam ab eius conspectu deplorans? Verùm S.Bernardus dicit: *Falleris Thoma, si videre Dominum desideras, à Collegio Apostolorum segregatus: non amat Veritas angulos, diuersoria ei non placent, in medio stat, communi vita, communi disciplina delectatur.* Christianus es? si meliorari, ac profectum facere cupis, per communes semitas, quas alij fideles serunt, incede; nam particulares per vias progredi, est dimidiam itineris partem ad perditionem iam confecisse.

*Ioan. 20.*

*Bernard. cit.*

Lætabantur quodam die Sancti Apostoli, videntes se à Domino tanto fauore affectos, vt etiam dæmonia sibi subijcerentur, & ad vocem suam ex corporibus abirent: *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Respondit eis Christus: *Ecce dedi vobis potestatem super omnem virtutem inimici, &c. verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Quam ob causam non vult Deus, vt Discipuli gaudeant de victorijs, quas de dæmonibus reportant; quandoquidem, in virtute nominis eius, de ipsis trumphant? Quidam dixerunt, rationem fuisse, quod docere eos voluerit, lætitiam suam bene impendere; sciens, quod solummodo vni tam grandi bono, quale est, scriptum esse in libro vitæ, iure merito deberetur. Verùm ad hoc alij respondent, quod hæc mutuo bene compatiantur: nam cœlestia dona æstimare, & de ijsdem gaudere, referendo illa ad Dominum, qui eorum est author, iustitiæ, ac rationi consonum est: atque adeò optima huius loci explicatio, est illa magni Patris Sancti Augustini, qui existimat, Christum Dominum non prohibuisse Discipulis internam animi lætitiam, sed tantùm exteriorem, quam in actionibus manifestabant: hæc est quam cœlestis Magister eis non concedit; non enim vult, vt ostentent gratiam miraculorum, ipsis particulariter concessam, sed vt illam celebrent, quam alij cum ipsis participant, qualis est salutem consequi. Ita vt propter speciem quam habet singularitatis, eis non permittat de particulari dono gaudere, & mandet vt de communi id faciant: *Non omnes Christiani boni, dæmones eijciunt: omnium autem nomina scri-*

*Luc. 10.*

*Interlin. cit.*

*Maldon. hic.*

*August. in Psal. 130.*

pta

*pta sunt in cœlis. Non eos voluit gaudere, ex eo quod proprium habebant, sed ex eo quod cum cæteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere Apostolos, vnde gaudes & tu.* Non vult vt glorientur de gratia particulari, sed vt se conforment reliquis, qui in aliâ, eis sunt æquales.

10. Ex dictis clarè constat, quantoperè Deus abominetur singularitatē in virtute, & quantoperè etiam ei placeant, qui incedunt per communes semitas Christianæ perfectionis, conformantes se moribus eorum, quibuscum sub vna lege, & professione viuunt. Hoc est mysterium illius euangelici: *Tu autem cùm ieiunas:* illud *autem*, est Particula aduersatiua, significans contrarium *Interlin. cit.* eius, quod hypocritæ faciunt, *vt dissimiles alijs videantur.* Eundem quoque spiritum habet, atque ad eundem finem dirigitur salutare consilium, quod hodierna die omnibus fidelibus filijs *Maldon. hic.* suis, cuiuscumque status, qualitatis, & conditionis sint, sacrâ illâ cinerum ceremoniâ, Ecclesia proponit, memores eos reddendo, quod ex puluere sint formati, & in puluerem sint convertendi, vt numquam aliquis sit adeò excœcatus, vt ei in mentem veniat, se terribilem mortis ictum euadere posse, quem alius maximè propriè appellauit *Virg. Georg. 2.* inexorabilem: *fatum inexorabile*; tum quod rogari se non permittat, nec vincatur precibus, nec quidquam possint apud illam supplicationes aut fauores, cùm propter suam æqualitatem, quæ nemini parcit, nullius miseretur; non discernit inter personas, cunctos sine respectu æquat, magnos, & paruos; pauperum casas, & Regum palatia æqualiter subintrat: est lex vniuersalis quæ omnes comprehendit, nemo cogi- *Horat.* tet se ab illa exemptum: *Quo pius Æneas, quo Iulus diues, & Ancus: puluis & vmbra sumus.* Omnes sese Mortales agnoscant, & in eorum numerum se reponant: & nemo præsumat esse singularis; nàm humana natura, in vita præsenti, indiuiduum immortale non admittit; atque adeò illud idem quod Euangelij verba nos docent: *Tu autem cum ieiunas, &c.* Nos tantumdem prædicant illa Geneseos: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

---

*Ne videaris hominibus ieiunans. Puluis es, &c.*

## CONSIDERATIO IV.

*Quemadmodum tam pulchræ sunt virtutes, procedentes ex domo eius, qui illas fecit, periclitantur ex malo oculorum; adeòque ne quid aduersi eis accidat, præcipit Christus eas occultari.*

NE ieiunij nostri meritis, ac aliorum bonorum operum quæ fecerimus sinistri quid accidat, monet 1. nos diuinus Magister, ne agamus quod hyprocritæ, qui in vultu affectant melancholicam quamdam tristitiam, vt in eo abstinentiæ suæ rigor cognoscatur: verumtamen faciem lauemus, caput vngamus, vt illâ exteriori specie, abstinentem ementiamur. Et finis, quem in eo intendit, est: *Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, &c.* vt claudendo ostium vanæ gloriæ, apertum sit ad Deum Patrem nostrum, qui ex recessu suo nos intuetur, & ieiunium nostrum remunerabitur, & mortificationem nostram coronabit. Non enim (fideles mei) totum bonum consistit in ieiunando, dando eleëmosynas, sese disciplinando, orando, & alijs similibus actionibus, nisi ijs circumstantijs, quas Christus Dominus noster nos docet, associentur.

*Doroth. serm. 12. de timore futuri cruciatus.* Cōparauit Sanctus Dorotheus opera nostra bona sementi: *Debet qui sementem facit in agro suo, simul ac semen iecerit, obtegere illud, atque profunda terra demergere: quoniam accurrunt volatilia, quæ semen illud arripiunt, & perit. Ita & nos agere sedulò studeamus; & si quid boni vnquam egerimus, illud per humilem cordis deiectionem obtegamus: proijciamus ante Deum imbecillitatem, & infirmitatem nostram; precantes eum, vt laborem nostrum propitius intueatur, alioqui frustra laboramus,*

2. De Noë refert Scriptura diuina, quod fuerit Iustus, perfectus, & sanctus in generationibus suis: *Noë vir Iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* *Genes. 6.* Hæc vltima verba; *in generationibus suis*, admodum diuersas habent explicationes, aliquas illarum aliàs tetigimus; sed nunc nouam dabimus, & intentioni nostræ valdè accōmodatam. Doctus Nouarinus lectionem quamdam adducit ex fonte Hebraico, quæ dicit in hunc modum: *Noë vir Iustus atque perfectus in sua habitatione.* *Nouar. in adagijs excursu 141.* Et extra illam, inquit, non erat etiam sanctus & Iustus? Quis dubitet, quin omni occasione, vbique, & semper fuerit? Quod itaque mysterium includit, illud: *In habitatione sua?* Dicam: *Vt innueretur in sua habitatione ac domo fuisse iustitiam eius, nec hominibus nota erat.* Excellentia virtutis Noë constitit in eo, quod existens tam bonus, non publicaret virtutem suam, nec ad tympani sonum sanctitatem suam proclamaret, prout hypocritæ, & filij mundi huius faciunt; quin potius, quantum posset, humanam gloriam fugerit, & solummodò diuinis oculis placere intenderit: taliter namque perfectiones suas occultabat, ac si reipsâ semper domi sese continuisset, *in habitatione sua.*

3. Tam diues mysterijs, quam auri, & argenti erat artificiosa illa structura antiqui Tabernaculi, & vt talis, in diuinis litteris admodum celebrata. Quod cùm ita sit, dicit sacer textus, quod bases columnarum, quæ erant in porticu, aut primo eius ingressu, essent ex ære: *Erunt capita aurea, & bases, æneæ.* *Exod.* Dubitari potest, inquit noster famosus Oleaster, quomodo, existente totâ structurâ intus ex auro, argento, & aliâ splendidâ ac pretiosâ materiâ; bases, quibus primò conspectui obijciebatur, vtpotè in frontispicio constitutæ, essent ex materia inferiori, & minoris pretij? *Oleast. hic.* Sed huiusce rei mysterium in eo consistit, quod in domo Dei contrarium eius, quod in hominum ædibus fit, vsurpari soleat, inquit magnus Lusitanus. *Consueuerunt filij Adæ quidquid pretiosum aut pulchrum habent, in ingressu domus suæ locare, vt, qui personam ignorant, cognoscant eius vanitatem. Non sic autem Deus, sed pretiosa ponit in occulto, vilia in ingressu. Disce ergo à Deo tuo, pretiosa tua abscondere, viliora ostendere.* Vt adimpleas, quod idem Deus & Dominus, postquam factus est homo, te docet: *Ne videaris, &c.*

Spiritus Sanctus per Salomonem describens perfectiones animæ virtuti deditæ, & iustæ, in persona strenuæ ac fortis mulieris; *Fortitudo*, inquit, *& decor indumentum eius.* 4 *Prou. 31* Verba vt apparet, difficilia; inquit Gilbertus Abbas, eo quod significet, excellentiam ac sublimitatem virtutis eius in exteriori consistere, quemadmodum in pretioso cultu & ornatu mulieris, eius concinnitas & elegantia. *Gilbert. serm. 3 in Cant.* Id verò esse non potest; nam contrarium est certum, scilicet, interiora animæ esse ea quæ Deus maximè æstimat, quæque à nobis requirit, & desiderat. Quomodo itaque in benedictâ hâc animâ laudat id, quod exterius videtur, & apparet? Non

Non intelligitis, inquit hic Pater. Quod Spiritus Sanctus dicere voluit, est, quod omnem suam gratiam, & pulchritudinem habeat in vestibus, non vt videantur, sed quemadmodum illæ corpus tegunt, ita illa virtutibus suis tegumentum obiecit; fecit eis vestimentum silentij, & secreti, vt à nemine viderentur, sed solis diuinis oculis paterent, cui cuncta sunt manifesta. Veniet tempus cùm apparebunt & cognoscentur, quod erit in die nouissimo, magnâ suâ lætitiâ, eo quod eas abscon-derit & inhumarit. *Tunc nulla ex parte quasi sub lingua premetur silentio, sed pressum diu prorumpet gaudium, & implebitur os eius risu. Os inquam mulieris, cuius fortitudo & decor indumentum eius.* Discamus hîc bona nostra opera occultare, si in patria earum vsuram ac quæstum videre voluerimus. *Vide quomodo non oportet nudam inueniri, quæ promissa sibi expectat gaudia reddi.*

5. Obseruauit doctissimus noster Oleaster, dictum Sacræ Scripturæ, quod lux Moysis talis erat qualitatis, vt visus humanus eam conspicere non posset, ideoque curam gesserit idem Sanctus, vt obtegeretur. *Et posuit velamen super faciem suam*, vt nemo splendorem eius aspicere posset; atque ad mores nostros informandos actionem illam referens, dicit sequentia verba: *Norunt, imò & inflata homines bucca prædicant dona quæ habent, aut potiùs se habere putant: dolent si non viderint prædicari. Sanctus verò iste nescit, imò cum alios admirari videat, velamine faciem operit.* Venerabilis Sanctitas, quæ quantum potest, hominem oculis sese inuisibilem reddere procurat. Sed difficultatem vnam patitur hæc doctrina. Lucem Christi Domini nostri, eo in Monte Thabor sese transfigurante, quotquot præsentes fuerunt, vidisse scimus; quinimo eam intueri, tanto eis erat oblectamento, ut ipse Apostolorum Princeps Sanctus Petrus, eam videns, fuerit quasi stupefactus: &, *Nesciens quid diceret*, petiuit quoad viueret ita permanere: *Bonum est nos hîc esse.* His itaque suppositis; si eximia illa Christi Domini lux videri se sinat, quamobrem illa Moysis, non tantum sese videri non permittit, sed etiam, præterquam quod hoc sit impossibile, velaminibus, & cortinis operiri debet? *Posuit velamen.*

(margin: Exod. 34. — Oleast. ibid. — Matt. 17.)

6. Ad respondendum huic difficultati, duo sunt supponenda; videlicet, quòd lux, quæ ex Christi facie in eius Transfiguratione procedebat, fuerit similis luci solis: *resplenduit facies eius sicut sol*: illa verò, quæ ex facie Moysis, similis luci Lunæ decrescentis; atque ad hoc allusit sacer Textus, secundùm communem Sacrorum Interpretum doctrinam, quando dixit, quod *erat cornuta facies Moysis, ex consortio sermonis Domini.* Luna autem, quia habet quid mutabilis, & parum firmi, est symbolum status Ecclesiæ militantis; particularium inquam, ex quibus illa componitur. Est hæc constans Sanctorum doctrina, prę̨sertim S. Hieronymi, & Sancti Augustini. Contra verò Sol, quia stabilitatem habet & firmitatem, est notissima figura Ecclesiæ Triumphantis, in quam numquam potest cadere immutatio. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Nunc ergo redeamus ad illud vnde diuertimus. Splendores Christi sunt solis, quæ correspondent cœlo, Moysis autem non sunt magis quàm Lunæ, quæ hîc correspondet terræ. Vt significetur, solos fauores, & lucem alterius vitæ, pro sua firmitate, & stabilitate (quam ob caussam perditionis periculum non incurrunt) toti mundo manifestari posse non ob-

(margin: Exod. 34. — Hieron. in c. 66. Isaiæ. August. epist. 7. — Matt. 17.)

obstante eo, quod lux Solis permittere non soleat ab aliquo se videri. Econtrà verò lucem Moysis, cùm sit Lunæ, cuius radij ab omnibus videri se permittunt, non vult Deus, illam ab vllo hominum conspici posse: *Et non poterant respicere in faciem Moysis.* Ponatur velum in facie, in testimonium eius, quod fauores Dei nobis in hac vita præstiti, hac ratione, & nullâ aliâ conseruentur, eos scilicet ab omnibus abscondendo & præseruando. *Ponebat velamen*; nam cùm publicare eos volueris, exponentur periculo perditionis.

7. Matth. 2. Refert sacer Euangelista Matthæus, quomodo Reges Magi venerunt ab Oriente Ierosolymam, adorare Christum Redemptorem nostrum, vt verum Regem, eique aduentum gratulari. Et singulari mysterio aduertit, quod simulatque venerunt ad vestibulum Bethleem, vbi Authorem vitæ in virginalibus brachijs Sanctissimæ Matris suæ inuenerunt, eo adorato, & tamquam Deo, ac Domino suo, debiti cultus tributo persoluto; thesauros suos pretiosos aperuerint, ac munera sua obtulerint: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Notat hoc loco Sanctus Paschasius, quod sapientes hi cistas suas occlusas, ac thesauros obsignatos contulerint, vsque dum in præsentia Redemptoris sui eos manifestarunt. Et in sensu morali factum illud expendens, ex eo vtilem admodum doctrinam deducit: *Quo facto magnum religionis nostræ sacramentum aperitur, vt fide prauiâ, thesauros nostros in via minimè pandamus, donec transpositi inimicorum insidias, gratia illustrante, soli Domino deuoti, ex reconditis secretorum cordium thesauris soli Domino munera offeramus.* (Pasch. lib. 1. in Matth.) Quasi dicat hic Sanctus, docere nos voluisse vigilantiam & prudentiam, quâ tamquam viatores nos gerere debemus, & curam ac sollicitudinem à nobis adhibendam in bonis operibus quæ agimus, tegendis & occultandis, eò quòd magnum periculum subeat thesaurus virtutum, nisi sit bene custoditus, cùm multi sint inimici, qui suis nos insultibus, ac insidijs spoliare moliantur.

8. Excutit ac ponderat ad hoc intentum, Abbas Gilbertus, duos admirabiles versus Dauidis; vnus est ex Psalmo 38. alter verò ex 138. (Psal. 38.) Hic autem sit primus: *Substantia mea in inferioribus terræ.* (Psal. 138.) Quasi dicat: Substantiam meam, quidquid habeo bonorum, me totum, quantus vestro beneficio sum, & valeo, posui in infimo terræ. Non habes, Sancte Rex, aliud depositum magis absconditum, & securum? Omninò: *Substantia mea apud te est.* Audite consequentiam quam ex his præmissis infert Gilbertus Abbas: *Ergo & in inferioribus terræ eius substantia est, & apud Dominum. Distantibus est in locis, abscondita, in superioribus cæli, & in inferioribus terræ, in æternitate, & infirmitate.* (Gilbert. Abb. serm. 25. in Cant.) Ex dictis, per certam consequentiam deducamus, quod verus iustus, cuius personam refert Dauid, non habet virtutem suam in superficie terræ, nec ante oculos mundi ponit, sed sicut thesaurum in visceribus inhumatum, ne latrones eum auferant, & hac ratione eum detinet in Deo, fideli suo depositario, maximè securum; adeò vt existens in maximè submisso considerationis terræ, & vilitatis suæ reconditus, in maximè sublimi æternitatis diuinæ sit thesaurizatus, vnde nullus inimicus, quantumuis sit potens, eum potest deprædari.

9. Si incolæ Galatiæ Dauidem fuissent imitati, & magis cauti exstitissent, & minus præfidentes, non euenisset eis tam grande infortunium, quale fuit,

gratiæ thesauros amittere, quos Diuino beneficio impetrarant. Sed modica circumspectio quâ vtebantur, tantis damnis occasionem dedit; quæ Sanctus Paulus sanguineis lachrymis deplorans, vt notauit Angelicus Doctor S. Thomas, *hoc dolendo dicit*; cum luctu & gemitu amabilem eis dat reprehensionem: *O insensati Galatæ! quis vos fascinauit non obedire veritati?* Ac si dicat Apostolus: O imprudentes Galatæ! quis vos peruertit? Quis apostatare fecit à fide, quam tanto spiritu ac feruore professi estis? Quis oculo vos fascinauit, vt non obediretis veritati? Angelicus Magister opinatur, hæc Apostoli verba esse metaphorica, & alludere ad id, quod formosis, & elegantibus puerulis, extra domos abductis, sæpenumerò euenire solet, vt nimirum obuiàm fiant oculis vetulæ cuiuspiam, tam venenosæ qualitatis, vt simulatque eos conspexerit, quasi mortuos relinquat: *Accipitur fascinatio, secundùm quod aliquis ex aspectu maleuolo læditur, & hoc maximè in vetulis, quæ visu vrenti & aspectu inuido fascinant pueros, qui ex hoc infirmantur, & euomunt cibum.* Si domo non exiuissent, numquam fuissent periclitati; sed propalam in medio magnæ multitudinis, euentus est infallibilis; nam, vt dixit Salomon, *fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Res est certa, & constans veritas, demum per spiritum Sanctum pronuntiata; quòd magnæ gratiæ, & pulchritudines perire soleant per oculos venenosos. Cùm itaque hoc sit, quod dicit Sanctus Paulus; scitote quod mali oculi damnum vobis intulerint, quia pulchritudinem vestram non custodistis. Publicare voluistis vestras virtutes, & ex non absconditis, factæ sunt infortunatæ.

*Ad Gal. S. Thom. lect. 1.*

10. Idem accidit multis fidelibus, Galatis admodum similibus; qui si fortè aliquando faciant opus aliquod Sanctum, & probum, non cessant omnium oculis & quasi militari lustro, probandum illud obijcere: atque hos noster Pater Sanctus Vincentius Ferrariensis comparat gallinæ, quæ vix ouum parit, & tantùm gracillare & perstrepere incipit, ac lætitiæ signa edere, vt nemo compescere, & ad quietem reducere eam possit; eiusque voces ad nihil subseruiunt, quàm loco excitatoris, qui vocet quempiam qui veniat, illudque auferat: *Gallinæ similes, quæ vix ouum peperit, & in cantum erumpit, gracillat ac perstrepit, &c.* Itaque ne sitis de illorum numero, nec tam infelix sit, sicut illorum, sors vestra, dicit Christus Dominus noster, vt opera vestra bona abscondatis ab oculis mundanis, eaque terrâ contegatis: hoc est; *Ne videaris hominibus ieiunans.* &, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

*Vincent. Ferr. apud Nouar. lib. 1. Sacrar. elect. sect. 9. n. 82.*

## Et pater tuus, &c. Puluis es, &c.

### CONSIDERATIO V.

*Quod eodem tempore quo Christus nos vocat filios Patris Æterni, memores nos faciat Ecclesia, quod simus ex puluere, vt nos in dignitate positos, præsumptio non deijciat.*

1. AGITE, vt Patris vestri similitudinem benè referatis: Dei filios nos vocat Saluator; nobile ius, dignitas sublimis, habere Patrem Deum. Est hoc profectò, non plus vlt. à honoris, & magnificentiæ: atque hoc obligare nos deberet ad taliter vitam nostram instituendam, vt à tam bono Patre non essemus degeneres filij. Sed quoniam Euangelium nos vocat filios Dei, & Ecclesia nobis dicit, vt recordemur puluerem, & cinerem nos esse: *Memento quia*

*to quia puluis es, &c.* Magna discrepantia, vt apparet, inter vtrumque sese offert; nam esse filium Dei, eumque habere pro Patre, est summum gloriæ & splendoris; esse verò terræ filium, eamque habere pro matre, infimum abiectionis, & humiliationis. Quid itaque hîc dicemus? Quod, non obstantibus prædictis, hæc duo sint admodum similia, quæ primo intuitu repugnare videntur. Quemadmodum enim titulus filij Dei, est maximè honorificus qui fingi potest, & cinis repræsentat abiectionem vilis nostræ naturæ; ita Spiritus sanctus, hac memoria, arrogantiam nostram contrahere, & præsumptionis nostræ fumos deijcere intendit, vt in maioribus honoribus simus magis humiles.

Sapiēter admodum dixit Philo Hebræus, totius Sapientiæ fundamentum esse cognitionem sui, & non obliuisci humilium suorum principiorum, & vilitatem originis semper præ oculis habere: *Principium totius sapientiæ est, non obliuisci suiipsius, & habere semper præ oculis suas origines.* Philosophus sententiam suam confirmat, loco illo sacri libri Numerorum, in quo præcipiebat Deus, vt singulis vicibus quibus summus Sacerdos intraret in Sancta Sanctorum, ad supplicandum pro populo, aqua & cinere se totum conspergeret. In hoc sensu intelligit verba illa sacri Textus: *Cùmque lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, vestimenta sua, &c.* Quis mysteriosus erat hic ritus? inquit Philo, nónne cineres aquâ madefacti lutum conficiebant, quo sacerdotalis habitus commaculabatur? Ita sanè. Quid igitur hæc ceremonia significabat? *Consideremus, quomodo quoties Princeps Sacerdotum, ritè immolaturus præscriptas victimas, accedit ad altare, ante omnia cinere, & aqua lustrari sacra lex iubet, vt in sui memoriam, & cognitionem redeat.* Id quod Deus noster hoc ritu intendebat, erat sacerdotis animo sui cognitionem imprimere; ei nimirum, Pontificis insignibus induto, & vices Dei fungenti, qui honor erat omnium supremus, in memoriam reuocando, quod de sua origine non erat, nisi parum luti, & cineris.

*Phil. lib. de somn.*

*Num. 19.*

Idem Philo, acutè, vt solet, libro citato explicat locum illum Leuitici, in quo mandabat Deus: *Sacerdos qui tetigerit immundum super mortuo, non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cùm lauerit carnem suam aqua, & occubuerit Sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis.* Reflectit autem, & merito, Philosophus ad verbum: *& occubuerit Sol*; vt quid enim obseruare debet Pontifex, vt insigne illud luminare recesserit, & claritatem suam occultauerit, ad hoc vt compareat in diuina præsentia, & particeps fiat sublimium mysteriorum eius? quid refert hoc fieri, siue cum pulcher hic Planeta radios suos communicat, aut postquam eos abscondit? Dicam: *Sacerdotibus lex sancitur interdicens sic: Non edet de sacris, nisi abluto aquis corpore, purificatus post solis occubitum. Docemur enim apertè his verbis, neminem satis sanctum esse ad obeunda Mysteria sacra, qui mortalis vitæ claret honoribus; sed si quis horum contemptor, vt par est, illustratur à prudentia, vt sic possit eluere vanæ gloriæ maculas; nónne vides Solem ipsum aliud Orientem, aliud Occidentem efficere? Post exortum eius illustrantur in terris omnia, in cœlo verò celantur: è diuerso verò, post eius occasum, sidera quidem promicant, terrestria verò cuncta obcœcantur vmbris superuenientibus.* Longa est hæc sententia, mihi præsertim, qui non soleo prolixos textus originales referre; hic verò abbreuiari

2.

*Phil. lib. cit.*

*Leuit. 22.*

non

non potuit. Non vult Deus, inquit Philo, vt, qui tam propè lateri suo assistit, Altari appropinquet ad Solis occasum, sed tantummodo postquam occubuerit. Vult enim, vt taliter in sui cõsiderationem veniat, vt non intueatur sese in sublimi sua dignitate constitutum, diuitem, splendidum, & magnificum, æstimatum, & agnitum, adoratum ab omnibus; hoc enim est, Solem esse in Oriente. Si enim taliter sese considerauerit, non est dubium, quin vehementia lucis obcœcetur, & vis honoris ei obliuionem pariat Dei, & humilis gratitudinis supremæ Maiestati debitæ. Si verò aduerterit, omnem illam gloriam, & felicitatem, qua se modo affulgentem videt, finem aliquando habiturã, &, quemadmodum Pater Luminis, ad occasum tendat, oportet, vt eius, quod sibi quandoque eueniet, reminiscatur, illâque memoriâ habitâ necessariò sese humiliet.

3. *Dies mei transierunt*, inquit singularis patientiæ exemplum, Sanctus Iob, Iob 3. *sicut naues poma portantes.* Communis horum verborum explicatio, quam Interpretes adferunt, est, quod Sanctus hic vir loquatur de velocitate, qua vitæ nostræ dies transeunt. Fundant se in comparationibus antecedentibus, in quibus dicit, quod vitæ suæ dies velociùs transierint cursore, qui non subsistit, nec dormit, nec quiescit; sed neque fugientes tam velociter incedunt; & quamquam timor omnibus membris torporem inducat, pedibus tamen ad volandum alas addit; vt minus fugitiui omnes, ceruorum pedes ad currendum sibi exoptant; Aquila quoque quantumuis famelica, maiori velocitate, & impetu in prædam sese non conijcit; nec nauis fructibus onerata, magis festinat, quæ, ne putrescant, omnia vela expandit, vt ad portum appellat, eósque diuendat. Velocia sunt hæc, inquit hic Sanctus, & magna festinatione incedunt: sed multo maiori, defatigatæ, & inueterascentis vitæ meæ dies, transierunt. Est hæc, vt dixi, magis communis interpretatio Doctorum. Sed mihi, pace illorum dixerim, videtur, Sanctum hunc virum hisce verbis amplius quid dicere voluisse; & vitam suam naui comparãdo, sese eius rectorem constituisse. Audite Galfridum antiquum Patrem, cuius verba cogitationi meæ authoritatẽ tribuunt: *Qui nauem regit, non in prora residet, sed in puppi. Sic nostræ etiam nauis gubernator animus, nostræ conuersationis arbiter, prosperè cuncta dirigit, si fuerit intentus extremis; nam ea memorans, non peccabit.* *Galfrid. allegor. in Ecclesiast.* Animus enim vitæ nostræ rector, & gubernator, ad beatitudinis æternæ portum iter suum tunc prosperè dirigit, quando in puppi, non autem in prora, residet; hoc est, quando non ad altitudinem felicitatis humanæ, in qua se constitutum videt, sed ad humilitatem finis, in quem desinet, attendit. Hoc itaque est, quod perfectissima illa patientia, vt viueret conformiter legi diuinæ, & Dominum suum non offenderet, egisse se dixit, scilicet, quod in summa tranquillitate, recurrerit ad considerationem humilis sui esse. Hoc est: *Dies mei transierunt, sicut naues, &c.*

Ponderauit ingeniosè Abbas Rupertus, petitionem illam, quam sacra Sponsa, dilecto suo Sponso fecit, vt abiret, & aliò se reciperet: *Fuge dilecte mi.* 4. *Cant.* Quomodo, interrogat doctus hic Pater, dicit ei, vt abeat, tam tenerè eum amans? Illa, quæ tantopere à Spõso suo se laudatam videbat, ita fauoribus eius magnificatam; illa, quam dulci, ac iucundâ suâ præsentiâ blandè exceperat, modò petit, vt se absentet?

Haud equidem capio. Memini enim sapientis illius dicti Sancti Bernardi, quod absentia sit *Nouerca amoris*; adeoque non possum comprehendere postulationes Sponsæ. Verumtamen videor modò cogitationes eius assequi: *Non sum digna, vt intres sub tectum meum: non sum digna, vt in me ostendas aliquod præsentiæ, vel visitationis tuæ miraculum. Fuge dilecte mi.* Accidit enim, inquit Tuitiensis, vt eodem tempore quo se videret in culmine gratiarum, ostenderit maiorem depressionem, atque à Sponso suo, plus solito, blanditijs, atque delicijs excepta, recordatur fragilitatis argillæ, ex qua est formata; hanc enim vocat tectum, vel domum suam, eâque conspectâ, dilecti sui præsentiâ sese indignam iudicat; propter hoc, nec aliâ de causâ, ei dicit, vt longiùs abscedat: *Fuge dilecte mi.*

*Bernard. serm. 51. in Cant.*

*Rup. hic.*

5. Audite insignem cogitationem Sancti Hilarij, ad versum Psalmi 60. Dauidis: *A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Litteralis sensus huius loci suam habet difficultatem, propter diuersas Sacrorum Doctorum expositiones. Sentit Lyranus, quod hunc Psalmum composuerit Dauid, videns se vndique à Saule ita circumdatum, vt non esset effugij locus; cingebat enim eum *in modum coronæ.* Fauit autem Deus Dauidi; venerunt namque eo tempore noua ad Saulem, quomodo Philisthæi infestarent, & depopularentur terram, & ad eam defendendam Saul soluit obsidionem, qua cinxerat Dauidem, atque ita effugit manus eius; propter quod, inquit Sacer textus, vocauerunt locum illum, *Petram diuidentem.* bonus litteralis sensus. Communis intellectus cum Interlineali, est de filijs Ecclesiæ in afflictione positis: *A finibus terræ, ab Ecclesia,* quibus, tam contra visibiles, quàm inuisibiles inimicos, adest Deus. Adfuisti, inquiunt, beneficio veræ petræ, quæ est Christus; sed quod magis est, *Si à finibus terræ ad te clamaui*; causaliter legit Glossa Interlinealis: *Quia à finibus terræ.* Occurrit autem modò ratio dubitandi, quomodo Iustus petat auxilium, & fauorem sibi exhiberi, eo nomine, quod habitauerit in finibus terræ? Sed dubium hoc egregiè dissoluit commentatio Hilarij: *Sciens se in carne quidem, quæ terra est, degentem, in fine carnis habitare.* Terra, inquit hic Sanctus, propriè est caro. Significat autem: Inclamabant me, Domine, caro mea, sanguis, atque nobilitas, vt secundùm eorum inclinationes incederem: Ego autem, ad seruiendum tibi, tam procul à carne mea, & sanguine me constitui, vt illa in vno extremo fuerint, & ego in altero; illa in principio, ego autem in fine: *A finibus carnis ad te clamaui.* Caro illa, & sanguis, nobilitas, & diuitiæ dabant voces; sed ego quemadmodū ab illis tantopere eram separatus, vt in finibus ipsorum existerem, illa non audiebam. Vel sic, & nostro instituto magis accommodatè: *A finibus terræ ad te clamaui.* Ego, ne intentum suum obtinerent, & me superarent, armabam me consideratione finis, aut finium terræ, & omnium rerum eius, quæ vt perituræ, tandem debent finiri. *A finibus terræ ad te clamaui.*

*Psal. 60.*

*Lyran.*

*1. Reg. 23.*

*Hilar. hic.*

Deus noster, & Dominus creat hūc mundum, & primum opus præstantis manus eius fuit lux. Et dixit Deus: *Fiat lux.* Prosequitur Sacer Historiographus, & concludit, dicens, quod *factum est vespere, & mane dies vnus.* Magnus Pater Sanctus Basilius, magnus viuaci suo ingenio, reflectit ad modum loquendi sacri Textus: *Dies vnus*; 6.

*Genes. 1.*

*vnus*; & quærit, quare non dixerit Moyses, *Dies primus?* Quare modò negatur huic diei quod honori ei est; primatus scilicet temporis, quo alijs diebus supereminet? Numquid melius fuisset dicere, quod erat primus dierum, & numero, vnius, præcipuam eius gloriam non obscurare? Videtur res omnino euidens: sed tamen si bene ad hoc reflexerimus, inueniemus, inquit Basilius, factum fuisse conueniens, & bene adinuentum; scilicet, vt non diceretur, quod esset dies primus, sed, quod vnus. Ratio verò eius est admirabilis. *Quam ob causam non dixit primum diem, sed vnum? Vbi magis conueniebat allaturum ordine secundum diem, & tertium atque quartum, eum qui omnes anteibat, primum appellare diem, non vnum. Sed vnum dixit, vt diei noctisque spatium diffiniret, ac tempus vtriusque, nempe diei ac noctis, coniungeret.* Ingeniosè indagatum. Nox, mors est diei; nam vi tenebrarum, desinunt eius splendores. qua phrasi vtitur quoque Tertullianus: *Dies moritur in noctem, & lux in tenebris sepelitur.* Similiter itaque dicatur quod sit dies vnus, & quod sit idem cum nocte, quæ est eius mors, & non, quod sit primus dierum; non vocetur primus, sed vnus. Quia verò tam magna res est, nouisse cum defectibus suis conuenire, & cum maioribus suis damnis vitam transigere, maior quoque æstimatio est & dignitas primi diei, esse vnum & idem cũ suâ morte, quàm esse primum dierum; atque adeò non vocetur primus, sed vnus; in hac enim vnitate fraternè quasi iunguntur lux & tenebræ, dies & nox, mors & vita: *Et factum est vespere, & mane dies vnus.* Cuius rei testimonio, excellentia virtutis Christianæ, & pulchritudo sanctitatis, consistit in scientia concatenandi celsitudinem meritorum gratiæ, cum humilitate terrenæ suæ originis, & sublime ius Filij Dei, cum vilissimo puluere sui esse. Hoc est primum diem esse vnum, & mane iungi cum vespere, lucẽ cum tenebris, & diem cum nocte: *Et factum est vespere, & mane dies vnus.*

*Basil. homil. 2. Hexam.*

*Tertull. lib. de resurr. carn.*

7. Scriptura diuina, agens de creatione Solis, & Lunæ, dicit, quod Deus fecerit duo luminaria magna, eaque posuerit in Firmamento cœli, vt darent lucem super terram: *Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram.* Quæstio est inter Scripturæ Interpretes controuersa, vbi, aut in quo loco hi Planetæ formati fuerint? Nam dicendo quod Deus collocauerit eos in Firmamento, clarè indicat Sacer Historiographus, quod illud non fuerit primæuus locus suæ originis. Variæ sunt super hac re Doctorum opiniones. Illa verò Sancti Anastasij Sinaitæ, instituto nostro valdè conuenit; existimat enim hic Sanctus, quod Deus formauerit eos in terra, vt eos transferret ad cœlum, sicuti postmodum creato homine in campo Damasceno, eum transtulit ad paradisum terrestrem: *Posuit eum in Paradiso voluptatis.* Verba huius Sancti sunt sequentia: *Solem autem & Lunam cùm per se super terram, tamquam Euam & Adam esset fabricatus, postea eos in altum sublatos, posuit in firmamento.* Suppositâ hac doctrinâ tamquam certâ, fundatâ in authoritate maximè grauium Patrum Ecclesiæ, quorum volumina curiosi legere possunt, occurrit statim ratio dubitandi, quare Deus Dominus noster Solem, & Lunam creare voluerit in terra, si illa translaturus erat ad firmamentum? An non conuenisset magis, vt, quemadmodum stellæ, originem quoque suam habuissent in cœlo; quandoquidem in eo futurum erat eorum domicilium? Ita quidem videtur;

*Genes. 1.*

*Anast. Sinait. in Hexam. apud auth. arb. vitæ ad hunc locum.*

tur; sed in sensu mystico factum hoc considerantes, inueniemus cum Sancto Aelredo discursui nostro insigne fulcimentum. Pulchra hæc Astra posita in Firmamento, inquit hic Sanctus, symbolum sunt Principum Christianorum tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium: *Sunt in Sancta Ecclesia firmamento à Domino creata duo magna luminaria, Sacerdotium scilicet & Regnum, Rex & Episcopus, Princeps & Clericus.* Atque adeò non caret mysterio, Deum eos creare in humili terræ loco, priusquam ad summum cœli eos eleuet, & in throno constituat: quasi illis diceret, quod de industriâ tam humilia eis daret principia, vt cùm summo in loco se positos, & ita exexaltatos viderent, non euanescerent, sed deijcientes in terram oculos, recordarentur eius quod fuissent; & considerarent, quod quamquam iam dudum fuissent cœli incolæ, & ciues effecti, originem tamen suam traxissent ex terra; & seruili illo originis suæ loco, in quo aliquando se viderunt, præsentem, in qua se positos deprehenderent, felicitatem temperarent; satisfacientes obligationi verorum Christi discipulorum & fidelium Ecclesiæ filiorum, qui in honore etiam supremo, maximè profundam humilitatem conseruant. *Et pater tuus, &c. Puluis es, &c.*

*Aelred. in alleg. Til. ad illa verba:* Fiant luminaria *&c.*

---

*Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, &c. Puluis es, &c.*

## CONSIDERATIO VI.

*Fragilitatis nostræ memoriam potentem esse, vt despicientes thesauros mundi, anhelemus ad cœlestes.*

1. CLEMENS Alexandrinus alterius vitæ spem, ac meâ quidem sententiâ admodum propriè, *Sanguinem fidei*, appellauit; quemadmodum enim in humano corpore, caro, nerui, ossa à sanguine sustentantur, eoque corpus nutritur, & accrescit: ita quoque Fides Christiana continuò alitur, & roboratur spe alterius vitæ & bonorum, quæ Deus in illa præparauit ijs, qui omnia, quæ in hac sunt, nihili faciunt; adeò vt tota disciplina philosophiæ Christianæ, maior bonitas & perfectio eius, contineatur in parua cura & æstimatione, quæ de vita hac mortali habenda est, & in magno pretio quo æterna, quam speramus, æstimari debet, in vilipendio & contemptu omnium bonorum huius mundi, in magna cura, & studio, quæ adhiberi debent ad cælestia acquirenda; de quibus omnibus Catholica Fides nobis certa & veracia testimonia assignat, atque vnum ex magis efficacibus medijs, ad finem hunc suauiter consequendum, est memoria fragilitatis nostræ, & abiectionis nostræ repræsentatio.

Hanc veritatem apprimè cognoscebat Patriarcha Iacob, in notabili illa lucta, quam habuit cum Angelo, vel cum Verbo diuino, vti visum fuit nostro Angelico Doctori Sancto Thomæ, & ante eum Sancto Iustino Martyri, Tertulliano, Hieronymo, Cyrillo, Chrysostomo, Hilario, Eusebio, Seuero Sulpitio, Clementi Alexandrino, Athanasio, Theodoreto, citatis à docto nostro commentatore Istella, atque ita determinat Conciliũ Sirmiense. Numquam eum (quantumuis id rogaret) dimittere voluit, donec primò ei benediceret: *Non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi.* Quid istud bone Iacob? numquid surripuisti benedictionem fratri tuo Esau? Nónne modò es Primogenitus, & successor illustris domus Patris tui Isaac? Vt quid igitur aliam

*Genes. 32.*

*Tho. hic. Iustin. Tertull. Hieron. Cyrill. Chrysost. Hilar. Euseb. Seu. Sulp. Clem. Alexand. Athanas. Theodor. citat. ab Istella in hunc locum.*

aliam vis benedictionem? Sufficiat tibi quam habes: ne tantus sis benedictionum direptor. Dionysius Carthusianus succurrit Iacobo, & ait illud quod hic petijt, fuisse benedictionem cælestem, & bona gratiæ: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, imprecando & ministerialiter impendendo mihi bona gratiæ, & subuentionis optata.* Quasi diceret: Benedictio, quam fratri meo abstuli, est benedictio terrena; illa verò, quam modò requiro, benedictio cælestis; tunc porrò me beatum ducam, & veraciter diuitem, cùm à Deo benedictus fuero: *Non dimittam te, &c.* Benedictiones mundi, ac terrena bona parui facio: nam illorum solum nomen gerũt: sunt bona mobilia, quæ, cùm maximè arrident, habentes deserunt; thesauri vani, qui in puluerem, & cinerem conuertuntur: *Et in puluerem reuerteris*; tantummodo cœli bona volo, & desidero, quæ sola sunt firma, & immobilia, quæ numquam possunt deficere: *Vbi nec ærugo comedit, nec tinea demolitur.*

2. Si asseuerare voluerimus quodnam fuerit principale motiuum huius Petitionis, reperiemus, quod vbi nostra vulgata habet: *Ecce vir luctabatur cum eo*, Textus Hebraicus, prout refert noster insignis Oleaster, legat: *Puluerizabat*; adeò, vt verbum, *Machas*, vtrumque significet, inquit hic magnus Doctor, & luctari, & puluerizare; & ratio est: *Quia luctatores puluerem pedibus ciere solent*; eo itaque tempore quo luctabantur, pedum motu, eleuabatur puluis, qui adscendebat ad faciem, & in oculos incidebat, vti luctatoribus euenire solet; Quasi diceret Deus: Iacob, quamquam reuertaris diues, fortunatus, & plenus bonorum, recordare omnia illa puluerem esse, & in puluerem reuertenda. Et hæc quidem consideratio tanti momenti Iacobo

Oleast. hic.

fuit, vt quamprimùm puluerem conspicit, terrenorum omnium obliuiscatur, solummodò agat de benedictione Dei, ac bonis cœlestibus, vtpotè æternùm duraturis: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

3. Conquerebatur Deus per Prophetam Oseam: *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim, arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob.* q.d. Propendet, & festinat Ephraim ad præmium quod sperat, quemadmodum vitula, quæ redit ab aratro, & fugit ad horreum; nam inter triturare, & comedere non datur medium: ita quoque in bonis quæ Deus ei promisit, non nouit patienter ferre, & sperare paululum, ac diuertitur quibuscumq; alijs promissis, eo quod promissa Dei non veniant, & retardari ei videantur. Animaduertam in eum, eique ostendam, quod spes quam habet circa præmium, sint appetitus inordinati, & ad conspectum tribulationum Ephraim, Tribus Iuda, & Iacob sperare discent; primò arabunt, & deinde colligent. Si ad loci huius intelligentiam Commentatores consulere voluerimus, speciatim verò doctissimum Lyranum, reperiemus, quod Dominus per Ephraim intelligat decem Tribus, quæ apostatarunt à fide, & idololatriæ sese dederunt, adorando Deos Gentilium; per Iudam verò, & Iacob alias duas, quæ videntes reliquas captiuas, alieno exemplo doctæ, in fide, ac Dei obsequio firmæ & constantes permanserunt: iam verò illas comparat vitulæ trituranti, has autem aranti; eo quod illæ paleis essent contentæ, & quoniam Gentiles statim eis ad votum succurrebant, & prouidebant de annona, vti & illi, idololatriæ peccatum committebant; temporalia bona, quæ impræsentia-

Osea 10.

Lyran. hic.

sentiarum eis dabant, ijs quæ Deus promittebat, præferentes: contrà verò, duæ Tribus Fideles, arabant, & laborabant, futurorum bonorum spe sustentatæ; atque idipsum faciunt omnes iusti, in illis repræsentati: *Similis est vitulæ, quæ diligit locũ trituræ. Duæ Tribus videntes decem Tribus captiuatas propter peccata sua, disponent se ad laborem pœnitentiæ.*

4. Verumenimuerò, id ad quod ego reflecto, & vt mihi videtur, alius quispiam non aduertit, est verbum illud, quo Spiritus sanctus significat eius sudores, & pœnas: *Arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob.* Insignis metaphora, desumpta à boue qui incedit sulcando terram, ita vt videatur eam exosculari, & caput in eam demittere, quasi velit sese in ea sepelire. Iam verò hoc idem agunt serui Dei, quique adspirant, vt sint candidati cœlestium bonorum; terra originis eorum, ab oculis non recedit, & tam efficax est eius repræsentatio, vt paleam, & temporalia terræ bona despicere eos faciat & spes eorum animetur, & excitetur ad bonorum æternorum, licet adhuc absentem, possessionem.

5. *Tob.* 14. Reflexi aliquando ad illud tam salutare consilium, quod Sanctus Tobias senior, filijs, ac nepotibus suis dedit. Erant, inquit sacra historia, tamquam aduenæ, & peregrini in ciuitate Niniue, ibiq; multa bona sibi cõpararant. Diuinâ autẽ reuelatione sciebat hic sanctus vir, infaustam illam ciuitatem breui interituram, ac diuites tantas quantas opes haberent, amissuros: conuocat filios, ac nepotes, iam moriturus (tunc enim tempus est ad sanissima consilia, & purissimas veritates proferendas) illisque dicit hæc verba: *Propè est interitus Niniue, &c. Audite ergo filij patrem vestrum.* q.d. Filij mei, estis in hac ciuitate tamquam peregrini; certiores itaque vos facio, breui eam finiendam, & quidquid in ea habueritis, si ibidem relinquatis, vos perdituros. Scitote itaque Deum vos hinc educturum, & ad terram Ierusalem, quæ propria vobis est, deducturum. Quod vobis incumbit, est, hîc firmum domicilium non figere, sed potiùs procurare, vt ea quæ hîc habetis, componatis, & ad ciuitatem, in qua fixum vobis futurum est domicilium, destinetis. 6. Doctus noster Cardinalis Hugo, mysticè locum hunc explicans, dicit, sublimiores fuisse sancti Tobiæ cogitationes, quàm ad litteram sonent; & id, quod exhortatione suâ ad heredes habitâ intendebat, fuisse illud idem, quod Christus Dominus noster, tamquam bonus pater, & fidelis amicus, in Euangelio nobis cõsulit. Audite eius verba; nitida enim sunt, ac pulchra: *Nolite manere hîc, &c. in mundo, qui transibit & concupiscentia eius.* *Hug. Cardin. hîc.* 1. Corinthior. 7. *Præterit figura huius mundi.* *1. Cor. 7.* Considerabat Tobias filios suos, & nepotes, in transitorio hoc mundo constitutos, de quo dixit Apostolus, quod quidquid in eo est, finietur. Apprimè sciebat, solam cœlestem Ierusalem semper permansuram. Non satisfecisset obligationi boni, & veri Patris, si eo tempore, quod proprium est salutarium præmonitionum, eis non dedisset, nec prædixisset, quod tanti ipsorum intererat. Filij mei, non vos decipiat falsa, & apparens pulchritudo Niniues, in qua mihi exhibetur vera, & viua effigies mundi, in quo modò degitis. *Niniue*, inquit noster Cardinalis Hugo, referens Glossam, *Speciosa interpretatur, & mundum significat, qui speciosus est*, eo quod breui finietur, & exterminabitur. *Hugo Cardin. cit. Gloss. ibid.* Agite de vitâ vestrâ taliter disponendâ, vt æternam assequi mereamini, & incolæ esse spiritualis

Ieru-

Ierusalem,& perfrui visione pacis;hoc est,videre clarè Deum,absque timore eum amittendi. Atque vt hoc facilè peragatur: *Propè est interitus Niniue.* Recordamini mortem properare,& quod citò videbitis Niniuem,hoc est, mundum dissolutum in fauillas,& in cineres conuersum.

6. Huius cognitionis defectus, Proparenti nostro Adamo ruinæ occasionem dedit. Curiosè obseruauit Moysis Barcephos (nescio si tam verè) numquam eum sciuisse, quod fuerit formatus de terra,nisi cùm Deus illi dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo: donec reuertaris in terram,de qua sumptus es.* Et dicit hic Doctor,quod tunc intellexerit Adam,quod fuerat factus ex terra: *Si enim sciret se ex terra formatum, fortè non peccaret.* Numquam enim affectasset summam illam dignitatem, & voluisset esse Deus,si sciuisset,ex tam vili materia se esse compositum: cogitauit ille, quod cùm vxor sua fuisset facta ex osse,ipse ex sublimiori quadam esset materia,atque adeò superbiuit; nam si sciuisset quod esset ex puluere, propria materia luti, numquam præsumpsisset, nec adspirasset ad tantam altitudinem; & abiectæ originis suæ cognitio,ei non permisisset maiorem honorem, aut aliud in hac vita bonum appetere,quàm amare,& seruire Deo, vt eâ ratione securum se redderet de bonorum æternorum possessione.

Genes.3. — Moys. Barceph. lib.1. de Parad. — Hug.Cardin.hic. — 1.Cor.7.

7. Verumtamen quod antè non fecit, postmodum egit,inquit gloriosus Sanctus Bernardus;& est insignis eius discursus. Notat hic Sanctus,Diuinam Iustitiam de duobus delinquentibus pœnas sumpsisse,homine scilicet,& Angelo. Ille proscriptus fuit ex Paradiso,hic ex cœlo: sed si aduertatur, vtriusque sententiæ fuerunt admodum diuersæ; Angeli quidem: *In infernum detraheris, & in profundum laci.* hominis verò: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo,donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Angelus in perpetuum condemnatus fuit ad ignem æternum: *In ignem æternum,qui paratus est diabolo,* &c. Homo verò præfixo termino,& limitato tempore proscriptus ex Paradiso: illud significat aduerbium *Donec.* Quærit modò hic Sanctus, qua de causa hæ pœnæ tam differentes fuerint,vna temporalis,alia verò æterna? Et respondet: *Miser ille Angelus de terra sumptus non est,nec in terram aliquando rediturus: propterea non habet donec,sed ignis eius paratur æternus.* Si enim mori potuisset, & cognouisset puluerem se esse,atque in eum se reuersurum, absque dubio sese emendasset,& de peccato suo pœnitentiam egisset:hoc verò Adamo,ac successoribus eius prosperè cessit, cui notitia humilis sui principij, & similis finis,motiuum fuit ad pœnitendum de suâ culpâ,& grauem errorem à se commissum, amarè deflendum.

Bernard. in declam. — Isaia 14. — Genes.3. — Matt.25.

8. Quàm rigidum sese exhibuit Sanctus Ioseph, in primo illo cum fratribus suis congressu? Iam pro exploratoribus eos habet; modò dicit, latrones eos esse; modò in carcerem eos conijcit,modò minatur;eosque probè agnoscens, asperè alloquitur tamquam extraneos. *Quasi ad alienos durius loquebatur.* Malum hoc omen est,vt videtur, de futuris successibus,& tam mala principia peiorem exitum pollicentur. Illi verò videntes se funibus ita constrictos,crimina quæ imponebantur purgare moliuntur. Ad hoc verò minutatim rationem sui dedêre: dixerunt pacificos se venire negotiorum causâ,absque vllâ sinistrâ intentione, se omnes filios esse viri boni & integri,habitare in Chanaan, & præter decem,qui præsentes adstabant, habuisse parentem suum

Genes.42.

suum alios duos iuniores, quorum vnus remanserat cum ipso; de altero verò nesciri, quid ei euenisset: *Duodecim serui tui fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super*; siue, vt legit Chaldæus, *alius non comparet*. Apparet, inquit Philo Hebræus, quod Sanctus Ioseph hæc audiens, debuisset magis irritari; quandoquidem eum memorem reddebãt tragœdiæ transactæ, & in memoriam reuocabant tyrannides, quibus erga eum vsi fuerant. Profectò, alteri cuilibet, quantumuis prudenti, & patienti, sanguis commoueretur, & aliquas saltem vindictæ cogitationes haberet. Sed non ita bonus hic frater: quin potius minas illas, quas ipsis intentabat, & supplicia quæ minabatur, circinabat, & circumcirca diminuebat: cumque eis dixisset, quod nouem vinctos detineret, & vnus tantummodo rediret ad patriam, ad accersendum minorem natu fratrem, eò quod videre eum vellet: *Mittite ex vobis vnum, vos autem eritis in vinculis*; quamprimùm sententiam mutauit, & dixit, vt omnes abirent, & vnus solum remaneret obses, donec causæ veritas comprobaretur: *Frater vester vnus ligetur in carcere, vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis, in domos vestras, &c.* Ponderat Philo hoc factum, & dicit, ita remotum fuisse Iosephum à vindictâ de ipsis sumendâ, & malo alicui pro præteritis iniurijs inferendo, vt si fortè tentationes aliquæ ei obuenerint, tamen ad primam responsionem, quam in sui defensionem ei dederunt, planè fuerint superatæ. Quis autem passiones eius ita refrænauit? Quis eum placauit? Quid tantæ efficaciæ fuerit, quod ei dixerunt, vt tam blandus, & amabilis factus sit, vt & fictum rigorem remittat? Dicam, inquit Philosophus, quando memoriam fecerunt de fratre, qui non supererat, dixerũt eum obijsse; ita enim legũt Septuaginta Interpretes: *Et alter non est, id est, non viuit.* Itaque, simul ac Ioseph de seipso, tamquam mortuo, loquentes audiuit; statuit eis ignoscere, & ad conspectum mortis, animus ei non fuit, quidquam mali ipsis inferre: *Hæc de seipso loquẽtes audiens tamquam mortuo, quid animi habere potuit?* Maximè animosi spiritus, ignaui ac pauidi redduntur, nec quidquam mali facere audent, cùm mortem ob oculos positam habent.

*Chald. apud Istella.*

*Phil. lib. de Ioseph.*

*70. Interpret. apud Istella cit.*

9. Tantum, quantum istud est, potest eius repræsentatio, & tam mirabiles esse solent eius effectus, nisi offendat subiectũ aliquod tam infaustum, quale fuit Iudas, de quo notat Sanctus Paschasius, particulari prouidentiâ, ad exaggerandum summum iniquitatis eius, cœlitus ordinatum fuisse, vt cognomẽ eius fuerit Iscariotes: & siquidem ab hoc Sancto propriam huius vocis significationem quæsiuerimus; respondebit, ponderans verba illa capite 10. Sancti Matthæi: *Et Iudas Iscariotes, &c.* quod idem sit, ac memoria mortis: *Porrò Iscariotis memoriam mortis sonat.* Quare verò, vel in quem finem, voluit Deus apponi hoc nomen? *Vt sit inexcusabilis*, respondet doctus Abbas, *quod non casu, sed ex meditatione mortis Dominum prodiderit.* Vidit cœlũ temeritatem ac insaniã, ad quam inordinati pecuniarũ appetitus Iudam inclinabãt, eiq; visum fuit, solam mortis memoriam peruersas eius inclinationes corrigere posse: Eum itaque vocat Iudam Iscariotes, quod idem est, ac Homo reminiscere mortis, vel *Memento quia puluis es*; vt ad conspectum huius continuæ memoriæ, iniquitas eius foret inexcusabilis. Fuit peccatum eius ex malitia, nõ

*Matt. 10.*

*Pasch. in Matth.*

autem

autem ex ignorantia; quandoquidem secum haberet Magiſtrum, qui eum docebat, ſcilicet memoriã mortis, quæ, ſicut propoſuimus, & oſtendimus in hoc aſſumpto, potens eſt, vt res omnes vitæ huius caducas, & perituras deſpici, & parui fieri faciat, & ſolummodo tractari de bonis æternùm permanſuris; quibus hîc frui incipimus per gratiam, & æternùm perennant in gloria: ad quam, &c.

---

# TRACTATVS II.

## AD DIEM VENERIS

## POST DIEM MERCVRII CINERVM.

*Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Matth. 5.

SANCTVM Euangelium agit de amore inimicorum, vna ex materijs, quas Chriſtus Dominus noſter in ſuis ad populum concionibus habitis, maximè tetigit, & inculcauit. Ratio verò, inquiunt Sancti Patres, fuit: nam quemadmodum ille in mundum veniebat ad conciliandam pacem inter cœlum & terram; inter Deum & homines: ita primum quod præcipit, eſt, vt inter ipſos ſit amor & amicitia; vt & hac ratione eam quoque habeat Deus. Remedium enim ad pacem habendam cum Deo, eſt eam habere cum proximo. Arduum eſt præceptum, & difficilis lex, fateor, virium noſtrarum imbecillitati. Verumtamen conquerendi rationem habuiſſemus, quando inimicum eiuſque perſecutiones perpeti, nobis aliquid conſtitiſſet: ſed impenſæ omnes ſunt eiuſdem Domini, qui nobis præcipit eos ſufferre, & diligere; & ad hæc patientiam, ac gratiam ſuppeditat: hâc modò indigemus, ad materiam tam grauem, & tanti ad ſalutem noſtram momenti, bene & cõuenienter per tractandam: hanc petamus per interceſſionem illius Dominæ, quam Eccleſia *Matrem charitatis* vocat; eamque deuinciamus ſolitâ oratione, *Aue Maria.*

---

*Audiſtis quia dictum eſt antiquis.*

### CONSIDERATIO I.

*Niſi lux gratiæ magna ingenia illuminet, non eſſe errores, in quos ſeſe non præcipitent.*

INTENDIT Chriſtus Dominus noſter reformare amoris leges, quæ 1.
in mundo malè intelligebantur culpâ quorumdam Doctorum antiquæ legis, qui præceptum amoris proximi, quod Deus populo ſuo dederat, ſiniſtrè interpretabantur, & dicebant, per proximum debere intelligi amicum, cumque non eſſe inimicum; adeoque lici-

licitum esse eumdem odio prosequi. *Hieron.* Magna mala faciunt docti, si scientiæ in bona consciētia non resideant! certum est enim, ex Scripturis contortis, & textibus malè explicatis hæreses nasci; & ratio est, quia cùm earum authoribus diuinæ gratiæ lux deficiat, quantumuis bono sint ingenio, Deo illud non illuminante, offendunt, & cespitant.

2. Gloriosus S. Bernardus ponderando mirabilem illam visionem Isaiæ cap. 6. *Isaiæ 6.* vbi dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & duabus volabant, &c.* per illas duas alas, quibus Seraphim volabant, intellectum & voluntatem intelligit. Vnâ, quæ erat intellectus, voluit sese Lucifer exaltare vsque ad similitudinem Dei: sed sicut auis vnâ alâ volans, aut homo vno pede incedens, citò cōcidit, ita ille in infernum decidit: *Bernard. homil. 5. super Isai.* *Superbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantùm innixus alæ, casum facere potuit, non volatum,* inquit hic Sanctus. Quasi dicat: Superbus ille Lucifer, vni tantummodò alæ intellectus sui innixus, & carens alâ voluntatis, cadere potuit, non volare: defuit enim ei charitas, quæ erat vna alarum; vt hac ratione sese vnà eleuassent, intellectus & voluntas. Videntur mihi Scribæ veteris testamenti, malo Angelo admodum similes; quamquam enim intellectus habitu scientiæ esset illuminatus, voluntas tamen charitate non erat accensa; vnâ tantummodo alâ, & absque auxilio veræ lucis, quæ est diuina gratia, volabant: adeoque in suis resolutionibus fallebantur, & iudicia eorum tantopere aberrabant: cadere potuerunt non autem volare: quod eis non euenisset, si nimium præsumentes, pro arbitratu suo sese non rexissent, sed intellectum suum diuinis determinationibus ac decretis humiliter subiecissent. *Apoll. hic.*

4. Mysteriosa erat lex Leuitici, quâ mādabat Deus, vt confringerent alas auis, quæ in sacrificio offerebatur: *confringetq́ue ascellas eius, nec secabit.* *Leuit.* Non conueniunt Sacri Interpretes in huius ceremoniæ significatione. Rodulphus, antiquus Pater, dat vnam rationem, nostro instituto valdè accōmodatam: *Ascellæ,* inquit, *confringendæ sunt, id est,* *Rodulph.* *cognitionis dignæ profectu omnis præsumptio reprimenda, vt virtutem contemplandi nemo sibi tribuat.* *Psal. 100.* Qui enim multa de Deo scire intendit, & diuinarum rerum cognitione imbui, pręsumptuosè ad eas perscrutandas, sese præcipitare non debet. *Incognit.* Et post aliquot interuallum, adiungit hic doctus Pater hæc verba, quæ nostrum assumptum directè probant: *Ascellas ergo frangere, est acumen ingenij non sibi tribuere, sed sub diuino munere humiliter infirmitatem propriam cogitare.* *Psal. 118* *2. Reg.* Quasi dicat: Alas alicui confringere, est, quempiam de ingenio, & dexteritate, tamquam re suâ, & sibi propriâ, non superbire, sed propriam exilitatem timidè agnoscere; & aduertere, quod tantum quantum scit & comprehendit, sit effectus gratiæ Dei, & beneficium potētis manus eius, 5.
& quod in momento, quo concursum suum suspenderit, manebit sine alis, & *Bernar. epist.* impotens factus ad volandum.

3. Ad hoc propositum notaui ex Dauide duo loca, quæ huic rei admodū propria esse videntur. Primus sit: *In corde meo abscondi eloquia mea,* *Psal.* inquit Regius Propheta, & statim prosequitur verbis quibusdam quæ primo intuitu, cum istis non cohærent: *Doce me iustificationes tuas.* Quomodo Dauid rogat Deum, vt eum doceat res istas, quas in corde suo custodit? Quærit Apollinarius

rius Doctor grauis, & subtilis; & suauem admodum ac sapidam dat responsionem: *Non enim statim à memoriâ existit intelligentia, sed ab illustratione.* Cognoscebat Dauid, facilè factu esse, Dei verba in memoriâ consignata, & custodita habere; sed, quæ in eis obscura, & abdita sunt, intelligere, ac detegere, sine magisterio eiusdem Dei, fieri non posse: adeoque benè conueniunt: *In corde meo abscondi eloquia tua.* &, *Doce me Iustificationes tuas.*

Apoll. hic.

4. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me*, inquit idem Sanctus. Explanat Author Incognitus: *Scilicet per spiritum propheticum reuelando secreta tua.* Sed quî, Propheta Sancte, homo tam intelligens, vt etiamnum adolescens, plus sciuerit quàm senes, & discipulus melius intellexerit quàm sui Magistri: *Super senes intellexi, super omnes docentes me intellexi?* tam Sapiens, vt inter celeberrimos Israël excelluerit: *Sapientissimus inter tres*, petit à Deo, vt se visitet, & illuminet ad intelligendam legem eius, & alios eam docendam? Ita quidem; nam & optimum hominis ingenium, si Deus luce gratiæ suæ ei non adsit, aberrat; vti clarè patet in falsis Commentatoribus legis de amore proximi, de qua Euangelium mentionem facit.

Psal. 100. Incognit. Psal. 118. 2. Reg. 23.

5. Illorum instar erat impius ille hæreticus Abaillardus, contra quem gloriosus Sanctus Bernardus grauissimam epistolam scripsit ad Innocentium Papam. Erat peruersus hic homo, tam superbus & insolens, & tantus nouitatum amator, vt iactaret, & perniciosâ temeritate gloriaretur, se in intelligendis sacris litteris, nullius vnquam opinionem fuisse secutum, & totum quod scriberet, & doceret, ex sui solius capite deprompsisse; *Omnes quidem sic, sed non ego sic.* Arripit Sanctus Bernardus eius verba, & super ijs dicit sequentia: *Omnes sic, dicis impie, sed non ego sic? Quid ergo tu? quid melius affers? quid subtilius inuenis? Quid secretius tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtiuas, & panes absconditos, puto, apponit nobis iste?* Et ad ipsum conuersus, eum refutat, & compescit his verbis, quæ egregiè discursum nostrum probant: *Magister Gentium accepit à Domino, quod tradidit nobis: Magister omnium suam doctrinam fatetur non suam. Non enim, ait, à me ipso loquor: tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur: tibi proinde sint, quæ tua sunt: ego Prophetas, & Apostolos audio, obedio Euangelio: sed non Euangelio secundùm Petrum Abaillardum. Quintum Ecclesia Euangelistam non recipit.* Ex hac doctrina S. Bernardi clarè colligitur confirmatio eius, quod præ manibus habemus; scilicet, numquam esse certum humanum iudicium, nisi à Deo illustretur: & doctissimos quosque in grauissimos errores prolapsuros, nisi pro duce eis foret lux diuina, vti dixit Sanctus Prosper: *Nemo tam eruditus, nemo tam doctus, qui supernâ illustratione non egeat.*

Bernard. epist. 190. 1. Cor. 11. Ioan. 14. Prosp. in sentent.

6. Sapientes erant Principes illi Orientis, qui venerunt adorare puerum Deum recèns natum in Bethleem. Vt tales eos nobis designat Sanctus Matthæus: *Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c.* Homines docti & Sapientes. Hoc enim significat verbum, *Magi.* Nihilominus animaduersione dignum est, quod Deus Dominus noster miserit eis stellam, quæ taliter eos duceret, vt eum inuenirent: *Vidimus stellam eius.* & viam ipsis monstrauit, vsquedum intrarent præsepe, vbi erat recèns natus Saluator: *Vsquedum staret supra, vbi erat puer.* Si inquirere voluerimus, qualis stella

Matth. 2.

stella ista fuerit, reperiemus, quod secundùm sententiam bonorum Authorum, quos citat noster Angelicus Doctor S. Thomas, fuerit Spiritus sanctus, qui venit in figura stellæ, vti postmodum columbæ, & ignis: *Alij dicunt, quod ista stella fuit Spiritus sanctus.* Quæro itaque, quæ necessitas fuerit, vt Diuinus Spiritus descenderit in forma stellæ, ad deducendos istos Reges? Nónne erant Sapientes? Nónne literati? Nónne intelligentes? Num absque illo auxilio non inuenirent locum vbi Deus erat natus? Non profectò: nam etiamsi sint magis prudentes, & magis eruditi, quàm omnes qui sunt in mundo, descendat tamen Spiritus sanctus, & diuina gratia eorum intellectum illuminet: nam & summũ ingenium, nisi à Deo illustretur, vacillat, & cespitat. *Thom. hic.*

7\. De Sancto Iacobo refert diuina Scriptura, quod iter quoddam faciens peruenerit ad certum locum, in quo puteum inuenit, *Et os eius grandi lapide claudebatur.* Et aduertit sacer Historiographus, quod, cùm quidam Pastores, qui ibidem aderant, vellent lapidem amouere, non potuerint, neque satis virium ad id habuerint, sed solus Iacob, sine cuiusquam auxilio eum amouerit, & puteum detexerit, vt grex Pastorum biberet. Rupertus Abbas moraliter explicans hunc locum, quærit, quid hîc puteus, Pastores, & Iacob mysticè significarent? & respondet, quod puteus significauerit sacram Scripturam, puteum altum, mysterijs plenum, qui pro suâ obscuritate fuit clausus; tres Pastores gregum, qui ibidem pascebantur, Iudæos, Samaritanos, & Gentiles; qui omnes volebant bibere aquas Sacrarum litterarum; sed propter difficultates, quibus occludebantur, non poterant. Denique Iacob, qui puteal à puteo amouit, significabat Christum Dominum, & Magistrum nostrum, qui secreta illarum mysteria nobis declarauit. Atque adeò capite 28. sequenti, loquens de Christo, dixit hæc verba: *Melius hic Pastoribus illis lapidem amouit, qui damnatis traditionibus Pharisaicis, veritatem Scripturæ, sine personarum acceptione, prædicauit.* Absque Iacobo, nec Pastores, nec oues eorum bibissent. Si Christus non docuisset nos veritatem diuinæ legis, æquè sitientes fuissemus ac falsi doctores antiquæ legis. *Genes. 29* *Rup. lib. 7. in Gen. cap. 26.* *Rup. lib. 7. in Gen. cap. 28.*

8\. Non caret mysterio, Deum libro Exodi præcipere, vt foret cãdelabrum accensum è regione mensæ, quæ erat in Tabernaculo: *Et contra mensam candelabrum.* Multas huiusce legis rationes mysticas Sacri Commẽtatores proponunt, quas curiosi in illis videre possunt; quæ hîc locum habet, est Sancti Brunonis in allegorijs, vbi, postquam, tamquam rem certam, asseruisset, quod mensa significet Diuinas Scripturas, & scientiam doctrinæ sacræ, dicit in hũc modum: *Ponitur contra mensam candelabrum, vt fercula imposita videantur: quoniam nisi Christo illustrante, diuina Scriptura intelligi non valet. Ipse enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Qui verò eâ carent, vel in obscuris cæcitatis suæ tenebris manent obdurati, vel in errores falsæ suæ doctrinæ, sicut hi in Euangelio, obstinati. *Exod. 2.* *Brun. l. 4. alleg. in Exod.* *Ioan. 1.*

9\. Moyses sæpiùs montem adscendit, cum Deo loquendi causâ, fratre suo Aaron, & septuaginta Rectoribus Populi Hebraici comitantibus. Verùm sacer textus dicit, quod vice quâdam omnes reliquerit, & solum Iosue secum duxerit, & iuerint ad montem Dei, vbi sacrum Oraculum aderat: *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, adscẽdensq; Moyses* *Exod. 24.*

*Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hîc,&c.* Fatigant se sacri Interpretes ad reddendam veram caussam, ob quam Moyses hac occasione, relictis senioribus ad pedem montis, assumpserit Iosue sibi in comitem, & absque eo ire noluerit? & in diuersas semitas abeunt. Lipomanus, in Catenâ suâ, citans Seuerum, dicit, quod adscensus iste magnum mysterium includebat. Alijs vicibus Moysen multi fuere comitati, & quamquam ad montem eos duxerit; tamen non fuit in summo eius fastigio: jam verò quando vadit cum Iosue, adscendit ad summum. Et ratio fuit; quia, *assumptis Aaron & senioribus Israël, eos vsque ad primum montis verticem subduxit, hoc est, ad altitudinem particularis diuinorum Oraculorum ascensionis, per quam littera ipsa tantummodò reuelabatur. Cùm autem interiorem Scripturam, spiritualem dico sensum, & profunda legis accepturus esset, Iesu Naue secum assumpsit, qui figuram Iesu Domini, & Seruatoris nostri gerebat: neque enim sine Iesu profunda legis, & Euangelij intelligi poterant.*

Lipom. in Caten.

10. Antiqui, ad significandum, quod absque Deo, in nulla re, certò, & sine errore procedi posset, pingebant eum in fastigio quodã valdè alto, ad quod adscendebant tres viæ, quæ ad eundem finem & terminum tendere videbantur; sed duæ illarum ad altissimè, se ingredientes, præcipitandos, tendebant. Ad summitatis pedẽ erat Mercurius, Deus scientiarum, digito demonstrans, quænam esset via certa & secura, litteris quibusdam, quæ dicebant: *Suspende viator, serta Deo, rectum quæ tibi monstrat iter: omnes in biuio sumus, atque hoc tramite vitæ, fallimur.* Significare voluerunt, quod, si Deus, aut eius stella nos non ducat, & viam, quæ ad Deum ducit, non ostendat, nemo eum assequi poterit. Atque adeò non miror, quod Iudæi tam turpiter errauerint; neque enim minus sperari poterat de peruersis eorum intentionibus. Deerat eis auxilium diuinæ gratiæ, atque ita, quantumuis essent intelligentes & literati, delirabant: nam si lux cœli non adsit pro duce, nihil rectè fieri potest: superficiem litteræ non transgrediũtur; quia Iesum Christum secum non habent; ideò dicunt: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* atque adeò, vt sciant, & cognoscant veritatem, veniat ipsemet Dominus, & dicat: *Ego autem, &c.*

Lib. qui dicitur de Dijs Gentiũ, verb. Mercurius.

---

## *Ego autem dico vobis: Diligite.*

### CONSIDERATIO II.

*Loquendo differenti idiomate, ab eo quo peccatores vtuntur, nos certò nostrum assecurare.*

QVEMADMODVM malum citò persuadetur, ita quoque hîc error 1. *
de inimicis odio habendis, sensim accreuit; & consequenter falsa hæc doctrina, irã fræños reijciente, & odio ac vindictæ habenas relaxante. Itaque ad contagiosam hanc pestem ex mundo exturbandam, dicit Author vitæ, & verus animarum Præceptor: *Audistis quia dictum est antiquis, &c.* quasi dicat: Per antiquam traditionem audistis, amicum diligendum; inimicum verò odio habendum. Sed ego veritatem dico vobis, & fraudes detego, ac doceo id quod vobis ad salutem vestram tanti est momenti. Hoc est, vt falsis istis dogmatistis non credatis, aliam quoque valdè differentem do-

ctrinam vobis trado, qualis est, vt inimicos vestros diligatis, eis bene faciatis, & Deum pro illis oretis. Notate, aduersatiuam, *Ego autem.* Quasi diceret: Illi vobis ista dicunt, ad vos perdendos: ego autem contrarium vos doceo, ad vos saluandos. Vnde deduco hunc discursum:

2. Quod vt verba nostra rationi sint conformia, & certa, alio idiomate loquendum nobis sit, quàm peccatores vti soleant. Quærit noster Angelicus Doctor Sanctus Thomas. *Vtrum hæc sit vera: Christus est creatura?* Et respondet hâc conclusione: *Dicendum quod, sicut Hieronymus dicit, ex verbis inordinatè prolatus incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia. Arriani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solùm ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ. Et ideò non est absolutè dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione, scilicet, secundùm humanam naturam.* adeò vt Angelicus Magister resoluat, non debere dici, quod Redemptor sit creatura, ne vniuocè cum hæreticis loquamur, quamquam intentio nostra non sit, errori eorum assentiri; loquantur ipsi vno modo, nos verò alio, vt securè procedamus.

Thom. 3. p. q. 16. art. 8.

3. Vna ex beatitudinibus quas Dauid Iusto assignat, est, quod non permittat se duci ab eo quod mali ei consuluerunt. Vel, vt explicat noster doctus Cardinalis Hugo, si casu in ipsorum Concilio sese deprehendat, vt votum suum personam suam deceat, ab illorum differat; & quia ipsi vnam rem dicunt, ipse aliam dicat valdè diuersam. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum.* Quis, petit hîc Doctor, est fœlix hic vir, de quo loquitur Propheta, & quem veluti Sanctum pronuntiat? Et respondet, quod sibi videatur Dauid spiritu prophetico ad litteram loqui de Ioseph ab Arimathia, de quo dicitur in Euangelio: *Hic non consenserat consilio, & actibus eorum*; hoc est, quod veniens in Cōcilium, quod Pontifices & Pharisæi conuocauerant contra Christum: *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum*; quamquam vnus ex numero consiliariorum, ipse solus, reliquis omnibus Christum morti adiudicantibus, fuerit cōtrariæ opinionis, in fauorem Redemptoris. Homo itaque, ait Dauid, qui se non cōformauit sententiæ hominum peruersorum & malorum, absque fide, absque religione, absque Deo; hoc enim totum dicere vult verbum, *Impij*, vt aduertit noster Hispanus Paraphrastes; sed potiùs, differenti ab illorum idiomate est locutus, & dicentibus illis vt Christus moreretur, contradixit; non est dubium quin sit iustus, & in Sanctorum numerum referri mereatur: *Beatus vir.*

Psal. 1. Hug. Cardin. Luc. 23. Ioan. 11. Episc. Cacer.

4. Hæc virtus Iosephi tantoperè Prophetæ nostro placuit, vt quemadmodum Sancti veteris testamenti, imitati sunt Christum, tot sæculis, antequam venit in mundum; ita ille imitatus est nobilem Decurionem antequam existeret. Audite eum in Psalmo 143. vbi depingit, omnem felicitatem quæ in mundo haberi potest, iungit nobilitatem cum fortitudine, diuitias cum decore & potentiâ, & his verbis concludit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Dicere vult: Homines mundani hæc felicitatem æstimant; verùm ego dico, felicem fore eum, à cuius partibus erit Deus. Ita explicat noster Cardinalis Hugo: *Habentes prædicta dixerunt felices, & beatos, sed ego dico: Beatus*

Psal. 143. Hugo Cardin. hic.

*tus populus, cuius Dominus Deus eius, id est, qui seruiunt Deo fideliter, & deuotè.* Illi loquuntur conformiter ad ea quæ sentiunt: ego dico quod intelligo, & in corde meo habeo; & sicut in iudicijs sumus oppositi, ita & in verbis discrepamus.

5. Quando Dux populi Dei, Iordanis fluuio transmisso, præcepta, ac ceremonias, quas in terrâ Promissionis obseruare deberent, intimauit; dicit sacer Textus, quod etiam proposuerit maledictiones, quæ transgressoribus intentabantur, & benedictiones, quæ obseruatoribus promittebantur; & ad hoc diuiserit Tribus forma sequenti: *Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim: Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph, & Beniamin. & è regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aser, & Zabulon, Dan, & Nephtali.* Magnus noster Lusitanus Oleaster reflectit ad mysteriosam illam diuisionem duodecim Tribuum, quam fecit Moyses, & notat rem valdè accommodatam: *Quo in loco illud etiam aduertendum est, homines videlicet liberos, & benedictos, electos ad benedictiones imprecandas; ex seruis verò natos ad maledicendum*; scilicet non casu, sed valdè præmeditatò, & prudenti memoriâ elegit Moyses, illos ad benedicendum, hos verò ad maledicendum: illos ingenuos, nobiles, & ad bonum benedictos; hos autem viles, & ex seruis ad malum prognatos; ita vt vnusquisque, talis qualis esset, loqueretur; benedictus effundebat benedictiones, & maledictus se occupabat maledictionibus proferendis; & eo ipso quo hi maledicebant, alij benedicebant, tantò in verbis differentes, inquit Oleaster, quantò in vita, & moribus erant diuersi: *Vt tam benedictiones, quàm maledictiones, ex authoribus robur habeterent.* Morale huius loci nos docet, quod, vt verba nostra rata sint, ac vera, opposita esse debeant ijs, quæ à peccatoribus proferuntur.

Deut. 27.

Oleast. hic.

Oleast. cit.

Quando generosus, & strenuus Iosue iuit per ciuitatem Iericho, eamque depopulatus est, ac solo coæquauit, pepercit domui Rahab, & reliquas omnes destruens, ac funditus euertens, illam solam non tetigit: *Sola Rahab viuat.* Quærunt sancti Patres, quam rationem habuerit Iosue, propter quam pepercit Rahab, & toti domui eius? Et resoluunt, quod nullam aliam magis, quàm illam quæ ex sacro Textu colligitur; hoc est, quia exploratores, qui iussu Iosue explorauerant terram promissionis, beneuolè excepit. Idem dicit Sanctus Ioannes Chrysostomus; sed doctrinam quamdam adiungit, quæ egregiè probat eam, quam docere intendimus: *Quid Rahab fecit ad salutis argumentum? Suscepit exploratores Rahab, & quem prodidit Israël in deserto, hunc prædicauit Rahab in fornice; quæ audiuit Israël fide tot signorum habitâ, tantâq; lege instructus, & negauit, hoc Rahab in fornice inclusa prædicat. dicit exploratoribus: Noui quanta Deus vester fecerit Ægyptijs: dicit & Iudæus: Hi Dij tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti: & meretrix non Dijs, sed Deo salutem adscribit.* Præcipuum virtutis Rahab, nō tam fuit in charitate, quam Exploratoribus exhibuit, eos domi suæ seruando, quàm, quod in medio Gentilitatis existens, pro vero Deo agnouit Deum Israël, quem ipsi Israëlitæ in deserto negauerant, & non habitâ lege, nec visis miraculis, eorum Authorem agnouit illum eundem, à quo illi, his non obstantibus, apostatauerant, liberationem suam ex Ægypto, vitulo, quem conflauerant, attribuentes. Et quemadmodum Hebræi verbis 6.

Iosue 6.

Chrysost. homil. de pœnit.

verbis à se prolatis incredulitatem suam manifestauerunt: *Hi sunt Dij tui, &c.* ita Rahab ijs quibus loquebatur: *Noui quanta Deus vester, &c.* fidei suæ constantiam deprædicauit; & eâdem viâ peruenit ad Deum, quâ Iudæi ab eodem recesserant: *Et meretrix non Dijs, sed Deo, salutem adscribit.* Quasi diceret Rahab: Illi taliter loquendo, sese damnarunt; ego verò aliter loqui volo, ad me saluandam.

7. Multa consideranda sunt in Musicâ quâ Seraphim illi, quos vidit Isaias, Deo gloriam, & magnificentiam decantabant, & diuinas laudes competenter intonabant, Deo, in maiestatis suæ throno sedenti, acclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sexcenta admodum pulchrè Doctores hîc dixerunt, & claro isti cantui occinuerunt. Abbas Celensis, grauis, & antiquus Author, opinatur, rationem, propter quã Seraphim se totos occupabant in laudando Deum vt sanctum, fuisse, vt contradicerent blasphemijs, quas Lucifer contra eumdem Deum protulerat, quando, vt refert idem Propheta, irreuerenti ac incredibili arrogantiâ, dixit se Dei lateribus assessurum, & æqualem illi futurum: *Sedebo in monte testamenti, & similis ero Altissimo.* Videntes, itaque, perniciosam dæmonis insolentiam, & qualiter temerariâ audaciâ tam blasphema verba protulerat, pro viribus diuinas laudes decantabant, & incessanter sanctum eius nomen exaltabant; adeò, vt ex temerario, & insolenti angeli mali idiomate, boni occasionem sumpserint, bene, & honorificè de Deo loquendi, & se totos impendendi, ac eximios reddendi in diuinis laudibus deprædicandis: *Vidit namque consortem naturæ suæ Luciferum, gulam desiderij ad hanc mensam extendisse, & non exinde diuinitatem, sed mortem degustasse; idcircò abstinet, ne manum conferens mensæ, nec os aperiens negatæ diuinitati, vt velit eam deglutire.* Quia enim Angeli boni viderunt quid Lucifero, consorti suo, & socio, acciderit, inordinato appetitu gulæ diuinitatis, arrogantem linguam, & vnà etiam manum, ad sacram mensam diuinæ essentiæ extendenti, quod occasio ac totalis causa æternæ mortis eius fuit; ideò timidos se continent, & humiles reddunt, ac se totos diuinæ magnificentiæ collaudandæ impendunt, eorum linguis Sanctum eum acclamantibus, quem Satanæ tam grauiter offenderat. Hoc est: *Nec os aperiens negatæ diuinitati.* Ex confusione Luciferi, & perditionibus damnatorum Angelorum magni momenti consilium ad sui instructionem desumpserunt, & illud idem ex filijs peccati ad nostram vtilitatem desumere debemus; ad quod valdè efficax medium est, ad verba eorum semper respicere, ne illis conformemur.

*Celens. Abb. de pan. c. 1. apud Ascan. mart. in Gloss. mag.*

*Isaia 14.*

Deus & Dominus noster per Prophetam Oseam, loquitur de mutatione, quam Synagoga conuersa, & reducta ad Deũ factura erat, & in ijs mysticè fideles Ecclesiæ Catholicæ, gratiâ eius adiuti, & fauoribus subuenti: *Vocabit me: Vir meus: & non vocabit me vltrà, Baali.* Sanctus Hieronymus dicit, quod in lingua Syriaca, & Hebræa, *Baali,* sit idem quod sponsus, vel maritus. Itaque si sint termini synonymi, quare non licebit ijs vti? Quorsum? Ratio est, dicit quidam doctus Commentator, quia Baali, idem est, quod Baal nomen appellatiuum, quod Gentiles Dijs suis attribuebant; quapropter quamquam de Deo nomen hoc dici posset; tamen non vult in ore suo illud sumant, ne fideles in modo loquendi, 8.

*Osea 2.*

*Hieron. hic.*

*Riber. hic.*

quendi, cum Idololatris conuenire videantur: *Tantum tamen odi idolorum nomina, vt etiam quod benè dici potest, propter ambiguitatem, & in verbis similitudinem nequaquam velim dici.*

9. Ponderat magnus Pater Sanctus Augustinus, quod quærenti Christo Domino nostro à suis discipulis, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* firmissimâ fide responderit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui*: Christus verò in remunerationem confessionis huius, reciprocè ei promiserit claues cœli, & quòd futurus esset caput Ecclesiæ suæ: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Aliàs verò Saluatore in Synagogâ prædicante, prosilit dæmonium; quod hominis cuiusdam corpus obsidebat, & altâ voce dicit: *Quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei? Venisti torquere nos? Scio quia sis sanctus Dei.* Responsio autem, quam Christus ei dedit, fuit: *Obmutesce, & exi ab homine.* Iam verò huc venit ponderatio sancti Augustini. Si vnam, & eamdem rem sanctus Petrus, & dæmonium confitetur; & vnus idem omninò dicit, quod alter, quomodo tam diuersas audiunt responsiones? Confessio vnius admittitur, alterius verò reijcitur? Vni in præmium datur Ecclesiæ Tiara, alteri verò os obstruitur, expellit vtque ex corpore hominis quem possidebat? Per Deum immortalem! in quo consistit tanta differentia? In quo? Dicit id sanctus Augustinus: *Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus autem amando.* Quasi diceret; quòd, vt fides nostra differat à fide dæmonis, oporteat amare, & habere charitatem: nam quamuis fidei nostræ hoc sit speciale, quòd sit habitus supernaturalis, quod fides dæmonis non habet; tamen, si ei charitatem non adiunxeris, erit eadem, qualis ea in inferno. Excellens doctrina, porrò ab Aquilâ Doctorum proueniens. Ego verò, pace eius, dico, quòd non sine magno mysterio præceperit Christus dæmonio, vt taceret; ne scilicet dubia maneret veritas, eius ore pronuntiata; & testimonium quod Petrus dederat, quia dæmonis simile videbatur, suspectum. Tanti refert, differenti idiomate loqui, ab eo, quo peccatores loquuntur: contingere enim potest, vt etiamsi quispiam benè loquatur; tamen, quia in modo loquendi cum ipsis conuenit, contra ipsum præsumatur.

*Matt. 16.*

*Matth. 8*

*August. serm. 6. de verbis Apost.*

Crucifixerunt Authorem vitæ inter duos latrones, vti ex sacris Euangelistis constat. Et sanctus Lucas singulari animaduersione notauit, quòd cùm Dominus esset in cruce, *Vnus de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos*: alter verò socius, quem bonum latronem vocamus, respondendi curâ suscepit, eumque reprehendit & dixit, quòd loqueretur, quasi Deum non timeret, nec videret in quo statu esset; quandoquidem ipsi, pro delictis à se commissis, paterentur; Dominus autem innocens foret: *Nos digna factis recipimus, hic verò nihil mali fecit.* Audit eos Arnoldus Carnotensis, & reflectens particulariter ad verbum quod dicit S. Lucas, *Respondens*, scilicet bonus latro, blasphemo; ac benè considerans alia eius verba, dicit sequentia: *Sanè hic, de quo agimus, latro mansueti animi, & sicut testem Christi decebat, in auditorio publico fidei protulerat argumenta, & nouo philosophandi genere, cum blasphemo illo, de timore Dei, & iustitia disputabat.* quasi dicat: Mons Caluariæ scholam mihi redolet, & cogitatio mea non multum à vero aberrare videtur; video enim in eo conclusiones contineri, & controuersas admodum quæstiones 10.

*Arnold. de septem verbis Dom. to 1. Biblioth. Patrum.*

stiones esse; materiã verò, quæ ventilatur, esse de timore & iustitia Dei. Blasphemus latro personam Redemptoris obscurare, ac iniuria afficere conatur, & sustinere, ipsum non esse Messiam, nec filium Dei, sed similem omnibus, qui in infami illo supplicij loco vitam finire solent: sed quamprimùm blasphemias, ac hæreses suas proposuit, in Christi defensionem eum arguit bonus latro, animo tamen pacifico & dulci, quali testem Domini decebat; & nouo, vel potiùs cœlesti philosophandi genere, valde vrgentia fidei argumenta in assecurationem, ac defensionem eius proposuit. Atque adeò verbum, *Respondens*, secundùm doctrinam Arnoldi, est idem, quod, *Contradicens*, quasi replicans & impugnans, vti facere solent argumentantes, contra defendentes, propositâ & explicatâ doctrinâ quam defendunt, ac eò quòd hi vnam opinionem defendunt, illi contrà falsitatem eius ostendere conantur, & probare contrariam esse veram. Hoc fecit sanctus Latro, inquit doctus Carnotensis: *Fidei protulerat argumenta.* Bonum documentum omnibus fidelibus, vt eorum verba tam sint distincta à verbis malorum, quemadmodum impugnantium argumenta, contrariam doctrinam illi, quæ defenditur, continere solent.

II. Coronidem considerationi huic imponamus insigni reflexione optimi diuinarum literarum Interpretis sancti Hieronymi. Refert sanctus Iudas Thadæus in Canonicâ suâ, quòd sanctus Michaël, & dæmon disputauerunt, & altercati fuerunt de Moysis corpore. Nostrâ modò non interest, particulares controuersiæ illius circumstantias scire, sed tantum id quod aduertit Apostolus: *Non est ausus iudicium inferre blasphemiæ.* Quorsum autem non voluit

*Iud. Thad.*

Michaël, quærit sanctus Hieronymus, verbis ignominiosis Lucifero contradicere, & rebellem eius pertinaciam cõfundere? Respondet Sanctus ad sententiam nostram valde accommodatè: *Merebatur diabolus maledictum, sed per Angeli os blasphemia exire non debuit.* Noluit enim sanctus Michaël verba aspera, & rigida in dæmonem retorquere, ne similis ei videretur. Dæmonem blasphemias proferre, non est obstupescendum: sed si Angelus eas diceret, admiratione dignum foret. Non decet Angelum bonum in verbis malo assimilari; quin potiùs, propterea quod dæmon tam incomposita loquitur, conuenit sanctum Michaëlem ab ijs abstinere; & siquidem aliqua ei dicat, sint admodum bona, &, vt paucis dicam, Seraphino digna: *Imperet tibi Deus.* hic enim omnium est Dominus. Itaque si Angeli in verbis dæmoni similes apparere refugiant, quantò magis iusti, quique ad perfectionem adspirant, studere debent, ne loquantur idiomate peccatorum, vt suæ dissertationes decentes sint, atque compositæ. Dicunt Doctores Hebræorum, inimicos odio habendos; *Ego autem*, inquit Christus, *dico vobis: Diligite.*

*S. Hieron. in epist. ad Titũ.*

---

## *Diligite inimicos vestros.*

### CONSIDERATIO III.

*Excellentiam charitatis, & puritatem virtutis consistere in eo, quòd odio habentes inimicos Dei, nostros diligamus.*

DILIGITE inimicos vestros, inquit diuinus Magister, & non dicit: Diligite inimicos meos. Quæro, quare non mandet nobis Dominus amare I.

omnes inimicos nostros, & suos? Apparet, quòd si taliter ordinasset, magis perfectus fuisset noster amor, & quantò copiosius foret eius obiectum, tantò magis exaltaretur; dicat: *Diligite inimicos vestros, & meos*; & non determinatè, *vestros*. Alij alias dabunt rationes: illa quæ mihi nouiter sese offert, si non demereatur vt mea, est, quod de industriâ restrinxerit Dominus præceptum amoris ad inimicos nostros: *Inimicos vestros.* & non obliget nos amare inimicos Dei, quin potiùs virtualiter permittat esse illis aduersarios, vt nos doceat, puritatem virtutis, & excellentiam Christianæ charitatis, consistere in amandis proprijs inimicis; Dei verò, odio habendis: in sufferendis proprijs iniurijs, & solum sentiendis illis, quæ diuinæ Maiestati inferuntur.

*.Hieron. epist. ad Titũ.*

*Genes 49.* Iacob in extremo vitæ constitutus, viribus iam prostratis, & animâ, vt dici solet, inter labia hærente, omnibus, ac singulis filijs suis, tanquam propheta, qualis erat, prædixit ea quæ tempore vitæ ipsorum, ipsis essent euentura; & incipiens à primogenito Ruben, loquitur in hunc modum: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* Vrget verò ratio dubitandi, quomodo Ruben sit principium doloris eius? An fortè antequam hic nasceretur, pater eius non multa perpessus fuit? Constant ex Scripturâ diuinâ peregrinationes, quas fecit, exulando à domo Patris sui, causâ fratris sui Esau, incommoda viarum, mali dies, & peiores noctes, quas iniurijs aëris expositus, in obsequio Laban transegit: iniuriæ ac iniustitiæ, quas pertulit. Itaque si tanta tolerauit, quomodo dicit, quòd nullos dolores perpessus sit, antequam filius suus nasceretur? Doctus Lyranus rationem assignat, quâ hoc dubium benè explicatur, & soluitur: *Quasi dicat: Licet multos labores & dolores senserim aliunde, tamen parui fuerunt respectiuè, & quasi pro nihilo eos putaui, in comparatione ad illum dolorem, quem concepi de enormitate sceleris tui.* nempe quia ausus es adscendere cubile Patris tui & maculasti stratum eius, in quo te genuit. Magis clarè: Omnes tantas quantas calamitates pertuli, fuerunt mala pœnæ, quæ solummodo propriam meam personam tangebant, propterea non recordor me eas pertulisse; solùm sentio exorbitantem tuam culpam, & me cruciat, quòd Deum tam grauiter offenderis. *Lyran. hic.*

2\. Non cessat Spiritus sanctus laudare mansuetudinem Moysis, & dulcem atque amabilem eius conditionem exaggerare. Denique vt mitissimum, & omnium, quotquot in mundo erant, maximè pacificum eum deprædicat: *Erat enim Moyses*, inquit, *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrâ.* Probatur hæc veritas illâ animi æquitate, & mansuetudine, quâ segessit in murmurationibus fratris sui Aaron, & sororis Mariæ contra suam personam; repetitis supplicationibus, quibus Deum lacessiuit, rogans pro iis qui se offenderant: vnde consequitur, eum iniurias ab inimicis illatas patientissimè pertulisse. Hunc eumdem videmus aliâs ita mutatum, vt proprio sanguini non pepercerit. Effrænatus, ac contumax ille populus, debitum cultum Deo negat; cœcus vitulum adorat, & idololatriam committit: descendit Moyses de monte, agit de vindicta sumenda de sacrilego illo crimine, exaltat vocem, conuocat gentem zelosam honoris Dei: *Si quis est Domini, iungatur mihi.* Vix edictum proclamauerat, & ecce tibi insigni ardore, ac intrepido *Num. 12.* *Exod. 32.*

animo, viginti fermè ac tria millia Hebræorum, nullius habitâ consideratione, trucidat. Quid hoc? quærit magnus Abulensis. Ille qui aliàs perfectissimæ patientiæ erat exemplar, qui ne verbum quidem malum in se offendentes conijciebat, modò ita vindictæ cupidus, vt ipsemet sit flagellum, & carnifex suorum? Ita quidem, inquit Tostatus: *Proprias iniurias patienter tolerat, sed non iniurias Dei; ideò in fabricatione, & adoratione vituli, viginti & tria millia hominum interfecit. Nam mansuetus medius est inter iracundum, qui irascitur quando non oportet, & insensibilem qui in nullo irascitur. Moyses autem irascebatur aliquando, & fortissimè circa iniurias Dei, sed circa suas nequaquam; ideò tenebat medium.* Quo quidem nos docet, vt inimici nostri taliter à nobismetipsis amentur, vt etiam inimici Dei odio habeantur.

*Abulen. q. 12. in cap. Nu. 12.*

3. Celebris omnino est per orbem terrarum, patientia Iob, & ipsa sacra Scriptura de ea loquitur, quasi de re omnino rara, & peregrina: *Sufferentiam Iob, & finem Domini vidistis,* inquit Apostolus Iacobus, persuadens Catholicis primitiuæ Ecclesiæ constantiam in tribulationibus, vt tamquam in speculo respiciant ad patientiam Iob. Comperti sunt omnibus validi illi assultus, quibus, vti scimus, cum aggressus est inimicus, priuans eum bonis, liberis, & sanitate; semper tamen tantum valorem & tam fortem resistentiam in sancto viro reperiens, vt determinauerit sese retrahere, & se victum agnoscere. Ita ille ipse Deo fassus est; verùm huic ipsi, qui omnes istos ictus inuincibili animo pertulit, tantum dolorem attulit impertinens quoddam verbum mulieris eius: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? &c.* vt animo commotus fuerit, & in aspera ac rudia verba proruperit, eamque vocauerit stultam, & insanam: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Quid ita? Mulier vna patientiam Iob exhaurire potuit, quem nec Sabæi, nec Chaldæi, nec ipse dæmon vincere potuerunt? Omnino, inquit Lyranus. *Vir sanctus quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit: tamen iniuriam Dei, absque reprehensione sustinere non potuit. Quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuinæ autem vindicandæ.* Ratio itaque, propter quam sanctus hic vir impatientiam aliquam præ se tulit, aliàs tam patiens, fuit, quòd afflictiones propriæ suæ personæ illatæ tunc fuerint, adeoque patienter eas tulit: hîc verò mulieris eius verba cesserint in ignominiam Dei; persuadebat enim vt de Deo conquereretur, & diuinæ eius Maiestati malediceret. Sic enim quidam Interpretes explicant illud, *Benedic Deo*, conformiter ad Septuaginta, & Chaldæum, quod idem fuerit, ac, *Maledic.* Propter hoc tantopere iratus fuit, & tam asperè eam reprehendit; quoniam iniuriæ propriæ sunt tolerandæ; Deo autem illatæ, vindicandæ.

*Iacob. 5.* *Iob 2.* *70. Interp. Chald. apud Pinedam.*

Conciliate cum sancto Patre Augustino duos versus Psalmi 58. qui secundùm literæ corticem intellecti, manifestam continent contradictionem: *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Et paulò antè rogat Deum, ne vitam eis adimat: *Ne occidas eos.* Quid hoc est? inquit sanctus Augustinus, Dauidem alloquens; Rogas modò Deum vt castiget, mox verò petis vt ignoscat & parcat. Haud equidem te intelligo: *Quomodo non miseretur omnium, qui operantur iniquitatem? & quomodo non occidit eos?* Quomodo dicis, vt eos non occidat, si ei persuaseris, vt non ignoscat? *Sed hîc de inimicis suis dixit: Rogat pro inimicis suis, implet præceptum.* 4.

*Psal. 58.* *August. hic.*

Nemo

Nemo existimet, inquit hic Sanctus, Dauidem hîc reclamare, quod anteà Deum rogauerat: ibi namque, ægrè ferens peccata, quæ contra Deum committebantur, dixit illi, vt castigaret suos inimicos, qui viuebant instar Gentilium (sic explicat antecedentia verba Paraphrastes Hispanus; *Intende ad visitandas omnes gentes;*) hîc verò supplicat, & rogat eum, vt non priuet vitâ particulares suos inimicos, quales erant Saul, Absalon, Doëg, Semëi, & alij similes, à quibus receperat, & adhuc recipiebat innumeras offensas; & hoc modo adimplebat præceptum dilectionis inimicorum, quod Messias daturus erat Fidelibus: *Diligite inimicos vestros;* & pro illis intercedebat: *Orate pro persequẽtibus, & calumniantibus vos.*

*Episcop. Cacer. in Paraphr.*

5. Instruxit Deus Dominus noster Prophetã Ezechielem ministrum suũ, & prædicatum eum misit; quia verò timorem ei incutere poterant difficultates quæ repræsentabantur in oppositionibus quæ sese offerebant, dicit ei Deus: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem, & vt silicem posui faciem tuam.* Inuenitur difficultas in hac metaphora, propter differentiam proprietatum, quas habent silex, & adamas. Adamas enim propter insuperabilem suam fortitudinem, est maximè proprium symbolum patientiæ; quantumuis enim percutiatur, semper in eodem esse perseuerat; contrà verò silex: ferro vix tangitur, & inceditur, & sexcentas scintillas ex se eijcit. Quomodo itaque Propheta hæc duo connectet adeò diuersa, Et facies eius erit sicut silex, & adamas? Modernus quidam, doctus, & ingeniosus, ponderans hunc locum, mouit difficultatem, & instituto nostro sapidam, ac suauem dedit responsionem: *Vt hæc nobis documento sint, quàm aliter Dei minister se habere debeat, dum diuina negotia, ac propria sua tractat, vt videlicet cùm iniurijs, contumelijs afficitur, quà priuatus est, sileat, obmutescat, & in silentio, ac spe fortitudo eius sit. At cùm in ijs, quæ ad Dei cultum & honorem spectant, lacessitur, prosiliat in medium, firmis lateribus respondeat; excandescat, scintillas emittat, &c.* hoc est: *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.*

*Ezech. 3.*

*Cyprian. ad Mart.*

*Velasq. ad Philipp. c. 1. vers. 13. annot. 1.*

Magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus considerat inclytum Protomartyrem sanctum Stephanum duobus differentibus temporibus, & in duobus notabilibus actibus. Primo quidem Iudæos, ac fœcem illam plebis, cum quibus, ductus ad iudicium, publicè disputabat, reprehendentem, ac vocantem eos obstinatos, & duros corde, quos Spiritus sanctus numquam potuit emollire: *Durâ ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Altero verò, ipsis in rabiem versis furiosè eum lapidantibus, in genua prouolutum, summâ humilitate Dominum obsecrantem, vt offensas, quas inimici supremi nominis eius, sibi inferebant, remitteret: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Confert modò sanctus Augustinus duas has inuicti Martyris actiones, & desuper format hanc quæstionem: *Quando debuit plus irasci Stephanus, quando lapidabatur, aut quando audiebatur? Ecce mitis factus est cùm lapidaretur, & sæuiebat cùm audiretur.* Et quidem quod in mundo agi solet, hoc est, vt qui coram Tribunali iudicandus comparet, valdè humanum, humilem, ac patientem sese exhibeat, & quamquam fictè, omnibus tamen amicum vultum ostendat: sed cùm aliqui omnem spem amittunt, famam,

6.

*Act. 7.*

*August. in illud Psal. 32. Sicut vnguentum.*

famam, vitam, vel alia bona, recuperandi, malis verbis, execrationibus, & opprobrijs vindicare se solent, quando aliâ ratione sibi satisfacere non possunt. Hoc est, quod filij sæculi huius facere solent: sed illustris noster Martyr, inquit sanctus Augustinus, aliam longè differentem ingressus est viam: ante iudices, instar leonis, furore agitabatur, & in medio lapidum mitigabatur; ibi ostendit maximam seueritatem, hîc verò maximè accensum amorem. Et ratio fuit; nam Primum erat causâ honoris Dei, cuius ille partes agebat: & videns quàm malè diuinis beneficijs responderent, non potuit animi sui motum moderari; neque enim videre poterat, Deum tam grauiter offendi: Secundum verò offensa fuit particulari suæ personæ irrogata; adeoque, tamquam verus Christi discipulus, inflammatus, ad eius imitationem, charitate, rogat pro illis Dominum, & totâ animi contentione petit dignetur illis peccatum istud remittere: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Notetur illud, *hoc*, quod fuit, ac si diceret; Non rogo pro illis in quantum inimici tui sunt; nam vt tales eos potiùs obiurgabat, & quantum poterat castigabat; sed in quantum particulares mei offensores, vt adimpleam diuinum tuum præceptum: *Diligite inimicos vestros.*

7. Binas literas scripsit sanctus Apostolus Paulus ad discipulum suum Timotheum, quæ formulæ quædam sunt, aut directorium, qualiter sanctus Episcopus in Pontificia dignitate se gerere deberet. In primæ autem capite quarto consulit ei, vt taliter actiones suas instituat, vt omnes honorem illi deferant, & nemo contemnere audeat: *Nemo te contemnat.* Hîc subsistite. Secundæ verò capite quarto, monet eum, vt exhortetur, & corripiat delinquentes; sed in omni patientiâ, & humilitate: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia.* Hîc verò sanctus Ioannes Chrysostomus rogat: Quomodo conciliari possunt hæc duo, quæ Apostolus Timotheo commendat? Videntur malè se compati, esse admodum patientem, & vnà valdè honoratum; multa enim patientia causat contemptum, & copiosa tolerantia inciuilitatem. Ita quidem fieri solet: sed aureum illud Os sapientissimè difficultatem explicat: *In his quidem quæ ad se pertinent, si contemnatur, constantissimè ferat: verùm in his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptui omnino non pateat: id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ.* Nam Christus Dominus noster nobis non præcipit, inimicos suos tolerare; sed solùm, nostros amare: ipsius increpare possumus, & zelus honoris eius nos obligat, vt eos odio habeamus. Vult vt particulares nostros æmulos amore prosequamur, & ijs sufferendis Christiana patientia impendatur: *Diligite inimicos vestros.*

1. Ad Timoth. 4.

---

*Diligite.*

## Consideratio IV.

*Quòd si non foret lex, ratio tamen nos obligaret ad diligendos inimicos, cùm sit Deus qui brachium ipsorum dirigit, vt ictum exequantur.*

Nemo conqueritur nisi de eo qui damnum sibi infert. Plus quàm certum est, quodlibet damnum inimici à manu Dei prouenire: quamquam enim Deus non sit author culpæ (prout sacra Theologia, & Fides Catholica nos docet,) eam tamen permittit,

tit, vtens nostris inimicis, quemadmodum vtitur dæmonibus, vt nos tentent, & exerceant. Atque adeò, si omnes hæc consideraremus, clarè perciperemus, nos immeritò inimicos nostros odisse. Quis puer, obsecro, ad flagellum magistri sui se conuertit? Quis seruus contra virgam heri sui? Quis ad triremes damnatus, ad flagra & lora præfecti? aut quis Dux contra tormenta bellica inimici, qui eum læsit? Solus homo proximo suo irascitur, ab eo offensus, & non recogitat, quòd inimicus suus, virga sit Dei, quam Diuina eius Maiestas elegit, ad castiganda sua peccata, vel etiam quandoque ad merita sua augenda.

2. Fuit hæc sublimis illa, prout omnes Sancti aduertunt, ac præ cæteris Origenes, Philosophia Sancti Iob; qui cùm videret se igne illo adustum, virgâ illâ percussum, amissa bona, liberos defunctos, valetudinem consumptam, plenum leprâ & infirmitate, non aliud di-
Iob 1. xit, quàm: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.* Non dicit: Dominus dedit, & Sabæi, ac Chaldæi abstulerunt, vel dæmonium ademit. Non facit mentionem Sabæorum, nec Chaldæorum, nec venti, nec ignis, nec ruinæ, nec dæmonis; quamquam hic nihil magis expetierit, quàm horum omnium malorum authorem existere. Quænam huiusce rei ratio fuit, ô
Origen. apud Pined. hic. Origenes? *Quia non cogitauit hæc contigisse procurante dæmone, sed solo Deo iubente, & volente.* Paucis dicere vult: Quia sciebat totum infernum non posse vel vnam ouem perimere; ideo dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et quamquam videret dæmonem esse, qui omnia hæc damna sibi inferret, considerabat tamen, quod hæc efficere non potuisset, sed nec vel minimam illorum partem, nisi Deus ad singula particularem ei facultatem fecisset; ideóque flagelli ictum sentiens, accurrit ad Deum, prosternens se ante diuinam eius Maiestatem, supplicans, & rogans, vt se liberaret. Hoc indicare voluit, quando *corruens in terram, adorauit.* Idem facere debent omnes Fideles, quando ab inimicis suis se afflictos vident; considerantes diuinam Maiestatem hoc ita permittere, in satisfactionem peccatorum, & maius meriti augmentum.

Admodum notæ sunt tyrannicæ vexationes, quibus Ægyptij oppresserunt filios Israël, quando sub illorum potestate captiui detinebantur. Illis referendis non immoror, solummodo aduerto, quod capite primo libri Exodi Exod. 1.
notauit sacra Scriptura, quòd mortali eos odio habebant, eósque persequebantur, & malè, ac crudeliter excipiebant: *Affligebant eos, illudentes eis.* Vel, Lect. Hebr.
sicut ex Hebræo transfert doctissimus Oleaster, *Spinis puncti sunt filij Israël.* Oleast. hic.
Ægyptij namque miseros Hebræos torquebant, & spinis affligebant, quando non sufficiebãt eis pensa, quæ in singulos dies eis imponebãt; sed quamprimũ deerant in opere, & obsequio, quod eis mandauerant, virgis ex tribulis confectis eos flagellabant, idque tantâ crudelitate, vt sanguinem eis elicerent. Ad hoc autem alludens Psalmista Psalmo 104. dicit: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Taliter enim egit Deus, vt perceperint Ægyptij, ac clarè animaduerterint beneficia, quibus Deus populum suum afficeret; atque inde nata fuit inuidia, quâ malè ipsis vellent, & odio prosequerentur populum electum, quamquam peccatorem, *& dolum facerent in seruos eius*; eos supplantarent, & circumuenirent, designando eis opera, ad eos obruendos, & perdendos,

dos, ac præcipiendo ea, quæ nec sciebant, nec poterant perficere. Sanctus Pater Ioannes Chrysostomus aduertit, quòd etiamsi Ægyptij graues fuerint Hebræorum inimici, tamen cùm Dauid sub eorum nomine loquitur, & dicit quanta passi fuerint, non attribuat Gentilibus mala, quæ illi Hebræis intulerunt, sed Deo, qui permisit, vt animos suos excitarent ad illa inferenda. *Nonnumquam etiam amici in inimicos conuertuntur propter peccata, Deo tale odium permittente, propter eas quas nouit rationes: ita enim in Psalmo* 104. *scriptum est de Ægyptijs: Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius; non datum autem esset à Deo odium, nisi priùs malè amassent. Quibus amicitia parabat exitium, ijs odium erat occasio virtutis.*

Chrysost. in Psal. 3.

4. Admirabilis ad hoc propositum est discursus gloriosi Sancti Ambrosij, insinuantis peccatoribus, vt sciant, tribulationes quæ ipsis eueniunt, persecutiones quas ab inimicis perferunt, molestias quas patiuntur, causam suam habere: Deum enim, in bonum, & vtilitatem ipsorum, hæc immittere. Ad hoc ponderat hic Sanctus verba quædam à diuino oraculo prolata, quibus deplorat mala, quæ ciuitati Ierusalem superuenerunt: *Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur bona, neque mala?* Accidit enim, vt Propheta Ieremias ea, quæ Iudæi in captiuitate, & afflictionibus constituti, de ijsdem, sexcentis cum erroribus promiscuè differebant, audiret. Vnus dicebat: Hoc nobis euenit per superbiam Nabuchodonozoris, qui subiugare nos voluit. Alius: Per nostram negligentiam, & incuriam, eò quòd nos non munierimus, ad nos defendendos. Alius verò; Damni causa fuit, quòd Rex Ægypti nobis auxilium non præbuerit, & de-

Thren. 3.

fuerit amicitiæ cum illo initæ. nullus verò illorum credebat, Dei ordinatione euenisse; dicebant enim: Quî fieri potest, vt, cùm simus populus Dei, tanta nobis damna ille intulerit? Non est dubium, quin homines sint, qui nobis tantum mali faciunt, & nobis sunt inimici. Superuenit autem Propheta, omnes reprehendens, & blasphemos inclamans: *Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur bona, neque mala?* quasi dicat: Quis ille stultus, qui dicat hasce tribulationes non esse opus Dei, sed hominum? Quis cœcus ille, qui affirmet, Domino non iubente, euenisse? Vel, quæ tanta blasphemia, dicere, quòd hac, aut illa de causa euenerint, & non ex dispositione Dei? Replicat ei sanctus Ambrosius nomine populi: Propheta sancte, fieríne potest, vt Deus taliter tractet, quos ipse in populum sibi elegit? Numquid Deo proprium est, beneficia suis conferre, eos defendere, atque protegere? Nónne Deus est qui dat vitam, salutem, libertatem, & diuitias? Quomodo ergo ille est, qui nobis dat captiuitates, paupertatem, angustias, dolores, & mortes tristes? Sed video quòd mihi respondeas (& hæc est constans veritas:) *Vt indicia eius declinent, & vitia relinquant.* Nolite credere hasce tribulationes à Deo vobis immitti, vt vos affligat; hoc enim nõ intendit; sed vt ad vosmetipsos reuertamini, pœnâ illâ oculos vobis aperiat, & flagellis illis excitet ac sapientiores reddat: atque adeò non est quod de inimicis conqueramini; non sunt enim illi qui vos lædunt, neque etiam de Deo; nam ille in bonum vestrum istis vtitur.

Ambros. lib. 4. de pœnit. c. 4

Ponderauit doctus noster, & ingeniosus Cardinalis Caietanus raram illam prudentiam, vel potiùs Christianam 5.

nam

nam Philosophiam, quâ sanctus Ioseph cum fratribus suis egit, quando iuerunt in Ægyptum. Postquam illos excusasset ab inhumana illa venditione, qua ipsum vendiderant, dicit illis, quidquid euenisset, cœli ordinatione factum fuisse; neminem Dei decretis resistere posse, ipsum sic cuncta designasse, nec aliter esse posse: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Septuaginta Interpretes transferunt: *Dei enim sũ ego.* Aquila, & Symmachus: *Numquid enim pro Deo ego?* Alij, quos refert Commentator libri Iob, ex eodem Hebræo: *Quoniam numquid sub Deo ego?* vel, *numquid loco, aut voce Dei ego?* Omnes autem hæ versiones hunc sensum reddunt: Numquam ego rationes meas, & negotia pro arbitratu meo, & vt mea ferebat sententia, direxi, sed diuinæ voluntati me conformare semper intendi. Neque enim Deus ego sum, vt voluntas mea, actionum mearũ sit regula & mensura: illius ego me semper subieci, vt de me, prout magis sibi placitum foret, statueret: cumque ille ita disposuerit, nec possum, nec debeo ei contradicere. Porrò Caietanus subtili mentis intelligentiâ animaduertit, quod cùm Deus, & fratres Ioseph, in eius venditione non eodem modo se habuerint, quandoquidem illi prauâ suâ voluntate egerint, quod Deus ad ipsius bonum dirigebat; quod tamen hic Sanctus dicat, quòd sit *loco Dei, id est; à Dei partibus.* hoc est, quòd non attenderit ad ea, quæ inimici sui tam iniquâ actione intentassent, sed solum respexerit ad ea quæ suâ perpessione, ac tolerantiâ Deus intendisset. Et propterea plurimum lætabatur, venditum se fuisse, & venisse in Ægyptum,
5. quòd intelligeret, Deum hoc ita voluisse; hoc est: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* quod idem est, ac *loco Dei sum.* Neque aliter nos gerere debemus, ne inimicos nostros odio prosequamur, sed potiùs considerare scilicet quod eos amemus, considerare scilicet quod sint instrumenta Dei, & diuinæ eius voluntatis executores, siue ad exsoluendum quod debemus, siue promerendum ijs, quæ patimur.

Cùm sanctus Rex Dauid à potentioribus suis inimicis vexatum se videret, prudentissimè sanè disserebat; tribulatio enim intellectûs oculos sæpenumerò illustrat. Audite eum in Psalmo 118. *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.* Sanctus Hieronymus explicat, *sine causa.* Neque enim vllius mihi conscius sum, quo aliquem offenderim. Ita explicat hæc verba noster Cardinalis Hugo: *Principes terreni sine culpâ meâ, & sine ratione suâ.* Loquebatur de Saule, & Absalone, qui contra eum rebellauerant, quique singuli, vitam ei adimere, ac regno priuare moliebantur: Ego, inquit, videns me ita constrictum, & coarctatum, meipsum considerare, & transactam vitam expendere cœpi, & cuncta patienter tuli: statuebam enim hæc esse præmonitiones quasdam ad me transmissas, vt vitam meam corrigerem, ac emendarem: nec non pro certo habui, te illos tamquam instrumenta vindictæ tuæ assumpsisse, vt illis grauia, ac enormia crimina mea castigares: *Et licet multi, & magni me persequantur, libenter sustineo, & formido à verbis tuis, non à flagellis hominum,* inquit doctissimus Carensis. Adeò, vt sanctus Rex de rebellibus, ac seditiosis his conquestus non fuerit, nec eos condemnauerit, eò quòd in se insurrexissent; verùm propulsationes, ac persecutiones, quas patiebatur, vitæ suæ, tot peccatis obnoxiæ, attribuerit; intelligens, quòd etiamsi, inimici eius eum

Margin notes: *Genes. 50. 70. Interp. Aquila, Symmac. cit. à Pineda in Iob c. 1. vers. 1.* — *Ambros. lib. 4. de pœnit. c. 4* — *Caiet. hic.* — 6. — *Psal. 118.* — *Hieron. cit. à Lorin. hic.* — *Hugo hic.*

eum sine causa affligerent, tamen non sine causa eos pateretur: quapropter Christiana prudentia est, non respicere ad eos, qui nos opprimunt, & iniuriâ afficiunt, sed ad peccata, quæ commisimus, in quorum punitionem permittit Deus vt nos affligant, & offendant. Canis lapide impetitus (Est hæc comparatio sancti Dorothei Patris antiqui) admodum furiosè lapidem impetit, & vngulis, ac dentibus in frusta eum discerpere conatur. Bruti animalis hæc actio est, & ratione carentis, quâ si vteretur, in manum, & brachium proijcientis insurgeret, & indignaretur. Dauid, tamquam Rex prudens, intelligebat vnde lapidum ictus prouenirent, & cognoscebat, Principes terræ, lapides dumtaxat esse; Dei verò brachium, quod eos emitteret, & iustitiam eius, quæ illis mediantibus, illum castigaret; atque ita vitam suam, & mores emendare, ac reformare conabatur, vt eâ ratione inimicorum suorum persecutiones cessarent, & Deus iræ suæ ictum suspenderet.

Doroth. doctr. 7.

7. Magnus Oleaster magnoperè laudat considerationem illam, quam habuerunt fratres Ioseph, de quo paulò antè egimus, cùm viderent, quod contra illos insurgeret, & pararet tribulationes illas, & pœnas, in quas idem Ioseph, antequam eum agnoscerent, illos conijciebat: *Meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Optima consideratio*, ait Oleaster, *cùm senseris pœnam, culpæ meminisse.* Ante annos plus quàm quindecim, peccatum illud in fratrem commiserant, & tempestatem illam, quæ in ipsos exurgebat, peccati illius effectum esse, arbitrabantur. Quapropter cùm tribulationes vobis eueniunt, cùm inimici vos persequuntur, iniurijs, ac contumelijs afficiunt, ad conscientiam vestram conuertimini, & quid à vobis, si non in inimicos, saltem in Diuinam Maiestatem commissum fuerit, considerate. Expendite an in commercijs pauperem non circumueneritis; an munus vobis iniunctum diligenter perfeceritis; an iniuriæ, vicino, aut alteri illatæ satisfeceritis; an de carne vestra, propter turpitudinem commissam, pœnas sumpseritis; an infamiam, cui praua, ac scandalosa lingua causam dedit, resarciueritis; & reperietis, rationibus ritè initis, quòd sine dubio propter illa patiamini; ac Deum sæpenumerò, nobis non considerantibus, pœnas, ac tribulationes immittere. Habeamus semper ob oculos plurima peccata, quæ contra Deum commisimus, vt cognoscamus, offensas, & iniurias, quas inimici nostri nobis inferunt, esse promeritam punitionem. Et siquidem hæc consideratio nobis semper insideret, optimè cuncta perferremus; & non tantùm inimicos nostros odio non haberemus, sed, ad Euangelij doctrinam adimplendam, eosdem diligeremus.

8. Ad Pilati interrogationes tacebat Christus. Videns autem Pilatus, quòd sibi non responderet, refert sacer textus eum Christo dixisse: *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Christum autem respondisse: *Non haberes potestatem aduersùm me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Instar lapidis in manu tua sum, sed hîc suprà excisi, & cælati; exequi poteris id solum, & præcisè, quod ibidem decretum est, absque vlla diminutione, vel augmento. Cardinalis Toletus explicans hunc locum, dicit, quòd idem fuerit, ac si dixisset Redemptor: *Sola diuinâ voluntate factum est, vt in tua sim potestate, & vt mihi nocentibus non resistam.* Numquam ego de potestate

Ioan. 19.

Tolet. in Comment.

testate tua conquerar, aut ministrorum crudelitate, qui contra fas & nefas, tam inclementer me offendunt, & iniuriâ afficiunt; nec manus tuas, aut illorum, quamquam id facere possim, effugiam; neque enim, vel ad latum vnguem, ab æterni Patris mei voluntate desciscere volo, sed vt sincerè, ac integrè in me adimpleatur omne id, quod ille determinauerit, exopto: ipse tali modo designauit; vos autem non estis, nisi meri ipsius executores; ideóque, quamuis tantâ me iniuriâ effeceritis, & offenderitis, tamen propterea vobis non irascor, neque vindictam de vobis sumo; quin potiùs in numerum amicorum meorum vos repono:
Zach. 13. *In domo eorum qui diligebant me. Amice*
Matth. 26. *ad quid venisti?*

9. Considerationem hanc concludamus exemplo quodam valde apto, & conuenienti, quod adducit Kaharneus, de hac materia agens, in quadam concione habita de glorioso Martyre sancto Stephano. *Oculos, obsecro, saltem in puerorum consuetudinem conyciamus, vt nos doceant non in inimicum, sed in Deum potius, à quo hæc flagella plerumque immittuntur, oculos ac vultum conuertere. Arripit pater virgam, vt filium suum castiget: puer verò non in virgam, sed in patrem oculos, conyciens, manibus erectis, ac metu perculsus, veniam deprecatur, vt nimirum patris furorem suo aspectu, ac lachrymis mitiget. Sic nos in Æternum Patrem, acceptâ iniuriâ, oculos conijcere, & non in virgam ipsam, nimirum iniuriam, conuenit.* qui virgâ illâ non aliud quam vitæ nostræ emendationem, ac morum nostrorum commutationem intendit; vt nos, hac ratione dispositos, suo fauore, ac gratia participes reddere possit.

*Diligite, benefacite, & orate, &c.*

## CONSIDERATIO V.

*Quod Christus obligans nos ad seruanda sua præcepta, simul exhortetur ad perficienda sua consilia, vt aspirantes ad perfectionem, remaneamus vt minus Christiani.*

EST constans doctrina sanctorum Patrum, & Interpretum sacræ Scripturæ, Christum Dominum nostrum hisce verbis, non solùm cælestia sua præcepta, sed etiam diuina sua consilia comprehendisse; adeò, vt amare inimicum, nos obliget tamquam præceptum; pro ipso verò orare, nobis proponat, & persuadeat, tamquam consilium. Supposità hâc indubitatâ veritate, aduerto, quòd eodem tempore, quo Supremus Magister nobis præcipit diuina sua præcepta obseruare, nos quoque exhortetur ad sacra sua consilia perficienda. Et ratio est; nam cùm præcepta nos Christianos efficiant, consilia autem perfectos, Christus Dominus vult, nos aspirare ad perfectionem, vt licet non simus perfecti, tamen vt minus simus Christiani. 1.

Admodum ponderanda sunt verba, quibus Dauid Psalmo 111. iustorum affectum expressit: *In mandatis eius volet nimis.* Interpretes excessum hunc diuersimodè declarant. Verùm, ne ipsorum verba accumulem, breuiter ac concisè referam hîc ea, quæ in glossis ac commentarijs suis dixerunt: *In mandatis eius volet nimis:* hoc est: expetet ac volet iustus, vt Deus multa sibi mandet, & multo magis libenter exequetur, quidquid sibi præcipiet; de- Psal. 111.

 sidera-

siderabit sibi semper præcipi, & quidquid mandatum fuerit, ad amussim perficiet, nec quidquam gratius, & iucundius erit, quàm Dei obsequio sese impendere, tantum, quantum mandatum fuerit, exiguum videbitur, & factu facillimum; volet abundè legem adimplere; nam ad plura se extendunt infirmitates eius, quàm vires; adeoq; plura facere desiderabit, quàm possit perficere. Hæc omnia dicere vult Propheta hisce verbis: *In mandatis eius volet nimis*. Ac, secundùm Paraphrasim docti nostri Hispani, *volet nimis*, significat quoque: Faciet quidquid mandatum fuerit, & multo plura; iustus enim, & boni spiritus homo desiderabit sine dubio semper sibi mandari ea, quibus magnum suum, quo erga Deum fertur, amorem demonstret; atque adeò præcepta adimplet, & se totum supererogationis operibus impendit. nam iustus non solùm delectabitur in adimpletione mandatorum Dei, sed etiam omnem curam adhibebit, & eximium se reddet in consilijs Euangelicis perficiendis; & non contentus seruare præceptum de amandis inimicis: *Diligite inimicos vestros*; obseruabit quoque consilium de orando pro ipsis: *Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*; vt si ad sanctitatem pertingere non possit, vt minus sit Catholicus.

Episc. Cacer. in Paraph.

2. Ad hoc propositum, excellens fuit consideratio famosi nostri Olcastri, in commentarijs ad Isaiam, ponderantis verba illa capitis secundi, vbi Propheta loquitur nomine iustorum, & bonorum Christianorum, qui de Christo, vero animarum præceptore, dicunt: *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius*. Videtur parum aptus hic loquendi modus; nam supposito, quòd viarum Domini mentionem fecerint, de illis consequenter loqui & easdem incedere debuissent: quomodo itaque, docente eos Saluatore vias suas, affirmant, se in semitis eius ambulaturos? Mysterium intelligite, inquit insignis Lusitanus: *Expende verba ipsa; Dominus vias docet, sed ipsi in semitis ambulant: quoniam multa præter leges homines inspirati fecerunt, quæ consilia dicuntur, & arctiora legibus sunt.* quasi dicat: Dominus legem suam eos docet, ac præcepta, in quorum adimpletione consistit iustificatio hominis, & propterea salutis viam, ea vocat; sed non sufficit eis illa seruare, verumetiam obseruant cœlestia consilia, quæ gradus sunt, quibus ad culmen perfectionis adscenditur. Quis tam fœlix fuerit, vt inter illos numeretur!

Isaiæ 2. Oleast. hic.

3. Agit Abraham de filio suo Isaac collocando in statu matrimoniali, ac in eum finem negotium committit Eliezer, homini idoneo, & fideli, ac vniuersæ domui suæ præposito. Mittit eum in Mesopotamiam, & dicit ei, nolle se, vt filius suus filiam aliquam Chananæam in vxorem ducat, quæ, vt erat gens maledicta, & Deo inimica, eum fortassis seduceret, & perditionis eius causa foret. Proficiscitur Eliezer cùm multis camelis, oneratis cistis, plenis plurimis diuitijs, & monilibus pretiosis, & peruenit in Mesopotamiam, ac confisus meritis Domini sui, Deo ait: Existo nunc in terra hac, vnde vxorem eligere debeo Isaaco, atque hoc opus Dei esse debet: quomodo cognoscam, quænam tantæ magnitudini idonea, & digna futura sit, & quænam illa sit, quam Deus ad hoc immitttt? *Igitur*, circa puteum, aut fontem me constituam, &, *puella, cui dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum. ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac,* &

Gen. 24.

*& per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum Domino meo.* Multas, ac pias admodum ponderationes, in hoc casu, sacri Doctores faciunt; sed inter omnes Author Glossæ Interlinealis rem imprimis tetigit, & ad nostrum institutum accommodatè. Pauca quidem, sed admiranda sunt eius verba, hæc explanantis: *Ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac: Talis anima futura est sponsa Christi.* Reflectamus ad hæc, & sciamus, quamobrem, qui Rebeccam imitatus fuerit, in sponsam Filio Dei elegendus sit? Alij alias dabunt rationes, illa verò mihi magis communis, & literæ magis conformis videtur, quæ ex eodem textu elicitur. Quid agere debebat Rebecca? Quid? Non solùm, id, quod ab ipsa petebant, sed plus quàm postulant; cumque Eliezer tantùm pro se aquam peteret, illa, vota eius supergrediens, ac liberaliter procedens, etiam camelis eius tribuere debuit. Hinc verò, seruus Abraham formalem consequentiam deduxit, Doctori Ecclesiæ Catholicæ magis, quàm particularis alicuius domus præposito dignam: Puella illa, quæ adeò liberalis fuerit, & tam misericordem se exhibuerit, & non alia, sponsa Isaac futura est. Idem præcisè argumentum facit Glossa Interlinealis: Anima, quæ erga Deum tam liberalis est, vt non solùm faciat ea, quæ ipse mandat, sed etiam ea, quæ consulit, & præceptis quædam adiungit, & obligationes adauget, illa sine dubio in felicem Redemptoris sponsam reseruatur: *Talis anima futura est sponsa Christi:* eò quòd talis non solùm inimicos suos amet, sed præterquam illis benefaciat, etiam pro illis deprecetur.

*Oleast. hic.* *Gloss. Interlin.*

4. Reflexi quandoque ad petitionem, quam fecerunt tres illi sancti Pueri, quos postmodum Rex tyrannus coniecit in fornacem Babylonis. Cùm essent in Palatio Regis, noluerunt comedere cibos, & cupedias, quæ in eo consumebantur, sed petierunt legumina quædam sibi dari, ad sedandam famem, & paululum aquæ ad sitim restinguendam: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Et verò admirationi mihi fuit, videre tam rigorosam abstinentiam, vbi gula maximè dominari solet. Et quidem sine comparatione magis admiratus fui, quando legi, quod gloriosus sanctus Isidorus de illis commemorat: *Tres pueri stirpe regia clari, paternarum quoque memores legum, & à cibis Gentilium, vel immolatis nequaquam polluti, leguminibus vitam degentes, & oleribus.* Sed si aduertatur, paternæ leges idolis sacrificata tantummodo comedere prohibebant: sed non obligabant Hebræos, solis leguminibus, ac herbis vitam traducere. Quare, itaque, illi, cùm maiorum leges memoriæ occurrerunt, non solùm non comederunt prohibita, sed tam rigidam, & strictam, qualis modò relata est, abstinentiam seruauerunt? Nimirum, legitimos Abrahæ descendentes, & veros Dei seruos se monstrare voluerunt, & ad hanc veritatem comprobandam, non contenti à cibis lege vetitis abstinere; legis obseruantiæ aliam nouam, eamque excellentiorem adiunxerunt, facientes plus quàm obligarentur, & ad id, quod perfectionis erat, anhelantes, secundùm id, quod aduertit Lyranus, vel Glossa, super illud Isaiæ, quod consilium magis continet, quàm præceptum: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem;* id est: *Exiguo victu eris contentus.* Quoniam pulchritudo virtutis non tam consistit in executione diuinorum præceptorum, quàm in adimpletione consiliorum; atque adeò admodum salutare

*Daniel. 1.* *Isidor. de vita & morte Sanctor. c. 60.* *Lyran. hic.* *Isaiæ 30.*

lutare documentum est, in horum scopum collimare, ad illorum maiorem securitatem.

5. Intelligentur modò mysteriosa illa Spiritus sancti verba, ore, & calamo sapientis Salomonis pronuntiata: *Fili, serua mandata mea, & viues, & legem meam quasi pupillam oculi tui.* Desiderassem, fateor, metaphoram illam intelligere, & animaduersione digna mihi videtur; vt quid enim præcipit nobis Deus, mandata sua seruare, non vti solemus manum, pedem vel frontem, & reliquas corporis partes, sed sicuti pupillas oculi custodimus: nec reperi Interpretem, qui ex professo rem istam tractet. Sed sanctus Pater Ambrosius mihi succurrit, qui de oculis loquens, dicit: *In eorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur: hæ, ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis, velut quodam vallo, per circuitum muniuntur.* Quod quidem natura, in custodia pupillæ tam prouida, reliquis corporis partibus non fecit, quæ omnes manserunt sine tegumento, & munimine destitutæ, nisi humana industria aut necessitas nos doceret, ijs protegendis munimenta quærere. Itaque intelligentur modò Salomonis verba: *Fili, serua mandata mea, &c. quasi pupillam oculi tui.* id est: Optimus modus mandata mea seruandi, est, eosdem instar oculorum custodire; duplicem videlicet circulum, seu murum iis opponere, vt illis muniti, magis sint securi. Quales autem sunt hi circuli? quis murus, & antemurale, quibus diuina lex custoditur, & est secura? Qui? Præcepta, & consilia. An autem illa sola, ad hunc effectum, non sufficerent, sed necessarium est, etiam & hęc adiungere? Sufficiunt quidem præcepta, vt diuina lex ordinariè seruetur, verũ tũc melius Deo seruitur, lex eius melius custoditur, quando eã ab vna parte non solùm suffulciunt Dei mãdata, sed etiam ab altera parte diuinorum habet cõsiliorum incitamenta.

Prou. 7.

Ambros. lib. 6. hexam. cap. 9.

Ad hunc sensum doctus quidam modernus author interpretatus est æstimatas illas animaduersiones, seu commendationes, quas in hac materia facit Ecclesię Princeps S. Petrus: *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestrã vocationẽ, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquãdo.* Desideraui scire, & intelligere vim & energiam huius verbi, *Satagite.* eam obiter explicant Doctores: citatus autem eam penetrauit, & dicit, quod *Satagite* idem sit, ac, *Angimini, contremiscite, infirmamini, distorquemini, festinate cum cura, & sollicitudine.* Egregiè dictum! verùm, non est hoc, quod ad probationem nostri discursus facit; sed id, quod alij, secundùm hunc Authorem, in hoc casu senserunt, id est, quod per sollicitam hanc diligentiam, & incessabilem curam, quam sanctus Petrus hìc nobis commendat, intelligi debeat, quod, vt vnusquisque nostrûm vocationem, ac electionem suam magis certam faciat, conueniat, vt non sit contentus sola custodia præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ Catholicæ; sed vlteriùs pergat ad obseruationem consiliorum Euangelij. Comparatio verò, qua id declarant, est excellens: *Vt solent iaculatores vltra scopum, ne aberrent à scopo, sagittam dirigere.* Desumpta est hæc comparatio ex sancto Gregorio Nysseno, quam in ipso me legisse memini, ponderante illud Christi, apud sanctum Matthæum: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis.* Idem accuratè facere debet fidelis, de sua salute sollicitus (supposità pigritiâ, & ignauiâ conditionis humanæ, & quàm ægrè, ac difficilè, ad ea, quæ virtutem concernunt,

6.

2. Petr. 1.

Lorin. hìc.

cernunt procedat) omni conatu poſſibili procurare debet, vt vltra ſcopum collineet, & multo plura faciat, quàm Deus mandet, ad culmen perfectionis adſpirans: vt cum pro languore ſuo, humanæ naturæ corda ſeſe remiſerit, & ſagitta declinauerit, ſaluationis ſuæ ſcopum melius attingat; & ſi non perfectus, ſit vt minus Chriſtianus.

7. Sanctus Pater Petrus Damiani magnopere celebrat heroicum illud factum, quod inclytus Martyr ſanctus Stephanus præſtitit, pro inimicis, qui eum Martyrio afficiebant, Deum obſecrans: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* (*Actor. 7.*) Admodum condita, & ſapida ſunt verba docti illius Cardinalis: *Apertiori campo, terminos datæ legis amplificat, non iam ſolus amicis, ſed velint nolint, amicus pariter inimicis.* (*Damian. ſerm. de ſanct. Stephan.*) quaſi dicat: Tam profuſa, ac præter modum fuit eius charitas, vt terminos legis dilatauerit: nam ſiquidem illa mandet, vt amorem inimicis non denegemus: *Diligite inimicos veſtros.* vlteriùs ipſe progreſſus fuit: nec enim amorem tantummodo illis exhibuit, verumetiam, dulcem vim inferens, eos ſibi deuinxit, cœlo, efficaciâ orationis eius, illos, qui ſe ab ipſo, quantum poterant, alienabant, attrahente; atque hac ratione, non ſolùm ſeruauit, quam Chriſtus de inimicis diligendis, legem ſanciuit; *Diligite, &c.* ac præterea adimpleuit conſilium de orando pro illis; *Et orate:* ſed vtrumque, nouo, ac excellenti modo, ſuo exemplo amplificauit; docens, ac inſtruens, quod non ſolùm volentibus, ſed etiam nolentibus, benefacere debeamus; *velint, nolint.* vel efficere, vt bonum illud deſiderent & expetant, quod illis vouemus. Admodum, profectò, alta, & excellens fuit hæc, ſagittam in ſcopum dirigendi ars, atque adeò à tam paucis imitata.

Ex omnibus hoc diſcurſu adductis infertur, quantopere ſupererogationis Sacrificium Dei oculis acceptum ſit, & quantopere etiam eum ſibi deuinciant Chriſtiani illi, qui non contenti ipſi dare id, quod petit, ei quoque offerunt, quod deſiderat, adimplentes non ſolùm eius præcepta, verumetiam conſilia obſeruantes. Primum eſt bonum, ſed melius ſecundum; atque vt primum aſſecuretur, dimidium facti eſt, ad id, quod melius eſt, adſpirare, vt, ſi ad perfectionis culmen non peruenerimus, vt minus, quod Chriſtiani eſt, aſſecuremus, conantes inimicis benefacere, eos Deo per orationes commendare; quod optimum remedium eſt ad eos diligendos: *Diligite, benefacite, & orate.*

---

### *Vt ſitis filij Patris veſtri.*

## CONSIDERATIO VI.

*Quod quemadmodum Deo proprium eſt inimicos diligere, qui eius in hoc conditionem ſequitur, certo quodam modo Deitatem imitetur.*

NVlla res eſt, in qua homo tantopere Deo aſſimiletur, quàm in amandis inimicis. Ratio eſt, inquit aureo ſuo ore ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, eò quòd, qui ignoſcit, Dei impaſſibilitatem imitetur: illum enim iniuriæ inimici, quemadmodũ Deum, nec damno afficere, nec impedire, videntur. Atque hoc eſt, quod hîc Chriſtus Dominus noſter dicit: *Vt ſitis filij Patris veſtri.* Inimicos ſuos diligere, Deum, Patrem veſtrum facit; vos autem, veſtros diligere, filios eius vos facit. Nolite conſilium inire cum carne, quæ feroces, furioſos, ac vindictæ cupidos 1.

*Chryſoſt. ſuper illud, dimitte nobis debita noſtra.*

dos filios gignit, sed cum vestro Patre Deo; habebitis pectus patiens, amabile, &, vt paucis dicam, suo modo diuinum.

Altercabantur ad ripam Nili Ægyptius, & Hebræus; à rixa ad grauem luctam deuenêre: accidit autem, vt ab Hebræo Ægyptius victoriam reportaret. Vidit eos Moyses, & gentis, ac nationis suæ amore commotus, aggressus est Gentilem, vitâ eum priuauit, atque in arena sepeliuit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* (Exod. 2.) Nostrâ modò non interest, discutere quæstionem inter Expositores ventilatam, an in eo casu peccauerit Moyses, an non; quamquam ad eum à peccato excusandum, sufficiat, Angelicum nostrum Doctorem sanctum Thomam ita sentire, qui dicit: *Moyses videtur occidisse Ægyptium, quasi ex inspiratione diuina authoritatem adeptus.* (Thom. 2. 2. q. 60.) Quomodocumque sit, certum est, Moysen parum patientem, & nimis animosum hîc sese demonstrasse. Considerate hîc, inquit Oleaster, & animaduertite, quàm aliter postmodum hic Sanctus, in eadem Ægypto, se gesserit. Aliquanto tempore post hunc casum, Deus, tamquam ducem populi sui, & legatum ad Pharaonem eum mittit. Qualiter autem erga eum se habuit? & omnem illam barbaram nationem Pherezæorum, Amorrhæorum, Ammonitarum, Moabitarum, &c. Qualiter? Dicam, inquit Oleaster; nam & magna dignum est consideratione: *Expende quanta sit prudentia eius, & misericordia, vt non statim eum occiderit, sed patientia quasi Dei tulerit, & admonuerit.* (Oleast. hic.) Legationis suæ causam Regi tyranno exponit; ille verò multas ei moras nectit, sæpiùs datam fidem frangit; Moyses oculis suis conspicit iniurias, quibus fratres suos afficit, perinde ac si serui fuissent, iusto bello capti, tolerat, ac tacet, valens de ipso vindictam sumere; quin & intercessorem se apud Deum fore proponit, vt plagæ cessent, & flagella non aggrauentur. Quis purus homo tantumdem fecisset, & inimicum tam crudelem, sicut hunc, sub hasta tenens, eam capulo tenus, ei non infixisset? Quis autem Moysen taliter commutauit, & breui temporis spatio, tantam in ipso mutationem effecit? heri, in priuato tantus valor, & audacia? hodie verò, in tantâ personâ, tanta formido, & languor? Sed modò huius cautelam deprehendo. *Sed Dominus simul cum potestate, dedit sancto viro longanimitatem, qua regem æquo animo ferret,* inquit Oleaster. Cùm Dominus mitteret Moysen in Ægyptum, eum Deum Pharaonis constituit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* vt, scilicet erga eum se haberet, quasi Deus eius esset: & cùm ei Dei potestatem dedit ad præcipiendum, dedit quoque patientiam Dei, ad sufferendum; vtque Moyses hoc cognouit, conatus fuit respondere obligationi suæ. Ideoque iratus ille aliquando, & furiosus, modò cum nomine Dei, & loco illo, ac prouincia constitutus, moderatur iram, refrænat choleram, reprimit vindictam, mitis, & pacificus Dux: quamquam Rex ingratum, ac inhumanum se gerat, & rebellis populus audacter in eum insurgat, vult, & benefacit inimico suo Pharaoni, atque etiam pro ipso orat, eò quòd Deus eius sit; & similis esse desiderat illi, qui Deum ipsum effecit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.*

Confirmemus aliâ probatione ponderationem primæ. Singulare miraculum fuit, quod dictâ occasione Deus in monte Moysi demonstrauit, apparens ei in rubo, igne taliter accenso vt arderet, & non consumeretur, nec com- 2.

Exod.3. comburcretur: *Apparuit ei Dominus in flãma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non cõbureretur.* Rarum prodigium! res mira, & peregrina! vt ignis tam validus rubũ inuadat, eumque omnino penetret, & spinas non consumat! quandoquidem illæ, quia magis dispositæ & siccæ, primò exurãtur, cùm ignis rubum inuadit, atque adeò communis est Scripturæ phrasis:
Psal.117. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Sanctus Pater Ioannes Chrysostomus, considerans mirabilem hunc euentum, ac videns oppositionem, quam igni spinæ faciunt, & gratiam, quam ignis illis exhibet, cùm eius actiuitas illas non lædat; tam raræ, ac peregrinæ nouitatis
Chrysost. or. in Annun. Mart. apud Metaphras. causam designat: *Ignis ille, qui diuini ignis præsentiam significat, rubum potius irrigauit, quàm combussit.* quasi dicat: Ignis ille, non idoli alicuius, aut barbari Regis, & tyranni præsentiam repræsentabat, sed veri Dei, qui in eo erat, & in veri Dei præsentia, nec seueritatem ostendit, nec spinas combussit, sed potius irrigauit, vt tantò magis essent virides, & amœnæ. Manifesta figura benignitatis, ac mansuetudinis Dei nostri, tanti benefactoris inimicorum suorum, qui per spinas significantur, qui quantò magis peccatis, ac delictis suis sese illi opponunt, non solùm eos non castigat, neque com-
Deut.4. burit, quamuis sit ignis: *Ignis consumẽs est.* sed misericors eis benefacit, & gratiam, ac auxilium benignus impendit. Hoc est rubum ardere, & non comburi. *Videbat quod rubus arderet, & non combureretur.*

2. 3. Ibat Dauid armatâ manu, certus indiscretum Nabal vitâ priuare, & totam eius domum funditus delere. Prodit ei obuiam ipsius vxor, sapiens, ac prudens illa Abigail; atque ad iram eius placandam, & furorem mitigandum, tam prudentem, ac eloquentem ad eum orationem habuit, vt Spiritus sanctus verbotenus eam descripserit.
*Malitia non inueniatur in te omnibus* 1. Reg.25. *diebus vitæ tuæ. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima tua custodita, quasi in fasciculo viuentium;* siue *vitarum*, prout ex Hebræo legit noster Caietan. hic. acutissimus Caietanus. Dicere voluit virtute prædita mulier: Si cor tuum, in Dei amicitia nitidum, & purum conseruaueris, securus esse poteris, quidquid tibi acciderit, proculdubio bene tibi vertendum, ac in vitæ tuæ conseruationem futurum: & siquidem inimicus quispiam persecutus te fuerit, erit vita tua custodita in fasciculo vitarum; nam quocumque te verteris, eam reperies, eo planè modo, quo is, qui in medio stipatorum, ac satellitum, aut cohorte militum custoditur; ad quamcumque partem deflexerit, ipsis occurret, & ab ipsis protegetur. An autem hæc verba sint enuntiatiua præteriti, an verò prophetia futuri, non resoluo; nam Sacri Interpretes diuersimodè sentiunt. Quod nostrâ modo interest inquirere, est, quis homo ille sit, de quo Abigail locuta fuerit. Sequor opinionem Vatabli, & Emi- Vatabl. Caiet. nentissimi nostri Caietani, scilicet, quod hoc dixerit de Saule, sed nomen eius de industria subticuerit. Sed vrget mox difficultas. Si Saul fuerit Christus vnctus Domini, & Rex, quamobrem tam irreuerenter de eo locuta fuit? *Si surrexit homo?* In Hebræo est, *Adam*, nomen, vt noster Pagninus ob- Pagn. hic. seruat, proprium hominis plebeij, & abiectæ conditionis. Qua de causa Abigail tanto cum despectu locuta fuit de Maiestate Regali, & debitam reuerentiam, ac ciuilitatem Regi non detulit, & de eo egit, quasi fuisset homo vilis,

vilis, & abiectus, ac, de quibus dici solet, *de ciento en dozena?* Abulensis ad hanc difficultatem accommodatè respondet: *Dicunt Hebræi, quod accipitur homo pro Saule, & quod Abigail noluit vocare eum Regem, sed hominem, eò quòd non merebatur vocari Rex, quia persequebatur Dauid.* Quod autem, Dauidi eum malè velle, eumque persequi, inconueniens erat, quo minus vocaretur Rex? Magnum quidem; nam *Rex est simulachrum Dei:* Deus autem, vti iam statim dicebamus, quantum habet dominij, & Maiestatis, tantum quoque mansuetudinis, patientiæ, ac beneficentiæ erga se offendentes habet. Supposito itaque, quòd in Saule non sit mansuetudo, & benignitas Dei, & erga inimicos suos beneficentia; sed potiùs odiũ, vindicta, & persecutiones, etiam erga eos, qui ipsi non sunt inimici; quæ omnes propriæ qualitates sunt vilium personarum, & abiectæ originis, iustum omnino, ac rationi consonum est, vt non vocetur Rex, nec dicatur de eo, quòd imago sit Dei; nam vt imago eius foret, exemplari suo conformari debuisset; sed potius homo, vel Adam, nomen appellatiuum contemptibile, & abiectionem significãs: neque enim est imago Dei, aut eius filius, nisi qui ad imitationem eius suffert, amat, ac suis benefacit inimicis.

*Abulens. in hunc locum.*

*Plutarch. de doctrina Princip.*

4. Est admodum propria huic loco, curiosa magni Ecclesiæ Doctoris Sancti Augustini obseruatio, ad titulum quem in sacris literis præfert Psalmus 93. Dauidis, qui sic habet: *Psalmus ipsi Dauid, quarta Sabbathorum.* Si examinare voluerimus particularia quæ in eo continentur, deprehendemus, eum totum, ad patientiam, contra se persequentes, & affligentes, impetrandam, formatum fuisse. Sed qua de causa Psalmum hunc, quo nos, contra inimicos nostros, patientiâ armamus, elegit Dauid, die quartâ decantãdum? Magnum quoddam secretum hoc includit! Audite Sancti huius responsionem; nam & meretur. *Quarta die luminaria fecit Deus in cœlo, Solem in potestatẽ diei, Lunam & Stellas in potsteatem noctis. Quid sibi ergo vult, quod de quarta die accepit Psalmus titulum, in quo Psalmo docetur patientia aduersus felicitates malorum, & labores bonorum? Habes Paulum dicentem Sanctis: Omnia facite sine murmuratione, vt sitis irreprehensibiles, & sinceri immaculati filij Dei, in medio nationis tortuosæ, & peruersæ, in quibus apparetis sicut luminaria in mundo. Similitudo de luminaribus data est ad Sanctos, vt sine murmuratione sint in natione tortuosa, & peruersa.* quasi dixerit Apostolus: vt simulatque paterentur, æqualiter cum luminaribus illis cœli currerent, vt quemadmodum illa sunt filij Dei, vtpotè quæ alium, præter Creatorem suum, patrem non habeant, *Pater luminum.* ita illi, ad malorum hominum offensas, subticentes, nec iniurias pro illis referentes, sed bene illis facientes, prout Sol, & Luna terræ faciunt, non terrenos sese, sed cœlestes, ac ipsius Dei filios exhiberent: *Filij Dei.*

*Psal.93.*

*August. hic*

*Psal.1*

*Ad Coloss.1.*

*Iacob.1.*

Considerat Tertullianus, quod inimicus animarum temerariè audax fuerit Christum Redemptorem nostrum tentans; vt sciret, an esset verus filius Dei. Primus assultus, quo eum aggreditur, est, lapides ei offerre, vt eos in panem cõuertat, & necessitati suæ subueniat, vitam conseruet, nec se mori sinat, vti Sanctus Cyprianus notauit: *Subdolâ professione quasi compatiens ei, subuenire periclitanti naturæ hortatur;* hoc est: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Fieríne potest, inquit citatus Pater, vt aliud, ô dæmon, magis oppor-5.

*Cyprian. de Ieiun.*

opportunum medium non inueneris, ad cognoscendum quod hic homo sit filius Dei, quàm hoc miraculum facere quod exposcis, de lapidibus in panes conuertendis? Verùm non illud futurum est signum, quod tibi daturus est, ex quo scias ipsum esse filium Dei: rem aliam,& magis admirabilem acturus est,quæ,eam benè intelligenti, clarius erit argumentum, & probatio magis manifesta diuinitatis eius.Et verò quænam illa erit? Responsum quod tibi dabit, & patientia ac humanitas quibus enormi tuæ audaciæ satisfaciet.Non audis? *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Vt quid Christus non retulit dæmonio,ea quæ merebatur? Quomodo tam vrbanè perfido inimico respōdet,peruersam ac damnabilem eius intentionem tam perspectam habens? Dicam, inquit Tertullianus, fuit hoc Filium Dei se declarare, ac certa quadam ratione inimico, id quod volebat,ac desiderabat,cōcedere.Sed numquid omni cura,& sollicitudine inuestigare conabatur, an esset Filius Dei; *Si Filius Dei es?* atque in hunc finem tentationem suam dirigebat? Ita sanè. Verùm qui inimico tam astuto, & audaci tanta cum modestia, ac ciuilitate respondet,atque ad iniurias illatas tam patientem se exhibet,potens,si voluisset,eum,qualis erat, tractare, clarè locutus fuit,& idem fuit ac fateri, & dicere,quod esset Filius Dei. Et sanè cōuersio lapidum in panem, tam potens non fuisset, quàm hic patientiæ actus fuerit,ad diuinitatem eius comprobādam; cùm certum omninò sit, & indubitatum,in pectore purè humano tam raram, ac singularem patientiam contineri non posse: *Et hæc quidem diuinæ patientiæ species quasi de longinquo: fors de superius æstimetur. Quid illa autem, quæ inter homines,palmam in terris,quodammodo manu apprehensa est? Tētatoris Deus congressus solis verbis repellit.* Nil vltra expetendum.

6. Eamdem rem,secundò, sed per ministros suos inquirere conatus est inimicus, cùm Christus Dominus arbori crucis esset affixus, eique dicerent, vt, si Filius esset Dei, de cruce descenderet.Nota sunt verba: *Salua temetipsum, si Filius Dei es.* (Matt. 27.) Et quid,obsecro,hac occasione Christus egit? Sanctus Lucas id animaduertit: *Iesus autem clamans dicebat: Pater, ignosce illis.* (Luca 23.) Quomodo verò, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, si eum rogent, vt descendat de cruce, ad cognoscendum an sit Filius Dei, petitioni illorum non satisfacit Dominus, sed potiùs ad orandum pro ipsis se componit? Non intelligitis, inquit idem Sanctus: optimum hoc fuit remedium,quod Dominus eligere potuit, ad diuinam suam generationem manifestandam: *Illi quidem dicebant: Si Filius Dei es, salua temetipsum: ipse verò elaborabat, quomodo illos saluaret; illos, inquam, à quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur & opprobrijs proscindebatur.* (Chrysost. tract. in Parasceue apud Gretbser. tom. 2.) Quamuis enim in omnibus, talis Patris Filium se Dominus demōstrauerit; tamen id vnde hoc maximè resplēduit, vt minus, vnde id plurimum percipimus, fuit ex oratione pro inimicis effusa; eo tempore quo illi id minus merebantur: cùm iniuriosè magis, quàm vmquam eum offendebant, & magis crudeliter supplicijs afficiebant.

7. Dixerunt Discipuli Sancto Thomæ Apostolo, diuinum suum Magistrum resurrexisse; ille verò rem in dubium vertere, ac perterritus contradicere, ac contestari, se, nisi vulnera eius oculis suis videret, & manibus contrectaret, non crediturum. Vidit Dominus incredulam resolutionem eius, ad eum con-

contendit, increduli Apostoli manus apprehendit, eique præcepit, vt in latus suum ponat. Dixisti, inquit, te non crediturum, nisi me videris? Hîc porrò me vides, oculos testes adhibe, & seruitutes tuæ proscribantur; qui enim rei alicui afficitur, non diu licitabit. Dixisti, quòd nisi vulnera hæc tetigeris, frustrà tecum de Resurrectione agatur; cùm autem mihi placeat: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Illas tuas manus hîc pone, easque profundè insere, viscera hæc anatomiza, atque in illis, fidem quam quæris, amorem quem erga te habui, erroris tui detectionem, meam denique misericordiam inuenies. Oculos bene aperi, mi Discipule, vulnus illud bene contemplare; aperiendo enim oculos corporis, animæ quoque aperies, me plenè cognosces, atque incredulitas tua cessabit. Sanctissimam Christi humanitatem, eiusque pretiosa vulnera vix Thomas attigerat, cùm eum agnoscit, ac dicere incipit: *Dominus meus, & Deus meus.* Palinodiam hîc canit Thomas, & quidquid antea dixerat, retractat. Quid ais Thoma? Dico, Domine, quod à sententia decedam, & credam quod tu sis Dominus meus, & Deus meus. Quæro autem, In quo Thomas Christum Dominum suũ esse cognoscat? Quam affinitatem habent vulnera & Regnum? Plurimam ad rem nostram, inquit Sedulius: *Tactu vulnerum patitur se probari, magis hinc agnitus, quòd ipse est Christus, qui dubitantis animam placidã fouet lenitate susceptam.* Nullâ enim aliâ meliori viâ, quam amabili illâ demonstratione, potuit eum Thomas Deum, Regem, ac Dominum suum agnoscere; quãdoquidem Christus tantâ benignitate, tantisque blanditijs cum homine illo agat, qui post tot tantaque experimenta eum resurrexisse credere nolebat, ac tantam duritiem & pertinaciam demonstrabat. Reflectite ad verba: *Magis hinc agnitus, quòd ipse est Christus.* Multò melius hîc, quàm vnquam aliàs Filium Dei eum agnouit; videns nimirum quòd secundùm mensuram, & pondus iniuriarum receptarum, perinde ac si magnus eius amicus fuisset, maximum sibi fauorem, ac gratiam impertiretur.

Ioan. 20. Sedul. l. 5. Pass. cap. 23.

8. Tam ponderanda, quàm mysteriosa est prolixa illa narratio, quam Sanctus Paulus Apostolus facit, cruciatuum, ac passionum, quæ ipse, ac reliqui Discipuli, pro Dei gloria, & honore patiebantur. *Esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, &c. Maledicimur, & benedicimus: persecutiones patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Multa sese in hac Apostoli ratiocinatione, animaduersione digna offerunt. Verùm, quod ad rem nostram facit, est, Sanctum Apostolum dicere, se, ac condiscipulos suos blasphemari. *Blasphemamur.* Si Angelicum nostrum Doctorem S. Thomam consuluerimus, & ab eo quæsiuerimus, quid sit Blasphemia; reperiemus, quòd propriè loquendo, *Blasphemia vitium ad infidelitatem eatenus spectat, quatenus per illam homo corde vel ore, secundùm intellectum vel affectum Deo tribuit quæ ei non conueniunt, vel negat quæ ei conueniunt.* Suppositâ hâc doctrinâ Angelici Magistri, quod blasphemia ex natura sua principaliter cõcernat Deum, & primarium eius obiectum sit diuinitas; quomodo Sanctus Paulus dicit, se, ac reliquos Apostolos continuò blasphemari, perinde ac si ex hominibus, quales erant, in Deos transformati fuissent? Dicam hîc quod sentio: Dixerat Apostolus, se, ac socios suos maledi-

1. Ad Corinth. 4. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1.

maledicentibus ſibi benedicere, perſecutiones, ac opprobria ab inimicis ſuis pati; atque adeo propriè admodum dixit, ſe ab æmulis ſuis blaſphemari, ad ſignificandum, ſibi detrahi; nam reuerà, de hominibus illis qui tantâ cōſtantiâ, ac fortitudine, iniurias ac iniuſtitias ſe offendentium pati potuerunt, non benè dicitur, quòd illis detrahatur, ſed blaſphementur; eò quòd patientia in iniurijs, & maledicētibus, ac affligentibus ſibi benefacere, ex hominibus in Deos, aut Dei filios eos transformauerit. Amor enim inimicorum mirabiles haſce metamorphoſes efficere ſolet. Bene itaq; dicit Paulus, cùm ait, Apoſtolos, quia patientes ſe exhibent, blaſphemari, vt fixa maneat hæc veritas, ac confirmata hæc doctrina, quòd amor inimicorum filios Dei nos faciat, hic per gratiam, ac in cœlo per gloriam, *Amen.*

---

# TRACTATVS III.

## AD PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

*Tunc ductus eſt* IESVS *in deſertum, &c.* Matth. 4.

CONTINET Sanctum Euangelium procurationem, quæ habita fuit inter duos maximos, quos cœlum ac terra habuit, Principes; non ſolùm ratione magnificentiæ & maieſtatis; quandoquidem vnus, nempe Chriſtus, eſſet caput turmæ ſiue aciei ciuitatis Dei: alius verò, nempe Dæmon, ciuitatis Babyloniæ: ſed etiam ratione virium, & poteſtatis; quandoquidem, vt Sacra Scriptura aduertit, terribiles ſint Leones; vnus quidem Tribûs Iuda, alius verò, qui furioſè rugiens ſemper circuit, animas deprædaturus. Locus certaminis, inquit Sanctus Matthæus, fuit deſertum: *Ductus eſt Ieſus in deſertum.* Apparatus inuicti noſtri Ducis ad cōflictum, quadraginta dierū ieiunium: *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; ſolitudo, & oratio. Patrinus qui eum ducit, & aſſiſtit, Spiritus ſanctus, *à Spiritu.* Patrinus autem Dæmonis, inſolens eius ſuperbia, cauſa perditionis eius, & fatalis ruinæ principium. Arma autem eius, fuerunt tria illa igniuoma tormenta, eaque roborata, quæ ille tantâ dexteritate, ac furore explodere ſolet, vt vix quempiam reperire ſit, qui reſiſtat: effectus à timiditate noſtra potiùs, quàm infirmitate proueniēs. Primus ictus, quem in ipſum direxit, aut prima, quâ eum aggreſſus eſt, tentatio, facta fuit verbo: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Secunda cogitatione, per vanitatem: Habebunt te pro filio Dei, ſi ex turri illa volaueris. Tertia opere: Ad pedes meos prouoluere, atque inde me adora. Hæc præcipua ſunt tormenta bellica, quæ impoſtor, ac calumniator hic inimicus, in Fideles, ad eos deuincendos, ſo-

*D. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1.*

let emittere. Et Dominus quidem valido muro verbi diuini, ictus hos excepit, ac repulit: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Dæmon autem non solùm victus mansit ac prostratus, verumetiam confusus ac iratus, eò quòd experiri non poterat, quod intendebat; scire nimirum, an Filius esset Dei naturalis, vel non. Concludit sacer Euangelista, dicens, Angelos, qui in statione decertantes contēplati fuerant, finitâ pugnâ accessisse, victori congratulaturi, eumque festiuè excepturi, eique tamquam serui Domino ac magistro suo seruiētes, cibos ministrasse. Hæc summariè est litera Euangelij, &c. *Aue Maria.*

---

*Tunc ductus est Iesus in desertum, &c.*

### Consideratio I.

*Animam peccatis nuntium remittere, & militiæ adscribi, esse vnum & idem; Dæmon enim meliorationibus eius inuidens, eam iræ suæ scopum, ac obiectum facit.*

1. PRIMVM, in quod Sacri Interpretes, in huius Euangelij expositione, communiter incidunt, est obseruatio quam Sacri Euangelistæ faciunt, occasionis, ac temporis quod Spiritus sanctus (qui sanctissimam illam Christi Domini nostri humanitatem regebat) elegit, vt eum ad certaminis locum duceret, quod fuit eo instāti quo Dominus in Iordanis flumine baptizatus fuit: *Tunc ductus est Iesus in desertum à Spiritu*, inquit Sanctus Matthæus; & Sanctus Marcus: *Statim Spiritus expulit eum in desertum.* & Sanctus Lucas: *Agebatur à Spiritu in desertum.* Ac statim sese offert ratio dubitandi, quare tunc, & non antè aperto Marte cum Saluatore congrediatur inimicus? Quomodo triginta annos elabi permisit, nullâ vnquam impressione in eum factâ? Numquid Christus ab instanti conceptionis suæ erat tam sanctus, & plenus gratia ac donis spiritus diuini, sicut modò? Omnino. Sciamus itaque, quamobrē Satanas tanto tempore se continuerit? Ad hoc dubium Doctores variè respondere, ac in diuersas semitas abire solent. Illa verò quæ mihi ad nostram instructionem magis apta, ac literæ magis conformis videtur, est Sancti Hilarij, Chrysostomi, Ambrosij, Bedæ, & Haymonis, quorum sunt sequentia verba: *Vbi baptismum accepit, mox tentationes diabolicas sponte pertulit, in qua designatur, quod hostis magis certamen contra nos suscipit post Baptismum, dolens humanas animas sibi per Baptismi Sacramentum auferri.* Hoc est, quod cùm per Baptismum efficiamur filij Dei, & amori ac seruitio eius cōsecremur; simulatq; Satanas tam sanctam resolutionem videt, sese contra nos armet, vt nos abducat, ac omnibus viribus nos deijcere ac superare moliatur. Et ne hæc consideratio, ex horum Patrum doctrina desumpta, videatur omninò voluntaria, & nullo diuinarum Scripturarum fundamento fulciri;

(Hilar. Chrysost. Ambros. Beda. Haymon. apud Barrad. tom. 2. cōcord. l. 2. c. 1.)

Audiatur explicatio, quam Abbas Rupertus dedit, ad verba quædam Ioëlis Prophetæ capite 2. in quo assumptum nostrum expressum reperiemus: *Facies eius contra mare Orientale.* quasi dicat: Peruersus hîc inimicus particularem habet cum mari Orientali antipathiam: eò faciem suam vertit; omnes vires, & conatus suos eò dirigit; cumque mare Orientale conspicit, maximè cruenta eius prælia excitantur. 2. (Ioël. 2.)

Quod

Quod iſtud mare Orientale, de quo Propheta Ioël loquitur? Non reflectamus modò ad ſenſum hiſtoricum, ſed Propheticum, inquit doctus Tuitienſis: *Eius nequiſſima intentio non ad iſtud, ſed contra iſtud mare tendit, quod ſalutaris Baptiſmi gratiam dicimus, omnibus baptizatis in Chriſto Ieſu inſidians.* Per mare Orientale, aquæ Baptiſmi intelligi debent, aptè admodum ſumptâ metaphorâ à Sole; nam quemadmodum inſignis hic Planeta, claro ſuo exortu, noctis tenebras diſpellit, & ad præſentiam fulgẽtium radiorum eius, aufugiunt, & recedunt; eodem planè modo, tenera creatura eſt quaſi mortua in obſcuritate peccati, ſed per aquas illas tranſiens, vitam accipit, ac æternæ gloriæ hæres efficitur. Dicit itaque Rupertus, quod baptizatis, & ijs, quos in mari Orientali renatos videt inimicus, magis cruentum bellum inferre ſoleat; inſidiæ eius ad mare ſingulariter tendantur; deprauata eius intentio, ac malignæ deſtinationes cõtra Orientem dirigantur; hoc eſt, contra eum, qui recenter renatus, Deum videre incipit, & de ei ſeruiendo agit, vt eum à bonis ſuis propoſitis auertat, & incrementa eius, ac profectus in virtute non videat. Ratio ergo, propter quam non antea, ſed modò Chriſtum oppugnauit, quando eum baptizatum vidit, hæc fuit; quia cùm neſciret quis eſſet, quodque lauacro non indigeret, myſticè tunc temporis erga eum ſe geſſit, perinde ac ſi purus homo fuiſſet, ad ſignificandum, qualiter poſtmodum, labente tempore, cum reliquis filijs Adæ eſſet acturus.

*Rupert. hic.*

3. Procedat alia, eaque inſignis Ruperti conſideratio. Poſtquam Deus Dominus noſter, per miniſtrum ſuum Moyſen, Populum Hebræum docuit ritus, ac cæremonias, quibus celebraturi erant, ac comeſturi Agnum Paſchalem, adiunxit hæc verba: *Obſeruabitis azyma; in eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Ægypti.* Meliùs dixiſſet Dominus, inquit Rupertus, Educam vos, vel populum veſtrum, de dura ſeruitute Ægypti, non autem, Educam exercitũ veſtrum: nam reipſa talis non erat, nec habebat ea, quæ ad militares acies componendas requiruntur. Quomodo, itaque, eum vocat exercitum, quando tyrannicâ captiuitate, in qua erat, egreditur? Rupertus egregiè ad inſtitutum noſtrum difficultatem ſoluit. *Signanter dicit, exercitum veſtrum: videlicet quia non ad otia, ſiue ludicra eximus de terra Ægypti, de domo antiquæ ſeruitutis; ſed ad pugnandum aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus huius mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

*Exodi 12.*

*Rupert. lib. 2. in Exod. c. 15.*

4. Gabaonitæ cum forti ac ſtrenuo Ioſue amicitiam inierunt, & armis, ac viribus ei coniuncti, & aſſociati ſunt. Vix pactum ferierant, cùm omnes Amorrhæorum Reges contra eos fœdus pepigerint. Aduerſæ autẽ huius partis caput fuit Rex Adoniſedech: dicit verò Scriptura diuina, quod ad conſpirationem hanc eos prouocauerit hiſce verbis: *Expugnemus Gabaon, quare trãſfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſraël.* Hic verò in mediũ prodit Origenes, euentum hunc ad mores noſtros informandos transferens: *Cùm anima humana Verbo Dei ſe ſociauerit, dubitare non poteſt, ſtatim ſe inimicos habituram. Et eos, quos habuerat antè amicos, in aduerſarios eſſe vertendos.* Tales enim ſufferre non poſſunt, vt hi, ipſos contemnentes, alium Magiſtrum & Dominum quærant cui inſeruiant, & tantò meliorem, quantò Deus præſtat Dæmoni, virtus vitio, & gratia peccato. Atque adeò

*Ioſue 10.*

*Origen. hom. 11. ad mor.*

adeò magni momenti documentum est,& salutare consilium,vt anima sese armet,non minus patientiâ,quàm cautelâ,& circumspectione,& vigilans sit, atque sollicita, ictus inimici præueniens,qui nec pedem mutat,nec terga vertit, cùm videt mare in Oriente, & quod anima spiritualiter nata,vitâ Dei viuere incipiat.

5. Admirabilia sunt mysteria quæ ex Sanctorum Patrum sententia in se continet mysteriosa illa Iacobi lucta,cuius
Gen.32. historiam in libro Genesis refert Spiritus sanctus, & quam ponderat quo-
Osee 12. que Propheta Oseas. Accidit enim,vt hic Sanctus ex Mesopotamia domum suam, mulieribus, liberis, ac gregibus suis comitantibus,reuertẽs, transiuerit vadum Iacob,vti diuinus textus refert,
Petr. Comest. *Transiuit vadum Iacob*,vel *Iordanis*, vti sentit Magister historiæ Scholasticæ: cùmq; turmas, quas secum ducebat,ad vnam fluminis partem traduxisset, ad alteram ipse solus manserit: *Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant,mansit solus*, idque ad totâ nocte certandum, & luctãdum:*Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Quis autem vir ille fuerit,qui cum eo luctaretur,non conuenit inter Sacros Interpretes. Proco-
Procop. apud Mendoz. in 1. Reg. cap. 7 n. 14. pius ex Rabinis refert, *fuisse Diabolum, qui cùm videret Iacobum sibi è manibus quodammodo elabi, & ab Idololatris ad veri Numinis cultores remeare, doloris impatiens fugientem inuadebat,& in priorem idololatrarum colluuiem reuocabat.* Sed certum est,hanc Rabinorum opinionem, non solùm friuolam, sed & fabulosam esse, & à pluribus San-
Ludou. Istell. Comment. in hunc locum. ctis Patribus reprobatam; certamen verò, siue luctam cum ipsa Filij Dei persona fuisse,vti volunt Sancti Patres relati consideratione sextâ, tractatûs in die Cinerum,aut cum Angelo quopiam qui illam specialiter repræsentabat. Sed quamuis Hebræorum doctrina non sit vera,tamen nõ est dubium, quin bene admodum maligni Satanæ ingenium nobis explicet, qui, peccatorum occasionibus irretitis, ne eas deserant,fauorem, & auxiliũ,quantum potest,adferre solet; illos verò,qui eas deserunt, & firmis, Deo deinceps famulandi,propositis factis,vitam in melius commutant, persequitur, premit, atque affligit.Non est hæc mea consideratio, sed docti Commentatoris in libros Regum, venerabilis quondam Magistri mei,cuius sunt sequentia verba:*Rabbinis quidem,illum virum esse diabolum asserentibus, non assentior: assero* Mend. cit.
*tamen, talem se diabolum hominibus exhibere.In peccato dormientes fouet,& curat altiùs consopire; sed à peccato euigilantes, & ad meliorem frugem resipiscentes,pungit,lacerat, cruentat.* Nihil amplius superest in hac materia de inimico dicendum;omnes enim exaggerationes nimis exiles sunt,ad magnam illam oppositionem, quam cum mari Orientali habet,& cruentum bellum, quod virtutis tyronibus inferre solet, significandum.

Reflexit insignis noster Oleaster ad notabiles illas instructiones, quas dabat Deus duobus fratribus Moysi, & Aaron, circa cæremonias, quas cum Leuitis obseruare debebant. Vna illarum erat,vt si non essent viginti quinque annorũ,& suprà, ad ministerium Altaris non admitterentur: *A viginti* Num. 8.
*quinque annis, & supra egredientur, vt ministrent in Tabernaculo fœderis.* In hoc fortassis fundatur constitutio Ecclesiæ,de non minus, quàm id ætatis, ad Sacerdotij dignitatem promouendis. Sequitur eruditus hic Author Textum Hebræum doctissimi nostri Pagnini, qui verba vulgatæ relata legit vt sequitur: *A viginti quinque annis*

*nis egredientur ad militandum militiam in opere Tabernaculi.* Si lectionem hãc cum illa Bibliorum correctorum conferamus, comprobamus, idem esse, Leuitas Tabernaculum ingredi, Deo famulandi causa, & in campum, cum inimicis præliandi gratia, prosilire. Res quidem, quæ in sensu vt sonat, fieri nõ potest; adeoque ad concordiam, & intelligentiam horum textuum, qui primâ fronte contrarij videntur, ad spiritualem recurrendum nobis est, inquit Oleaster: *Iustè valdè hoc factum esse credendum est. Fili, ait Ecclesiasticus, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem: quis enim dicere queat, quot oppositiones, obiecta, contradictiones, hodie patiuntur, qui piè in Christo viuere volunt.* Quasi diceret; Leuitæ particulari professione, vel officij obligatione, ad Sacrificijs, & cultui Altaris assistendum consecrati erant; hoc enim significat Leuita: id est, *Assumptus.* Symbolum iustorum, & eorum, qui ad perfectionem adspirant. Itaque intelligant & omnes fideles per illos significati, quòd vno quopiam mundo terga vertente, & Diuinæ Maiestati seruire incipiẽte, spiritualiter eum armatum, atque ad confligendum dispositum esse conueniat: nam, vt dixit Spiritus sanctus, prælia ei non deerunt, sed tentationes eum persequentur: Fili, inquit, Deo seruiens, ad certamen te compara, belli apparatum instrue; etenim, quòd sub eius vexillo milites, & à partibus eius stes, mox infernus, & omnes habitatores eius, ad te superandum conspirant; atque adeò magnis animis præliari necesse est, si de eo triumphum reportare intendis, atque desideras.

Oleast. hic.

7. Ad hoc institutum singularis mihi videtur mystica explicatio, quam dedit gloriosus Sanctus Gregorius Magnus, ad verba illa Sancti Iob, adeò nota, quæ continent quæstionem quandam, quam inter alias Dominus ipsi proposuit: *Per quam viam spargitur lux, & diuiditur æstus super terram?* Reflectit autem Sanctus Gregorius ad mysteriosam connexionem duarũ rerum, quas quæstio continet; lucis videlicet, & ardoris. Et quidem magnam cohærentiam inter illas deprehendit. Admiranda sunt eius verba: *Cùm diuina lux in mentes humanas spargitur, mox ab occulto aduersario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt. Post lucem ergo æstus sequitur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.*

Iob 38.

Greg. lib. 29. Mor. c. 12.

Valdè adsimilis huic loco, est alter eiusdem libri Iob capite sequenti: vbi Deus, cum Sancto Iob de Aquila loquẽs, dicit: *In arduis ponet nidum suum? In Petris manet, & in præruptis silicibus commoratur. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius perspiciunt. Pulli eius lambent sanguinem.* Hæc quidem ad litteram sic sonant, & difficilis est locus, propter diuersas Sacrorum Interpretum expositiones. Magnus Pater Sanctus Hieronymus intellexit hunc locum de dæmone, aquila voraci, & rapaci, vngulis nigris, & longis, perspicaci visu, celeri volatu, quæ nidum struere, & prædam maximè gratam agere intendit in petris, ac silicibus, hoc est, in seruis Dei maximè constantibus, & à mundo segregatis, ac quibus Deo seruire deliberatum est: in Eremita solitario, Anachoreta, qualis Christus Dominus noster in deserto, in Religioso ad sedile chori, ac angulum cellæ se recipiente, qui quemadmodum instar fulguris ex cœlo decidit, à natura inditum habet, tela sua, ac conatus omnes adhibere, vbi maximam resistentiam inuenit: *Sagacis valde, atque perui-*

8.

Iob 39.

Hier. hic.

*peruigilis aduersarij nostri animum, ad inquirendas vires Sanctorum dimicantium, nomine oculorum appellauit Deus. De longè prospicit, quod est ab ipsis vtique exordijs subtilis spiritus, & ad omne malè nimium mobilis intuitus, vt illic antequã conatus hominis, saltem in aliquo roboretur, pullulantia bona reprimat, & extinguat.* Etsi fortè prædam venatur, ibi fit conclamatio, & adiungũt se aliæ aquilæ, *nequiores se,* inquit hic Sãctus; nam *vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ; pulli eius lambent sanguinem;* insuccant, atque intingunt se in sanguine animæ, & virtutem exugunt; atque ita conuenit (specialiter verò animabus, quæ à mundo recedentes, cœlos subeunt) excubias agere, eò quòd prædatrix illa infernalis auis eas particulariter deprædari intendat.

9. Quindecim Psalmi reperiuntur in Psalterio Dauidis, quos Diuina Scriptura vocat Canticum graduum, eò quòd Sacerdotes, in adscensione quindecim graduum templi, diuina Officia celebraturi, eos decantare solerent. In primo autem cantabatur Psalmus 119. cuius secundus versus est hic sequens:

Psal. 119. *Domine, libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Reflectit autem S. Basilius Magnus, quod simulatque primum gradum conscenderent, cantarent Psalmum, in quo Dauid rogabat Deum, vt se à maledicentibus, & fraudulẽtis linguis liberaret. Quam conuenientiã habet hic Psalmus, cum primo gradu? Aptè ad institutum nostrum respondet hic Magnus Pater:

Basil. in gloss. *Cùm incipit homo adscendere, id est, cogitat proficere, contempto sæculo, soli hærere Deo, incipit pati linguas aduersantium, & quod est grauius, à salute auertentium. Has qui non patitur, nondum proficere conatur.* Hæc instrumenta sunt, quibus maximus animarum inimicus, ad eas auertendas, & à via reuocandas, vti solet; vt ita spirituales eius profectus deteriorentur & infausti reddantur. Hæc omnia clarè videre licet in circumstantia temporis, quam dæmon, ad Christum Redemptorem nostrum tentandum, elegit; hoc est, postquam eum baptizatum vidit, tunc ob rationem iam dictam, erectas malignæ linguæ suæ sagittas, ad eum à sanctis exercitijs diuertendum, excutere incepit: *Dic vt lapides illi panes fiant.*

---

## *In desertum.*

### CONSIDERATIO II.

*Quod vt Christianus solitarius viuat, necesse non sit, vt Eremitam se reddat, eò quòd in corde suo solitudinem exstruere possit.*

SPIRITVS sanctus Christum Redemptorem nostrum ad desertum duxit, vt in eo tentaretur, vel, vt melius dicatur, vt in eo vincat. Absque dubio enim locus hic maximè aptus est, vt de animarũ inimico triumphetur: *Ecce locus tentationi congruus,* dixit noster insignis Albertus Magnus. Et quidẽ ratio est euidens, inquit hic Sanctus: *Ibi enim non habet adiutores diabolus; inter mundanos enim inuenit concupiscibilia, per quæ trahit affectus, & linguas malas, per quas subuertit aliquãdo intellectum. Est autem desertum, locus sui qualitate, communem in se habitationem fieri non permittens.* Itaque vt eum superare possimus, omnes in desertum secedemus. Non est dubium, quin admodum salutare sit hoc consilium, & efficacissimum medium, ad vires eius debilitandas, & reprimendas, vtque armis ipso potiores fiamus. Verumtamen dicere 1.

Albert. Magn. hic.

cere nolo, vt omnes fideles ad desertum vadant, & Eremitas se reddant; hoc enim consulere, foret, & rem aggredi impossibilem, neque hoc ad salutem consequendam est necessarium; sed vt vnusquisque in animo suo solitudinem, & recessum constituat, & in domo sua, à mundi tumultibus segregatus, quasi eremicola, viuere procuret.

2. Magnopere desiderabat S. Iob cum terræ Principibus, in recessibus, ac solitudinibus ipsorum requiescere: *Cùm Regibus, & Principibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Scio equidem communem huius loci expositionem esse, quòd hic sanctus vir, perpensis vitæ huius miserijs, ostenderit, desiderare se sepulchro iam contineri. Sepulchra vocat *Solitudines:* partim quidem, quòd cognati, amici, & quotquot defunctũ comitantur, eum ibidem solum derelinquant, sicut notauit Sanctus Augustinus: partim verò, quod in solitudinibus, montibus, & desertis ædificata forent, quæ sæpenumerò nomen sepulchri accipiebant, vti de Rege Decernino cecinit Lucanus: *Fuit ingens monte sub alto, Regis Decernini, terreno ex aggere bustum.* Hic est magis ordinarius Doctorum sensus. Verùm ad rem nostram egregia est explicatio, quam ad hunc locum dedit Cardinalis à Vitriaco. Quinam tibi videntur magnates illi, ac domini, qui sibi ædificant solitudines, in quorum consortio desiderabat esse Sanctus Iob? Dicam: *Sancti homines ædificant sibi solitudines, qui nihil mundi huius appetunt, & transitoria cuncta despiciunt.* Hi reuerà ædificant sibi solitudines, vt in illis viuant. Nam cùm in illa sunt, à populo tam segregati viuunt, perinde ac si re ipsâ forẽt habitatores deserti, atque ita cõstituti sunt extra omnem occasionem, & ab omni re, quæ tranquillitatem animi perturbare potest, tam separati sunt, quemadmodum maximè solitarij Palæstinæ Anachoretæ.

*Iob 3.* *August. serm. 48. ad Frat. in eremo.* *Lucan.* *Vitriac. serm. 1 infra octauam Natiuit.*

3. Quàm prudens, ac sapiens sancti Petri Damiani cogitatio! Inter alias, mittit Dominus noster Pharaoni plagam muscarum. *Et venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, &c.* atque eodem illo tempore, populo suo cõcedit, vt pace, ac quiete perfruatur: *Faciam mirabilem terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ.* Magnum mysterium, inquit Sãctus Cardinalis, quod cùm Ægyptij maximè implicantur, vt sese à muscis, se persequẽtibus, liberent, his eas abigentibus, illis eas fugientibus, in medio huius solicitudinis, & afflictionis, Dei populus tantâ quiete, & otio perfruatur, vt muscæ Ægyptios affligentes, nullam ei curam, & anxietatem inijciant, & ne à longè quidem eum attingant, quin potiùs tam securus & tranquillus degat; vt nemo eum impedire, aut læsionẽ vllam inferre possit. Quid porrò illud, quod hoc mysticè significabat? Dicit id idem Sanctus: *Reproba mens auidè per mundi huius negotia inquieta diffunditur, & anima sancta sabbatizat, dum remota à negotiorum sæcularium strepitu, lectionibus & orationibus vacat.* Quasi dicat: Cùm peccatores mundi huius negotijs distrahuntur, & inquietantur, serui Dei sabbatizant; id est, otio, & quiete perfruuntur, & sanctis Virtutum exercitijs sese impẽdunt, ac in medio Ægypti, ac sæcularium perturbationibus, ita extra omnem strepitum constituti, & tam quieti sunt, vt in maximis turbationibus, ac confusionibus, quietis sabbathum obseruent; priuilegium soli deserto, & solitudini concessum.

*Exod. 8.* *Damian. epist. 5. ad Cardin.*

4. *Psal.136.* Psalmo 136. Regius Propheta, nomine filiorum Israël, refert ea, quæ ipsis, in Babylonicam captiuitatem abductis, euenerunt: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* *Lect.Heb.* Quod hîc aduerto, est quod Hebræi dicunt, hoc ab illis factum esse, cùm essent in medio ciuitatis: *In medio eius*; & Genebrardus ex Hebræo legit: *In desertis.* *Genebr. hic.* Quis verò non videat cõtradictionem? Si enim erant in deserto, quomodo in ciuitate? Si in frequentia populi, quomodo in solitudine? Alij dicant quod sentiunt; ego verò existimo, quod licet Hebræi, quantum ad præsentiam corporalem essent in plateis Babylonis; tamen, quantum ad animum, in desertis locis habitarent. Effectus profectò diuinæ manûs illos attingentis; quandoquidem in medio confusionis Babylonicæ viuerent, ac si eremi incolæ fuissent: *In desertis, in medio eius.*

5. Admirabile est consilium Spiritus sancti, in capite 5. Prouerbiorum Salomonis: *Prou.5.* *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide: habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Fateor me hanc sententiam non intelligere; sensus enim litteralis eius, manifestam continet contradictionem; si enim fontium nostrorũ scaturigines vndequaque sese diffundãt, & effundant, atque illis plateas irrigemus; quî fieri potest, vt soli perfruamur re illâ, quæ communi proximorum nostrorum vtilitati exposita est? Iunilius Episcopus Viennensis dubium hoc ingeniosè explicat, atque ad rem nostram accommodatè. Non est dubium, quin in citatis verbis sit apparens contradictio: *Iunil. in Parab. Salom.* *Tamen nulla est contrarietas; Fontes nostros foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus, cùm alijs vim prædicationis infundimus, & populis prædicamus.* Benè enim sese compatiuntur, vt quispiam proximum suum doceat, & populo prædicet, vt Deum amet, eique seruiat: & tamen à rebus huius vitæ tam abstractus, & à mundano tumultu segregatus viuat, perinde ac si reipsa in deserto viueret. Quod hic Doctor de Prædicatore explicat, cuilibet bono Christiano applicari potest: nam, vt ille sublimi quodam tractu, recessum solitarij, & Magistri officium coniungit; ita hîc ciuilia hominum negotia, & communem viuendi rationem, cum recessu eorum, qui in asperis, ac difficilibus Thebaidos locis proscripti perfectiùs viuunt, compingere potest.

Psalmo 91. loquitur Dauid de iustis, & post magnas laudes, concludit 6.
his verbis: *Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebit.* *Psal.91.* Melior sensus est, quòd iustus in Ecclesia militante per fidem plantatus, semper efflorescat, vt det fructum triumphanti Ierusalem. Ita multi cum Incognito hunc versum intelligunt: *Nota,* inquit hic Doctor, *quòd hîc bis ponit domum Dei; primò enim dicit: Plantata in domo Domini. sic accipit domum pro Ecclesia militante. Secundò cùm dicit: In atrijs domus Dei nostri florebunt: & hîc accipit domum pro Ecclesia triumphante.* *Incogn. hic.* Verùm difficultas, quæ se offert animaduersione digna, est, quam idem Author proponit: *Mirum quod plantantur in domo, & florent in atrio.* Res valde mira, & meo quidem iudicio numquam visa, vt arbor alicubi plantetur, & absque vlla mutatione, vel transplantatione, alibi florescat, & fructum ferat! Ita verò sese habet: Iustus est arbor; flores autem, & fructus, virtutes, & bona opera; & quamquam videatur omnis iustus hîc in Ecclesia militante plantatus, & in quantum viator,

tor,

tor, cùm reliquis ſuæ conditionis viuat, & agat: certum tamen eſt, tali id ipſum ratione agere, vt cor, potentiæ, ſenſus, atque etiam actiones omnes eius, ibidem in cœlo depoſitæ ſint; & ſiquidẽ Chriſtus Dominus noſter cœlum ipſum vocauerit deſertum, vti in parabola Paſtoris, qui in eo reliquit nonaginta nouem oues, notant Sacri Doctores, atque in particulari Sanctus Gregorius Magnus, citatus ab Angelico Doctore in Catena, ritè probatum manet aſſumptum noſtrum, ſcilicet ſeruos Dei, & bonos Chriſtianos, licet ſecundùm partem inferiorem, in locis habitatis viuere videantur; tamen quãtum ad ſuperiorem, ſemper ſint in deſerto: *Plantantur in domo, & florent in atrio.*

*Luc.15.* — *Gregor. in Caten. D.Thom.*

7. Eximia profectò ad hanc rem eſt ponderatio Sancti Cyrilli Alexandrini. Notat hic Sanctus, Deum ac Dominum noſtrum, loquendo de primis progenitoribus populi Iudaici, per Oſeam Prophetam dicere, quod fuerint ſicut racemi, & vuæ in deſerto collectæ: *Quaſi vuas in Deſerto inueni Iſraël, quaſi prima poma ficulneæ vidi patres eorum.* quod hic Sanctus Doctor intelligit de Patriarcha Abraham. Sed vrget ratio dubitandi: Si Deus extraxerit eum ex medio idololatriæ, & Gentilium inimicorum ſuorum; quomodo dicit quòd ex deſerto? Dicam. Deſertum vocat terram peccatorum, in qua Sanctus hic Vir degebat; taliter enim inter illos ſeſe gerebat, quaſi in deſerto habitaſſet. *Res rara, & difficilis inuentu bonus in ſolitudine; inuetus tamen ab eo, qui omnia videt ſemel deſideratiſſimus, & vt decerperetur, gratiſſimus fuit. Deus, inquam, ſic inuenire dicitur Abram inter Chaldæos idololatras, quaſi botrum & præcocem in deſerto ficum.*

*Oſee 9.* — *Cyr. Alexand. lib. 3. contr. Iul.*

8. Iam verò intelligentur quedam verba Sancti Apoſtoli Pauli, primâ fronte difficilia. *Non conſiderantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Peregrinus profectò, quãtum ego quidem capio, eſt hic dicendi modus; videtur omnino contrarius eſſe debuiſſe; nam, vt experientia nos docet, ſenſus exteriores portæ ſunt, per quas conſideratio ingreditur ad animam, quæ nec ſcit, nec intelligit, niſi quod hi percepẽrũt; prout etiam dicit Philoſophus: *Nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.* Sed non obſtante hac veritate, certum eſt, Doctorem Gentium, inſtar hominis ſpiritualis, ad rem noſtrã, atque doctrinam valde accommodatè locutum fuiſſe. Audite in hac materia glorioſum Chryſoſtomum: *Quod autem præſentia quaſi in ſolitudine eſſe, audi illum dicentem: Non conſiderantibus nobis; qui enim igne Chriſti captus fuerit, talis fit, qualis eſſet homo ſuper terram non habitans.* Iuſtus enim taliter viuit in mundo, quaſi in eo eſſet; ſolo corpore terram contingit, eò quòd ſpiritus eius Deo, & myſteriorum eius conſideratione totus imbutus ſit: atque adeò in terra habitans, eodem modo ſe gerit, ac ſi in regionibus longè diuerſis, ab ea ſegregatus viueret; quod eſt contentum thematis ſecundæ huius conſiderationis, ad quam facem mihi prætulit idem Sanctus, cuius hæc ſunt verba: *Qui ſanctæ vitæ conſeruat tenorem, etiamſi in medio vrbis videatur habitare, quaſi in eremi tamen vaſtitate requieſcit, & inter ſolitudines montium, & ſecreta conuallium:* atque adeò vbicumque fuerit, reſiſtere poteſt tentationibus dæmonis, eum vincere, & ſicut qui in deſerto commoratur, de eodem triumphare: *In deſertum.*

*1.Cor.4.* — *Ariſtot.* — *Chryſoſt. hom. 52. in Act. Apoſtol.* — *Chryſoſt. homil. 6. in Matt.*

*Posteà esuriјt, & accedens tentator, &c.*

## CONSIDERATIO III.

*Quòd dæmon magis tentare soleat eos, quibus fortuna minus fauet, vt cum salutis suæ dispendio, necessitati suæ subueniant.*

1. IEIUNAVIT Christus Dominus noster quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto, atque in tam rigida Quadragesima dæmon eum non tentauit, nec manifestum se fecit; quãquam nihil magis exoptaret, quàm eum aggredi: sed vix debilem, ac languidum eum vidit. *Posteà esuriјt*, cùm furiosus, ac audax eum inuasit: *Et accedens tentator.* Sed quam ob causam inter tam prolixa ieiunia eum non adoritur, videns eum pœnitẽtem, flaccidum, & pauperem, si scire intendat an sit Deus? nisi quòd expectet, vt videat eum tantopere debilitatum, vt præ pura puta debilitate deficiat, & videatur iam nihil habere quod probet; hæc enim accidentia, vtpotè à diuina potentia tam aliena, clarè indicabant hominem eum esse. Ad hoc dubium respondet ingeniosus Sanctus Petrus Chrysologus: *Tunc eum putauit posse tentari, quando eum esurire callidus tentator inspexerit.* Quasi diceret: Tunc videbatur astuto hominum inimico, quòd educto gladio Christum accedere, & ipsum Deum tentare poterat, quando eumdem iam languidum, & ad famem redactum vidit. Idem paucioribus verbis Anselmus: *Visâ esurie accessit tentator.* Scilicet vt sciamus, & cognoscamus antiquas peruersi huius inimici astutias, qui pro more habet, tentare, præsertim pauperes, & miserabiles, vt cùm animarum suarũ dispendio, necessitatibus suis medeantur. Magnum beneficium fecit Deus, cui vitæ honestè transigendæ necessaria dedit; nam habere necessaria ad sui sustentationem, magnum profectò subsidium ad sanctitatem; prout similiter pauperem quempiam esse, sæpenumerò dispositio est ad graues in Deum offensas committẽdas, quas si talis non foret, non perpetraret; nam cùm os fideiussorem non habet, terribilis est tentatio paupertatis.

(Chrysol. serm. 11. apud Barrad. to. 2. l. 2. c. 2.)

2. Voluit vnus amicorum Sancti Iob, inter cæteros sapientior, ac magis intelligens, bonum suum talentum manifestare, atque ad hoc à Sapientibus attentionem postulauit: *Viri cordati, audite me.* Debet profectò rem aliquã magnam eis dicere voluisse, eosque docere. Ita quidem videtur. Audite porrò, quid dicat. *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.* Verùm quid noui dicit Sapiens Eliu? Deum impeccabilem esse, quid magis commune, & magis omnibus notum? Est illa vna ex primis veritatibus fidei, quam profitemur. Ad quid igitur inuitat prudenter, & attentos eos esse vult, si non doceat rem quam ignorent? Ad intelligentiam horum verborum supponendum est, verbum illud, *Omnipotens*, non esse Synonymum cum hoc verbo, *Deus*. Nec casu vsus est illo Eliu, sed magnam habet energiam, & multâ sapientiorum dignum est animaduersione & attentione: nam, *omnipotens*, ex meliorum Interpretum obseruatione, prout obseruauit doctus quidam modernus author, idem est quod, *sibi sufficiens.* hoc est, qui nullius indiget, & omnia habet. Modò itaque intelligetur sententia Eliu: *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.* Id est, Deus

(Iob 34.) (Lorin. in Psal. 15.)

Deus peccare non potest. Et probatur hec veritas, quia est omnipotēs; nemine indiget, nihil ei deest, omnibus abundat. quasi diceret: Si Deus non haberet omnia necessaria, & ab aliquo dependeret, non ita remotus foret à peccato, nec tam liber à culpa: tantam affinitatem habent peccatum, & necessitas; culpa, & paupertas.

3. Quàm bene agnouit, & confessus est hanc veritatem Regius Propheta:
Psal. 31. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Sentio, inquit, me bona omnia consumpsisse, timidum me reddit, & deprimit multa paupertas. Vbi verò no-
Lect. Heb. stra Vulgata dicit: *Infirmata est in paupertate mea*; transfert Hieronymus ex
Hieron. ibid. Hebræo: *Infirmata est in iniquitate mea:* adeò vt hinc de paupertate, inde verò de peccato conqueratur. Modus loquendi, vt apparet, difficilis intellectu; sed has lectiones conferamus, videbimus, quòd suauem harmoniam conficiant, quodque à Dauide paupertas vocetur peccatum, eò quòd præstantissima etiam virtus in arcta necessitate periclitetur; quam ob causam, dæmon Christum Dominum, nonnisi famelicum tentauit; confidens famem potentem esse occasionem, vt cibum appeteret; atque adeò necessitatem intuens, in tentatione intentum suum sibi spondebat.

4. Ibat populus Dei ad terram Pro-
Exod. 17. missionis per desertum Sin: peruenerunt in Raphidim, vbi substiterunt, prout sacer Textus narrat. Accidit autem, vt non inuenerint aquam ad bibendum, & insurrexerint in Moysen, postulantes ab eo aquam, atque etiam conquerentes, quòd se ex seruitute Ægypti eduxisset: *Iurgatus contra Moysen ait: Da nobis aquam vt bibamus. vt quid adscendere fecisti nos ex Ægypto?* Quid hoc Israëlitæ? adeóne impatientes estis in prima, quæ sese vobis offert, necessitate? Videte quòd illud sit Deū tentare. Tam citò vos pœnitet boni propositi, perueniendi ad terram promissam? Tam præceps vobis ira contra Ducem vestrum, qui à captiuitate vos liberauit, idque solùm quia parum aquæ vobis deest, & ad eandem redire desideratis? Ita quidem, ait Origenes; nam in tentatione defecerunt: *Hæc fatiscentis in tentatione animi verba sunt.* Origen. hom. 5. in Exod.
Et adiungit noster doctissimus Oleaster, quod illis accidit, multis Christianis, & subinde magnis Dei seruis euenire, qui nescientes, aut nolentes breuem necessitatem pati, in pericula sese deijciant, atque præcipitent. Oleast. hic. *Sunt multi iusti & sancti, ambulantes in vijs Domini, qui scandalum patiuntur, cùm aliquid sinistri eis acciderit, arbitrantes cuncta sibi aduersa vētura, postquam præcepta Domini sequi cœperunt.* Hi propter modicū aquæ, quæ ad restinguēdam sitim ipsis deerat; tam turpiter ceciderūt, vt à virtute, cui sese dedicauerant, destiterint: specie paupertatis eis pedem supplantauit: vetus namque ei mos est, vt percipiens defectum, statim accedat: *Esurijt, accedens tentator.*

Sanguineis lachrymis lugebat Propheta Ieremias in Threnis suis, vilem, 5.
& abiectum Reipublicæ suæ statum.
*Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis.* Thren. 5. Ad quod Interpretes communiter reflectunt, est, quòd Propheta roget Deum, vt consideret miserabilem statum Ierusalem, cùm tamen omnia diuinis eius oculis sint manifesta. Ad hoc verò respondere solent, quòd quamuis Deus omnia videat, & cognoscat; tamen velit, vt in afflictione positus, ad se pro remedio accurras, teque cum ipso consoleris & reficias, quasi cum pio parente, & fideli amico, cui abiectionem animi, atque tristi-

tristitiam notam facias; vtque miseriam ac damnum tuum cognoscas, vt hac ratione, misericordiam eius pluris facias. Amplius dicũt, Sanctos hoc agere, vt magis veraciter, ac seriò viscera misericordiæ Dei commoueant. Misero & pauperi vulnerato, cui tibiæ instar fontium sanie diffluunt, vti noster Episcopus Barbastrensis differit, non sufficit, quòd pertransiens eam intuearis, quinimò verbis suis eam tibi exhibet, & quasi eam oculis tuis non vidisses, dicit tibi: Aspice magnam hanc miseriam meam. plurimum commouetur misericors, quando oculis eius tuas obijcis miserias. Hoc faciunt Sancti, quando coram Domino constituti, singillatim ei referunt, & exponunt oculis eius labores suos, quemadmodũ hîc egit Hieremias. Omnia bellè cogitata; sed hæc non ita seruiunt ad confirmationem eorum quæ dicimus. Id quod mihi sese offert, est, quidnam fuerit causa vilitatis & abiectionis tam inclytæ ciuitatis. Gloriosus Pontifex S. Gregorius Magnus arbitratur Prophetam iam antè retulisse causam, in verbis illis: *Omnis populus eius gemens & quærens panem, dederunt pretiosa quæq; pro cibo, ad refocillandam animam.* Id est, videns se populus fame ad extrema deductum, dedit pretiosiora quæque pro vitæ conseruatione, & necessitatis suæ subleuamine; hocque facto remansit infamis. Ad Spiritualem sensum detorquet S. Doctor hæc verba, affirmatque hoc ipsum euenire Christiano fideli, qui impatiens laborum & necessitatum, quibus affligitur, pretio animæ & salutis suæ eas studet redimere. *Sed & pretiosa quæq; pro cibo dat, quia virtutes mentis in appetitum delectationis transitoriè inclinat.* Nequit in mundo esse vilior seu abiectior status, quàm Christiani, qui seductus à Dæmone, eò deuenit vt animam suam vendat, ad redimendam famem corporis, vel aliam quamcumque necessitatem temporalem.

*Barbast. homil. de Lazaro §.12.*

*D. Greg. l.23. Moral. c.17.*

6. Itaque indigent pauperes singulari manutenentiâ Dei ad resistendum tentationibus occurrentibus, & maximè exponuntur periculo peccandi, quando eos necessitas cibi & victûs premit & affligit. Valde ponderandus est stylus & forma, quam Magister cælestis edocuit Apostolos suos in oratione ad Patrem obseruandam. *Sic enim orabitis &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* & statim subiungit: *Dimitte nobis debita nostra.* Notabilis est hæc combinatio Petitionum, inquit Tertullianus; Petere panem oris, & remissionem peccatorum. Ignoro ego conformitatem & conuenientiam, quã hæc duo inter sese habent. Verùm examinare & perscrutari debemus secretum & mysterium in hac petitione cõtentum; & considerans eam diligenti mentis attentione deprehendi Christum maturo consilio, & deliberato voluntatis proposito hanc discipulis, & in illis, nobis omnibus doctrinam seu regulam dedisse, vt à Patre eius æterno simul & alimẽtum quod nostram subleuet necessitatem, & diuinam eius clementiam, quæ nobis propitia indulgeat, postulemus. Grauissima sunt verba eius: *Consequens erat, vt obseruatâ Dei voluntate in postulato pane etiam clementiam eius precaremur.* Proximus est occasioni peccandi, quem necessitas ad quærendum panem & victum obligat. Meritò igitur Saluator nos docet petere remissionem delictorum, eodem tempore, quo nos instruit ad postulandum alimentorum subsidia, quibus corporalem vitam sustentemus.

*Matth. 6.*

*Tertull. de oratione Dominica c. 6.*

7. Ex quibus infero, indubitatam esse virtutem, & probatam vitæ sanctitatem,

tem patienter tolerare famem cæterasque necessitates, & nolle studere commodo corporis, cum animæ detrimento. Maximè ad rem nostram facit, id, quod Sancto Isaac euenit, volenti occasione famis vrgentis regionem Palæstinæ, descendere in Ægyptum: Ap-
Gen. 26. paruit ei Deus, dixitque: *Ne descendas in Ægyptum.* Quærũt nonnulli Interpretes; quidni Deus consenserit, vt propositum sibi iter prosequeretur? Etenim dicere quod id Deus egerit ad liberandum eum à periculis, quæ incurrere poterat in Ægypto, non est ratio efficax seu concludens, quia etiã si talia occurrerent, qui poterat maius, poterat minus, & qui eum incolumem seruauerat in sacrificio, poterat eũdem ab imminentibus quibusuis, etiam vehementissimis tentationibus seu periculis indemnem tueri, & defendere. Variæ sunt Sacrorum Interpretum responsiones. At verò cum hîc Commentatoris officio non fungamur, sufficiat nobis, referre illam, quæ instituto nostro deseruit habetq; Auctorem Sanctum Chrysostomum à Lippomano relatum, qui asserit ideo Deum non consensisse; quia volebat experiri eius amicitiam (nostro loquendi more humano) quâ eum diligebat, & simul seipsum adstringere ad familiæ eius omni curâ & solicitudine prouiden-
D. Chrys. apud Lippomannum. dum. *Deinde, vt ne putet iustus, quod hoc imperet, quasi voluerit eum famis angustiam experiri, non permittere transitum in Ægyptum; inquit ero tecum, & benedicam tibi. Ne sis anxius, neque curam habe, ego enim ero tecum. Quid hoc iusto beatius? Qui talem promissionem à Deo accepit. Hoc te declarauit omnibus fœliciorem, hoc te affluentem rebus omnibus faciet, hæc est summa gloria, hæc est vera securitas, hæc est summa, & caput omniũ bonorum, quia ego tecum sum.* Itaque non volebat quidem Deus vt seruus eius pateretur, sed promittens ei continuum suum consortium *ero tecum:* certiorem eum reddidit, & bonorum affluentiam assecurauit. Tantùm valet apud Deum famis & paupertatis tolerãtia, vt non inueniat Deus mercedem quâ eam remuneret, nisi seipsum illi donet; ac proinde promittit ei particularem assistentiam, & omnium rerum eius singularem prouidentiam.

8. Occasione alterius famis, quæ easdem regiones, generali omnium famescentium interitu penitus deuastabat, misit Deus Prophetam Eliam, Sidoniam; vt ibidem à deuotâ quadam viduâ aleretur. Peruenit ad Ciuitatem Sareptanam, & videt ad vrbis portam, viduam quamdam colligentẽ Sarmenta, aitque illi: O domina mea, nónne mihi fatigato ex itinere, & lassitudine exhausto, dabis potũ & haustum aquæ frigidæ? Maximè Domine mi; & confestim cœptum deserens opus, currit ad ferendam aquam. Subsiste, Domina, inquit Propheta, rogo te vt etiam buccellam panis porrigas, quia fame pereo. O Vir Dei, respondet illa, profectò si haberem, libentissimè tibi darem, sed iuro tibi per Deum verum quod in tota domo meâ non habeam, nisi pauxillum farinæ, quantum pugillus capere potest, & in lecyto quatuor vel quinque guttulas olei, ideoque exiui ad colligenda hæc sarmenta, vt faciam inde mihi & filio meo placentulam, vt manducemus, & posteà moriamur. *En colligo duo ligna vt ingrediar, & faciam illam mihi, & filio meo, vt comedamus & moriamur.* Obseruat Magnus Pater Sãctus Augustinus, verba huius pientissimæ mulieris, quibus extremam suam indigentiam & paupertatem enarrat, quòd duo ligna colligat, existimatque Sanctus ea fuisse mysti-

3. Reg. 17. (margin, beside "viduâ aleretur")

D. Aug. serm. 201. de tempore. mysticam figuram Crucis Christi Seruatoris nostri, & ad eam allusisse: *Crux enim Domini duobus lignis aptata est.* Hac doctrinâ magni Doctoris suppositâ, videtur mihi Sanctam Viduam voluisse hoc modo declarare suam indigentiam. Quasi diceret: Serue Dei extremâ iam laboro necessitate, & quia iuuencula sum, (sic enim ex Sacro Textu colligitur) non cessat Dæmon mihi suggerere media, quibus necessitati domesticæ succurram, & mihi & filio meo subueniã. Verùm antequàm ego Deum offendam, potiùs in hac cruce moriar, potiùs moriendum, quàm peccãdum. Insigne documentum omnibus pauperibus maximè honestis apprimè necessarium, vt sciant & cognoscant se propter necessitatem, non esse solutas ab obligationis vinculo, sed tunc maximè earum virtutem eminere, & excellentiorem reddi.

Ouidius lib. 5. tristium. Elegia 6. *Si nihil infesti durus vidisset Vlysses*
*Penelope fœlix sed sine laude foret.*

9. Ponderate nũc mercedem Prophetæ: ô Domina, inquit, fac placentulam illam mihi, & adferas, & per Deum tibi iuro, & promitto in verbo eius &c. *Hæc autem dicit Dominus Deus Israël, hydria farinæ non deficiet, nec lecytus olei minuetur, vsque ad diem, quo Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Credidit mulier & cum tanta certitudine, vt illicò petitioni Prophetæ satisfecerit. Et hoc facto impetrauit beneficium illud, ne vmquam deficeret in domo eius farina vel oleum, præmium fuit illud non solùm charitatis quam Prophetæ exhibuit, sed etiam remuneratio raræ ipsius patientiæ, viuæ fidei, & constantis animi, quo paupertatem illam & extremam egestatem, vt maluerit potius fame perire quàm aliquid indignum animæ iustæ, Deo famulanti admittere. Totum hoc compendio dixit Chrysostomus: *Neque vidua victu potuit indigere, quæ nefarijs in scelere numquam potuit consentire. Neque in eam famis potuit dominari sententia, quam iniquorum prouocauerat causa, vt diuersa merita discerneret, & iustitia in necessitatibus non egeret.* Chrysost. serm. 2. Eliam.

10. Bella sunt hæc exempla, & digna, quæ omnes fideles imitentur præsertim illi, qui bonis fortunæ & maiori penuriâ laborant, quia, vt diximus; illi magis aggressibus & tentationibus dæmonis sunt expositi, & mille infortuniorum periculis proximi. Verùm in hoc probata eorum virtus eminebit, & excellentia Christianæ pietatis comprobabitur: vt potiùs sanitatis, immò etiam vitæ corporalis malint iacturam facere, quàm Deum super omnia diligendum, mortaliter offendere. Quadrat hisce dictis per accommodationem, id quod alibi Patriarchæ Iacob accidit, (& nos ad aliud propositum examinauimus) quando filij eius regressi sunt ex Ægypto, cũ panibus quos emerant, occasione famis, quam per totam patriam patiebantur. Seriem omnium quæ eis acciderant ad amussim Sancto Seni enarrarunt, quòd Gubernator eos per triduum carcerali custodiæ mancipauerat tamquam suspectos exploratores; & quòd Simeon remansarat obses, donec adducerent secum iuniorem fratrẽ suum Benjamin; quia ita sponderant, sub pœnâ quod si absque illo redirent, haberet ipsos tamquam exploratores, eosque vt tales castigaret. Porrò si sincerè agerent, fratremque secum adducerent, captiuum dimitteret, eosque beneficijs munificentissimè cumularet, possentq; postmodum securi, panes, cæteraque necessaria coëmere. *Fratrem vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quod non sitis exploratores, & istum, qui tenetur in vincu-* Olea... super ... Genes... Gen. 42. 11

*vinculis recipere poſſitis, ac deinde, quæ vultis, emendi habeatis licentiam.* Cuncta per ordinem audiuit Senex, at quoad abductionem Benjamini non conſenſit, immò ne de hoc amplius hiſcerent nullatenus conſenſurus præcepit. *Non deſcendet filius meus vobiſcum.* Admiratur Doctiſſimus noſter Oleaſter, firmum & conſtans Iacobi propoſitum. Nónne Sancte Patriarcha vides neceſſitatem famis quam tu cæterique omnes generatim patiuntur, & mediâ cõficiuntur? Nónne ſcis prouiſionem annonæ, quam filij tui hac vice ex Ægypto retulerunt, quatuor diebus conſumendam; & quòd vbi plures ſunt buccæ comedentes multò eſſe opus pane? Ac proindè neceſſarium eſt redire in Ægyptum ad quærendum neceſſaria victus? Nónne proſpicis incommoda, quibus te exponis, quæ euitare potes filium mittendo? quî ergo dicis quòd nullatenus filius tuus eos comitabitur? Ignoſcito mihi Sanctè Senex, quia à veritate aberrare videris in propoſito tibi conſilio. Attamen excuſat Sanctum Senem Oleaſter hiſce verbis: *Aduerte mirabilem amoris vim, vt potiùs amans permittat ſe mori, quàm ab amato diuelli.* (Oleaſter ſuper c. 3. Geneſeos) Impetus amoris diuiſionem & ſeparationem amantis ab amato impediebat. Veniat, quod voluerit, omnia ſuſque, deque commoueantur & turbentur. *Non deſcendet filius meus vobiſcum.*

II. Nunc igitur hũc formo diſcurſum: Si tantæ ſint vires amoris, quo vna creatura alteram diligit, vt malit mori, & eligere mortis periculum potius quam ab illâ diuelli, & eius orbari commercio, quantò melius omnes illæ vires amoris à creaturis impenderentur in amando Deo, quem tot titulis ſuper omnia diligere fas & equum eſt? Ad hanc conſiderationem recolendã cuncti fideles adſtringuntur, dum tanta tamque extrema imminuerit neceſſitas, vt panis eis deficiat neceſſarium vitæ humanæ ſubſidium, & humani generis aduerſarius eos tentauerit potius pati famem, quam peccare, potius mortem oppetere quàm ſeparationem à Deo admittere & eius gratiâ deſtitui. Confidite Deo, quemadmodum enim non defuit, qui etiam ameſcentem iuxta torrentem Carith paſceret, & Danielem in lacu Leonum, & Filios Iſraël in deſerto mannâ cibaret, & viduæ ſareptanæ farinam & oleum ſuppeditaret, ſic non deerit vobis, neque victus neque amictus, & ſi vobis homines ea negauerint Angeli è cœlis vobis, ſicut Chriſto, ſubminiſtrabunt.

---

### *Accedens tentator.*

### CONSIDERATIO IV.

*Ad Tentandum Chriſtum humanam induit formam, vt nos doceamur, quod reperiantur homines, qui in hoc officio certant, imo & ſuperant ipſum dæmonem.*

QVæſtio eſt ſatis implexa & valdè controuerſa inter expoſitores ſacros, an dæmon Chriſtum Dominum, antea dum matri cohabitaret in Nazareth alijs vicibus tentauerit, vel an hæc tentatio fuerit omnium prima? Sequor modò opinionem dicentium Dæmonem repetitis vicibus ante hac Chriſtum tentationibus ſuis impetijſſe; hac tamen differentiâ, quod aliæ tẽtationes factæ fuerint in formâ inuiſibili; hęc verò aperto marte fuit in formâ viſibili & humanâ. Ita ſentit Druthmarus: *Poſtquam Dominus iuuenis fa-* I. (Druthmarus in Matth.)

*ctus est,adstitit illi diabolus tentando, sicut & reliquos homines,sed nunc id est in deserto, instauratis armis fortius bellum aggressus est, sicut tradunt Doctores.* Et confirmatur hæc doctrina,ex illâ Pauli ad Hebræos:*Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia absque peccato.* Ex quâ colligitur non fuisse malum,ad quod luzbel,id est,dæmon non tentauerit Saluatorem, iuxta Diui Augustini sententiam.At verò premo ego, quod dæmon imbellis nequiens Christum vincere in forma inuisibili,induerit formam visibilem hominis existimans hac laruâ se consecuturum quod irrito conatu toties se obtenturum sperauerat; itaque personauit sese dæmon & humanam induit formam,sub cuius velamine certiorem sibi pollicebatur victoriam à Christo, & iure merito,quia dexteriores & agiliores tentatores sunt homines, quam ipsemet Sathan.

*Ad Hebræos 4.*

2. *Deus fecit hominē inexterminabilem,* inquit Spiritus Sanctus per os & calamum Sapientis,eratque adeo inexpugnabilis,vt neque interius neque exterius quidpiam haberet timendum, quin imo homo erat prodigium, & terror inferni tentauit lucifer actu & dolo consequi,quod viribus iudicabat impossibile.Hanc machinationem non solum intentauit primo homini, sed quodam modo etiam ipsi Deo volens certare & competere cum sapientiâ Dei infinitâ,itaque velauit se,& serpentis induit formam, vt ex his insidijs occultè animam primi hominis, quæ fuit prima mulier,aggrederetur, & sic ambos è statu primeuæ felicitatis & innocentiæ deijceret, & exterminaret. Personatus igitur & velatus astum mētis opere compleuit, intentum consequens finem, & hominem ad extremam exitij miseriam & erumnam deturbans. Totus hic discursus est Sancti Cyrilli: *Non quiescebat illa prophana bestia,peccati inuentor,otiosus esse nolebat circa hominem, sed dolo & posturis latenter inuertit,& vsus versutiæ organo, mulierem inobedientem fecit, & mulier hominem.* Nulla iucunda dies Sathanæ sed irrequietâ mēte reuoluebat dolos, quibus hominem è statu innocentiæ exturbaret,neque audens illi apertum indicere bellum,aut in publicam cum illo congredi arenam; quia homo illo superior erat, vsus est latenti dolo, mulierem decipere molitur, eamque faciens inobedientem, Adamum prostrauit.Itaque quod dæmon solus nequiuit associatus effecit.

*Sap. 2.*

3. Dexterrimè & magno ingenij acumine ponderat Diuus Gregorius Magnus certamina & victorias Iob,& dicit, quod deficientibus armis Sathanæ quibus Iobum expugnaret, & industriâ reseruauit ad finem tanquam fortissimum tormentum bellicum, mulierem, quam Sanctus Scalam appellat.*Scalam, qua ad cor viri ascendere potuisset.* Erat cor hominis tamquam firmissima rupes,& turris inaccessibilis, quæ nullâ famæ enecari aut subiugari poterat. Dicebat igitur Sathan apud semetipsum.Estne possibile,quod,quem bonis omnibus spoliaui, non potero & patientiâ destituere? Cuius segetes concremaui,non potero eiusdem animum cholerico incendere igne? Cuius domos funditus destruxi,& filios occidi, non potero eiusdem animi constantiâ labefactare?Detur insultus,sitque Scala adeo approximata vt est mulier homini, quâ pateat accessus & ingressus sicque inexpugnabilis exterminetur. Rarum & insigne fortitudinis inuictæ miraculum,quia tali astu & persuasione non fuit deuictus; & maximè si dæmon

*D. Greg. lib. 3. Moral. c. 6.*

mon

mon induerat formam mulieris & vxoris illius, quemadmodum hodie in forma hominis, iuxta aliquorum sententiam, ad minus vt Chrysostomus dicit, à dæmone possessa accessit ad Iobum: *Diabolum Iob cognoscebat, qui in serpente fuerat locutus, & nunc in muliere loquente.* Res mira? quod vna mulier à dæmone possessa seu obsessa, adeo domestica, illum non decipiat neque peruertat & hostis tam parum efficere possit solus, quam associatus muliere.

Chrysost. hic.

4. Insignis conceptus occurrit mihi in hoc loco Sãcti Gregorij Nysseni. Enucleat Sanctus Doctor constantiam Iosephi in vehementissimâ illâ tentatione, quâ dominæ suæ ad libidinẽ prouocanti restitit: *Dormi mecum,* renuit Generosus Adolescẽs, arripit illa pallium. *Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Dum altiùs considero hanc Heroicam Iosephi actionem, inquit Sanctus, mente totus attonitus suspendor, quia quem exitum habere possit, talis dimissio pallij penitus ignoro, & dimissione pallij occasionem præbere falsi testimonij? Non intelligo. Tam exilis, & deiecti animi erat adolescens in ipso flore iuuẽtutis suæ? Tam imbelles vires in ipsâ bullientis sanguinis, ætate & vigore? Quod à fœmineâ fragilitate, se superari & euinci sinat? Non capio. Quantò magis, cùm sit muliercula peccatrix erit absque dubio meticulosa, quia semper arcto cognationis vinculo coniuncta fuerũt peccatum & formido seu pauor; ac proinde cùm sit mulier lasciua, erit bis mulier, & ipsa fragilitas, & licet paruâ seu tantillâ violentiâ pallium suum retrahat, facilè ex manibus eius euellet. Audite responsum Auctore suo dignum. *Paratus stabat Diabolus adulterij pronubus, & simul cum fornicatrice stringebat vestem, & socius erat ansarum, quas ipsa apprehendebat.* Si certamen fuisset singulare inter solum hominem & mulierem, vel vt melius dicam, inter dæmonem & hominem facilè fuisset Iosepho vincere & prosternere hostem, sed tres erant præliatores fortissimi, licet externè solus vnus appareret, videlicet mulier seu vxor Puthifaris, porrò dæmon pugnabat in illa, eique propter lucrum suum in omnibus socias addebat vires, Dæmonem vero adiunctum mulieri & luxuriæ etiam fortissimus gigas formidare & timere debet. Si Solus Dæmon cum Iosepho manus conseruisset facilius victor euasisset. Verùm personatus in muliere eiusque formâ indutus factus adulterij pronubus, omnibus valde timendus est & formidandus, atque ita consultissimè fugit Ioseph quia in solâ fugâ huius certaminis victoria consistit: non se aperto marte, neque facie ad faciem prælio & periculo exponat contra hostem omnibus numeris potentissimum, quia difficillima & incertæ aleæ plenissima erit victoria.

Genes.

D. Greg. Nyssen. orat. de fuga fornicat. in illud Apostoli. Fugite &c.

5. Probè nouit hanc veritatem Regius Propheta, secundùm postulationem quam Deo in psalmo exhibuit dicens: *Saluum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me, ne quando rapiat vt leo animam meam* Domine Deus, spes mea, & vnicum refugium meum libera me ab omnibus inimicis meis, ne me rapiat, & non sit qui eripiat. Notauit hunc loquendi modum doctissimus Nouatrinus: *A pluribus persequentibus, ad vnum transit.* Si plures timet hostes se infestantes, quî omnes reducit ad vnum, rogatque Dominum vt liberet animam eius ab ore & vnguibus Leonis? Leo est dæmon: *Tamquam Leo rugiens,* plures verò persecutores sunt coadiutores eius, quorum operâ in difficilioribus aggressibus vti, & præsidio

Psal. 7.

Nouarrinus in adag. excurs. 157.

1. Petr. 5.

sidio muniri solet: scilicet mundi vanitate,& carnis illecebris,& quia Dauid eum solum non tantopore reformidabat quam bene sociorum auxilio adiutum, ideo rogat Deum, vt animam eius à Leonis ferociâ seruet illesam & incolumem, prȩsertim quando turmis suis instructus accesserit, quia tunc solent impetus illius esse terribiliores & tentationes vehementiores.

6. Quam egregiè correspondet huic loco, alius ex Psalmo secundo eius Regij Psaltis. *Astiterũt Reges terræ, & Principes conuenerũt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius.* Notate hæc verba: *Principes conuenerunt in vnum.* Post maturam deliberationem, & pluribus consilijs vltro citroque habitis conspirarunt vnanimes, vt bellum indicerent maximo Deo, & Filio eius Saluatore nostro. Diuus Ioãnes Chrysostomns obseruat verba illa *Reges terræ.* In numero plurali apposita, & indagat de quibusnam Dauid hîc sermonem instituat? & respondet, quod de Regibus loquatur, qui vnanimi odio contra Redemptorem nostrum insurrexerunt. Et hi quotnam fuerunt? Fuit solus Herodes, quia tunc nullus alius Hierosolymis morabatur; quî ergo plures cõmemorat, cùm solus vnus adfuerit? *Numquid Herodes Reges?* Et quamuis etiam Pilatum hoc titulo nominemus, eadem semper remanet difficultas circa pluralitatem: *Principes, Numquid Pilatus Principes?* quia Pilatus non erat plusquam vnus. Dicam ego, inquit aureum Chrysostomi os. *Cùm Rege Herode peccati quoque Regem Diabolum ostenderunt, & cum Principe Pilato dæmonũ potestates.* Certissimum quidem est, tũc vnicum adfuisse Principem, & vnicum Monarcham, sed horum operâ & auxilio vsæ sunt infernæ legiones, vt iniquam Saluatoris nostri mortem executioni mandarent, quia ipsæ solæ tam horrendum crimen, & abominandum scelus exequi & perficere non poterant, ideòque dicit, Principes & Reges in vnum facinus conspirasse, quia Principes inferni, opem Principum terræ implorarunt, vt auctorem vitæ morti traderent & interficerent. *Astiterunt Reges terræ.*

*Psal. 2.*

*D. Chrysostom. in Psalm. 2.*

Excellentissima simul & elegantissima est Diui Ambrosij meditatio, in quâ confert vnum textum Euangelij, cum alio quem sacer Euangelista Lucas in quarto capitulo, suæ historiæ commemorat. Secunda tentatio, quâ dæmon Christum impetijt fuit, quãdo ei persuadere conabatur, vt titulo filij Dei, cui Angelici ministrant Spiritus, se deorsum mitteret è vertice & fastigio Templi. & quòd eum Angeli humili obsequio & debito cultu cadentem exciperent. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent &c.* Sistite hic, amabo, & redeamus paulisper ad eundem S. Lucam, & referet nobis quomodò Iudæi in quadam occasione in tantam proruperunt audaciam vt duxerint Saluatorem nostrum ad supercilium & verticem montis altissimi, & conati fuerint eum manibus proprijs præcipitem dare. *Et duxerunt eum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum.* Pergite iterum & redite mecum ad S. Ambrosium, cuius responsum & meditationem audire aueo. *O peior Magistro discipulorum hæreditas! ille verbo dominum tentat, hi facto: ille dicit: mitte te deorsum: isti adoriuntur vt mittant,* sollicitauit quidem Dæmon ruinam & casum Christi sed simulatâ & apparente veneratione, discipuli verò nedum sollicitant, sed etiam ipsimet intentant lapsum & præcipitium. Dæmon se meticulo- 7.

*Lucæ 4.*

*D. Ambr. hic*

ticulosum ostendit, simul & vrbanum & comem, discipuli verò se audaces, impudentes & perfrictè frontis ostentant. Et si mihi replicaueritis quòd etiam in deserto ibat comitum catervâ stipatus; respondebo, quòd corpus ibidem assumptum licet hominis non fuerit verum & reale, sed phantasticum solummodò & apparens, vel dicam quod quia ibi solus erat humanâ formâ indutus, tantæ impietatis scelus adoriri non præsumpsit. Verùm hîc, quia plures aderant discipuli eorum præsidio confortatus, deposito metu, & amisso pudore, & verecundiâ applicuit manus operi, quantumuis difficillima ei videretur prouincia quam ambiebat.

8. Finiamus & concludamus hunc discursum, cùm curiosâ quadam Doctissimi nostri Hugonis obseruatione, in quâ comparat primam tentationem; huius Euangelij cum alterâ quam refert idem Euangelista Matthæus in capite 27. & notat, quòd Diabolus nequaquam potuerit Christum inducere, vt lapides quos offerebat in panes cõuerteret, quo miraculo diuinitatem suam & filiationem æternam testatam comprobaret. Verba autem quibus fallaciam & propositum suum detexit, hæc fuerunt: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Eandem loquendi formam in secundâ tentatione, quam retulimus, obseruauit. Remansit Dæmon confusus & irrito conatu, spe & desiderio frustratus disparuit. Equidẽ in aliam commodiorem occasionem tentationis impetum reseruauit: Videlicet in tempus illud, quo Saluator noster pendens in arbore crucis, à prætereuntibus Pontificibus, Scribis, cæterisque Iudæis blasphemabatur, conuitijs, & venenatis linguarum spiculis lacessebatur & vulnerabatur, dicebant

Matt. 27.

enim ei: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Hoc idiòma notum est inquit Hugo, quia illo Dæmon in deserto vsus & locutus est, quando ei persuadere studebat, vt lapides panes fierẽt, & se præcipitem daret, quis igitur hos pessimos nequam hoc idioma edocuit? quísve hæc sacrilega verba illis dictauit? quis? ille, qui proprio ore illa pronuntiauit, videlicet Magister eorum Diabolus. *Eadem verba quæ Diabolus in deserto, Christo dixit: Si filius Dei es, tentans illum, dicit nunc per ora blasphemantium, si fortè illum à patientiâ deturbare posses.* Meliorem sibi fortunam spondebat dæmon, suffultus auxilio suorũ, quàm minus fauentem sibi, in deserto fuerat expertus, quia licet ibi humanam induisset formam quâ fælicius tentari officio fungeretur, cùm non esset nisi forma apparens, res non successit ad votum; ideòque nunc subsidium externum quærit, vt intentam consummet actionem: & idcircò eisdem verbis, quibus Christum tentauit in deserto, ad eum vincendum, eisdẽ eum in cruce pendentem adoritur, per ora istorum blasphemantium, tentans eum secundâ vice funditus euertere. Etsi dicere liceat, eius labefactare constantiam, destruere heroicam patientiam, quâ ignominiosum illud tormentum æquissimo animo tolerabat. Hæc dicta nos edocent & instruunt, quàm timendus & formidandus sit aduersarius animarum, & salutis nostræ, dum Societate hominum sibi coniunctorum stipatus in nos irruit, quia hodie in solâ apparentiâ humanâ totam spem victoriæ suæ contra Christum Saluatorem nostram, collocauit & constituit. *Accedens tentator &c.*

Hugo Cardin. hîc.

Si fi-

*Si filius Dei es.*

CONSIDERATIO V.

*Generosa nobilitas sanguinis maiores inducit obligationes, ideoq; minùs astutum se ostendit inimicus, dicens Christo cuius filius erat, ad persuadendum ei quod volebat.*

1. OCCASIONEM huius Cõsiderationis suggessit mihi Doctissimus Archiepiscopus Bulchariensis Theophylactus, ponderans dæmonem per suos ministros tentasse Christum, vt descenderet de cruce, cui affixus hærebat, vt illi crederent: & notat eisdem vsum fuisse verbis, quibus petijt vt lapides panes fierent. *Si filius Dei es, descende de cruce.* Et aduertit prædictus Doctor Christum crucifixum noluisse descendere de cruce, ne petitioni Tentatoris condescenderet. Egregia sunt eius verba: *Diabolus submittebat dicentes: Si filius Dei es, descende de cruce; interent salus omnium, quæ est per crucem, at Christus, quia filius est Dei, non obediuit inimico.* Errauit profectò Dæmon tam subdolis vtens medijs, quia eo ipso quod Saluator esset filius Dei, noluit votis inimici obtemperare. Variè possunt hæc verba declarari, verùm ego ad sensum considerationis nostræ eadem interpretor, videlicet, quod honor prudentibus & ingenuis debeat esse frenum, ne quid indignum suis personis admittant, quod enim quis bonorum sit parentum, & illustrioris prosapiæ, hoc ipsi debet esse excitamentum, & calcar ne muneri & obligationi suæ desit, & in omnibus generosæ sanguinis nobilitati correspondeat.

Matth. 27.

Theophil. hic.

2. Exhibet nobis Spiritus Sanctus Ammonem filium Dauidis, principem formosissimum, pollentem animo & viribus; prostratum, attenuatum animo, & robore destitutum, quem pertransiens nobilis quidam Ionadab nomine, cognatus eius, vidensque eum deiectum animo, absque solitâ animositate, admirabũdus in hæc prorumpit verba: *Quare sic attenuaris macie, fili Regis?* quis te Adeo exanimatum, prostrauit? vt videaris iam iam moriturus? Dicito mihi, amabo, ne mihi secretum malum occultes. Amore langueo, replicat Ammon, sororem meam Thamarem diligo, & sola enormitas & magnitudo delicti me suspensus detinet & deterret. Apage, inquit Ionadab quis filium Regis detinebit aut impediet? Fac quod amor suadet, & illicò te votorum compotem experieris. Carpo rationem in quâ peruersus ille amicus tam exitiale fundauit consilium, in solâ nobilitate & regiâ stirpe Ammonis. Anne filius Regis permittet se occidi habens tam præsens remedium mali ad manum? forsan hic Ionadab non minùs timore Dei, quàm sapientiâ destitutus erat, si enim timoratæ fuisset conscientiæ, & prudentiâ præditus, contrarium consuluisset: vt scilicet potius mori maluisset quam crimẽ tam nefandum perpetrare. Nullum hactenus inueni Interpretem, qui hunc locum ita explicauerit, ac proinde humaniorum litterarum testimonijs statui, hanc Considerationem stabilire.

2. Reg. 13.

Plutarch de Dionysio.

3. Introducit Seneca alium Senecam patruum suum (quem ad differentiam alterius Philosophum indigitat) loquentem Neroni, in hæc verba: *Hoc plus verere; quod licet, tantum tibi id facere laus est, quod decet, non quod licet.* Id est, vt timeret propriam potentiam, quia non debet quis totum velle, quod potest,

Seneca in Octauia.

potest, sed ad solum licitum debet se extendere potentia principis, & si hos limites excesserit, infœlix illa potentia, quæ illos transgredi præsumpserit. Perperam nouerat hoc potestatis impedimentum Ionadab, qui hoc pessimum consilium Ammoni suggessit, neque minor malitia Ammonis qui peruerso consultori acquiescens, consilium eius executioni mandauit. Simillimus mihi videtur hic filius alterius Regis Dionysij filius qui sibi persuaserat quòd ex potestate, licentiosè & pro arbitrio suo adulterandi, redderet licitum ipsum adulterium: redarguit eum Pater audaciæ, inquit Plutarchus, & interrogauit? Stultè, à quo tam effrænam peccandi licentiam didicist.? Anne forsan vmquam mea tam incomposita & insolens fuit iuuenilis ætas? Fateor, replicat filius, numquam tanto libidinis æstu veneri seruisti, sed etiam verissimum est, quod tu non, quemadmodum ego, sis filius Regis. *Non habebas patrem Regem*; & ex regio semine & stemmate esse natum tantum audaciæ tribuit & animosæ præsumptionis. Quòd Princeps Gentilis toto aberret cœlo, non magnopere admiror, sed magnum mihi foret scandalum, quòd fideles fide instructi in similem prolaberentur dementiam, qui tot præsidijs muniti & auxilijs Dei adiuti, suam possunt operari salutem: lumen enim fidei illos illustrat, & ad veritatis perfectam agnitionem adducit, vt sic tandem id quod rationi & vitæ Christianæ consonum, & ingenuæ nobilitati cōdecens est peragāt, vt obligationi suæ satisfaciant, & vt generosa maiorum suorum nobilitas, (quam tanti æstimant) calcar & animos naturali desiderio & inclinationi ad virtutem addat: quia ipsamet generositas agnata nobilitati, quemadmodum appetit excellētiam, ita etiam adspirat ad virtutis perfectionem. At vehementer vereor, ne corrupta & vitiata nostra indoles, eâ abutatur, & in fomentum vitiorum commutet, ita vt hisce calamitosis temporibus id quod virtutem deberet extollere, eam inficiat & deprimat.

2.Reg.13. Plutarch. de Dionysio.

4. Si quis attentius perpenderit Psalmum quartum Dauidis, existimabit illum cunctos homines carpere, & indiscriminatim omnes pertinaciæ & vanitatis condemnare; hoc enim sonant notissima illa verba: *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Porrò legat curiosus Textum Hebræum, & quærat in illo sensum litteralem, & deprehendet solos nobiles huic correctioni & Dauidicæ exhortationi ansam & occasionem præbuisse; legit enim in hunc modum: *Filij inclyti, filij nobiles vsquequo graui corde?* Ad vos solos, ô nobiles sermones meos dirigo, qui vanâ præsumptione iactabundi originem vestram ad Gothorum stemmata reductis, eaque gloriantes ostentatis. Quid ita? solis illis loquitur Regius Propheta? Quærit Sanctus Augustinus, & ipsemet nomine regij Vatis respondet. *Quia vos estis graui corde, id est, terrenalium bonorum amore detinemini.* Cùm vos iuxta æquitatem deberetis esse optimi, estis pessimi. Nobilitas vestra vos præcipitat, & quam freni officio seruire oportebat, calcar est & stimulus vos mendacia prouocans, & ad illicitas vanitates sollicitans: *Filij inclyti vsquequo graui corde.* Ac si diceret: Pudeat vos à virtute maiorum vestrorum degenerasse, ipsorum bona fama & opinio est vestræ insolentiæ testimonium, & peruersæ vestræ vitæ accusatrix. Signum promeritæ pœnæ, quod perditos ve-

Psal. 4. Lect. Heb. D. Aug. hic.

stros viuendi mores redarguit & condemnat.

5. Si cum maioribus obligationibus prognati fuissent, numquam illos Dauid tam seuerâ perstrinxisset deprehensione, neque eorum delicta tanto reatui fuissent obnoxia, cùm certum sit vilitatem & abiectionem progenitorum; ipsis etiam posteris transfundere & communicare, inclinationem & propensionem quandam ad probrosa quædam & abiecta crimina; ac proinde medium est commodissimum, & dimidiâ ex parte iter peractum, vt à dæmone superentur & prosternãtur. De Iosepho refert sacer Textus, quod Patri suo reuelauerit & detexerit, enorme crimen & pessimum scelus quod
Gen.37. fratres sui perpetrarant: *Accusauitq; fratres crimine pessimo.* Acutissimus Caietanus noster constanter affirmat, Iosephum non omnes promiscuè accusasse fratres suos, sed solos ex ancillis progenitos. Fundamentum autem sententiæ Caietani, hoc est, quòd cum Sacer Historicus enarrasset Iosephum adfuisse filijs Balæ & Celphæ, quæ erãt nomina ancillarum, *& erat cum filijs Balæ & Celphæ.* Mox subiunxit: *Accusauitq; fratres suos apud Patrem crimine pessimo.* Notanda verò sunt verba Caietani, quia pulchra. *Et scitur quod non omnes fratres, sed filij tantùm concubinarum delati sunt; propterea enim Moyses versatum Ioseph inter illos narrat.* Videtur mihi hæc sententia probabilior, tum propter eius fundamentum, tum etiam propter auctoritatẽ sui Auctoris. Verùm illicò sese offert ratio dubitãdi, quare Ioseph potiùs hos, quàm alios fratres suos accusauerit apud Patrem? Dicant alij, quod sentiunt; meâ quidem sententiâ illos redarguit, quos peccati reos iudicauit, erantque illi, soli ancillarum filij: Et meritò quidem, quia soli illi, qui ex tam vili sanguine & abiecto stemmate oriundi erant, tam enorme crimen admittere poterant, cæteri verò fratres, quos nobilitas sanguinis animabat, tam execrandum scelus nullatenus erant perpetraturi, quemadmodum Sacra Scriptura enarrat.

Caietan. hic.

In Maledico illo blasphemo, quem Moyses publicè præcepit plecti & puniri, vt in Leuitico refertur, ponderandũ est, quod eodem tẽpore, quo meminit eius peccati, legat etiam generationem eius, & recenseat parentes eius, quod nempe pater eius erat Ægyptius, mater verò Israëlitica sed ex tribu Dan. *Filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio.* Et paulò pòst sub parẽthesi, *Vocabatur autem mater eius Salumith filia Dabri, de Tribu Dan.* Admirabilis obseruatio Spiritus Sancti iuxta doctrinam Sacrorum Interpretum. Attendite & audite ad propositum nostrum pulchrè, vti solet, Oleastrum nostrum differentem. *Dicit autem textus eum fuisse filium Ægyptij, vt ostendat eum ideo blasphemasse, quia filius gentilis erat qui non ita vt Israëlita Domino afficiebatur.* Voluit Moyses totam causam, & originem tam execrandæ impietatis reducere ad improbitatem parentis; quasi diceret: Si quam hic excusationem delicti habet, est eius vilis & abiecta progenies; quia pater ipsius erat Idololatra, & mater eius quantumuis Israëlitidis, erat tamen ex Tribu Dan in sacris litteris tam malâ notâ commendata; & ex tali arbore, talis fructus sperabatur, cùm enim natalium ei deessent obligationes, quarum rationem haberet, facilè potuit Dæmon eum deijcere & prosternere. 6.

Leuit.24. Oleast. hic.

Ex dictis euidenter colligitur, quod defectus nobilitatis, & humilitas natalium sit circumstantia quodammodò 7.

dimi-

diminuens grauitatem culpæ;Econtrà verò infertur illuſtrem parentum nobilitatẽ debere filijs imprimere quamdam animi generoſitatem ad non degenerandum, neque aliquid tam preclaro ſtemmate indignum, committendum.

*Iudic. 2.*

*Mortuus eſt Ioſue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum.* Ita loquitur Sacer Textus de feliciſſimo tranſitu, inuictiſſimis Ducis filiorum Iſraël. Si ſtudioſiores peruoluerint Biblia Verſionũ, reperient Verſionem Septuaginta Interpretum ſic habere:

*Septuaginta hîc.*

*Mortuus eſt Ieſus filius Nun, ſeruus Domini, filius centum decem annorum.* Peregrinus deſcribendi modus mortem tam inclyti & glorioſi principis, quia communis ſtylus referendi obitum alicuius eſt, vt dicatur, talis tot annorum erat, & mortuus eſt, ſed quis vmquam audiuit dici, talis obijt filius tot annorum? Abſque dubio hæc verborum tranſpoſitio ſacramentum aliquod abſconditum continet. Verùm detexit illud magnus Eccleſiæ Doctor Sanctus Auguſtinus.

*D. Aug. lib. 6. de locution. Iudaic.*

*Iſta repetitio, quod cum dixiſſet filius Nauæ, repetiuit filius, & deinde addidit centum & decem annorum, inuſitata eſt, vt potiùs diceret filius centum annorum quàm homo centum annorum.* Premo verba Sancti Doctoris, quod diligentius notet Sanctus, illum non dicere hominẽ, ſed filium centum annorum, quod in ſingularem laudem & maximum Ioſue encomium redundat. Id eſt, quod per omne tempus vitæ ſuæ, puer, adoleſcens, vir grandæuus, & ſenex, ſemper verè fuerit filius patris ſui, numquã degenerans ab eius probitate, ſed per omnia virtutes eius in ſe exprimens, & veſtigijs eius quam accuratiſſimè inhærens. O quàm neceſſaria doctrina omnibus fidelibus, & Dei filijs, & ſingulariter ipſis nobilibus, qui potiori titulo illã ſequi tenentur, ſemper præ oculis habentes filiationem ſuam & nobilitatem, ne vmquam tentationibus aut ſuggeſtionibus diaboli ſuccumbant, ſed ſemper ad maiora virtutum incrementa inceſſanti ſtudio adſpirare conentur.

8. Tamquam baſim & lapidem fundamentalem ſuæ Euangelicæ demonſtrationis poſuit Dilectiſſimus Euangeliſta Sanctus Ioannes, quod Dominus in nuptijs Canæ Galilææ aquam in vinum conuerterit. *Hoc fuit initium ſignorum Ieſus &c. & crediderunt in eum diſcipuli eius.*

*Ioan. 2.*

Maximum fuit hoc opus, & neceſſarium ad diſcipulorum fidem confirmandam, per quod agnouerunt diſcipuli Chriſtum eſſe Auctorem naturæ, qui cuncta ad nutum & pro arbitrio ſuo operatur. Pulchrè obſeruat Sanctus Petrus Chryſologus Euangeliſtam dicere hoc fuiſſe primum miraculum, quod Chriſtus poſt baptiſmum patrauit.

*D. Petrus Chryſol. ſerm. 160.*

Et quamobrem Saluator noſter poſt baptiſma nulla alia fecit admiranda miracula? Alij alias dabunt rationes, ſed perplacet Diui Chryſologi meditatio, inſtituto noſtro accommodiſſima. *Hodie Chriſtus initium dat ſignorum celeſtium, dum conuertit aquas in vinum, vt quem pater voce filium iam probat, ipſe ſe Deum virtutibus approbaret.* Ante baptiſmum omnes Chriſtum fabri ſeu Ioſephi filium exiſtimabant. *Vt putabatur filius Ioſeph.*

*Luca 3.*

Et conſequenter tam humili, licet perperam intellecto, ortui ſeu natiuitati, non bene tam glorioſa & heroica acta quadrabant. Attamen poſtquam in Baptiſmate Pater eum filium declarauit. *Hic eſt filius meus dilectus* rationis æquitas poſtulabat, vt opera tanto patre digna filius patraret, ac proinde, aſſerit Chryſologus hæc miracula fuiſſe effectum paternæ proteſtationis, ideòque & filium à puncto temporis, quo ſe filium Dei accla-

acclamari audiuit, cœpit miraculosa opera adoriri ne à virtute tanti patris degenerare videretur.

9. Quando cælestis ille magister Christus Iesus salutaribus illis monitis imbuit discipulos suos, & in illis, omnes fideles, & instruxit eos in normâ orationis seruandâ, disposuit, vt in hunc Matth. 6. modum orarent. *Pater noster qui es in cœlis.* Audit hæc idem Sanctus Petrus Chrysologus, & affirmat, quod haud dubiè ad res arduas & difficiles omnes inuitemur, quia nos docet Christus vt oremus *Pater noster qui es in cœlis.* Nónne sufficeret inuocare Patrem qui est in terris, quia non minus est Deus in terris quam in cœlis, & tam est pater noster in cœlis quam in terris? Rectè videris dicere, inquit Sanctus Rauennas, quia vbique est Deus, & in omni loco possumus eius implorare auxilium & fauorem. Verùm non desiderat, neque vult Deus vt oremus sub hac formâ sed vt petamus secundum regulam ab ipso pręscriptam. Ecquid igitur Deus hocce modo intendit? quid? vt cùm Patrem cælestem nominamus & recordamur nos filios ipsius conemur totis viribus, omniq́ue studio rebus caducis & terrenis, ita valedicere & abrenuntiare vt toti cælestes efficiamur. Aurea verè sunt verba Sancti D. Petrus Chrysol. serm. 67. Archiepiscopi: *Hoc cum dicis, non sic habeas, quasi non sit in terris non sic accipias, quasi sit in loco clausus, qui claudit omnia, sed intellige esse tibi genus è cœlo, cuius Pater habetur in cœlo: & age vt viuēdo sanctè sancto respōdeas Patri.* Et concludit S. Doctor his verbis, quæ vtinam cordibus nostris impressa, & animabus nostris perpetuò insculpta hærerent. *Dei filium ille se probat, qui vitijs non obscuratur humanis, qui diuinis virtutibus illucescit.* Illi reuerà ad tantum perfectionis gradum pertingunt, qui numquam nobilitatis & dignitatis, quâ ad filiationem Dei sunt euecti, obliuiscũtur, sed fixo intuitu illam semper præ oculis circumferunt.

10. Antiquissimus fuit mos & consuetudo nobilium, vt in numismate seu annulo aliquo imaginem patris sui insculptam deferrent; Et forsitã ista erat Bulla, quam refert Pierius filios Romanorum nobilium gestasse in collo, Pierius lib. 41. quæ nihil aliud erat, quàm numisma quoddam ad formam cordis confectum, cui imaginem Patris sui incisam seu insculptam gestabant: vt semper id ob oculos habentes tamquam pręsens, seipsos ad illius virtutes imitandum excitarent. Ideòque refert Valerius Maximus, quod cum Scipio ignobilis (ita dictus, quia tantoperè degenerauerat à virtute & nobilitate patris sui Africani) gestaret annulum in digito cui insculpta visebatur imago parentis sui, publico & vnanimi Senatus edicto fuit illo exutus, sub seuerâ prohibitione, ne deinceps imaginem illam deferret, qui tantùm parentem prauis & improbis vitæ moribus lacesserat & offenderat. Vult Deus vt nos gens sancta, & genus nobile, & regale, filij eius, inquam, per adoptionem, & qui pignora tot cælestia accepimus, vt continuò imaginem suam mentibus nostris impressam gestemus, idq́ue ad imitandum, & illam moribus & operibus in nobisipsis exprimendam: ne iniuriâ afficiamus imaginem illam, quam veluti nobilitatis nostræ insignia & gentilitia tanti æstimamus, quia absque omni prorsus dubio erit hoc medium efficacissimum ad omnes etiam quoscumque insultus, & aggressus hostis nostri propulsandos: Idcircò etiam parum astutus & industrius fuit in hac primâ suâ tentatione, dum ruinam & & lapsum parat Christo, obijciens ei lapi-

lapides vt eos in panes conuertat, eumque simul memorem reddit filiationis diuinæ. *Si filius Dei es &c.*

---

### *Dic vt lapides isti panes fiant.*

### CONSIDERATIO VI.

*Ea ac tanta est Tyrannis Diaboli, vt non solùm exigat ab hominibus gratuitum obsequium sine stipendio, sed etiam vt seruientes illi pensum persoluant, & mercedem rependant.*

1. SI dæmon Christo Saluatori nostro obtulisset panes, vel quoduis aliud ciborum genus, quo potuisset succurrere aut mederi necessitati suæ, & post hæc illum rogasset vt comederet, non se adeo inhumanū & inciuilem ostendisset, quia si ei persuadebat vt manducaret, dabat ei cibos quibus esuriem depelleret, at verò quòd inimicus velit, vt comedat Christus, & vt ipsemet ex lapidibus faciat panes, & proprijs impensis ei obediat, intolerabilis & execranda est tyrannis; sollicitat ille seruitia & obsequia nostra, & vult vt nos omnes faciamus expensas, & ex parte nostrâ ponamus materialia peccatorum, absque eo, quòd ipse aliquid ex parte suâ contribuat, ita vt seruitium sit suum, & sint labor & impensæ nostræ, neque etiam hoc modo deficiunt, qui illi seruiant & famulentur.

Ad hoc propositum ponderaui ego aliquando, quòd dum legati illi Regis Moabitarum accesserunt ad rogandum Prophetam Balaam, vt malediceret populo Dei: *Veni & maledic populo huic.* Dicit Sacra Scriptura quòd tulerunt secum pretium maledictionis:
Num. 22. *Habentes diuinationis pretium in manibus.* Ostenderūt flagrantissimam sitim, quâ homo vindictam iniuriarum suarum appetit; quia præter sudorem & laborem suum, etiam pecuniam offert. Si venissent ad petendam benedictionem, inquit Oleaster, vel nihil, vel parum illi soluissent, accedunt vt petant Oleaster hic.
maledictionem, & deferūt secum munera, & pecunias. Vtinam sic homines soluerent beneficia, sicut maleficia quantò meliùs soluitur patronus iniustæ causæ quàm iustæ. Hoc ipsum quotidie in hoc ærumnoso terrarum orbe experimur: Vadis vt Salutare aliquod consilium petas, & vix debitas agis gratias. Consulis Iurisperitum, & rogas vt iniustæ tuæ causæ patrocinetur, & optimè invngis ei manus. Non est, qui vnum argenteum nummum exponat pro Deo, pro mundo verò eiusque asseclis quotidie homines bonorum seu facultatum, immò etiam ipsius vitæ iacturam faciunt.

Rogant Israëlitæ Summum Sacerdotem Aaronem, vt in absentiâ fratris 2.
sui Moysis faciat eis Deos qui comitentur eos & præcedant vsque ad ingressum terræ Promissionis. Omni studio conabatur Aaron deprauatam eorum intentionem diuertere, ideòque petebat ab eis omnia cimelia & pretiosa quæque, vt ei in opus fabricandum adsportarent. *Tollite inaures aurium vestrarum, filiorumq; & filiarum vestrarum, & afferte ad me.* Adhuc verba faucibus hærebant, & iam promptâ obedientiâ roganti obtemperarāt. Exodi 32.
*Fecitq; populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Sumit hunc locum Oleaster, & disertissimè illum enucleat. *Si ab vxore, aut filiâ monile auferas ad bonum aliquod, vix totâ die fletum, & turbationem domus compescere poteris. Nunc verò tam facilè se pretiosis spoliari permittunt ad Idola. Vix Aaron verba finierat, quando iam omnia monilia & pretiosa* Oleast. hic.

*tiosa sua, ad eum adducunt. Clamat autem pauper per horam ad ostium, & vix frustū panis porrigere dignaris.* O quàm dolendum, quòd omnes simus parcissimi simul & auarissimi cum Deo, cum dæmone verò maximè prodigi & liberales. Tollunt mulieres Hebrææ inaures suas ad aureum vitulum conflandum, si verò ad bonum aliquod faciendum rogarentur, nulla quidpiam contribueret, & licet sit inextinguibilis sitis quâ inhiant in ea, quæ ad ornatum muliebrem conducunt, incomparabiliter tamen ardentior est sitis & concupiscentia quâ ad peccandum feruntur. Ecquis modò seipsum monilibus aut pretiosis cimelijs spoliabit vt pauperi, qui est Christi imago & figura, succurrat? Immò pro monumēto, seu altari & imagine Christi, ea ægrè & nisi animo reluctante concedere dignantur. Et quantâ prodigalitate homo perditus & veneris filius, togā donat mulieri lasciuæ, etiāsi sit byssina vel serica, etiā auro intexta. Porrò honestæ pauperi, ne quidem ex panno vel lino donatur. Inueterata indoles & passio filiorum Adæ, qui iamdudum assueti sunt semper perditionem animæ & salutis suæ cariori pretio sibi comparare & coëmere.

3. Quam viuam imaginem & repræsentationem huius veritatis habemus in penso illo laterum, quod impij exactores Ægypti extorquebant à filijs Israël, maximè impar humanis viribus, quodque si exactè dietim non persoluebant, vesperi vrticis & vepribus, notante Sancto Cyrillo, durissimè vapulabant, neque hic solus erat labor, inquit Sanctus Germanus ponderans illud quod sacer enarrat Textus: *Præcepit ergo in die illa Pharao præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant & colligant stipulas*: Superaddiderunt Ægyptij tyrannidem tyrannidi, labores laboribus, & mandarunt vt Israelitæ colligerent stipulas & stramina ad incendendum fornacem & coquendum lateres; res adeo noua & inaudita in mundo, vt nullus hactenus fuerit tyrannus, qui simile quid seruis & mancipijs suis præceperit: quia serui quidem sudorem & laborem suum impendunt operi, at quis vmquam adeo efferatus fuit, qui materialia ab illis exegerit? Pulchrè ad rem nostram respondet Sanctus Germanus, quod Pharao numquam talem crudelitatem imperasset nisi tyrannidem dæmonis adumbrare debuisset. *Ibi Pharao tyrannus erga Israëlem, hic Sathan indefessus hostis totius humanæ societatis: affligebantur ibi luto & opere lateritio Israëlitæ, & collectione palearum: hic pro rubrâ argillâ carnis suscipiunt carnes, & mundi amatores omnem laborem & operam; sed est etiam grauis exactor, & inexorabilis impulsor, vergens ad irrequieta tenebrarum opera, virtutum commeatum absumens & ad solam palearum collectionem nos impellit.* Symbolum fuit dæmonis impius Pharao, & tyrannica eius seruitus figura afflictionis, quam fideles animæ in seruitio tam crudelis inimici patiuntur, quia non sufficit ipsi quod captiuos & sibi famulantes grauet oneribus importabilibus, sub quibus gemant & deprimantur, neque contentus est eos tamquam canes verberet, sed super omnia pecunias exigit, præter commeatum virtutum, quem absumit, vult etiam eos paleis veluti bruta animantia esse contentos.

*Exod. 1.*

*S. Cyrillus lib. 3. in Ioan. c. 34.*

*S. Germ. orat. in adorat. Crucis.*

4. Valde ponderanda est censura & reprehensio, quâ Deus per Prophetam Ezechielem vrbem Hierosolymitanā carpit & redarguit, sub metaphorâ mulieris lasciuæ & impudicæ. *Omnibus meretri-*

*Ezech. 16.*

*retricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona dabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum.* Videris mihi ô popule dilectissime, prostitutæ & impudentissimæ meretrici similis. Ita explicat Sanctus Hieronymus hæc verba; sunt adeo effrænes & bruti tui appetitus vt amatoribus tuis mercedem pecuniariam, contra leges meretricum huius mundi superaddas. *Dedisti mercedes, & mercedes tibi non sunt datæ.* Non potuit altius ascendere impietas & nequitia tua, quia iam ad tantam peccandi insolentiam deuenisti, vt mercedem persoluas ijs, qui tecum peccarunt. Contrarium in mundo contingere solet, quia mulieres prophanæ & meretrices in more habent, corpus suum sub pretio prostituere, verùm tu dabas mercedem eis; vt corpore tuo abuterentur, & prompto animo facultates tuas offerebas, vt infælicem animam tuam in æternum damnares.

*Hieron. epist. 146.*

5. Ita sanè aggrediebatur Ionas iter suum, quando Deum profugus deserere statuebat, quemadmodum fugitiuus qui nescit quo vadat, & solum attendit fugam & absentiam ab eo, cuius præsentiam timet, & ad elongationem ab eodem, anhelat. Hoc existimat Sanctus Hieronymus voluisse exprimere Spiritum Sanctum in hisce verbis: *Surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Sentiũt, aliqui, inquit Sanctus, Prophetam voluisse fugere Tharsum Siciliæ oppidum. Alij Tunetum; sed neutrum horum verum est, quia hoc vocabulum *Tharsis* propriâ & genuinâ significatione in sacris litteris mare designat, ita sonat *Naues Tharsis.* Voluit igitur dicere, non præfixit sibi Ionas locum quo fugeret, sed solum Deum, quem deserere, & ab eo elongari summo studio nitebatur, ideoque nauim conscendit, se mari commisit, nescius quò ipsum labilis & inconstans procella abueheret. *Non ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens, quocumque pergere festinabat: & magis hoc conuenit fugitiuo, & timido, non locum fugæ òtiosè eligere, sed primam occasionem eligere nauigando.* Bellè dictum, sed neque hoc in præsenti casu maximè ponderandum, sed id quod iam dicere aggredior, & adnotauit Sacer Textus. *Et dedit naulum eius, & ascendit in eam*, id est, antequam nauim conscenderet, mercedem naucleris persoluit. Fuit hæc obseruatio Doctissimi Commẽtatoris super Prophetas minores. *At hæc quidem omnia non sine naulo habere potuit, pretio enim & labore suo obtinet, quod cupit: nihil accipit gratis, sed magnâ mercede tempestates & luctus, & pericula tandem emit.* Anne excogitari potest maior infælicitas quàm peccatoris elongati à Deo, qui proprio cerebro regitur, & seipsum totum seruituti Dæmonis mancipat! Ecquid miser ille proficit aut lucratur seruiendo tam impio & crudeli hero? quid? mille infortunia, tempestates, pericula, afflictiones, & centum millia incommodorum, sicut Ionas. Verùm neque adhuc maximè, hoc deplorandum; si gratis haberet omnes has calamitates, adhuc forent tolerabiles, quòd verò eas suis impendijs & pecunijs coëmat, & quòd naulum pro nauigio ad infernum persoluat, hoc irremediabilibus lacrymis lugendum & lamentandum.

*Iona 1.*

*D. Hier. in caput 1. Ionæ.*

*Ribera hic.*

Quemadmodum etiam Angelicus noster præceptor annotauit in Commentarijs suis super Isaiam elucidans verba illa: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Vbi euangelicus Vates deplorat peccatores perditissimos, qui 6.

*Isaia 5.*

qui semper repentes & funem trahentes celeri gradu ad inferna descẽdunt. Et notat Sanctus Thomas grauitatem peccati mortalis, ex eo quòd peccator tot funiculis & restibus indigeat, quibus illud portet, & quando iam onus ferre non valet quia humeros deprimit, quærit vehiculum trusatile, & cõductitiũ, quo illud supportare queat, tam caro pretio & tot impensis emit peccator perditionem & condemnationem suam.

7. Agit Regius Vates de ingratitudine, quam filij Israël ostenderunt Deo ac Domino, quando eos vt benignissimus Pater fouebat, & lautissimè excipiebat, volensque exaggerare & depingere deformitatem peccati eorum, ita Psal. 105. loquitur. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, gloriam quam Deo debebant, Idolo obtulerũt. *Gloriam suam*, illi, qui quondam dominabantur & maximè gloriabantur, & summo honori ducebant, quòd vnum solùm Deum adorarent, honorarunt & coluerunt similitudinem vituli, cum propriâ ignominiâ & iniuriâ famæ & honoris, illustris illius populi & toto terrarum orbe celeberrimi. Quærit Doctus Nouarinus. Nouarin. lib. 2. excurs. 53. *Cur non potiùs dixit in similitudinem vituli arantis terram, triturantis aream, plaustrumq; trahentis, his enim omnibus destinatus vitulus & bos?* Et respondet appositè, Regium Prophetam non sine mysterio ita fuisse locutum: *Rectè id, nec sine mysterio. Vitulus ille, dæmone grauidus, dæmonis figuram exprimebat; quia verò illius mos est, nos, nostraque tantùm demoliri, atque consumere, nullamq; nobis vtilitatem suâ sponte afferre, nullum commodum; idcircò vitulo fœnum comedenti, non aranti, aut trituranti comparatur.* Non aliter Diabolus, qui nullius vmquam commodo seu vtilitati studuit; immò potiùs semper famulantibus ei, seruitium caro constat pretio, quia præter cultum & obsequium quod ei præstant, ipsum alunt, & in fauorem eius cuncta sua bona dilapidant. O quot Idololatræ peccati reperiuntur in hoc mundo, qui illud sub formâ vituli comedentis colunt & adorãt, cùm tamen cultoribus suis nihil contribuat, sed præterquàm quòd illis damnationem animæ accersiat, etiam bona eorum absumit, & remanent non solùm cum iacturâ & damno spirituali, sed etiam sine vllâ commoditate seu vtilitate temporali.

Rectè meministis, ni fallor, verborum quibus Christus Dominus per Sãctum Euangelistam Matthæum, seipsum inducit & repræsentat Iudicem 8. venientem ad iudicium sub nomine & personâ Regis & Pastoris, distribuentis loca iustis & peccatoribus, sub metaphorâ ouium & hædorum. *Et separabit eos ab inuicem sicut Pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris;* Matt. 25. Interrogo, quare Christus Dominus comparauit reprobos & damnatos hædis? Nónne meliùs & consultiùs eos alijs animalibus assimilaret, quæ sunt symbola peccatorum, quæ ipsi commiserunt, quæque causa damnationis eorum exstiterunt? quemadmodum leo superbiam, & basiliscus inuidiam, & hirsutus grex porcorum, libidinem & luxuriam optimè significat. Quare igitur omnes indiscriminatim hædis comparauit? Huic dubitationi pulchrè & ad rem nostram occurrit Doctissimus Origines. *Hædi autem dicuntur omnes mali, quia aspera & dura saxa malè ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt.* Origen. tract. 34. in Matt. Aptissima igitur est comparatio reproborum cum hædis, quia sicuti hi naturali quadam propensione semper scandunt arduas rupes

rupes & altissimos montes etiam quodammodò inaccessibiles, & præcipitia maximè periculosa; quemadmodum alicubi cecinit Martialis:

Martialis. *Pendentem summâ capream de rupe videbis;*

*Casuram speres, decipit illa canes.*

Ita etiã reprobi, dum hîc vixerunt, semper vias difficillimas & lubricas ambularunt, & per præcipitia etiã periculosissima: non minori, sed pari afflictione spiritûs, & defatigatione corporis, vt
Sapient. 5. ipsimet proprio ore cõfitentur: *Lassati sumus in viâ iniquitatis &c.* ita vt pretio æternæ salutis, bonorum, & corporalis quietis dispendio, hi miserrimi quasi laboribus fracti, suam comparauerint perditionem, & æternam damnationem.

9. Si tales ad minùs equites ad infernum descenderent, minor miseria, minusque malum foret; verùm quòd hîc loco equi seu muli seruiant diabolo, & posteà condemnationem sibiipsis acquirant, hoc maximè pungit cor, & sanguineis lacrymis est lugendum. Vidit quõdam Maximilianus primus Imperator, iuxta relationem Tilmanni Brendembachij, *dæmonem Martini Lutheri humeris insidentem:* id est, insidebat tamquam eques humeris hæresiarchæ Lutheri. Quare verò non vidit Lutherum equitem insidentem humeris diaboli? Causa in promptu est: ibat hæreticus, & celeri gressu vergebat ad infernum, & si eques descendisset, visus

Tilman. Brēdembach. apud Noua. elect. sacro. lib. 1. sect. 12.

fuisset quasi sub apparenti specie quietis & commoditatis eò iuisset, & vt liquidè constet, quòd labor, & pœna malorum etiam hîc in mundo incipiat, ideò perditus ille & miser equum seu mulum agit, cui dæmon insideat; quia non abundè dæmoni satisfactum est, quòd tandem condemnetur, sed etiam vult, vt pretio sudoris & infatigabilis laboris, æternam suam mortem & damnationem sollicitet. Ex exemplis relatis & doctrinâ iam deductâ euidenter colligitur veritas considerationis nostræ, in ipso vestibulo discursus propositæ: qualiter nempe Dæmon velit, & exigat à nobis, vt ipsi non solùm gratis & sine stipendio seruiamus, sed etiam vt ipsi mercedem superaddamus, & quòd hactenus nulli vmquam subsidium aliquod sibi seruienti donauerit. Quæ cùm ita sint, nosque omnes simus peccatores, rogemus Deum, vt nos luce gratiæ suæ illustret & illuminet, vt cognoscamus bonum quod perdimus, quando tam dulcis & suauis Domini iugum excutimus, & eius famulitium declinamus; & malum, quod eligimus, quando nos dæmonis obsequio & seruituti dedicamus, vt (etiamsi non sit nisi pro quiete nostra, & quod nostrûm commisereamur) conemur mutare Dominum, & statum seruitutis culpæ & peccati, pro libertate gratiæ sollicitè commutare satagamus. *Amen.*

# TRACTATVS IV.

## AD DIEM MERCVRII POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

*Magister, volumus à te signum videre.* Matth. cap. 12.

PLVRIMA miracula patrauerat Auctor vitæ coram Scribis & Pharisæis, & pro coronide cæterorum vnum celeberrimum fecit, quale fuit, eijcere dæmonium illud mutum, restituens homini visum, loquelam, & auditum, quibus simul dæmonium illud hominem spoliauerat, & loco, quòd illuminarentur miraculo, & agnoscerent potentiam Saluatoris esse supernam & cęlestem, eiusque virtutē esse diuinam; aliqui ipsorū tali sunt percussi cœcitate, vt in has proruperint blasphemias, vocātes eum veneficum, & ex pacto cum dæmone eiusque virtute cum talia, tamq; admiranda patrare miracula. Insuper tam impudentes & audaces sunt, vt accedentes ad eum, temerè audeant ei objicere, quòd si velit talis ab eis haberi, qualem se iactitat, vt eis manifestiora signa diuinitatis demōstret, quàm fuerint ea, quæ hactenus edidit, quæ minimi erant momenti & valoris, & vti dici solet, quorum centum faciunt dozenam. Magister, inquiunt, licet rude & indoctum vulgus te magni æstimet, tuaque facta approbet, non est mirum; nam ignorantia & hebetudo facilè etiam in minimis imposturam patitur. Porrò nos, qui eminemus cæteris doctrinâ & sapientiâ, & penitiùs etiam abscōditissima penetramus, non facilè fucatâ rerum specie mouemur; ac proinde excellentius aliquod miraculi specimen à te postulamus, opus aliquod præclarum & cœleste, quia nullatenus terrenis & vilioribus seducimur. Audijt illos Saluator, & ægerrimè ferens eorum impudentissimam audaciam, totus indignatus conuertit se ad auditores, quorum maxima erat frequentia, & clamans voce magnâ, quæ ab omnibus audiretur, appellauit eos, gentem peruersam & adulteram: *Generatio praua*, inquit, *& exasperans signum quærit.* Profectò non dabitur ei signum, nisi signum Ionæ Prophetæ, id est, mortis suæ, in illo Propheta adumbratæ. Hâc occasione prosecutus est Saluator sermonē suum, & efficacibus verbis, eis æternæ damnationis sententiam intimauit; vtpotè, quorum iam animas dæmon ipse possidebat. Et tandem concludit concionem suam, quòd habeat fratres & sorores, & matrem, omnes qui fecerint voluntatem Patris cœlestis, eius auxilio & gratiâ adiuti. Hac indigemus ad differendum de Euangelica lectione. *Aue Maria.*

Magi-

*Magister, volumus à te signum videre.*

CONSIDERATIO I.

*Plurimi reperiuntur, qui monetam amoris adulterant, & fucatâ vtuntur amicitiâ, vt sub illius specie, maiori libertate & insolentiâ offendant.*

1. ACCESSERVNT ad Christum Scribæ & Pharisæi, profitentes se discipulos eius (licet fictos) & exhibentes signa magni affectûs & desiderij ipsum acceptandi pro Messiâ, in eumque finem videndi aliquod insigne miraculum (qualia Moyses & Elias iam anteà fecerant) quo apud eos doctrina Christi approbata, & vita eius canonizata maneret. Cùm tamen omnis eorum scopus, iuxta constantem sacrorum Interpretum doctrinam, fuerit, doctrinam, vitam, & mores Christi carpere & calumniari, conantes verificare quod paulò antè intentauerant, scilicet Christum esse veneficum & arte magicâ cuncta facientem; quia dæmones in hac regione aëris hærentes possunt, teste Diuo Augustino, & Sancto Thoma, similes effectus operari; verbi gratiâ, alterare elementa, & concitare tempestates. Itaque honorabant ipsum ad lacessendum & calumniandum, & sub specie amicitiæ, alienam induebant formam coniurati Saluatoris aduersarij, vt sub prætextu fucatæ venerationis ipsum liberiùs lanceâ confoderent & altiùs gladium inuidiæ infigentes, sanctum eius nomen obscurarent, & gloriosam eius famam, commaculatam labefactarent. Idcircò Sacri Interpretes in ipso Christi responso fundati, conueniunt vnanimes nihil acerbius in hac vitâ accidisse Christo, quodque maiori indignatione ægerrimè tulerit, quàm quod hi simulatâ amicitiâ verba blanda loquebantur ei, quem intus virulento animo & inuidiæ œstro perciti persequebantur. Dum semel eum vocant magistrum, maioris iracundiæ signa ostendit, quàm quòd eum Samaritanum, & sæpiùs à Dæmone possessum inclamarent.

Adulteratorem monetæ, præcipiunt leges, vt igne comburant. Non minori supplicio dignus est, qui adulterat monetam naturæ, quæ est amor; & quia plures sunt huius monetæ corruptores, & conciliant amicitias vt latenter perpetrent scelus, quod sine illis committere non præsumerent, ideò in hoc mundo circumspectè, cum timore, & vigilanti cautelâ viuendum est. Psalterium propheticum Dauidis plenum est his simulatis amoribus & amicitijs, quas rectiùs proditiones dixeris; idcirco vnum quod præ cæteris maximo mentis ardore à Deo postulabat, dignaretur: *Turris fortitudinis à facie inimici.* Vel, quia tunc temporis, quando peregrinabundus fugiebat manus Saülis, quoties occurrebat Aulicis & intimis familiaribus Regis, dicebant ei in faciem mille adulationes, & totidem ei promissiones offerebant; absentem verò venenatâ mordebant linguâ, & centenis lacessebant iniurijs. Domine mi; ecce loquemur Regi pro te, & commendabimus ei obligationes, quibus ipse, totumque Regnum tibi manet adstrictum, & efficiemus vt omnia tibi ad votum succedat. Coram Rege autem longè aliter de eo loquebantur: Domine Rex, Dauid est homo nihili, rusticus & vili abiectâque origine natus, elati & superbissimi animi, ibi, in tali loco latet absconditus. Vel, quia hîc singil-

2. *Psal. 60.*

singillatim agebat de Doeg Idumæo, qui simulans amicitiam cum Dauide, ipsum prodidit & vendidit Saüli, eique reuelauit secreta Dauidis: Casu, ô Domine, veni ad Tabernaculum, quando etiam eò appulit Dauid inermis, & penè fame enecatus, & facillimè quilibet potuisset ipsum sine labore interficere. Abimelech subuenit necessitati eius, deditque ei panes sacros propositionis, & gladium Goliath, consuluitque Deum pro eo. Tantâ irâ & indignatione excanduit Saül, vt statim septuaginta Sacerdotes interfecerit; vel, quia loquitur de Ceilitis, quibuscum arctissimum contraxerat amicitiæ vinculum, quos & Dauid beneficijs plurimis condecorauerat, quosq; sæpiùs iam ab hostibus suis defenderat & protexerat, & tandem tales fuerunt proditores, vt intentarint Dauidem tradere Saüli, & opere effecissent, nisi Dauid fugiens euasisset: vel tandem, quia alludit ad Achitophelem in conspiratione Absalonis, quem Dauid aluit amicum, consiliarium & magistrum, & postmodum ingratus contra eum surrexit & rebellauit.

3. Quodcumque tandem horum fuerit, optimè quadrat instituto nostro: probat namque quantò magis sit abominandus & execrandus inimicus & hostis occultus & dissimulatus, quàm publicus & manifestus. Id autem quod hîc magnâ ponderatione dignum reperijt doctissimus noster Hugo Cardinalis, est, quòd Dauid specialiter meminerit belli, quod ei facie suâ inferebant. *A facie inimici*, non viribus, non tormentis seu machinis bellicis, neque etiam corde: *Non dicit: à machinis; sed, à facie; quia diabolus plures decipit blanditijs, quàm terroribus*; quia etiam hæc euitari possunt, sed à blandâ & fictâ facie vix possibile est effugere. Proferunt verba amantissima, & oleo blandiora, & sunt sagittæ veneno infectæ, vsque ad cordis intima penetrantes. Sunt Cyniphes Pharaonis, qui tubâ & lanceâ dimicant, & priùs cantu hominem demulcent, & posteà aculeum infigunt, vt absque dolore fortiùs ictum imprimant, quemadmodum magnus Tertullianus dixit: *Cyniphis tubam Pharao timuit & lanceam.*

*Hugo Cardin. hîc.*

*Psal. 54.*

*Tertull. in Apologetico.*

4. Peruersum hoc genimen, & populi fecem appellat Deus per os Ezechielis, & proprijssimè quidem, Scorpiones. *Increduli & subuersores sunt tecum; inter scorpiones habitas.* Sentio plurimum, ô Propheta, tuum laborem & miseriam, quia inter incredulos & inter Scorpiones commoraris. Cum Scorpionibus? non inuenit Dominus aliam speciem Serpentis, cui hanc gentem prauam & peruersam compararet, nisi Scorpionis? nónne melius illam compararet feris nociuis, v.g. tigridibus, vrsis, leonibus, vel alijs serpentibus veneniferis? Minimè gentium; sed solis Scorpionibus, propter innatam quandam his animalibus proprietatem & indolem. *Tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot & species: & tamen vnus omnium violentiæ gestus, caudâ nocere.* ait elegantissimè Tertullianus. Est hoc animal valde amans & abblandiens, & mille vtitur technis & artificijs, vt securiùs opus suum perficiat, & ad nutum, caudâ feriat, & venenum in eâ latens diffundat. Addit autem Gesnerus, quòd sit & speciosæ formæ: *blandum, & quasi virgineum vultum habet.* Huius geniminis absque dubio debebat esse serpens, qui protoparentes nostros in paradiso tentauit; ad hoc equidem videntur alludere verba illa Ecclesiastici: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Iuxta mentem Doctorum Interpretum, inter quos non minimum locum obtinent Magister

*Ezech. 2.*

*Tertull. in Scorp. cap. 1.*

*Gesnerus lib. 4. c. 4.*

*Genes. 3.*

*Magist. sent. in Gen. c. 21.*

ster Sententiarum, S. Bonauentura, Carthusianus, & Beda, qui affirmant, serpentem illum habuisse faciem formosissimæ puellæ. *Vultum referens virgineum pulcherrimum.* Et simul ac ostendit maxima beneuolentiæ signa, præparat se ac disponit ad subtilissimum venenum diffundendum. Tales, inquit Deus, sunt habitatores Hierusalem, quibuscum habitat Ezechiel, & tales sunt Scribæ & Pharisæi & eorum posteri, qui eodem tempore, quo Christo externæ exhibent signa amicitiæ, internè in cordibus suis eius ruinam & destructionem moliuntur.

*Bonau. in 2. dist. 2. q. 2. Carthus. in cap. 3. Gen. Beda citatus ab illis.*

5. Seuera nimis & rigida est comminatio, quâ Deus per Hieremiam populo suo prædicit fatale exitium. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israël &c. gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quod loquitur.* Optimè quidem noui, locum in sensu historico diuersas admittere explicationes: in sensu tamen mystico & spirituali, ea accõmodatissimè ad rem nostram explanat doctissimus Cardinalis à Vitriaco. Quænam est hæc gens adeo peregrina? sciscitatur prædictus Cardinalis, quódve idioma tam exoticum & Arabicum, tam obscurum & confusum, quod nullus intelliget? *Hi sunt dæmones, quorum ignoramus suggestiones; quia dum suggerunt amarum, credimus dulce.* Dæmones igitur sunt gens illa nõ intelligibilis, eorumque sequaces quarum linguam non capimus, quia semper eorum verba habent suas secundas intentiones: quando videntur nobis offerre dulce saccharum, tunc intendunt nobis dare fel amarissimum, sicuti egerunt cum protoparentibus nostris, qui seipsos in extrema miseriarum ærumnâ repererunt, dum ei supremam felicitatem pollicerentur. Et Patrem sequuntur proles; discipuli, dico, magistrum, hæredes astutiæ & fallaciæ eius ad internecionẽ & ruinam nostram. Adducit hic Doctor ad propositum gratissimam similitudinem: *Sicut præstigiator, qui creditur sub pileo ponere talentum, & inuenitur coluber.* Sunt illi similes circumforaneis, quos Lusitani *Tregeitadores*, & Itali *Charlatanes*, vocãt, qui aliquando porrigunt alicui quidpiam vt sub pileo ponat, v.g. aurum vel annulum pretiosum, & quando vult arripere, inuenit bufonem vel colubrum. Quis tale quid cogitasset? videbatur aurum, vel argentum, & non est nisi venenatum animal. Hac igitur plagâ totus mundus est plenus, propter peccata nostra; scilicet plurimi reperiuntur Iani bifrontes, nummi duplicis faciei, mõstra sicut perdices Paphlagoniæ bicordes, circumforanei, manibus ludentes, verba quæ loquuntur apparent aurum & argentum secundum melodiam & mellifluam dulcedinem, quam indicant; sed subtus latent venenati serpentes, qui infectis visceribus lethale infligunt vulnus, & nulli parcunt; quibus propter singularem astutiam & sagacitatem illud Homeri quadrare potest: *Numquam te fallant animi, sub vulpe latentes.* Cauto, ne te vulpes decipiat, id est, caueto ab hominibus duplicibus, qui suis fucatis & simis operibus, tuam sollicitant ruinam & interitum.

*Ierem. 5.*

*Vitriacus ser. 2. Domin. 2. post Pentecosten.*

*Horat.*

Describens Sacra Scriptura mortem, quam Iahel vxor Haber Cinæi intulit Sisaræ Stratego seu Coryphæo Cananæorum, & enarrans qualiter ipse fractus viribus accesserit ad tentorium eius, & ipsa eum vrbanè & comiter exceperit, sitim eius extinxerit, eumque ab inimicis latenter absconderit; dicit Sacer Textus, quòd illo obdormiscente accurrerit ad cubile, in quo iacebat, & tempora eius seu caput clauo perfora- 6.

*Iudic. 4.*

forauit,& sic miserum occidit. Notat hîc Origenes quòd sacer historicus anticipatiuè enarrauerit pacem initam inter Regem,& Haber Cinæum. *Erat autem pax inter Iabin Regem Assur, & domum Haber Cinæi.* Super quæ pulcherrimè allegorizat. *Obserua qualis sit mundi pax:obsequium offert,& parat interitum.* Ecce hîc veram imaginem pacis mundanæ, & falsorum amicorum eius: quando tibi dulcissimam offerũt amicitiam, parant tibi crudelissimam mortem, sicut candido Agno eius cauillatores inimici.

*Origenes hom.5. in lib. Iudicum.*

7. Aliquoties curiosè consideraui legis mãdatum,quod Deus statuit Israëlitis, ne quis veste lanâ & lino intextâ indueretur. *Veste, quæ ex duobus texta est,non induêris,* id est,non vestieris stamineo texto è filis lineis & laneis. Nescio causam huius legis seu mandati; videtur enim quòd conuenientius foret, vsum talis vestis permittere; est namque tela non nimis delicata, nec crassa; pretium etiam quo emitur,non nimium,sed mediocre,ac proinde humano vsui accommodissima, ideoque & Religiosi stamineis vti solent. Examinaui sacros Interpretes, vt eorum iudicium super hac lege expiscarer,& qui melius differunt, ad sensum spiritualem cum Sancto Gregorio recurrunt, qui existimat finem & scopum huius præcepti fuisse, persuadere eis candorem & synceritatem in actionibus,ne sint bifrontes, bicordes, aut fucati amici. *Linum interius celat, lanam in superficie demonstrat:vestem lanâ linóque contextam induit,qui in locutione vel actione,quâ vtitur,intus subtilitatem malitiæ operit,& simplicitatem foris innocentiæ ostendit.* Tela hæc subtilitatem occultat, & ruditatem externam ostendit:sola lana apparet,linum verò non videtur. Verum Symbolum eorum, qui in verbis vel actionibus suis abscõdunt subtilitatem,&c.vt tamquã venenati Scorpiones, in alios virus suum disseminent. Non vult igitur Deus in populo suo gentem adeò noxiam reperiri,quæ sub specie exterioris amicitiæ solet vbique ingentia damna causare,qualia absque dubio hi calumniatores & æmuli Saluatoris ei intulissent, nisi ipse eorum corda cognouisset & malitiam latentem detexisset.

*Leuit.19.*

*D.Greg. lib.1.Moral. c.21.*

Nunc facillimum erit intelligere rationem, quare cælestis magister iussérit discipulis suis,ne duas tunicas haberent. *Neque duas tunicas habeatis.* Rigidum profectò & seuerum mandatum: non etenim vult Saluator noster seruos suos sordidos & incompositos; neque etiam nitor & munditia virtuti contrariantur.Ideoque deberet illis permittere duas tunicas, quemadmodum etiam pauperrimis & reformatis Recollectis permittuntur, vt quandoque ad munditiam seruandam mutare possint. Doctissimus Cardinalis Vitriacus,altiùs hunc locum considerans,asserit, vltra sonum verborum voluisse Christum discipulis suis aliquod documentum insinuare: *Prohibitum est Apostolis,ne duas tunicas habeant id est vt simpliciter,& non dupliciter ambularent.* Non tam de tunicis corporalibus quã spiritualibus loquebatur, voluitque eos hoc facto docere vt simplices sint & non duplices,vt verba sint signa conceptuum animæ,& opera externa correspondeant interno cordis affectui. Hoc est,eandem habere tunicam foris & intus, conformare taliter exteriora interioribus, vt ex ijs consonantia & harmonia quædam coalescat. Hic fuit scopus verborum Christi Redemptoris nostri. *Neque duas tunicas habeatis.* 8.

*Matt.10.*

*Vitriac. serm. 2. Dom. post Epiphan.*

Quando Christus descendit ad curandum 9.

randum seruum Centurionis, qui grauissimâ, & penè desperatâ laborabat paralysi, iamque ad vltimum vitæ halitum, absque vllâ spe remedij tendebat; hoc namque voluit, teste S. Chrysostomo, S. Lucas indicare hisce verbis: *Erat enim moriturus*. eodem tempore audiuit Christum ingredi ciuitatem, & simul cum ingressu & notitiâ nominis Christi, lux cœlestis & diuina adeò illustrauit eius mentem, vt crediderit hominem illum esse Deum; ac proinde tantæ virtutis & potentiæ, vt etiam mortuis posset vitam restituere. Idcircò humilis & deuotus aperit ei miseriam domus & familiæ suæ; & respondente ei Iesu: *Ego veniam & curabo eum:* procidit in genua, & humiliter exclamans dicit: *Domine non sum dignus, &c.* non promeritus sum tãtum fauorem: *Dic verbum.* Admirabatur auctor vitæ & coram toto auditorio, quod erat frequẽs & graue, exorditur sermonem panegyricum in laudem ipsius. Additque Euangelista: *Iesus autem ibat cum illis.* quæ verba acutissimè commentatur S. Petrus Chrysologus: *Iesus autem ibat cum illis, sed illi non ibant cum Iesu.* At quamobrem non ibant seniores populi Iudaici cum Iesu? *Cum quo mente non ibant*, non comitabantur eum fide & corde. *Nec cum illo erant, qui seiuncti corde, corpore videbantur adiuncti.* Corpore quidem præsentes Christo, spiritu autem & infidelitate ab illo remotissimi. Parum refert vicinitas corporis, si anima non est vnita, voluntas non est conformis. Proximos quidem Christo describit S. Euangelista Matthæus Pharisæos, *Accesserunt*; attamen cor eorum tantùm erat ab eo elongatum, quantùm responsum Saluatoris designat: *Generatio mala & adultera.* vocat eos adulteros, similitudine fortasse desumptâ à muliere adulterâ, quæ tunc

*Lucæ 7. Chrysost. hom. 27. in Matt.*

*D. Petr. Chrysol. serm. 102.*

magis blandè & amanter cum marito conuersatur, quando ei maiorem parat proditionem, & cornua; sponsum quidem habet in ore, sed adulterum in corde.

Quàm pulchrè delineauit hanc falsam & fucatam amicitiam hominum Æsopus in suis Apologis. Introducit leonem, sciscitantem ab opilione seu pastore, num vidisset ceruum, qui iam iam vngues suos euaserat. Respondet pastor se venationi nullã dare fidem, neque se vidisse ceruum. Et videte quid addat: *Interim manu indicat locum, vbi ceruus latitabat.* Liceat mihi „ (saluâ veniâ Auctoris) hîc inserere aliũ „ Apologum de vulpe, huic simillimum, „ qui communiter ore hominum cir- „ cumfertur. Vulpes quõdam diu exagi- „ tata & quæsita à venatoribus, ad mo- „ lendinum confugit, rogatque molito- „ rem, ne se sub saccis latentem, verbis „ prodat vel reuelet. Spondet molitor. „ Secura latet vulpes. Insequentes accur- „ runt venatores: molitorem examinãt, „ num vulpem fugientem viderit? Ne- „ gat ille verbis, sed nutu, signis & manu „ locũ demonstrat. Capitur prodita vul- „ pes; sed notate lepidum vulpis respon- „ sum. Profectò molitor, fidelem & iustã „ habes linguã, sed manus habes infide- „ les & furaces. *Idem faciunt, qui simulanter amant, verbis quidem suaues, sed operibus acerbi & inimici.* Viua & expressa imago falsorum amicorum, quorum verba plena sunt saccharo, sed opera plena amaritudine. Seneca, depingens hos simulatos inimicos, dicit nullum in mundo dari malum ita exitiale, quàm similes homines; quia inimicum declaratum facilè declinare & euitare possumus, sed hos dissimulatos, qui speciem amicitiæ præ se ferunt, nullatenus euadere possumus, & idcircò eos equo Troiano comparat: *Troianus equus ideo fefellit,*

*Carthag. tom. 1. l. 6. hom. 10.*

*Seneca in Prouerb.*

*fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est.* Magnificentiam & misericordiam foris ostentabat, & intus armatos hostes & milites gestabat, quibus Troiani fuerunt decepti & deuicti. Tales sunt adulterini illi & ficti amici, qui verbis blandiuntur & amant, sicut Scribæ & Pharisæi, ideoque digni tantâ seueritate & rigore, quo eis Saluator duriùs respondit & redarguit. *Magister, volumus. Generatio praua &c.*

---

*Magister, volumus à te signum videre.*

## CONSIDERATIO II.

*Si alteri à Christo fuisset hæc supplicatio exhibita, poterat esse æqua & iusta, quia in quocumque ministro Euangelico debent videri signa in operibus, quæ verbis & dictis eius correspondeant.*

1. MAGNA difficultate hæc duo, opera & verba, simul coadunantur seu combinantur; sed plusquàm certum est, quòd sola verba operibus viduata & destituta, non sint efficacia seu potentia ad persuadendum animis hominum, vt malum fugiant, & bonum prosequantur. Est valdè propria, & non minùs instituto nostro accommoda cõparatio, vt memini, cuiusdam prudentis Politici. Sonat horologium horam duodecimam, & dicit auditus: Hora duodecima est; sed si oculos attollas, & gnomonem seu monstratricem manum aspexeris, & videris, quòd dementiatur neque correspondeat, sed horam quartam indicet, asseueranter dicis: Non est credendum isti horologio, quia incompositum & ineptum est, & gnomen seu index contradicit voci & numero ictuum campanæ. Si respicias magistrum & superiorem, & attendas ad vocem eius, sonat humilitatem; si autem manum intuearis, indicat superbiam. Si auscultes linguam eius, nihil aliud quàm contemptum rerum terrenarum, & vilipendium bonorum prædicat; si autem manum indages, aperta hiat, & spirat auaritiam: contradicunt sibi inuicem à manu ad os, ideoque malè persuadetur, & exiguus fit fructus in animabus; vnde totis viribus conandum est, vt hæc duo combinentur, verba & opera, vita & doctrina, ad dignè & fructuosè persuadendum. Si reuerà libellus supplex, quem Scribæ & Pharisæi obtulerunt Christo, alteri à Christo præsentassent, rectè fecissent, quia verus Magister hæc duo debet habere: in opere & sermone fundatur perfectum magisteriũ, quale fuit Christi, de quo nobis Fides testatur, quòd simul docebat & faciebat, vt ad suam imitationem omnes eius successores idem præstarẽt. Adeò grauis & necessaria est hæc doctrina, vt si attentiùs cursum mundi ab ipsis incunabulis examinauerimus, simus reperturi in sacris litteris exempla, quibus eam dilucidè comprobemus.

Admirabilis est stylus, quo Regius Propheta describit potestatem, quam 2.
Deus contulit Moysi & Aaroni, quando eos legatos & prædicatores Ægypti instituit & destinauit: *Posuit in eis verba signorum.* Scio quidem iuxta sensum *Psal. 104.*
litteralem, secũdùm interpretationem SS. Patrum, hæc verba ita sonare: Dedit Deus Moysi, eiusque fratri plenitudinem potestatis, vt verbis suis miracula patrarent; verùm S. Gregorius Nyssenus in illis aliquid reflexione dignum deprehendit. Nónne, inquit, congruentiùs dixisset Dauid, quòd

Deus

Deus dederit eis verba, quæ loquerentur, quàm quòd eis dederit verba signorum? Difficultatem quæstionis propositæ, solito ingenij sui acumine eleganter soluit Sanctus Doctor. *Hâc enim voce Propheta vim earum rerum admirabilium effectricem, ratione quâdam eas executam, planissimè demonstrauit, cùm non rationem in verbis consistentem, sed signorum efficiendorum potestatem ita nominaret.* Non absque mysterio vocauit Propheta potestatem faciendi miracula, verba; quia numquã aliquis meliùs docet, quàm quando ita viuit, vt miracula faciat. Hæc sunt verba, quæ magis persuadent; hæc est doctrina, quæ meliùs docet: & ideò dicit: *Posuit in eis verba signorum.*

S. Greg. Nyssen. in Hexam.

3. Exorditur sacer Chronicus enarrationẽ creationis Vniuersi: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* & post pauca subiũgit: *Dixit Deus: Fiat lux. & facta est lux.* S. Cyrillus curiosiùs obseruauit, quòd in sacris litteris primò dicitur *creauit*, deinde *fiat lux*. priùs opus creationis, quã verbi prolatio. Ecquod hoc mysterium? *Vt factum verbo virtutem daret.* quasi diceret (loquendo nostro rustico modo;) nisi Deus anticiparet, & præmitteret opera, dubitari poterat de verbis. Tantam vim & efficaciam imprimunt facta verbis, vt hæc nullum sortiantur effectum, nisi illa præcesserint. Hæc erant in Deo metaphoræ; quia clarè constat in illo vnam, eamdemque rem esse, dicere, & facere: in nobis autem sunt proprietates, & ad instructionem nostram. Vtitur Spiritus sanctus, per calamum Sacri Historici, illâ metaphoricâ locutione, vt addiscant Magistri, cæterique, qui à Deo aliorum sibi curam commissam habent, quî eos docere, quidque facere debeant, vt verba ipsorum efficaciam habeant & cedant in vtilitatem & commodum eorum, quos instruunt. Hoc est, priùs operari, & posteà loqui: priùs operari signa, & postmodum verbis persuadere.

Genes. 1.

S. Cyrill. apud Bened. Ferdinãdum in hunc locum.

Descendit Moyses de monte, portãs tabulas legis, habensq; faciem radijs & splendore coruscantem. Res ita accidit: Positus Moyses ante conspectum Dei, Solis splendidissimi, recepit in faciem suam, tamquam speculũ, radios diuini Solis, ita vt quasi Sol radiantissimus appareret, quem impares viribus oculi hominum intueri non poterant; ideoq; necessarium fuerit, vt Moyses velamine faciẽ obtegeret. *Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex cõsortio sermonis Domini, &c. & posuit velamen super faciẽ suam.* Sæpiùs sermocinatus est Moyses cum Deo & non descẽdit immutatâ facie, & ex binâ vice, quâ tabulas legis è manu Domini accepit, solâ secundâ viderunt radios & splendores in facie eius, quos ex conspectu Domini participauerat, vt elegãter notat noster celeberrimus Oleaster: *Fuit hæc lux quædã participatio illius lucis, in quã Dominus apparebat.* Occurrit nunc ratio dubitandi, quamobrem, quãdo Moyses primâ vice descendit de monte cum tabulis legis, non appareat ita radiosus & illustratus luce illâ adũbraticâ diuinitatis, sicuti secundâ vice? Magnus Ecclesiæ Doctor S. Aug. duobus verbis differentiam lucis detegit. *Acceptâ potestate in peccatores, cũ honorificentiâ descendit de monte, facie gloriosâ.* Quasi diceret S. Doctor, quòd primâ vice detulit Moyses tabulas legis, confringẽdas, & quæ populo nõ erant promulgandæ; secundâ autem vice adsportauit secum tabulas permansuras, quarum doctrinam ipse tãquam Magister, erat edocturus. Has igitur tabulas, hãcque doctrinam non promulget, neque doceat

4.

Exod. 34.

Oleast. hic.

doceat Moyses, nisi facie gloriosâ resplendens, & signis indicijsque magnæ sãctitatis exornatus, quia efficaciùs persuadebunt populo obseruantiam legis hi radij gloriæ, & hæc miraculosa signa, quàm quælibet alia operosior diligentia, & verborum multiplicatio.

5. Voluit Spiritus sanctus, Dauide iam ad terminũ vitæ appropinquante, declarare fortitudinem & inuictum robur eius, quoad supremum Regni sui toto orbe decantatissimi fastigium & apicem peruenit, quóve cæteras Tribus Israël sibi subiugauit; & in hunc finem vtitur verbis mysterio plenissi-
2. Reg. 23. mis: *Dauid sedens in cathedrâ Sapientissimus Princeps inter tres.* Erat Dauid excellentissimus Cathedraticus & sapientissimus Magister, eminens inter tres principaliores populi Israël, eis doctrinâ, sapientiâ, & fortitudine præstans. Expositores Sacri varias huic loco adhibent interpretationes; totaque difficultas consistit in examinandâ illâ sapientiâ & doctrinâ, quâ Dauid præ cæteris pollebat, quâve famam tam insignis præceptoris acquisiuit, & quâ tandem corda subditorum, seu discipulorum, sibi cõciliauit & deuinxit. Loquatur hic magnus Pontifex S. Gregorius, & haud dubiè discursui nostro
D. Greg. l. 27. Moral. c. 27. patrocinabitur. *Dauidis præuio exemplo, ecce omnis populus humilem saltandi rationem putat honorificam; vniuersus Israël ludebat coram Domino.* Vultis scire, quo facto heroico seu præclaro gesto Dauid cunctos sui æui primates, & magistros superauerit? Quia potiùs exemplo docuit, quàm verbo; hoc vnicum ipsi votum & desiderium, vt cuncti Deum vel cantando vel ludendo laudarent. At quo modo eos ad hoc allexit & induxit? Primus saltando ante
1. Paralip. 13. Arcam Testamenti. Et quando populus vidit humilem Regis sui deuotionem, omnes ad exemplum eius secuti sunt, & saltarũt coram Domino. Non vsus fuit Dauid flosculis Rhetoricis, neque comptis aut phaleratis verbis ad docendum discipulos suos deuotionem, sed exhibens in semetipso pietatis indicia, & deuotionis venerandi erga Deum cultûs insignia, confestim omnes, eius vestigia imitantes, parem deuotionem Deo exhibuerunt. *Et Dauid saltabat totis viribus ante Dominum; vniuersus Israël ludebat coram Domino.*

Inuitat diuinus Sponsus dilectam Sponsam, vt semotis paulisper curis animum recreet & diuertat. *Surge, propera amica mea, & veni. Iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ.* Non semper arcum tendit Apollo: aliquando indulgendum genio: eià desere solitudinem claustralem, egredere ad campum, quia iam tristis hiems transijt & nunc omnia viridaria florent, *flores apparuerunt in terrâ nostrâ. Vox turturis audita est.* Quare Sponsus vtitur hac periphrasi & verborũ accumulatione, vt de horridâ & tristi hieme transactâ, & iucundissimo Veris aduentu Sponsam certiorem reddat? Nónne solis verbis, inquit Sanctus Bernardus, id sufficienter asseuerare posset sine additamento florum & vocis turturis auditu? Annè tam incredula Spõsa, vel tam paruæ fidei sunt apud illam verba Sponsi, vt indigeat signis & rebus, quibus eam in credulitate & fide confirmet? Cumquè velit Sponsus veritatem suam signis stabilire & corroborare, nonnè sufficeret testimonium solius vocis turturis? vt quid ergo etiam florum germinantium exhibet præsentiam? Nónne certum est, quod Turtur in hieme obmutescat, & in æstate gemebunda cantet? Ita sanè. Igitur sola musica Turturis abundans testis est æstatis. Vt quid ergo

(margin, right: 6. — Cant. 2.)

ergo multiplicatio signorum, & florum & Turturis congeminatio? Excipite responsum melliflui Doctoris, quia est
D.Bern. ad caput 2. Cantic. valdè pulchrũ & appositum. *Citò persuadetur quod dicitur, cùm ostenditur quod proloquitur. Vox auditur, flos cernitur: flos operatio est, quæ voci accedens, fructum parturit fidei: nam etsi fides ex auditu, ex visu tamen fidei confirmatio prouenit.* Non vsus fuit Sponsus signis propter defectum fidei Sponsæ, sed propter
6. auctoritatem verborum suorum, quæ non satis fuissent confirmata te-
Cant. 2. stimonio Turturis, quæ erat vox, sed floribus, quæ erant opera. Vt verbis Sponsi fides adhibeatur, & operentur in animâ Sponsæ effectus à se intentos, non vult ea in solâ voce fundari, sed vt operibus associentur; ac proinde nõ sufficit, vt audiatur vox turturis, sed etiam debent flores operum simul apparere, quia ipsa Sponsa est discipula,
Cant. 8. & Sponsus magister. *ibi me docebis.*

8. Ponderat Sanctus Basilius Seleucius occasionem & motiuum, quod impulit principem Apostolorum Petrum ad prædicandum populo Israëlitico sermonem illum, in quo eis doctrinam tam salutarem, & grauem, quemadmodum Sacer refert Textus, postquam, videlicet, sanauerat claudum illum, qui sedebat ad portam Templi, petens eleemosynam, eumque secum habebat, cum admiratione & stupore omnium.
Actor. 3. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portã Templi.* Tunc, inquit Sanctus, exorsus est concionem: *Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ &c.* Sed quare priùs fecit hoc miraculum ad instruendum eos? Et prudenter respondet vt maioris, scilicet, forent verba eius, efficaciæ, vtpotè quæ tam manifesto roborabantur miraculo; iudicauit enim expediens & necessarium talia signa præcedere, vt verba & doctrina eius cum fructu, arctiùs eis imprimerẽtur. *Claudus quidẽ erat ante portam Speciosam, cui* S. Basil. Seleucius orat. 30. *pedum itionem cùm fortè natura ademisset, gratia tradidit pro arbitratu recudendum Petrus, & vnio fidei, postquam hunc deuinxerat, populum vniuersum lingua cepit*; ideoque ille sanus corpore & animâ, fuit illi pipilatio & rete plurium, quos postmodum reti & laqueo doctrinæ suæ cepit, & Christo peperit.

Postquàm Saluator absoluit cele- 8.
brem illam actionem profundissimæ humilitatis, lauando pedes discipulorum suorum, teste Apostolo & Euangelistâ Sancto Ioanne, dixit eis: *Scitis* Ioan. 13. *quid fecerim vobis? vos vocatis me, magister, & benedicitis.* Obseruat curiosiùs doctus Nouarinus, quòd studiò non dixerit eis Saluator: Scitis quid dixerim vobis; sed, quid fecerim. *Non ait: Scitis quid dixerim vobis, vos me vocatis, magister: sed, scitis quid fecerim vobis.* Quid autẽ voluit his verbis eos docere? *Ostendens,* quòd magistri à probæ vitæ operibus potiùs, quàm à nudo dicendi, loquendiq; officio vocandi sunt. Bene vocatur Magister, qui magisteriũ suum non nudis verbis, quibus docet, sed operibus comprobat. Et ideò addidit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Discite à me, & normam sumite magisterij, vt non doceatis scientiæ verbis, sed potiùs probæ vitæ signis & operibus. *Exemplum dedit, & exemplar fuit, quod totius mundi Doctores ac magistri futuri exprimerent, &c.*

Nullibi operosiùs aut excellentiùs 9.
functus est Saluator noster magisterio animarum, quàm in relatâ lotione pedum, & in cathedrâ crucis; ita enim eam Sãcti Patres appellant. Verba sunt

*Arnoldus Carnot. tract.7. de verbis Domini tom.1. Bibliotheca. Ioan.19.* Arnoldi Carnotensis, contemplantis Christum ligno crucis affixum & verba illa, *Ibi crucifixerunt eum*, meditantis. *Ex illa cathedrâ crucis quoddam Deuteronomium dictatum est, in recapitulatis breuiter, quæ multâ prolixitate erant diffusa.* Ex illâ nos docuit humilitatem, patientiam, & tolerãtiam in laboribus, constantiam in aduersis, dilectionem inimicorum, pietatem erga parentes, pluresque alias virtutes, quas longum foret enarrare. Et hæc omnia quomodò prædicauit & docuit? an solis verbis? Nequaquam; sed operibus exequendo in semetipso, quod alijs persuadere conabatur. Neque his contentus, vt hæc salutaris doctrina altiùs imprimeretur & radicaretur in cordibus nostris, voluit tot prodigia, & signa concurrere, quot nobis in passione Domini facta enumerantur, vt signa in cælo & in terrâ conspicerentur, Sol obscuraretur, cœlum nubibus obtegeretur, Velum Templi scinderetur, latro conuerteretur, centurio ipsum confiteretur, plures alij peccatores compuncti reducerentur, & tandem vt mortui resuscitarentur, ne vllam prorsus possit prætexere homo Christianus occasionem ad subtrahendum se à disciplinâ tanti magistri, cuius doctrina, in signo quod Christus Scribis & Pharisæis promisit, *Non dabitur signum, nisi signum Ionæ Prophetæ*, clariùs, quàm vllibi exemplificatur. *Ioan.19. Matt.27.* Ea igitur & talis est doctrina Christiana, quæ requirit linguam & manum, verba & opera, estque scientia magis practica, quàm speculatiua, & quæ potiùs in operatione virtutum, quàm in vanis discursibus & syllogismis consistit. Ideoque deuij errabant Iudæi, petentes noua signa, quando iam innumera exstabant, quæ eis ad confirmandam suæ doctrinæ veritatem iam anteà dederat & exhibuerat. Si tamen hæc petitio fuisset alteri cuiuis magistro oblata & exhibita, fuisset formalis & optimè proposita, quia vt quis sit verus & perfectus Magister, non tam doctrinæ verbis, quàm probitate vitæ debet docere; & tunc verba habebunt efficaciam, quando operum cõbinatione & societate fuerunt exornata. Idcircò quidam prudẽter & sapienter depingebat prudentissimum Vlyssem, & fortissimum Diomedem mutuis amplexibus se cõstringentes, hac epigraphe & inscriptione subiunctâ: *Vnum nihil, duo simul plurimum.* quasi hoc signo exprimeret: Parùm valet sapientia Vlyssis, nisi eam opera Diomedis comitentur. Vnde huius pulcherrimum confinxit Emblema Alciatus, cum hâc prudentissimâ sententiâ: *Cùm duo coniuncti venerint, victoria certa est.* *Alciatus Emblem. 110.* quando hæc duo simul concurrerint, omnia pro votis impetrantur seu obtinentur; quia vera sapientia, teste Euthymio, nihil aliud est, quàm concors operum & verborum harmonia: *Sapientia nihil aliud est, quàm harmonia quædam dictorum & factorum.* *Euthym. Præfat. in Psalm.*

---

*Volumus &c.*

## Consideratio III.

*Iusti & probi conformant voluntatem suam legi diuinæ: mali verò & improbi econtrà propriam voluntatem habent pro lege.*

1. FVNDENT hanc considerationem verba illa Regij Prophetæ in Psalmis: *Tenuisti manũ dexteram meam.* Hic versiculus in sensu litterali, & conformiter ad communem Interpretum explicationem, reddit sensum à nobis pro- *Psal.72.*

*Belg. in Psal.17. versu 6. disc.4.*

propositum. Vinctas habeo manus, & tu, Domine, semper manu tuâ mei curam suscipis, neque me ad libitum diuagari permittis, ne agam omne id, quod possum & volo. vel vult dicere Regius Vates: Arripuisti dexteram meam, dans mihi verbum tuum, & vicissim meum à me exigis promissum. Bellè quidem dicta, sed si attentiùs ad verba reflexerimus, magnum continēt mysterium. *Tenuisti manum dexteram meam.* Emphaticus loquendi modus. Non dicit, vt maturiùs quidā insignis & doctus Prædicator annotauit: Ego apprehendi, seu tenui manum tuam: sed tu, Domine, arripuisti & tenuisti manum meam. Sunt quædam animæ fideles, quæ vt locum aliquem difficiliorem pertranseant, postulant manum à Deo, & quando ipse porrigit illam, apprehendūt manum, ita vt vos teneatis manum Dei, sed Deus non tenet vestram. Et si ita non sit, saltem vos ita desideratis & optatis. Clamat iustus ad Deum; Domine Deus, fortiter apprehende manum meam tuâ dexterâ; nolo enim tuam tenere, sed tu meam constringe. Aptissima est metaphora, quâ prædictus Auctor hanc doctrinam exemplificat: Porrigis manum alicui domicellæ vt scrobem aliquem limosum pertranseat, incidit illa in foueam: quî permisisti eam cadere? Quia ipsa arripuit manum meam, non ego ipsius: soluit manum meam in necessitate, & cecidit. Scio quòd si ego fortiter arripuissem manum eius, non soluissem illam, neque ipsa in foueam incidisset. Pari modo petis à Deo manum in difficilioribus vijs tuis, in infirmitate &c. in tribulationibus tuis: Deus illam porrigit tibi, & tu apprehendis illam, & in primâ difficultate seu scrobiculo cadis in fossam. At quomodò, Domine, hæc anima te porrigente manum, titubat gressu & cespitat? Dicet: Quia voluit tenere manum meam, absque eo, quòd ego illius tenerem. Non cecidit Dauid in illâ occasione, quia Deus arripuerat manum eius. *Tenuisti manum dexteram meam.* Restat nunc declarandum, quandonam ego habeam manum Dei, & quando Deus teneat meam. Ponderate mecum verba Dauidis, quia in illis compendiosa totius difficultatis enucleatio continetur: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxisti me.* Quando vos, ô Christiani, dicitis Deo: Domine Deus! da mihi sanitatem, da mihi bona temporalia seu diuitias, hoc est arripere manum Dei, eamque tenere & deducere; quia hoc est præfigere Deo leges & obstringere vt te per viam sanitatis debeat deducere, & hac debemus incedere. Hoc est, inquam, tenere manum Dei, eamque veluti deducere, quemadmodum illud *Volumus* Scribarum & Pharisæorū in hodierno Euangelio. Porrò quando dicis Deo: Domine Deus! omne desiderium meum est, vt tibi placeam, sim tibi gratus, & deduc me per quamcumque libuerit viā, mihi salutarem. Tu solummodò præeas, & ego sequar. tunc reuerà rogas Deum, vt tuam teneat manum, & tu non vis illius dexteram tenere; hoc est: *in voluntate tuâ deduxisti me.* Fateor, ô Domine, cœcitatem meam, non video pericula, neque fragasos viarum anfractus cognosco, si semitas perambulo certum est, quòd errabundus deuiabo: tu igitur sis ductor meus, & edoce me semitas tuas. Quicumque hoc modo se diuinæ committit prouidentiæ, & suam Dei voluntati conformat, gloriosè incedit & de superatis periculis triūphat, testante eodem Dauide: *Et cum gloriâ suscepisti me.* Hac viâ incedunt casti, qui propriam abnegarunt volunta-

*Belg. in Psal. 17. versu 6. disc. 4.*

luntatem, & numquam suo, sed Dei reguntur nutu & arbitrio.

2. Inter omnes animas Dei Sponsas, illa est per excellentiam præ cæteris dilecta, quæ magis suam diuinæ conformat voluntati, & idcirco Spōsus se tam sollicitum & studiosum quietis Sponsæ suæ ostendebat, sicut verba Canticorum Salomonis attestantur: *Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Dormiētem dulciter & quiescentem nolite turbare, dormiat in vtramque aurem, donec ipsa voluerit. Sanctus Gregorius Nyssenus & Origenes, enucleantes hunc locum, legunt hæc vltima verba iuxta fontem seu originem Hebraicam in hunc modum: *donec ipse velit.* Permittite ipsam dormire, donec ipse Sponsus voluerit. Cōtradictio videtur in hisce versionibus, quia prima, de voluntate Sponsæ, & secunda, de voluntate Sponsi loquitur. Quî igitur combinari possunt duæ illæ lectiones primâ luce & fronte tam dissitæ & oppositæ? Facilem iudico solutionē (nisi me fallat ingenium & studium) scilicet, quòd cùm voluntates amborum essent tam conformes & vnanimes, vt sola vna videretur voluntas, in idem coïncidunt: *donec ipsa velit;* & *donec ipse velit.* Adeò conforme est velle Sponsæ cum diuino, vt, quod voluerit Sponsus, velit Sponsa, & voluntas Sponsæ eadem sit cum voluntate Sponsi.

Cant. 2.

S. Greg. Nyssen. homil. 4. Origenes hom. 3. in Cantica.

3. Hanc identitatem voluntatum detexit Guerricus Abbas in Sacratissima Virgine Maria, quare eam etiam bis matrem Dei nominat. Notate, quæso, cōceptum, quia delicatissimus est. Ponderat deuotus ille & contemplatiuus Pater sententiam, quâ præsens Euangelium concluditur: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Igitur, Domine & Redēptor animæ meæ, inquit Guerricus, ex hoc infertur, Mariam Sanctissimam bis esse matrem tuam; semel, quando te concepit, & peperit; & adhuc semel, quando perfectissimè in omnibus diuinam est executa voluntatem. *Itaque Mariam, quæ secundùm carnem mater erat, aliâ quoque ratione matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatē Patris in tātùm faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater: Vocaberis voluntas mea in eâ.* Adeoque hoc verum est, vt, meo quidem iudicio, loquatur Isaias cū Virgine Deiparâ, quādo eam vocat voluntatem suam, eumque asserit fore gloriosissimū titulum eius, ita vt idem sit Maria, ac voluntas Dei; & idem sit voluntas Dei, ac Maria Mater Dei. Talis fuit Regina cœlorum, Mater Dei, & Domina nostra, & ad hoc cuncti fideles adstringuntur, vt eius vestigia sequantur. Sin minùs, consulite Sanctum Doctorē Gentium Paulum loquentē primitiuæ Ecclesiæ Christianis, & audietis, quid hâc de re sentiat. *Empti estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Videte, inquit, quantæ sint æstimationis corpora vestra; & ad hoc considerate ea tamquam corpora Christi; quia sicut Sanctus Thomas Doctor noster Angelicus obseruauit, quòd non solùm animas nostras pretioso suo sanguine, sed etiam corpora nostra redemit, & promeruit nobis nedum vitam, & renouationem animarum nostrarum per gratiam, sed etiam corporum nostrorum, quæ tandem in generali illâ mortuorum resurrectione executioni mandabitur. Omnium horum, inquit Apostolus, vt memoriā habeāt, quando eos monet vt meminerint pretij, quo sunt redempti: *Empti estis pretio magno.* vt hoc medio eis persuadeat talem vitam ducere, vt Deus appareat in eis,

Matt. 12.

Guerric. serm. 3. de Assumpt.

Isaias 62.

1. Cor. 6.

in eis,& in actionibus eorum,hoc sonat: *glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Sanctus & gloriosus Ambrosius, enucleans hunc locum, affirmat Apostolum voluisse dicere sequẽtia: *Manifestum est,quia emptitius non est sui arbitrij,sed eius, à quo emptus est,vt non suam,sed eius faciat voluntatem.* Idem est esse emptum,ac resignare voluntatem suam in manus Domini sui,cuius voluntas debet esse regula & mensura actionum eius. Hâc suppositione factâ, videte qualem obligationem Christo habeatis,qui proprio sanguine vos redemit,vt in omnibus,& per omnia eius faciatis voluntatem,& dedatis vos totos & totaliter ipsius dispositioni: ipse sit dux vester,cuius mandatis obtemperetis,& ipsius voluntas sit regula omnium agendorum & mensura operum vestrorum.

*Guerric. serm. 3. de Assumpt.*

*Isaia 61.*

Meritò tam diligenter inculcat S. Paulus hanc materiam fidelibus tamquam maximè necessariã ad salutem, & tamquam qui probè nouerat,quanta mala sequantur, & obueniant ei, quem Deus reliquerit in manu consilij & voluntatis propriæ. Vocauit Balac Rex Moabitarum Prophetam Balaam, vt tamquam maleficus, malediceret populo Dei,quem tantopere formidabat & timebat, propter multiplicationem, & quotidianam accretionẽ eius,& desiderabat eum subiugare,& si possibile foret, eum funditus euertere & destruere. Accurrit Propheta ad Deum,eumq́ue consulit, quid faciendum iudicet. Respondet Dominus,ne vllatenus aurem præbeat seruis Balac, néve mandatis eius acquiescat: *Noli ire cum eis.* Obediuit Propheta Deo consulenti. Referunt Regi responsum vaticinantis: at Rex iteratò alios submittit legatos auro & argento graues, muneribus onustos, vti sacer Textus commemorat, qui nouis promissis & regijs beneficijs & pollicitationibus animum Prophetæ demulceant & inclinent. Flectitur & mouetur Propheta muneribus oblatis, mutat cõsilium, & acquiescit suadenti auaritiæ suæ: denuò recurrit ad Deum tamquam ad oraculum, & quid resoluendum in casu,efflagitat. Et Dominus contrarium omnino primæ responsioni replicat; scilicet, *Vade cum eis.* Indagat hîc glossa Interlinealis,quî fieri potuit, vt quòd primâ vice prohibuit, secundâ mandet vt vadat? secundum vtique respõsum refellit primum. Vnde tam repentina mutatio? Accipite glossam: *Cedit Deus cupiditati, dimittit eum in desiderium cordis sui.* Prima responsio Dei fuit ad tenendum manum Prophetæ, & ducendum eius voluntatem, vt non vadens cum eis, se conformaret diuinæ voluntati; Secunda autem fuit,permittere Prophetæ, vt accipiat manum Dei, & permittere vt sequens propriam voluntatem, corruat, & quia concupiscentia & appetitus proprij commodi & lucri iam occupauerant cor eius, permisit Deus,vt secundùm desiderium suum regeretur, vel, vt meliùs dicam, seipsum præcipitem daret. Videte,quanta sit punitio Dei, tradere aliquem maiori hosti seu aduersario,quem habet in mundo; propriæ scilicet voluntati.

*Num. 22.*

Optimè nouerat hęc pręcipitia propriæ voluntatis Sanctus Isaac, in mysticâ illâ benedictione, quam impertitus est filio suo Esau, constituens eũ seruum fratris sui Iacob: *Fratri tuo seruies.* Forsan aliquis obaudiens hæc verba,dicet,illa plus punitionis, quàm fauoris esse significatiua,quia seruitus pro maledictione potiùs, quàm benedictione habetur. Nodum dubij soluit Sanctus Ambrosius,dicens Isaacum hîc Prophe-

*Gen. 30.*

Prophetam egisse. Nouerat equidem deprauatam voluntatem Esau, eumque indigere moderatore aliquo, quodque si propriæ relinqueretur voluntati, se deorsum præcipitaret. Seruiat igitur hic peccator fratri suo, qui eum instruat & refrænet; si excusso iugo & solutus fræno remanserit, nullus cum illo conueniet & tamquam effrænis mille absurda perpetrabit; ostendens, quòd seruitus ei remedio sit, quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat, præcipitatur proprijs
S. Ambr. l. 2. epist. 7. *voluntatibus. Diligẽs ergo pater & consulens, seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio.* Opus fuit paterni amoris & pietatis, eum subdere fratri suo; quia stupidus homo coniugatus cum propriâ voluntate incapax est regiminis sui, ac proinde indiget ductore, ne erret: quia si propriæ linquatur libertati, omnia destruet & perdet. *Præcipitatur proprijs voluntatibus.* Tantum nocumentum solet inferre Domino suo inordinata voluntas.

7. Clarè videtur hæc veritas in hâc generatione prauâ huius Euangelij & in cæteris peccatoribus eorum sequacibus. Sapientissimè eos descripsit Regius Vates in Psalmis, comparans eos equo molam asinariam vertenti, qui semper
Psal. 11. in circuitu ambulat: *In circuitu impij ambulant.* Qui hoc motu circumducitur, vt notauit S. Bernardus, semper habet idem principium & finem, absque eo quòd vmquam ab eo recedat. Tales sunt peccatores; omnes actiones suas dirigunt ad seipsos, & ad satisfactionem propriæ voluntatis. Quare ambitiosus continuò captat & bibit aërem, semper ambiens honores & dignitates, idque propter propriam æstimationem & commodum suum. Et quare auarus ostiatim vadit tamquam mendicus, aucupans diuitias; nisi vt illas sibi comparet? Et cur tandem luxuriosus noctes ducit insomnes, frigoribus & mille incommodis expositus, nisi vt suis carnalibus desiderijs satisfaciat? ita vt in omnibus seipsos habeãt tamquã principiũ & finem. Deplorat & luget mellifluus Doctor vitiosum illum circulum hisce grauissimis verbis: *Væ homini, qui sequitur hũc circuitum, qui numquam à propriâ voluntate recedit.* Verè infelix asseclа Scribarum & Pharisæorum, qui secum deferunt cauterium & notam suæ condemnationis, dictamen vtique propriæ voluntatis. D. Bern. serm. 11. in Psalm. Qui habitat.

Non placuit Christo Domino libellus supplex, quem ipsi exhibuit Martha in domo suâ, quando rogauit Dominũ, vt præciperet Mariæ Magdalenæ, quatenus se adiuuaret in præparãdis necessarijs. *Dic illi, vt me adiuuet.* Hæc est constans doctrina Sanctorum Patrum, qui hîc mille excogitarunt cõsiderationes, easque elegantissimas. Sed præ cæteris placuit mihi cuiusdam moderni auctoris meditatio, qui ait, Christum Saluatorem ideò non acquieuisse huic petitioni Marthæ, quia volebat voluntatem diuinam flecti & suæ conformari: *Dic illi, vt me adiuuet. Ac si,* inquit, *voluntatem diuinam ad suam allicere conaretur.* Egit Martha hîc personam imperfectorum, vtpote, quæ nondum perfectionis apicẽ attigerat; quia si reuerà perfecta fuisset, numquam ei in mentem venisset, velle regere Christum, cui, vt ancilla, famulari & obedire tenebatur. Hoc fuit velle (sicut mali faciunt) tenere manum Dei, cùm hoc nefas sit, sed vt rectâ incedat voluntas nostra, rogandus est Deus, vt ipse teneat manum nostram, eamque firmiter apprehensam deducat, & dirigat, vt numquam aberremus ab eo, quod placitum fuerit suæ diuinæ voluntati, neque vmquam nostra sit torta & praua, quem- 8. Lucæ 10

quemadmodum Scribarũ & Pharisæorum, sed commensurata & conformis diuinæ, quæ est regula, &c.

---

## *Signum videre.*

### ConsidERATIO IV.

*Cælestia priùs sunt credenda, quàm videnda; terrena verò & mundana priùs sunt videnda, quàm credenda.*

1. NON fuerunt primæ vices, quibus Iudæi voluerunt videre signa ad credendum, sed iam diu anteà illa requisiuerant. Antiqua est eorum astutia & solertia, quemadmodum animaduertit Sanctus Augustinus notans differentiam loquendi Iudæorum & Apostolorum illi vt increduli dicebant: *Quod signum ostendis nobis, vt cognoscamus & credamus?* Verba profectò perfidorum hæreticorum, qui volunt cognoscere, vt credant. Non ita Sanctus Petrus, inquit S. Augustinus; in personâ suorũ collegarum ait, vt securus incedat: *Nos credimus & cognouimus.* Fides credendi fuit via & medium cognoscendi, *& cognouimus.* Eidem loquẽdi modo suffragatur Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Credidimus enim, vt cognosceremus; nam si prius cognoscere, deinde creder vellemus, nec cognosceremus, nec credere valeremus.* His præmissis positis elicit Diuus Augustinus hanc conclusionem: *Intellectus merces est fidei: Ergo noli quærere intelligere, vt credas; sed crede, vt intelligas; quoniam iam scriptum est: Nisi credideritis, non intelligetis.* Non sunt intelligenda mysteria diuina, vt credantur; sed credenda, vt intelligantur. Et subiungit Sanctus Doctor diuinam penè rationem: Si ad credendum mysteria fidei, velis priùs ea videre & intelligere, non erit tibi necessaria fides, vt credas quod intelligis, & cognoscis. *Ideò bene creditur, quia non capitur: nam si caperetur, non opus erat, vt crederetur, quia videtur. Ideò credis, quia non capis, & credendo fis idoneus vt capias.* Ex his igitur euidẽter colligitur, quàm cæca fuerit Scribarum & Pharisæorum postulatio, & quàm erronea eorum sollicitatio & prætensio, quia volebant peruertere ordinem rerum, & videre ad credendum, quasi dispositio ad fidem foret præuia cognitio, ita vt per naturalem rationem vellent iudicare de fide, & iudex controuersiæ in materiâ fidei esset rationis naturalis dictamen. Execranda blasphemia, & intolerabilis error, velle fidem subijcere rationi, & ipsummet Deum creaturæ, cùm æquum & fas sit, vt ratio & omnis creatura sit Deo, & fidei subiecta; ita vt credere sit medium ad cognoscendum, & videndum, & vbi datur curiositas videndi, iam incipit dominari vanitas superbiæ & est certa ruina, & perditio.

*D. Augustin. tract. 7. in Ioan. c. 6.*

*D. Chrysost. in catena D. Thomæ.*

*S. Augustin tract. 36. in Ioannem.*

Ad hoc propositum mihi summopere placet allegoria Diui Bernardi, discurrentis super aduersam illam fortunam, quæ inauspicatò accidit Dinæ filiæ Iacob egrediẽti è domo suâ: *Egressa est, vt videret mulieres regionis illius.* Solâ concupiscentiâ videndi sibi iacturam honoris & famæ acciuit, ceteraque infortunia adeo nota peperit, & causauit euersionem vtique & desolationem totius ciuitatis, mœrorem venerabilium canorum & senectutis parentum, odium & bella filiorum, tandem exitium & perniciem omnium. Egressa domo extra obedientiam Dei, vagabunda pascebat sensus suos obiectis extraneis & peregrinis, ac proinde stuprum futurum erat infallibile & 2.

*Genes. 34.*

S. Bern. de gradibus humilitatis. ineuitabile. Aures arrigite, & Sanctum Bernardum Dinæ sic loquentem auscultate. *Si otiosè vides, non otiosè videris, tu curiosè spectas, sed curiosiùs spectaris: quis crederet tuam illam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem, fore paulò pòst non otiosam, sed tibi, tuis, hostibusq; tam perniciosam?* Quando humanus intellectus extra cardinem suũ ducitur & trahitur, & vult perscrutari ea, ad quæ sphæra obiecti sui non se extendit, certa est insidiatio inimici, & plusquàm certa aliqua deordinatio; atque ita sanius & melius est, esse circumcinctum fide; quia simul ac aliquis limites eius egreditur, in Scribam & Pharisæum peruertitur, & vult videre vt credat; in omnibus errat, & in nullo rectè operatur. *Volumus signum videre.*

3. Mandauit Deus Patriarchæ Abrahamo, vt egrederetur de terra sua, indicat mandatum vxori suæ, & aliquibus domesticis & familiaribus suis, vt se præparent & accingant itineri ad satisfaciendum Dei præcepto: aggrediuntur tandem iter præceptum, & tendunt ad terrã Chananæorũ. *Egressi sunt, vt irent in terram Chanaan.* Ita
Genes. 12. nos docet Textus Geneseos. Recurramus nunc ad Sanctum Paulum, & audiamus quid ipse hâc de re iudicet. *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem, & exiuit nesciens, quò iret.* ille,
Ad Hebr. 11. qui fide dicitur Abraham, vocatus à Deo ad locum incognitum, promptè obediuit, nesciens quò iret. Iam dubitatio oculis sese ingerit. Si fide creditur, & obedientiâ obeditur, quî fit vt Sanctus Paulus actus virtutum inuertat, & præposterè obedientiam attribuat fidei, asserens, quod Abraham obediuit fide? Et si Moyses dixerit Abrahamum, & suos iuisse versùs terram Chanaan: *Et egressi sunt, vt irent in terram Chanaan*, quomodo dicit Apostolus, locum ipsi fuisse ignotum? 4.
*exiuit nesciens quò iret?* Dubium bene propositum est, & nunc dicam, quid sentiam circa concordiam amborum textuum, ne etiam minùs bene solutum remaneat. Duo itinera peragebat Abraham, vnum ex obedientiâ & præcepto Dei, quo ei mandabat, vt proficisceretur ad possidendum terram, quã ei dabat; & iuxta hoc mandatum egressus est cum suis, vt iret ad terram Chanaan. *Obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & egressi sunt in terram Chanaan.* Aliud iter Spirituale peragebat ad augmentũ gratiæ, quod fide decurrebat, credens, Deum esse, qui ei loquebatur, & certissimas esse repromissiones, quas ei faciebat, & fide tantum profecit, vt pertigerit ad talem statum & terminum gratiæ, quẽ numquam potuit comprehendere seu intelligere; imò hâc viâ & medio nomen suum æternitati consecrauit & toti mundo celeberrimum effecit. Et ne videatur hæc meditatio mea carere fundamento seu fulcro in doctrinâ Sanctorum Patrum, loquatur hîc Sanctus Ambrosius. *Reputatum est illi ad iustitiam, qui rationem eorum, quæ videbat, non postulabat, sed promptissimâ fide credidit.* Excellentia igitur fidei Abrahæ, & dignitas virtutis eius in hoc maximè elucebat, quòd non regebatur visu & intuitu eorum, quæ respiciebat, sed non visa credebat, vt nos suo exemplo doceat, quòd in rebus diuinis fides præuenire debeat rationem, atque in illis philosophari non debeamus, quemadmodum in rebus humanis, quas, vt ad sensum exponamus, primò consulimus rationem: *Consentaneum igitur, & iustum est, vt in rebus diuinis, rationem præueniat fides, ne tamquam ab homine, ita à Deo,*

Luc. 18.

S. Ambros. super cap. 4. ad Romanos.

*Deo, rationem exigere videamur.*

4. Refert Sanctus Lucas de pio quodam, ac deuoto cœco, quòd, transeunte Christo Domino nostro, & cum eo magnâ turbâ hominum, audiens faustas acclamationes, quas doctrinæ, ac miraculorum eius gratiâ, cuncti proferebant, ac intelligens de quo essent, leuauerit vocem suam, & magno affectu eum rogare inceperit, vt pro suâ misericordiâ visum sibi restitueret: *Iesu* Luc. 18. *Fili Dauid, miserere mei.* Aduertunt autem Interpretes, quòd in hac petitione obseruauerit stilum, quo cœci exorantes vti solent, qui est, nobilitatem, ac honores eius, à quo eleëmosynam accipere sperant, proferre: *Iesu Fili Dauid, miserere mei.* In medium protulit nomen Saluatoris, & regalem prosapiam parentis, quasi diceret: Domine, quosdam mouet nomen quod gerunt, alios verò generis nobilitas, ad probè agendum, ac maiorum suorum vestigijs inhærendum, obstringit; in te autẽ vtrumque concurrit; nomen Saluator, sanguis verò maximè illustris, atque ad commiserationem pronus; *Mei,* itaque, *miserere*; quamuis enim cœci aliquatenus Dauidi displicuerint, in quãtum in expugnatione Syon, in eius contumeliam, se illi opposuerunt: tamen vnius culpa, alium non condemnat; & vt hoc esset, propterea memorem te primùm reddo nominis Iesu, quod geris, vt si fortè cum sanguine, iniuriarum quoque sensum hereditaueris, nomen saltem, quod omnium est potentissimum, odium mei tibi adimat. Et siquidem diuinum humano semper præualet, pro eo quod hominis, ad cœcos contemnendos, *Fili Dauid,* pro eo verò quod habes Dei, moueri poteris ad eos illuminandos; *Iesu miserere mei.* Prosequitur Euangelista, quòd *stans Iesus iussit illum adduci ad se, & dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit.* Est egregia Sancti Gregorij Magni cogitatio, considerantis hunc successum: *Cœcum clamantem Dominus transiens audiuit, sed stans illuminauit.* Quasi diceret lux mũdi: Vt sit viator, melius erit cœcus, & cum auditu, quæ sunt proprietates fidei: ne me videas, audi me, credendo mysteria, quæ interea tẽporis, quo viator sum, & transiens, operabor; ac in præmium fidei huius, cùm salutem consecutus fueris, & beatus, clarè me videbis, relinquentem statum viatoris, & in tranquillitate comprehensoris existentem: *Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se, &c.* Instar cœcorum, cum solo obscuro fidei lumine, diuinâ gratiâ adiuti, inter mortales viuere debemus, vt cùm beati simus, remaneat claritas & euidentia.

*Gregor. homil. in Euang.*

Apostolis, resuscitato Christo, ex mulieribus id audientibus, Sanctus Petrus, & Sanctus Ioannes ad sepulchrum cucurrerunt, & in viâ quidem, ambo currebant: Ioannes verò præcedebat; sed vt peruenit ad monumentum, substitit, ac Sancto Petro cessit, vt primus intraret, & amicula feralia, & ligamina videret, atque his ex Sancto Petro cognitis, Ioannes quoque post illum intrauit: *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum, non tamen introiuit. Venit ergò Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, &c. Tunc ergo introiuit, & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum.* Quærunt Sancti Patres, quam ob causam Sanctus Ioannes non intrauerit primus in monumentum, sed gradum stiterit, & cesserit Sancto Petro, vt intraret? Sanctus Gregorius Magnus insinuat, humanitatis causâ id factum fuisse, & Euangelistam ad Sancti Petri senectutem,

5. *Ioan. 20.*

*Gregor. homil. 22 in Euang.*

ctutem, ac canitiẽ respexisse. *Currebant duo simul, sed Ioãnes præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, & ingredi non præsumpsit.* S. Ambrosius existimat, S. Ioannẽ Ecclesiæ clauibus honorẽ detulisse, quas sciret S. Petro, fidelibus ad Cœlorũ Regnũ intromittẽdis, traditas fuisse. *Petrus sine metu aduenit, & constanter, qui posterior venerat, primus ingreditur, quasi qui claues Regni, vt alijs aperiret, acceperat.* Hàc cõmuniter Doctores incedunt; verùm aliam rationẽ dat noster doctus Episcopus Barbastrẽsis, nouã, ingeniosam, & instituto nostro admodum accommodatam. Ioãnes, inquit ille, est symbolum cognitionis, cui reuelata fuerũt secreta cœlestia: *Cui reuelata sunt secreta cœlestia.* S. Petrus autẽ fidei; illi enim, ac cõfessioni eius Ecclesia innititur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Modò itaque in cõmuni vitę huius viâ, primus incedat Ioannes, qui est intellectus, & discursus naturalis, ac de rebus nõ iudicet, nisi primò eas intelligat; nec credat, nisi quod viderit. Sed ad introitum profũdi sepulchri mysteriorũ supernaturaliũ, subsistat ratio, & humana cognitio, ac fidei cedat, vt primò intret; & secũdũ eã, credat id quod dicitur; inde enim via pandetur ad cognitionẽ in hac vita, ab altâ quadã notitiã sublimiũ mysteriorũ per gratiã, & in altera per euidentẽ notitiam illorum, per gloriã. Ibi est visio, hîc verò solummodo agi debet de fide.

Ambros. lib. 10. in Luc.

Episcop. Barbast. hom. 28. §. 22.

6. Quando Saluator cõuertere voluit, & cõuertit Saulum, inquit S. Lucas, vsu visûs eum priuauit: *Apertisq; oculis nihil videbat:* & meâ quidem sentẽtiã magnũ mysteriũ includit, exercitio videndi eũ priuare. Idẽ verò Paulus iam conuersus, scribẽs ad Corinth. dicit: Scio de quodã homine, eũ ante annos quatuor-decim raptũm ad tertium cœlum, vbi magna vidit mysteria, quę nõ licet homini loqui: *Scio hominem &c.* Et quidẽ ex doctrina nostri Angelici Doctoris S. Thomæ, tẽpore cõuersionis eius, fuerunt hæ extases, & raptus huius Sancti. Cõponit autẽ hęc duo Poëta Christianus, quæ in miraculosa Pauli cõuersione acciderũt. Primũ, cœcũ eum esse, & apertis oculis nihil videre: *apertisq; oculis nihil videbat* alterum verò, eum posteà abductum ad cœlos, tanta, ac tam grãdia ibidẽ videre: *vidit arcana verba, &c.* & dicit cœcitatẽ terrestrem fuisse matrem reuelationũ cœli, cumque tantum ibidem vidisse, eò quòd hîc nihil viderit: *Vidit arcana, apertisq; oculis nihil videbat, quantum meruere tenebræ, mirabile sæclis exemplũ dedit alma fides.* Quæ quidem egregiè probãt quod intendimus; nimirũ cœlestia credenda esse, vt videantur; aliter quã erga mũdana nos habere debeamus, quæ videnda sunt, vt credantur. Quęsierũt aliquãdo à Thalete Milesio: *Quantũ distat veritas à mendacio.* Ille verò sapiẽter respondit: *Quantũ ab oculis distant aures:* intelligẽs ex rebus humanis, illas solas pro certis habendas, quas oculis nostris cõspicimus; omnibus namq; auditis assensum præbere, ac singulis, quæ referũtur, fidẽ adhibere, magnę leuitatis est, aut, vt meliùs dicatur, præcipitis temeritatis. Idẽ sẽsit Philosophus Cordubensis: *Simplicitate opus est, & benignâ rerum æstimatione, vt nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestumq; erit, credamus.* Verùm humanarum litterarum exempla relinquamus, & ad purum, ac sincerum doctrinæ Sanctorum & diuinarum Scripturarum fontem accedamus.

Act. 9.

2. Cor. 12.

S. Thom. hic.

Arator lib. 2.

Erasm. lib. 18. Apophthegm.

Seneca lib. de Ira, c. 24.

Prouocat Deum iniquitas incolarũ duarum illarum ignominiosarum ciuitatum, cuius grauis odor ipsi cœlo non pepercit, cumque abominabilia illorum peccata eum conturbant, descendere vult peccatores conspecturus: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccata eorum magna valde.* Des- 7.

Genes. 18.

*de. Descendam igitur, & videbo.* Quid hoc est, Deus, & Domine vitæ meæ, videbis ea quæ aguntur? & quid ad hoc necesse tibi est descendere? an non omnia tibi patent? *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Sunt vtique, inquit insignis Oleaster; sed *graues debent esse Prælati in criminibus credendis, & puniendis, vt non facilè cuilibet personæ, aut varijs rumoribus credant, sed ipsis oculis videant, quæ debent punire.* Nō descēdit Deus, eò quòd necesse ipsi sit, ire vt videat, sed vt iudices, ac superiores doceat, quâ prudentiâ procedere debeant in castigandis delictis; vt ad solas aliorum relationes præcipitanter non iudicent, sed causarum merita videant, atque cognoscant, vt rectè diiudicent. Non istud est quod in mundo agitur; certum enim est, multos esse iudices, qui solo odore ducti capiunt, ex & leuissimis indicijs nonnullos affligunt; & quamquam subinde certæ sint ipsorum suspiciones, non tamen valdè secura, ac nitida est ipsorum conscientia; cùm sese præcipitent magis instar homicidarum, quàm hominum zelosorum, & instar vulturum, à longè mortuos odorentur. Nemo quidem negare potest, necessariam esse in hoc mundo iustitiam ei, qui regit; nullus enim homo fuit, qui absque iustitiâ Rempublicam in pace continere potuit; & siquidem sola indulgentia sceptrum habuerit, libertatibus & insolentijs cuncta patebunt; verumtamen necesse est vt iudex Argus quidam sit, ac primò causam aliquam videat, & reuideat, antequam iudicet; ad hoc enim inquit Deus descendere se debere, vt illos doceat qualiter suo in ministerio se gerere debeant: *Sed ipsis oculis videant, quæ debent punire*; multæ enim sunt in mundo falsitates, ac sinistræ inuestigationes. Id verò, quod magis ad institutum nostrum spectat, vtpote generalis quædā doctrina, est quod Oleaster adiungit: *Similiter notandum est, neminem ex sola infamia iudicandum.* Hinc omnes docemur, non iudicare proximum nostrū, ex eo solo quòd malâ famâ laboret; sæpè enim falsò est imposita, & vnus sufficit inimicus, ad domum quampiam obscurandā atque etiam integram familiā denigrandam, omnemq; eius fidem, & authoritatē labefactādam. Atque adeò Christianæ prudentiæ est, in rebus humanis, non leuiter eas credere: *Qui citò credit, leuis est corde,* inquit Spiritus S. sed tardo ac lento passu incedere, eas primò conspicere, vt certitudo de illis (in hoc enim à diuinis differunt) habeatur.

Ad Hebr. | Oleast. hic. | Oleast. hic. | Eccles. 19.

8\. Obseruauit ingeniosus Philo Hebręus, omnia mala quæ in carcere Pharaonis pertulit Ioseph, originem suam traxisse ex facilitate, quâ Dominus eius, vxoris suæ dictis fidē adhibuit, ac firmiter sibi persuasit vera esse ea, quæ nō viderat. Notauit hoc ipsū Sacra Scriptura: *His auditis, & maritus nimiū credulus verbis vxoris, iratus est valde, tradiditq; Ioseph in carcerē.* Reflexit Philo Hebræus ad illa verba: *His auditis nimiū credulus*; & aduertit, quod Sacer Textus vocet Putipharē, leuem in credendo, cū tamen & materia tam grauis, ac indicia admodū iusta, & legitima forent. Et quidē apparet, quòd immeritò, vt nimiū credulū, ipsum condēnet, cùm sufficiens ad hoc fundamentum haberet. Respōdet Philosophus nostro instituto valde accōmodatè: *Credidit Putiphar ex euidētia signorum, & falsus est; ideò sacra Scriptura docet, vt moneamur, caueamusq; ne facilè adhibeamus fidem auditui, & rumori, nisi fuerit visu roboratus.* Nō ita in rebus diuinis; nā ad eas videndas, necesse est primò eas credere: atque adeò grauiter in hoc offenderunt Scribæ & Pharisæi, quod de sublimibus cœli rebus, quemadmodū de terrenis quisquilijs dissererent voluerint: *Volumus signum videre*; videre volumus, vt credamus.

Genes. 39. | Phil. lib. de Iud.

*Generatio mala & adultera, &c.*

## CONSIDERATIO V.

*Dæmonem, vt ad grauia peccata inducat, à leuioribus culpis incipere.*

1. PROGENIES mala, & generatio adultera, signa petit, tot ac tantis visis, inquit Christus Dominus, & Redemptor noster: super qua responsione Oratores Euangelici, & sacri Interpretes, multos, ac doctos admodum discursus formant. Singularis est, Venerabilis quondam Magistri mei, in Commentarijs moralibus super Genesim, aduertentis, priusquàm Dominus eos adulteros vocaret, dixerit eos malos esse: *Generatio mala & adultera*; sumptâ metaphorâ à muliere matrimonio iuncta, quæ coniugalis status leges violando, sponso suo infidelis existit: verùm experientia docet, multa alia peccata, ac delicta præcedere, antequam sese dedat ad tam iniqua crimina, & impudentes malitias committendas, prout sunt, sponso suo fidem frangere: *Multa hoc facinus præcedunt, & ad ruinam disponũt; nimirũ mulier cupit videre ac videri, excipit nuntios, respondet, rescribit: aspectum & colloquium admittit, donec tandem infelix in adulterium prosternatur, semper ad flagitium per viam inceditur.* Adeò, vt paulatim per gradus ad summum iniquitatis adscendat, atque in profundum inferni sese præcipitans, à leuioribus peccatis incipiens, ad grauissima committenda sese disponat. Tales fuerunt hi Scribæ & Pharisæi, cum quibus Dominus hîc loquebatur, qui à rebus minoris momenti incipientes, eò deuenerunt, vt se totos præcipitarint, & excæcarint, ac capita parietibus impegerint ac si reipsâ stulti fuissent. Idem omninò multis Christianis accidit: non euitantes enim irrisiones, ad grauiores materias deueniunt; & peccatum veniale non impedientes, in mortale facilè incidunt: atque ex amissione timoris Dei, nascitur in animâ illius contemptus: adeò vt liquidò constet, quòd ad minutiora non reflectere, causa sit perditionis rerum maioris momenti, & substantia propter accidentia aut conseruetur, aut corrumpatur.

*Bened. Ferdinand. in cap. 27. Genes. sect. 4. num. 2.*

2. Gloriosus Sanctus Chrysostomus, multis exemplis ex rebus naturalibus petitis (quæ curiosi per otium in ipso videre poterunt) probat, nos semper paulatim ab vno extremo ad aliud progredi, nam cùm necessarius sit transitus per medium, fieri non potest, vt in momento fiat. Homo per annos iuuentutis, & virilis ætatis, transit à puero in senem; ab infirmo ad sanum, per tempus conualescentiæ; de die ad noctem, & de nocte ad diem, per crepuscula; à frigore hiemis ad calores æstatis, per moderationem veris; & à caloribus æstatis ad gelu hiemis, per autumni temperiem. Eodem ordine res artificiales incedunt. In arte pingendi, vt nigrum in album conuertatur, per medios colores transire debet; in arte sculpendi, pinus dolanda est, antequam statua conformetur. In rebus moralibus eundem discursum videamus; ex diuite nemo repentè fit pauper, ex sapiente idiota. Idem proportionatè accidit in rebus spiritualibus: *Nemo repentè fit pessimus*; nemo enim ab extremo virtutis, statim peruenit ad extremum malitiæ, nisi transeundo per medium, hoc est, committendo culpas leues, & ab istis ad maiores alias procedendo; ac tandem in grauia peccata incidendo: atque adeò tam prudens, quàm

*Chrysost. homil. 11. in Genes.*

quàm Christianum consilium est, conari euitare minus, ne ad maius deueniatur.

3. Iratus Cain, videns Deum euidentibus signis acceptare sacrificium fratris, suumque reijcere, quodã die eduxit eum foras in agrum, vti refert sacer Textus: *Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem Abel, & interfecit eum*; lapidem nempe arripuit (secundùm Authorem Paraphrasis Ierosolymitanæ) caput ei perfregit, innocentem eius sanguinem effudit, vitamque Sancto Iuueni ademit. Considerat Sanctus Chrysostomus, hoc fratricidium tam horrendum, & ait: *Alicui fortasse videbitur, hoc primum fuisse peccatum, quod peruersus, ac sceleratus hic commiserit; verumtamen certum est, non fuisse, eumq; plura alia commisisse: non enim confestim cædem fratris illi diabolus suggessit, ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur: sed priùs suasit deteriora offerre, nullum id esse dicens peccatum: deinde inuidiæ veneno succedit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo: ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quàm malorum omnium verticem imposuit.*

*Genes. 4.*

*Auth. Paraphr. Ierosolymit.*

4. *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* Verba sunt regij Prophetæ, in gratiarum actionem, pro beneficio à Deo ipsi collato, ab inimicis eum liberando; quamuis enim ad angustias eum iam reduxissent, ille tamen in nomine Domini ad eos conuersus est, & victoriam ab ipsis reportauit. Hæc est communis explicatio; atque adeò. *Impulsus euersus sum*, significat; illidebant me, & opprimebant, & in terram me conijcere conabantur: *vt caderem*; iam lapsui proximus eram; *& Dominus suscepit me.* Ille namque detinuit me, ac brachijs suis excepit. Antiqua lectio Hebraica, quam adducit Sanctus Pater Augustinus, occasionem mihi dedit nouæ expositionis: *Vt cumulus arenæ, impulsus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* Existimo, Dauidem non de corporalibus, sed spiritualibus aduersarijs locutum hîc fuisse; agitque de modo quo dæmon eum dejecit; & ad meliorem declarationem vtitur metaphorã cumuli arenæ; quasi dicat, quod quemadmodum ventus in littore maris, ab vna parte ad aliam arenæ cumulum transferre solet; ita dæmon, à parte gratiæ, ad partem peccati eum transtulerit. Et quî, obsecro, arenam ventus transfert? Parumper ventus flat, & modicum arenæ adducit: alius ventus irruit, qui & modicum quoque adducit; cumque minus cogitaueris, arenã, quæ erat ab vna parte, ad aliam translatam vides. Hoc modo me transtulit Satanas; Vriæ vxorem mihi ostendit, & statim curiositas mihi incessit eam videndi, eique loquendi, posteà illam cognoscendi, deinde verò maritum eius occidendi; atque ita gradatim me abduxit, & sensim persuasit, donec in adulterium, & homicidium me conjecit. Adeò, vt vnus incautus visus tantorum damnorum occasio fuerit, & de me cumulum arenæ confecerit: *Vt cumulus arenæ impulsus sum.* Tam misericors autem fuit Dominus, vt cùm me peccatorum meorum pœnituit, eum apertis brachijs, ad me excipiendum, inuenerim: *Et Dominus suscepit me.* Quid melius, quàm huius versûs doctrina, probat eam, quam hac consideratione docemus? quódue melius ad discendum magis agnoscere astútias, & sagacitates fallacis huius inimici? numquam enim, cùm incipit, nos inducit ad atrocia peccata committenda, sed leuioribus, & venialibus animam dispo-

*Psal. 117.*

*Lect. Hebr. Aug. apud Nouar. lib. 4. vmb. virgin. excurs. 112.*

disponit, donec ad execranda scelera eam facilitet.

5. Isaiæ 5. Existimo hosce tales à Deo lugeri per Prophetam Isaiam *capite* 5. sacri eius vaticinij: *Væ*, inquit, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*. Non ignoro magis communem horum verborum interpretationem, ea explicare, de peccatoribus inueteratis, in peccatis remanentibus, & continuantibus, qui vno & altero anno labente, sese non emendant; imò verò iniquitatum funem semper continuant. Verumtamen lectionem quamdam Paraphrastis Chaldæi deprehendi, fundatam in verbis, quæ in nostra Vulgata hæc ipsa sequuntur, quæ mihi nouam explicationem suggessit. Sacer Textus dicit hoc modo: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Chaldæus verò dicit: *Væ qui incipiunt pusillum peccare, trahentes peccata in funiculis vanitatis, augentur & crescunt, donec fortiora facta sunt, & quasi vinculum plaustri peccata.* Nisi mea me industria ac studium fallat, videtur mihi Propheta peccatores illos hîc deplorare, qui se iniquitatis restiones effecerunt. Non vidistis quomodo horum famulus funem contorqueat? incipit fila filis coniungere, & funem conficit; mox huic alterum connectit; & funis iam existit qui taurum detineat; huic iterum alium iungit, & rudentem conficit, qui nauem contineat. Itaque quos Propheta plangit, peccatores illi sunt, qui funium contortores esse videntur; à leuioribus culpis incipiunt, vel funiculis tenuioribus, & de fune in funem, & de peccato in peccatum, eò tandem deueniunt, vt rudentem conficiant catenâ fortiorem; qui, nonnisi speciali Dei miraculo, fractu impossibilis videtur. Confidite friuolis dæmonis rebus, & breui miserum, ac periculosum statum videbitis, in quo vos deprehendetis.

Paraph. Chald.

Quis ille erit, de quo in libro Iob dicitur, quòd *ædificauit sicut tinea domum suam*? Doctores tam antiqui, quâm moderni, hunc versum ordinariè de diuitibus interpretantur. Verùm aliqui in sensu mystico de Satana intellexerunt; qui quemadmodum tinea domum suam ædificare solet, ita ille in animabus nostris domicilium suum construit. Primâ fronte nõ videtur admodum propria hæc nostra similitudo: tinea enim vermis quidam est exiguus, & contemptibilis, nec maiorem atomo, aut puncto locum obtinet: dæmon verò princeps quidam est, & magnus dominus; sic enim Christus Redemptor noster eum indigitauit: *Nunc princeps huius mundi, &c.* & palatium eius est circuitus vniuersi. Ita quoque & ipse subindicauit: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Quomodo verò hæc comparatio intelligenda est, vt sensui iam dicto accommodetur? Angelicus noster Doctor Sanctus Thomas, vnico nobis verbo rem totam edisseret; non agi hîc scilicet de exilitate, aut magnitudine domus, sed de modo quem habet dæmon in ea ædificanda, qui idem est cum modo tineæ; tinea verò qualiter suum sibi domicilium construit? *Corrodendo*, inquit Angelicus Magister. Vermiculus hic trabem subingreditur, ac sensim carie infestat; cumque sit res tam exilis, trabs verò crassa & fortis, labente tempore eam corrumpit, & in terram deijcit. Non aliâ ratione inimicus noster, contentus vel exiguum locum occupare, animam aliquam ingreditur, ad peccatum veniale hodie inducens, cras ad aliud, inde ad mortale transgreditur, & hac ratione sensim, ac pedetentim sese in eam introducit, posses-

6. Iob. 27. Ioan. 12. Iob. 1. Thom. hic.

possessionem eius capiens, ac vires eius perfringens & labefactans, donec minorum culparum repetitione, in grauia peccata incidat, & instar tineæ, spirituale animæ ædificium, quod diuina gratia longo tempore fabricauerat, euertat, & destruat; atque adeò admodùm propriè metaphora tineæ Satanæ accommodatur: *Aedificauit sicut tinea domum suam.*

Mysterio plenæ sunt lachrymæ Prophetæ Ieremiæ in Threnis, lugentis destructionem portarum Hierusalem: *Omnes portæ eius destructæ sunt*, ac consequenter, reliquum ciuitatis pro perdito, atque destructo haberi potest. Suppono, tamquam certum, hunc Sanctum non de materialibus, sed spiritualibus populi Hebraici portis fuisse locutum (quamquam noster Hector Lusitanus voluerit intelligi de iudicijs, quorum Tribunalia in portis ciuitatis esse solebant: *Iudicia quæ fiebant in portis.*) Id verò, ad quod reflecto, & ponderatu dignum mihi videtur, est, an hæ portæ, postquam destructæ, reædificatæ fuerint? Vel clariùs: An hi peccatores pœnituerint, ac sese emendarint? & quidem clarè colligitur quòd non: nam Propheta, paulò antè, lamentationem suam prosequens, dicit, quòd *defixæ sunt in terra portæ eius.* Commentatores moralem huius loci sensum, mysterijs nihilominus plenum, per transennam tantum tractant. Solus Sanctus Paschasius, hæc duo loca conferens, & impœnitentes hos peccatores considerans, sequentia verba dixit: *De quibus iam suprà planxerat, quod destructæ essent, nunc verò aliquid magis dolet, quia defixæ sunt in terra; quod enim infixum est, non facilè mouetur.* Præterijt hunc Sanctum (quamuis in Scripturis apprimè versatum) verbũ vnum, quod ante hæc omnia habetur eodem capite primo Prophetæ, ad conceptum eius magis eleuandum: *Venient*, inquit ille de inimicis Hierusalem, *& ponet vnusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem*; adeò, vt secundùm hoc, infelices has portas, vel infaustos hos peccatores, in triplici statu considerare debeamus; primò dantes ingressum inimicis: *Venient, &c.* mox verò portas iam luxatas, atque destructas, *Destructæ*; demum in terrâ defixas, *Defixæ*, quæque iam nulli alteri rei seruire possunt. Hoc est, quod dæmon ex vna occasione in aliam eos ducat, incipiendo à minori, donec ad maius perducat, & taliter eos vitijs suis affigat, vt si non omnino sit, sanè vt omnino impossibile esse videatur, inquit hic Sanctus, vt à terrâ peccatorum suorum se eleuet.

Threni. 1. — Hect. Pint. hic. — Paschas. in lamẽt. Ierem. lib. 1. litt. Teth. — Ierem. 1.

7. Idem Sanctus Paschasius aliam, eamque insignem huiusce rei probationẽ, ex nouo testamento desumptam, subministrauit. Considerat, qualiter dæmon cum Sancto Petro Apostolo se gesserit, quando effecit, vt diuinum suum Magistrum negaret; nempe de malo semper in peius abducendo. *In prima negatione sua coram omnibus dicit tantùm: Nescio quid dicis. In secunda verò, negat cum iuramento. Porrò in tertia dicitur, quòd cœperit detestari. Grauius quidem, ac grauius negat, quia quanto profundius in negationem vadit, tanto etiam cum iuramento amplius peccat.* Idem obseruauit Cardinalis Victriacus, & dicit, non esse quod obstupescamus: *Quia perseuerare in peccato dat incrementum sceleris, & qui modica spernit, cadit in maiora.* Cauete ab impostore, & astuto hoc inimico, qui licet cum ingressu portæ contentus esse videa-

Paschas. lib. 12. Matth. 26. — Victriac. serm. 3. Parascen.

videatur, certum tamen est, quod totius domus sese paulatim dominum efficiet.

8. Coronidem huic discursui imponamus, re quadam æterna memoria digna, quam refert magnus Pater Sanctus Augustinus, explicans verba illa capitis primi S.Ioannis; *Omnia per ipsum facta sunt*. Vbi Euangelista dicit, Deum rerum omnium fuisse authorem. Catholicus quidam infirmabatur; muscæ autem magnâ molestiâ eum afficiebant, & plurimum diuexabant: quidam verò hæreticus Manichæus eum inuisit, & videns eum tantoperè afflictum, ac pertæsum; Quid, inquit, de insectis hisce, & importunis animalculis tibi videtur? profectò, non Deus, sed diabolus ea effecerit. Miser ægrotus, videns se ab illis tantoperè infestatum; Reuerà, inquit, amice, ita vt ais, esse videtur: rem tam malam Deus non fecit. Igitur, si mihi concesseris, quod muscas non fecerit, similiter nec apes fecit; idem enim vtriusque est author ita quidem. Iam verò Sanctus Augustinus adiungit: *Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, postremò ad hominem, & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo*. Videte qualiter dæmon, per ministrum suum hæreticum, rem suam egerit, & à musca incipiens, fidelem Christianum in pertinacissimum Manichæum (hæc enim ipsius erat hæresis) conuerterit. Quis talia cogitasset? Rebus exiguis inimici huius minimè fidendum; rusticæ conditionis est; rusticus enim si digitum ei dederis, manum arripit. Si semel, qualitercumque in animam ingredi permiseris, non acquiescit, donec eam totam possederit: verùm non statim ad summa eam inuitat, vtque vnico aleæ iactui, vt dici solet, cuncta exponat, sed sensim ac pedententim eam seducit, idque rebus minoris momenti, donec ad alias maioris considerationis perducat. Mulierem quampiam primâ occasione adulteram non facit, multas anteriores dispositiones introducit (sicut in principio huius discursus aduertimus). Et eâdem ratione cum Iudæis gessit; hos enim primò ad leuiores culpas perpetrandas induxit, antequam in abominanda crimina sese præcipitarent. Paulatim irrepit, & instar militum locum aliquem munitum obsidentium, partem aliquam terræ vicinæ inuadit, hodie vnam, cras verò aliam; sicut *Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo*; & funis marmori putealis, atque ferro signum imprimit, & quemadmodum ædificium paulatim dissoluitur, & decidit, donec vno impetu in terram ruat; ita dæmon sese paulatim animarum nostrarum dominum efficit: *Generatio mala, & adultera*.

*Ioan. 1.*

*August. Comm. in hunc locum.*

---

## *Non dabitur signum.*

### CONSIDERATIO VI.

*Quod sciente Christo Scribas & Pharisæos non conuertendos, eorum petitioni non annuere, plus fauoris, & gratiæ habuerit, quàm seueritatis.*

1. INFINITAS propemodum rationes accumulare hîc solent Interpretes, quare Christus Dominus noster negauerit Pharisæis, & Scribis signa, quæ ab ipso petebant. Videri hæ apud ipsos possunt à curiosis. Magis doctrinalis mihi videtur, quam ex Sancto Ioanne Chrysostomo refert Angelicus noster Doctor Sanctus Thomas: *Vel quia signa faciebat, non propter eos, quos sciebat lapideos*

*Thom. 3. p. q. 43. a. 1. ad 1.*

*lapideos esse,sed vt alios emendaret,& ideò non eis,sed alijs signa dabantur.* Ego verò bonâ pace,ac veniâ tanti Doctoris, doctrinam magis protendere ac dilatare debeo:atque adeò dico,rationem,propter quam noluerit dare signa ijs,quos nullum inde spirituale bonum desumpturos cognoscebat, fuisse,ne nouam eis damnationis causam daret;supposito,quòd nulli alteri rei eis inseruirent, quàm(vti aliàs fecerant)ad Dominum calumniandum,atque adeò peiores essent euasuri. Magnam profectò gratiam eis fecit, nulla eis signa exhibendo;ne malitia ipsorum magis exulcearetur.

2. Patriarchæ Abrahæ promisit Deus magnis se beneficijs ipsum prosecuturum: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* (Genes.15.) Audite quid responsi ipsi dederit: *Quid dabis mihi? Mihi non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Sancti Patres verò,& sacri Interpretes communiter explicant hæc verba iungendo prima, *Quid mihi dabis?* cum posterioribus, *Mihi non dedisti semen,&c.* vt significantia dolorem,quo Abrahã, videns se iam senem,& sterilem absque liberis & futuro successore,atque hærede domus suæ,afficiebatur. Verumtamen Philo Hebræus aliâ longè viâ incedit,& contendit,illud, *Quid mihi dabis?* per se particularem sensum efficere,& ab eo,qui ei attribui solet,valde diuersum;& ait,hæc verba indicare timorem, quo Abraham, Dei erga se mercedes,& præmia, ac tanta amoris signa cõspiciens percellebatur. Et verò quid timuit Abraham? Quid? naufragium in malacia, nec meliorari, quin potiùs tantis Dei beneficijs, ac gratijs peiorari. Grauissima sunt eius verba, Sancti Senis *Quid mihi dabis?* explicantis: *Sed considerandus est, non solùm torrens exundans tua beneficentia, verùm etiam arua nostra, quæ illo rigantur: nam si nimis perfundantur, stagna & paludes erunt pro campis frugiferis:* quasi diceret: Quod tu Domine signorum tam amabilium multiplicatione intendis, est mei melioratio, & spiritualis profectus; ego autem vti mihi parum fido, te rogo, vt misericordiæ tuæ fluenta detineas,& gratiarum tuarum inundationes cohibeas;vereor enim ne perditionis meæ causa existant & mihi eueniat,quod agris iam obsitis tempore abundantis pluuiæ accidere solet,qui loco copiosos fructus producendi,in paludes ac lacus, plenos animalium & insectorum venenosorum, conuertuntur. Quapropter te rogo ac supplico, idque summi beneficij loco ducam,vt nisi gratijs ac fauoribus tuis ex æquo responsurus sim, cohibeas. Dicis,quod mihi daturus sis,ego verò peto,vt non des: *Quid mihi dabis?* quod idem est, ac *Non dabitur*; nam profectò, hæc est optima causæ expeditio, quando signa Dei inania,ac vacua remansura sunt, nec datura fructum, quem intendit.

(Phil.libr. Quis sit rerum diuin. hær.)

3. Adueniente horâ mortis filij eius sancti Isaac, agit de benedicendo maiori natu,& dando maioratu,& primogenitura ei, qui primus natus fuerat, qui erat Esau,cui naturæ ordine debebatur:ad hoc eum vocat,& dicit conuiuium præparet omnibus notum. Audit hoc Rebecca, ac filio suo iuniori Iacob insinuat,& cum eo agit, vt sese ad benedictionem fratri suo surripiendam,disponat: *Nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis,&c.& benedicat tibi antequam moriatur.* (Genes.27.) O Domina, inquit adolescens, timeo ne si agnouerit me pater meus, loco benedicendi, mihi maledicat. O fili, inquit illa, *in me sit ista maledictio.* Diligenter, & sedulò exeque-

(D. Thom. 3. p.q.43. a. 1. ad 1.)

exequere, quæ dico, vt benedicat tibi Pater tuus. Vtque hoc assequatur, disponit illud adeò notum stratagema, de condiendis cibis, Iacobi manibus, ac collo pelliculis hœdorũ obnoluendis, ac reliquis circumstantijs, in sacro textu contentis. Sed quid Rebeccam adeò sollicitam reddere potuit, ad procurandum, vt maritus suus Iacobo benedictionem impertiretur? Nonnè sciebat illa quid Deus ipsi dixerat, se nimirum velle, vt primogenita minori tribuerentur? Habitâ autem voluntate, & decreto Dei, quid amplius ei quærendum, aut desiderandum? Diuinæ prædifinitiones humanam diligentiam non excludunt, atque adeò Rebecca, vt diuina voluntas adimpleretur, id quod poterat, ac præ manibus habebat, exequebatur. Et verò vt quid tantâ cum festinatione negotium hoc perficiebat? An vt Iacobo faueret, vel Esau puniret? Nequaquam, sed (vt acutè excogitauit Sanctus Ambrosius) in vtriusque gratiam hoc egit sancta mulier; Iacobo maioratum & primogenita reseruando, Esau verò benedictionem patris auferendo. Illud autem ego iniuriam, non verò fauorem & gratiam nuncupauero. Haud equidem intelligis, inquit magnus Doctor: *Ne grauiori implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.* Rebecca namque ex ferocitate, & peruersa inclinatione Esau rectè collegit, eum tanto bono, quale erat benedictio patris, abusurum, nullumque emolumentum ex fauore eius percepturum; cumque Iacob indole esset generosâ & sanctâ, tamquam prudens & sapiens ratiocinata secum fuit: Esau sortem suam, Deum magis irritando, infaustam reddet; Iacob autem, vtpotè iustus, debitas ei gratiarũ actiones referet; melius itaque erit, vt eâ hic gratus, non autem ille ingratus perfruatur. Inuigilemus ipsius bono, licet ipse malus sit: remoueamus occasiones beneficiorum, ne appareant eius ingratitudines. Minor erit reatus, & minùs rigorosa punitio si diuina beneficia fuerint minora: Non dabitur.

*Ambros. lib. de Iacob.*

Quando Israëlitæ, fastidientes cœleste manna, expetiuerunt carnes, statuit Deus ac Dominus noster eorũ desiderio satisfacere, & eas illis dare vsq; ad saturitatem: *Comedetis*, inquit, *carnes, donec exeant per nares vestras, & vertantur in nauseam.* Moyses hoc audiens, difficultatẽ huic negotio obtendere incepit, & dicere, fieri non posse, vt tanta multitudo, sexcenta millia hominum, mense integro in deserto, tam abundè carnibus sustententur; *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro?* Reflectit autem famosus noster Oleaster ad hæc verba Ducis populi illius, & ait, illa primâ quidẽ fronte exiguam spem ac fiduciam significare; verumtamẽ non nisi ex amore quo eos prosequebatur, proficisci: cùm enim tam probè eos cognosceret, & eorum ingratitudinem ac contumaciam perspectam haberet, timebat, ne diuinum illud beneficium, nullâ eius ab ipsis habitâ ratione, seueræ punitionis causa existeret: *Fortè sanctus Moyses cognoscens iratum Deum, & beneficium populo non profuturum, illud detinere suâ difficultate conatur.* Volebat itaque ne Deus signũ illud de cœlo eis daret, ne ingratitudo eis maioris damnationis causa foret; adeò vt hinc pateat, in bonum illorum redundasse, quod in damnum eorum egisse videtur. 4.

*Num. 11.*

*Oleast. hîc.*

Sæpenumerò expẽdi, noluisse Christum Dominum nostrum annuere dæmonio, quãdo in deserto eum rogauit, vt ex lapidibus panes conficeret: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Quid obsecro erat Filio Dei lapides in panẽ 5.

*Matth. 4.*

panẽ conuertere? pænè nihil. Eo tamen non obstante repulsam passus est, & nihil obtinuit. Quærunt Sancti Patres, quid causæ fuerit, quòd Satanæ petitionem admittere noluerit? Diuersimodè autem respōdent: inclytus autem Martyr S. Cyprianus nostro instituto valde accommodatè; eò quòd dicat, noluisse Dominum miracula operari, aut signa facere ijs, quos nullum inde fructum desumpturos congnoscebat: *Nec opus erat vt hoc facto insidiatori innotesceret: quia nullo signo eius poterat inuidia commutari.* Supposito autē eum non emendandum, & nullum ex miraculo profectum facturum, illud Saluator facere noluit, nec signa vlla exhibere, cùm ad hæc impœnitentes, ac quodammodo magis indurati & obstinati essent mansuri. Notat autem Rupertus Abbas rem ingenio suo dignam; nempe eundẽ Dominum qui lapides in panẽ conuertere noluit, paucis pòst diebus, in nuptijs Canæ Galilææ aquam in vinum cōuertisse: *Implete hydrias aqua &c.* Nónne verò in Saluatoris gloriam redundabit lapides panes fieri, quemadmodū aquā hîc in vinum conuerti? *Hoc fecit initiū signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.* Nequaquâ. Ibi enim miracula frustrà fuissent; quandoquidem in inimico nihil operata fuissent, & nullum ex eis fructum percepisset: hîc autem crediderunt in eum discipuli eius, atque in fide confirmati fuerunt: *Fortè enim putas quia gloriam suam manifestauisset, si ad eius dictum lapides facti fuissent panes, sicut in eo gloriam suam postea manifestauit, quod ad eius nutum aqua in vinum conuersa est? Sed non ita est; vbi enim hoc fecit initium signorum, & sic manifestauit gloriam suam, non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu, quem videlicet fructum protinus Euangelista præsentat dicens: Et crediderunt in eum Discipuli eius.* Eâdem porrò ratione tūc egit Dominus cum dæmone, quemadmodum hodie cū eius ministris Scribis & Pharisæis: ille enim nihilo melior, isti verò signis eius peiores erant futuri.

Cyprian. de ieiun. & tentat.

Rup. de glor. & hon. Filij hom. Ioan. 2.

6. Capite octauo S. Marci refertur de quodam cœco, cui Dominus Iesus visum restituit in Bethsaïda, aut prope eam, educens eum extra multitudinem ad hunc effectū: *Apprehensâ manu cœci eduxit eum extra vicum*, eique iniunxit vt nemini diceret quis eum sanasset: *Et si in vicum introieris, nemini dixeris.* quin etiam ne ad locum illum reuerteretur, vt nemo sciret quid actū fuisset. Ita legit versio Syriaca: *nec in pagum illum introieris.* Et Arias Montanus: *neq; in vicū ingredieris.* Gloriosus S. Ioannes Chrysostomus mysteriū inuenit in eo quod Saluator extra eum locum illum sanauerit, nec permiserit vt ad illum reuerteretur: *Cæcus iste in Bethsaïda erat: educitur foras: ibi sanatur, non in Bethsaïda, sed extra Bethsaïdam, & quia sanatus, dicitur ei: Reuertere in domum tuam, sed non vadas in vicum, de Bethsaïda tollitur,* &c. Atque ad hoc insigni allegoriâ respondet; sed istud non est quod conducit ad confirmationē eius quod modò deducimus, sed quod incidit docto cuidam moderno Authori, qui recurrit ad cap. 11. S. Matth. vbi Saluator deplorat Bethsaïdam, eò quòd profectum nullū fecerit ex miraculis, & signis quæ Dominus ibidē fecerat, dicens, quod si in Tyro & Sidone ea fecisset, de peccatis suis pœnitentiā egissent: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Hæc verò ratio fuit, propter quam noluit Dominus vt cœcus miraculum in Bethsaïda à Domino perpetratum publicaret: *Hoc ab oppidanis miraculum videri non sinit, cùm certum sit, hoc*

Marci 8.

Syriac. Ar. Mōt.

Chrysost. hom. 9. in Matth.

Vill. Roel. Com. in Iud. c. 9. v. 47. apeor. 4.

Matth. 11

*sit, hoc etiam signo despecto, illius reos futuros.* Apprimè sciebat, quòd quo plura miracula faceret, sese tamen propterea incolæ Bethsaidæ non essent emendaturi: ne itaque eis dicas, ne maiorem habeant suæ damnationis occasionem.

7. Magna mysteria includit oratio illa, quam Christus Dominus in horto Gethsemani ad æternum Patrem habuit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut volo, sed sicut tu.* Pater mi, si ex diuina voluntate tua fieri potest, vt bona, quæ ex morte mea sperantur, absque eâ acquiri possint, *transeat*; sin minus, paratus hîc adsto; iam sanguis ex venis meis profluens, tingit terram quam premo. Si vestra iustitia adeò sanguinis cupida est, vide si iam profusus sufficiat: *Si possibile est*, sistatur excessus; sin minus, *fiat voluntas tua*; si enim tibi non placuerit, non nisi tuam voluntatem volo. Doctissimus noster Cardinalis Caietanus dixit, Christo Domino nostro concessum fuisse id quod petebat; cùm super omnia Patris sui beneplacitum exposceret, & suæ orationis efficaciam diuinæ voluntati committeret. Tam grauis Authoris sententiæ non contradico. Certum autem est, humanam voluntatem naturaliter mortem exhorruisse, ac vitam desiderasse; atque hoc desiderium vitiosum non erat, neque inordinatum; cùm nulla res sit, quæ sui essentiam, conseruationem ac vitam non desideret, vti dixit Aristoteles *in libris de Anima*, & Philosophia docet: sed voluntas rationalis desiderabat Patri obedire, & mori, atque (vt Angelicus Doctor dicit) vna clamabat: *Fiat voluntas tua*; altera petebat: *Transeat à me calix iste*; vsque dum in eo iustum exoriretur bellum, cùm vnaquæque pro iuris sui defensione decertaret. Sed ad principale punctum procedamus, quod ad discursus nostri probationem maximè refert. Sciebat vtique Author vitæ, quod reipsâ pati, atque etiam mori debebat. Vt quid igitur tanto affectu, & animi contentione petit id quod non esset consecuturus? Gloriosus Sanctus Leo Papa dicit, nos hîc non tam ad factum ipsum, quàm significationem eius respicere debere; & Christum Dominum tamquam Magistrum nostrum nos docere voluisse, patienter, & æquo animo ferēdum, negari nobis ea quæ imbecilles petimus, cùm ea quæ maximè nobis expediunt, conceduntur: *Demonstratū est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente cōcedi: quia enim nos quid oremus, sicut oportet, nescimus; & vtile nobis est, ne fiat plerūque quod volumus; Deus iustus & bonus, quādo ea, quæ nocitura sūt petuntur, negando miseretur.* Deus enim, instar medici cum infirmis, nobiscum agit, qui ei quæ petit, denegat, quia nouit ei damno futura; & solummodo concedit ea, quæ saluti eius expediunt. Ita Deus, quia nescimus quid petamus, quidque nobis magis conducat, sæpenumero non annuit petitionibus nostris; & ipsum non concedere quæ petimus, maxima gratia est quam nobis facere potest. Nihil enim damnosius nobis est, quàm id quod maximè volumus. Notetur verbum, *quod volumus*, quod idem est cum illo Scribarum & Pharisæorum, *Volumus signum videre*; nesciunt quid infelices petant, malum ipsis fuisset, si Christus eis illud præstitisset; in maiorem namque damnationem eis cessisset, cùm nullum inde profectum fuissent facturi. Magnam eis gratiam illud negando præstat Dominus; quandoquidem tantis vijs ac medijs non augeatur eorum iniquitas, nec magis rigida & seuera sit eorum finalis punitio.

*Caiet. hic.*

*Arist. 3. de Anima.*

*Thom. 3. p. q. 18. art. 2.*

*Leo Pap. serm. de Pass.*

Modò

8. Modò intelligetur conditionalis illa petitio, quam fecit leprosus: *Domine, si vis, potes me mundare.* Aduertit autem ingeniosè S. Ioannes Chrysostomus, hominem hunc minimè dubitasse de voluntate Diuina, quæ semper vult omne bonum, & quod rationi conforme esse videt; solummodò dubitabat, si fortè non vellet sanitatem dare, quia non expediret eam accipere: *Non de voluntate Christi ad omne bonum parata dubitat, sed de iudicio voluntatis. Christus enim, cùm sit bonus, nociua non vult præstare, etiamsi rogetur.* Ad Dei bonitatem reducit negare petita, quando ab eo minimè nobis conuenientia petimus: bonitatis Dei, & magnæ eius misericordiæ est, si quando ab eo petimus sanitatem, diuitias, prosperitates, dignitates, felices successus, negando nobis respondeat: Non volo dare quod petis, eò quòd petas, quæ tibi non conueniunt, & perditionis vestræ causa erunt.

Matth. 8. Chrysost. hom. 12. oper. imperf. Leo Pap. serm. de Pass.

9. Summoperè lætabatur Rex Herodes, quando coram eo comparuit Redemptor, inquit Sanctus Lucas, eò quòd audiuisset mirabilia quæ fecerat, & speraret miraculum aliquod coram se perpetrasset: *Herodes autem, viso Iesu, gauisus est valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Quam ob rem noluit Christus Herodis desiderio satisfacere, & nullum tunc temporis miraculum patrare voluit, cùm ea, quæ aliàs fecerat, essent innumera. Sacri Interpretes in suis responsionibus non conueniunt. Illa verò, quam Sanctus Gregorius Magnus allegat, est huic rei admodum propria: *Quia vidit Herodem non quærere profectum, sed signa vel scientiam mirari.* Et quidem hac de causa Herodes Christo obstringebatur; nam supposito, quòd nullum ex eis fructum esset percepturus, quin potiùs maiori damno forent, misericordiæ fuit, nullum coram eo miraculum perpetrare.

Luc. 23. Gregor. in hunc locum.

10. Non rarò mentionem fecimus de clamoribus illis, quibus Iudæi Christum Dominum nostrum rogarunt, vt de cruce, cui affixus erat, descenderet: *Descendat de cruce, & credimus ei;* ille verò cruci adhæret, nec vult descẽdere. Haud equidem capio. Si id quod Christus ab hominibus requirit est fides, vtque eum pro vero Filio Dei, Messia, & Redemptore suo agnoscant, hæcque omnia illi offerant hoc ipso, quo de cruce descenderit; quorsum non descendit, illisque condescendit? Dicam, inquit gloriosus Sanctus Anselmus. Ratio, propter quam non descendit, & ad contentas eorum voces surdas aures præbet, est quia fictæ sunt, & promissio illorum frandulenta. Egregia verba: *Quàm fraudulenta promissio! maius fecit resurgendo de sepulchro, & tamen non crediderunt.* Maius nimirum miraculum fuit, ex sepulchro resurgere quàm de cruce descendere, & credere noluerunt: quinimmo falsis testibus, vtpotè dormientibus, probare intenderunt, quòd Discipuli eius ipsum furto abstulissent. Rectè igitur facit, non descendendo de cruce, eique affixus manens; quandoquidem fides in eorum intellectu residere non possit, deficiente eis pio voluntatis affectu; vti etiam Scribis, & Pharisæis, qui hodie eum accedunt, miracula ab eo petituri. Quin etiam propterea non vult eis concedere, quia scit eâ curatione vulnus peiorandum, & infirmitatem, vti sæpius accidere solet, medicinâ aggrauandam: Curando fieri quædam maiora videmus vulnera, quæ melius non tetigisse fuit. Propterea itaque non vult dare signum quod petunt,

Matth. 27. Anselm. in Matth. Thom. 2. 2. q. 4. art. 2. Ouid. de ponto l. 3. eleg. 5.

tunt, ne maioris damnationis causam præbeat. Supposito, quòd omnia miracula quæ fecit, fuerint ad ostendendum quod esset Saluator vniuersalis & author gratiæ, & certum pignus gloriæ. Amen.

---

# TRACTATVS V.

## AD DIEM VENERIS POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

*Erat autem ibi homo, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.* Ioan. 5.

REFERT Sacer Euangelista, & gloriosus Apostolus Sanctus Ioannes vnum ex celebrioribus Christi Domini nostri miraculis, perpetratum in ciuitate Ierusalem; vbi cælestis Medicus, vnam ex quinque porticibus subintrans, infirmum curauit, debilitatum, & eneruem paralysi, eâque tam inueteratâ, vt triginta & octo anni essent elapsi, quibus eâ laborabat, cui famosa illa piscina, quæ ibidem erat, mederi non potuerat: quæ quamuis esset totius orbis terrarum res maximè prodigiosa, tamen ad vnum solum limitatam habebat virtutem; cumque miser Paralyticus veniebat, iam alij priùs eam totam exhauserant; quamquam enim os ei non deerat, brachia tamen & vires non habebat, vt in piscinam sese dimitteret. Verùm vbi deest creaturarum auxilium, certum est subsidium eius, qui supra omnes illas est; fuitque tam magnum, vt Dominus solo verbo suo tam firmam sanitatem ei contulerit, vt Paralyticus, damæ agilitatem, & celeritatem imitatus, grabato suo onustus, per totam ciuitatem, in cõspectu omnium incolarum eius incesserit, altâ voce miraculum proclamans. Fuit hic radius tam illustris, vt Christus Dominus eius occasione, altum ac profundissimum sermonem exorsus fuerit, in quo clariùs, quàm vmquam anteà, Diuinitatem suam declarauit: ac tanta fuit exorta lux, vt ab hoc tempore nocturnæ illæ aues excœcari cœperint, ac Christo publicè bellum indicere: & intendẽtes curationem fraudis arguere, arripiunt Sabbathum quieti consecratum esse, & non inquirentes ab eo, erga quem miraculum fecit, dumtaxat ab eo perquirunt, quis ei iusserit grabatum tollere. Id quod præcipuum est non æstimant, & ad id, quod minoris considerationis est, cor dirigitur, scilicet ad Festi profanationem, quod inuidiæ proprium est, cæcum esse ad bonum, & ad id, quod malum apparet, mille oculos habere. Quodque hîc peractum fuit, totâ vitâ ansam eis dedit, ad Christum ad mortem vsque persequendum (inquit Euangelista) eò quòd eis dixisset, Deum se esse. Ad huius prodigij conspectum, & radij huius lucem, quæ illos excœcauit,

Disci-

Discipulus à Christo dilectus, nos hodie constituit. Placeat diuinæ Maiestatieius, vt omnes illuminemur, & visus nostri imbecillitas ad diuinum Solem conspiciendum pertingat, vi gratiæ eius corroborata, per intercessionem sanctissimæ Virginis Matris eius illam imploremus. *Aue Maria.*

---

*Erat autem ibi homo, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.*

## Consideratio I.

*Tribulationum dumtaxat nos vitæ annos habere, eò quòd Deo tunc viuere incipiamus, cùm pati incipimus.*

1. Consideratio hæc, Fideles, est contra quendam loquendi modum, qui communiter inter mundanos versatur. Hic verò est, eos solos viuere, qui læti, & contenti, sine infirmitatibus, sine paupertate; denique à difficultatibus, & afflictionibus liberi, vitam transigunt: qui autem hæc incommoda perferunt, & tribulationes istas patiuntur, non viuere, sed mori: atque adeò dicere tales solent: Huic solummodò superest vita: valet enim, habet quod comedat, nihil eum molestiá afficit; istud sanè: istud est viuere. Ego autem infelix & miser, non viuo, sed morior, cùm inter tantas pœnarum, & afflictionum occasiones, & dolorum causas, vitam transigam. Hic est, prout dixi, loquendi modus, qui in mundo vsurpari solet. Verùm Christianè loquendo, aliter sentio: atque adeò dico, solos tribulationum, & pœnarum dies, & annos, apud Deum esse vitæ dies, ipsum illos solos reputare dies plenos, contrarios verò vacuos esse; quinimò (atque ita dicamus) annos esse quasi mortuos. Lucis aliquid ad hunc discursum mihi contulit doctus noster Cardinalis Hugo, qui in commentario, & expositione horum verborum: *Erat autem ibi homo, triginta & octo annos habens in infirmitate sua, &c.* aduertit, Euangelistam eos dumtaxat annos numerare, quos hic infirmus habebat infirmitatis: *Describit eum à patientia in longitudine infirmitatis.* Magnum profectò solatium illis omnibus, qui afflicti, & in laboribus vitam ducunt, quosque Deus hîc castigat; quandoquidem tantum apud ipsum vitæ sint habituri, quantum doloris, & afflictionum perpessi fuerint. *Hugo Cardin. hic.*

2. *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes*, inquit capite 4. Ecclesiastes. *Eccles. 4.* Scio communem huius loci explicationem esse, præsentis vitæ miseriam tantam esse, vt, considerando præcisè id, quod est viuere, vel mori, esse in hac vita, aut eâ egredi (abstrahendo à termino alterius vitæ ad quam itur) melius sit mori, quàm viuere; eò quòd in hac vita viuere, sit innumeras pœnas sufferre; eâ verò egredi, sit ab ijs liberari: & quantum ad pœnas, clarum est, humanitus loquendo, melius esse eas cauere & effugere, quàm eas tolerare, & perferre. Hic est communis sensus Sacrorum Interpretum, prout ad hunc locum notauit doctus noster Commentator. Verumtamen ad nostrum institutum, vbi nostra Vulgata habet: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes*; dicit originalis textus Hebraicus: *Ladaui magis filios interfectionis, vel interfectos in patibulo, quàm eos qui cum strepitu, & melodia viuunt.* dicere intendit: Consideraui, & per otium contemplatus sum quidquid mundi ambitu continetur: vidi quomodo Deus *Vide nostrum Ioan. Ferdinand. comm. in hunc locum Lect. hebr.*

Deus cum suis se gereret, & nullum statum deprehendi inuidiâ magis dignum, quàm filiorum mortuorum, vel mortificatorum; hoc est, filiorum afflictorum, & malè tractatorum. Magis fortunatos hos existimo, quàm eos, qui pro libitu suo, inter delicias, & oblectamenta vitæ huius viuunt. Id autem quare? Quia illi morientes mundo, viuunt Deo; hi verò moriuntur Deo, viuentes mundo. Nam Dei calculo, illi solummodo dies vitæ sunt, illi dumtaxat anni pleni, qui aduersitatibus, crucibus, & tormentis permixti sunt; illi autem vani & vacui, qui cum delectationibus & requie transiguntur.

3. Ponderatu admodum digna est diuersitas verborum, quibus Deus Dominus noster sententiam punitiuam tulit contra serpentem, & primum hominem post peccatum. Illi dixit: *Terram comedes*. Huic verò: *In laboribus comedes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ.* Sanctus Ambrosius ingenij sui acie, aduertit ad tam mirabilem, & mysterijs plenam distinctionem: Vita serpentis futura est quieta; hominis verò miserijs, & laboribus plena? Ita sanè: *Discretio quàm vim habeat, considera.* Ne mireris quòd Deus, pœnam inferens, magis hominem, quàm serpentem opprimat; hic enim ad cœlum non adspirat; ille verò cœli candidatus est, adeoque ad labores condemnatus. *Omnibus diebus vitæ tuæ.* hoc est; Tantumdem vitæ habebis, quantum pœnæ passus fueris. Serpens labores non habeat, quia sibi soli viuit, & cum vita corporis, animæ quoque terminatur, & extinguitur. Homo verò, qui Deo viuit, tribulationes habeat; eò quòd illi tantummodo anni, ei vt viui computabuntur, quibus passus fuerit. Adiungit magnus Doctor: *Bonum est mihi in tristitia magis panem manducare, quàm in delectatione; nam tristitia secundùm Deum salutem operatur.* Consequenter, nolo, Domine, vitam meam instar serpentis à pœnis liberam, sed instar hominis, ex tua sententia, laboribus addictam; vt illos habeam annos vitæ, qui fuerint pœnæ.

*Genes. 3. Ambr. lib. de paradis. c. 15.*

Scriptura sacra loquens de Patriarcha Abraham, dicit: *Erat autem Abram septuaginta quinque annorum, quando egressus est de Haram.* Magnus Scripturæ interpres sanctus Hieronymus, conferens hæc verba, cum eo, quod capite præcedenti dicit sacer Textus: *Vixítque Thare septuaginta annis, & genuit Abram. Et facti sunt dies Thare, ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haram.* confitetur quòd sese implicatum deprehendat, & de computu horum annorum sese offerat quæstio primo intuitu tam intricata, vt videatur nec dari, nec inueniri posse solutio: *Indissolubilis nascitur quæstio.* Quomodo enim potuit Abraham esse septuaginta quinque annorum, quãdo egressus est de Haram, cùm à natiuitate eius vsque ad obitum patris sui effluxerint centum triginta quinque? hos enim, ex æquo calculo, habebat ætatis, & non septuaginta quinque; vt quid autem sacer Historiographus eos silentio præterijt? Ad huius difficultatis solutionem vtitur Sanctus Hieronymus traditione Hebraica, magnæ authoritatis, vtpotè valde antiqua. Communis erat traditio, quòd Babylonij domum Thare, & Abraham igne circumcinxerint, ad illos eo comburendos, & extinguendos, videntes quòd illi debitum cultum, instar veri Dei, deferre nollent, quodque Diuina Maiestas Abrahamũ ab illo periculo miraculosè præseruauerit: *Quod Abraham, Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus.* Ab eo autem tempore,

*4. Genes. 12. Genes. 11. Hieron. de q. heb. in Genes.*

pore, quo ignem ei applicuerunt, & Babylonij eum persequi cœperunt, & ipse pati, Abrahæ vita, quæ tam plena, vti cõstat, laboribus fuit, computetur: *Et ex illo tempore, ei dies vitæ, & tempus reputatur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum.* Quasi doceat Spiritus Sanctus, Abrahamum illos solummodo vitæ annos habuisse, quos in calamitatibus, & laboribus transegit; eumque tum demum viuere incepisse, cùm pati cœpit.

5. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Psal. 117. Psalmo 127. loquitur Dauid de ijs qui Deo seruiunt, ac legem eius obseruant; ac in particulari dicit, beatum esse eum, qui manuum suarum labore viuit, & de sudore suo comedit. Hoc benè intelligitur de ijs, qui vitæ actiuæ, operibus sanctis, & charitatis erga proximum officijs, sese impendunt. In omnibus benè tibi erit, cuncta ad votum succedent, in hac vita quietem & in altera summam felicitatem obtinebis. Hæc est magis ordinaria horum verborum interpretatio. Ego verò fundatus in doctrina Philonis, iam aliàs ponderata, doctrinam hanc magis releuari velim. *Sicut à cibo tota vita pendet, cum suis actionibus, & affectionibus: ita etiam à labore pendet quidquid in rebus bonum est.* Labori cibum comparat hic Philosophus, & quidem admodum propriè; nam quemadmodum comedendo, vita corporis sustentatur, ita quoque laborando, vita animæ conseruatur. Dicamus clariùs: Labores iustis subseruiunt loco eius, quod panis, & victus præstãt corpori: quemadmodum enim hoc nutritur eo quod comedit, ita spiritus amici Dei, eo quod suffert. Et perinde est ac si diceretur, quòd in tantùm viuat fidelis, in quantum patitur; & tantum vitæ retinet, quantum suffert laborum, & dolorum.

(Phil. Heb. lib. de Sacrif. Cain & Abel.)

Quando cessante iam tempestate, sereno cœlo, Deus Dominus noster conuersus est ad innocentiam Christiani illius Stoici, columnæ aureæ quam Deus fidelitati erexit, patientissimi Iob, restituendo in duplum quidquid ei ademerat: *Addidit Dominus omnia quæ fuerant Iob duplicia;* notat Tertullianus, quòd soli liberi, quos Deus ei dederat, non fuerint duplicati, nec restituerit eosdem qui obierant: *Natique sunt ei septem filij, & tres filiæ.* Decem antea habebat, alios decem postmodum largitus est. Quamobrem ei non reduxit liberos mortuos resuscitatos, vel vt minùs, quare illi, quos denuò ei dedit, instar aliarum rerum duplicati non fuerunt? Eò quòd ipsemet Iob noluerit (inquit magnus Tertullianus;) si enim desiderasset, procul dubio eos Deus illi concessisset: *Sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.* Fuit Sanctus ille vir, qui filiorum vitam noluit, vt, quoad viueret, patientiæ occasionem haberet, & materiam tolerantiæ suæ exercendæ. Quasi dixisset; quia viuere volui, de patiendo egi, quasi non vixisset, si non pertulisset, deficiente ei doloris incentiuo, & tolerantiæ occasione. Dicet quispiam curiosus: Hæc scitè animaduersa, sed vt videtur, non ita benè fundata. Itanè verò? vide igitur qualiter ea communiat Angelicus Doctor Sanctus Thomas, explicans eadem verba eiusdem Sancti: *Sic & ego habui menses vacuos;* vbi deplorat dies, & menses, quos habuit vacuos. Plurimi Interpretum dicunt, de diebus laborum, & calamitatum, eum fuisse locutum: verùm contrarium videtur Magistro Angelico, & sentit Iobum de diebus primæuæ suæ prosperitatis, & annis veteris suæ felicitatis fuisse locutum;

(6. — Iob 42. — Tertull. lib. de patient. c. 15. — Iob. 7.)

cutum; quódq; ploret tempus illud quasi perditum, dicatque fuisse se quasi mensibus illis non vixisset, nec censeat annos illos fuisse vitæ, quos in laboribus non transegit: *Menses præteritos meæ prosperitatis, omnibus fortunæ bonis refertissimos, ego semper existimaui vacuos.* Ita quidem; Deus igitur reddat Iob omnia duplicia, sed non liberos, quos ei ademit; vt quoad viuet, continuũ habeat doloris stimulum, & perpetuum tristitiæ excitatorem; nec dies suos iudicet vacuos, & infortunatos, prout alios præteritæ suæ prosperitatis, quandoquidem patiatur. Restituatur ei modò, quod ipsi defuit, vel labores qui antea ipsi adempti fuerunt; patiatur vt viuat, cùm non pati, pro morte habeat, & illos solummodò annos, qui afflictionis, & pœnæ fuerunt, plenos iudicet.

Thom. citat. à Pined. hîc.

7. Egregia ad hoc propositum est animaduersio Ruperti Abbatis, qui notat, Christum in cruce existentem dixisse: *Consummatum est*; eumque immediatè pòst obijsse: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quàm arcana, ac mysterio plena hæc verborum connexio, aut quam cohærentiam habet vnum cum altero, omnia consummari, & Christum mori? Magnam sanè, inquit doctus Tuitiensis. Finita & consummata est vita, eo momento quo tormenta consummata sunt. Quasi dixisset Redemptor: Pertuli, & excruciatus sum, quantum perferre, & excruciari quisquam potest; itaque viuere deinceps nolo: vitam otiosam, & absque fructu reputo, deficientibus mihi quæ patiar: ideóq; quantocyus mortẽ inclamauit, quia non iudicabat vitam eam esse, quæ pœnis carebat. Audite verba, quæ sunt mirabilia: *Quid consummatum esse dixit, nisi quidquid propositum, vel dispositum fuerat, secundùm Scripturas eum pati? Ergo inquit: Consummatum est, ad summam cursus peruentum est. hoc dixit, & tunc demum inclinato capite emisit Spiritum.* Veniat mors, quandoquidem furia vestra cessauerit; cumque vlteriores pœnas non inuenias, vlteriorem vitam non desidero.

Ioan. 19.

Rupert. lib. 14. in Ioan.

Concludamus hanc consideratione , insigni ponderatione magni Theophylacti, in epistola, quam Sanctus Paulus scripsit ad discipulum suum Philemonem. In eius principio, pro titulo suo ponit ingrauescentem suam ætatem: *Cùm sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi, obsecro te pro meo filio.* Coniectum in carcerem, annosum, & senem se nominat Paulus; esse non potest, quandoquidem non erat adeò prouectæ ętatis, prout facilè videbit curiosus, qui numerum annorum ipsius inierit, reflectendo primùm ad eos, quos habebat, cùm morti Sancti Stephani assisteret, deinde in sua conuersione, demum tempore suæ prædicationis. Hoc autem suppono plus quàm certum: adeoque probatione nõ indiget. Quomodo igitur se vocat senem: *Vt Paulus senex,* qui ætate erat iuuenis? Audite responsionem Theophylacti; nam & meretur. *Adiecit etiam senex, ostendens canos germinasse laboribus?* Non videtis, in vinculis eum fuisse, quando senem se nominauit: *Vinctus senex.* Non attenditis tolerantiam tam continuatorum laborum in prædicatione, peregrinationibus, naufragijs, verberibus, æmulis, & tam grauibus persecutionibus, quas Paulus perpessus fuerat, ei ætatem adauxisse, atque annos multiplicasse? Eapropter de se ipso dicit, quòd sit senex, quodque diu, multumque vixerit, quia tanta passus fuerit, vt veritas assumpti nostri fixa & stabilita permaneat, illum solummodo Christianum viuere,

8. 

1. ad Philem.

Theophyl. 162.

viuere, qui patitur; illumque diutiùs vixisse, qui plura perpessus fuerit. Et hac de causa sacer Euangelista, homini huic non plures vitæ annos numerauit, quàm triginta illos & octo, quos habebat languoris; nam illos dumtaxat ætatis annos habemus, quos in persecutionibus perferendis transegimus; tumque viuere incipimus, cùm incipimus pati.

---

*Hunc cùm vidisset.*

## CONSIDERATIO II.

*Quod Paralyticus, vt maximè derelictus, Christi oculos, & affectus attraxerit, vt nos doceat maiori necessitati commiserationem impendere.*

1. QVis dubitet, in tanta infirmorum, & languentium multitudine, qualis in tam magno Xenodochio erat, multos nobiles, diuites, potentes, & dominos fuisse, magis elucentes, & omnium eò aduentantium visui magis expositos, in elegantibus lecticis, & bellè ornatis cubiculis collocatos, officiosis cinctos famulis; omnibus aduigilantibus, & expectantibus si Angelus moueret aquas, vt eos in illas immitterent? Igitur inter tantos, & tam innumeros infirmos, qui optatæ salutis conquirendæ causâ eò confluxerant, oculi vestri, Deus, & Redemptor animæ meæ, ad pauperculum diriguntur, in angulum reiectum, & vix apparentem, solum (vt ipsemet fatetur, *Hominem non habeo*;) sine homine, & persona aliqua, qui ei assistat? Ita quidem, in hunc Diuinus Medicus oculos conijcit, vtpotè maximè pauperem, & derelictum omnium qui ibidem aderant, cùm (vti aduertit doctus Cardinalis Toletus) nihil omninò, nec sortem aliquam haberet, quam ad piscinam se ducenti porrigeret: *Ipsius etiam languidi summa paupertas probatur, qui nec pecuniam, qua hominem in adiutorem per breue tempus conduceret, haberet.* Hoc facto, fideles suos ordinem docens, quem in charitatis operibus seruare debent.

2. Regius Propheta clarè admodum nobis indicat, quantum humilitas, paupertas, & desertio apud Deum valeant Psalmo 137. *Quoniam excelsus Dominus, humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Magnificentiam suam collocat Deus in æstimandis plurimum, ac bonis oculis respiciendis humilibus: *Et alta à longè cognoscit.* Altos, qui sunt superbi, valdè à longè respicit, procul admodum abest, vt eis auxilietur, & quidquam pro eis faciat. Vel sic: Diligentiùs intuetur, ac reuidet res submissas, ac humiles; hæc enim est proprietas verbi *Respicit*; altas verò eminus videt, & quasi obliquè. Verùm exurgit ratio dubitandi, quî hoc esse possit? Nam in loco alto existente Deo, vt idem Propheta dicit: *Quoniam excelsus Dominus*; videtur contrarium esse debere, & quod magis excelsum, propiùs circa ipsum inueniendum sit. Nequaquam ita se res habet. Videte sublimem conceptum eminentissimi nostri Cardinalis Hugonis, in explicatione horum verborum, *Alta à longè cognoscit, id est valdè superbos; & humilia respicit, id est, qui in hac vita degentes, eam totam tribulationem esse cognoscunt, vnde si contigit ipsis tribulatio, adest Deus auxiliator.* quasi dixisset: Intelligite Prophetæ mentem; dicere voluit: Certum habete, & stabile, quòd hominem, humillimo loco constitutum, Deus eleuet, donec ad se eum perducat; exaltatum verò contemnat; adeò, vt

*Psal. 137.*

*Hug. Card.*

in sui comparatione magis sublatus, & ad sublimiora euectus procul remaneat, pro malo signo ne habeatis, quòd mundus vestrûm obliuiscatur; tunc enim Deus vestri recordatur; cumque homines vos respuunt, & in angulum conijciunt, ille vos eligit, vt publicis in locis elucescatis, & quando illi infra pedes vos detrahunt, tunc ille vel maximè fauoribus suis vos afficit, & æstimat.

3. Dicit Scriptura sacra, Deum sex primos dies mundi, rerum creationi, ac creaturarum productioni impendisse, septimo verò quieuisse ab eo quod antecedentibus diebus operatus fuerat, ac insuper illum sanctificasse, eique benedixisse: *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat; & benedixit illi, & sanctificauit illum.* Iam aliàs ponderaui rationē, quam habuit Deus ad instituendum diem festum, & quietis primò ab hominis creatione. Quod modo aduerto, est, quare tam singulares ei fauores impenderit, vt eum sanctificauerit, eiq; benedixerit? Multa in hanc rem Sancti Patres proferunt, sed inter alios Sanctus Ioannes Chrysostomus ad nostrum institutum: *Ne videatur aliquid minus habere dies ille, eò quòd in ea nihil factum, benedictione ipsum dignatus est: & benedixit, inquit, diem septimum, & sanctificauit illum.* Apparet diem hunc septimum, inter reliquos minùs honoratum fuisse, & quia Deus vnoquoque eorum res aliquas creauerat, gloriari potuisse, atque præsumere; hunc verò, quia Deus eo nihil creauerat, reliquis inferiorem esse: sed propter eamdem illam rationem, ob quam inter omnes minùs illustris videtur, adeóque magis contemptibilis, singularibus fauoribus eum Deus exornat, & ditat, eumque intuetur, non vt minùs faueat, eumque repudiet, sed honoret: non vt inferiorem faciat, sed omnibus anteponat; vt significetur, quomodo Deus in illos, qui mundi æstimatione minùs possunt ac præualent, particulariora dona conferre soleat, quodque illos, quos homines, quia pauperes, minoris faciunt, ipse magis diligat, & protegat.

Genes. 2.

Chrysost. hom. 10. in Genes.

Ponderat gloriosus Sanctus Bernardus amabiles illas consolationes, quibus Deus per Prophetam suum Isaiam populum suum inuitat: *Consolamini, consolamini popule meus* (*populum meum* legunt alij:) *Dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalē.* Hoc est, (inquit S. Hieronymus) loquimini ei cum dulcedine, delicijs, blandimentis, solatijs, & promissis. Hæc omnia significat loqui ad cor. Nosse vultis, inquit mellifluus Doctor, quis populus hic sit, quem tantis fauoribus Dominus inuitet, ad quem hæc affectuum teneritudo, & desiderij sensus particulariter dirigantur? & respondet: *Consolamini, consolamini, popule meus, ait: Vtique populum humilem quem saluum facies, nam populum superborum humiliabis; Vis nosse populum eius? Tibi derelictus est pauper, ait homo secundùm cor Dei.* Cum pauperibus, & imbecillibus loquitur Deus noster, atque hos specialiter populum suum nominat; superbos enim humiliat, & humiles exaltat. Denique scire cupis, quis sit populus Dei? Dixit ad Dauid signatissimis verbis: *Tibi derelictus est pauper.* Deus enim singularem rationem habet pauperum; & quoniam mundus eos contemnit, & reijcit, Deus apertis brachijs semper paratus est ad eos recipiēdos: prout in præsenti Euangelio aduertere licet, quo videmus, Dominum nostrum oculis suis sublimiores mundi perlustrantem, eos tandem in pauperculum ab omnibus derelictum,

4.

Barbast. hom. 40. §. 12.

Hieron. in c. 2. Osee.

Bern. serm. 5. de Natiuit.

Psalm. 17.

ctum, defixisse.

5. Conferamus cum Gilberto Abbate duo sacræ Scripturæ loca, atque ex vtriusque combinatione bonam discursus nostri probationem eliciemus. Ponderat hîc Doctor, quàm affabilem, & dulcem se prodigo illi filio pater exhibuerit; vidit illum à longè, & videndo eum hinc tam lacerum, & ad tantas miserias redactum, inde verò ita contritum, & pœnitentem, visceribus emollitis, & ad pietatem, ac commiserationem commotis, currens descendit, brachia collo eius iniecit, & osculum genis infixit. Elegantissima sanè descriptio eius, quod in iustificationis nostræ decursu peragitur, prout omnes Sancti notant; sed huic immorari iam non possumus. Demum non aduertit bonus Pater, quòd filius orationem ad se dicendam composuisset, quam animo conceptam deferebat: *Et dicam ei: Pater peccaui, &c.* Vix eum à longè vidit, quando victus amore, & visceribus patris, perinde ac si in pectore vires non haberet ad se retinendum, vel quasi filius deliquium animi pati inciperet, & totus conteri, caput retrò obuertens, ita pater eius ad eum recipiendum cucurrit: *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater suus, misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* Animaduertite hîc, & mecum recordamini, inquit Gilbertus, Sponsæ illius, à Deo tam amatæ, & dilectæ eius, quæ domo suâ egressa, & magnoperè sollicita per plateas, & vicos ciuitatis eum quærens incessit, hinc & inde discurrens, nec inuenire eum valens, eò quòd sese abscondisset: *Surgam, & quæram, &c. Quæsiui, & non inueni.* Quid hoc rei est Domine, & Diuine Sponse animarum? Sponsæ, Dominæ, & Reginæ, quæque non solùm Sponsi sui lateri assistit, sed & humeris eius, vestita auro, & lapidibus splẽdidis, ac pretiosis, innititur: *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* teipsum abscondis, & elegantiam eius ac maiestatem ita deprimis; filium verò prodigum intueris, atque etiam à longè reaspicis, atque ipsemet eum accersitum vadis, vt tantis eum fauoribus ac beneficijs afficias? Haud equidem capio. Videtur quòd hæc Sponsæ melius impensa fuissent, non tantum propter eius virtutes, & perfectiones, sed etiam propter dignitatem ac magnam eius nobilitatem. Verùm quænam hæc tam notabilis commutatio? Porrò vobis edisseram: Filio pœnitenti, lacero, & pannoso, vilis atque humilis conditio, ad quam deuenerat, apud patrem patrocinata fuit, vt ei faueret, & necessitas eius atque destitutio, ad ei succurrendum oculos ipsius direxerunt; Sponsam verò, quæ quoniam vt à Sponso protecta, & videns se in eius amicitia tantopere stabilitam, præsumere, & ampliores fauores sperare poterat, tam rigidè dedignatur, & auersatur. Eò diriguntur Diuini eius oculi, vbi est pauperculus filius prodigus, vt ei opituletur: Sponsæ verò Reginæ, & amanti se abscondit, vt eâ ratione excellentiam eius humiliet. *Denique & pater accurrit pœnitenti: Sponsus se subducit diligenti*; inquit doctus Abbas.

Luc. 15. — Gilbert. Abb. serm. 3. in Cant. — Cant. 3. — Psal. 44.

Diligenter admodum inquisiuit Rex Dauid ad reperiendum quempiam de domo, & familia Saulis, vt ei, in gratiam Ionathæ singularis sui amici, benefaceret: *Putásne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam misericordiam cum eo propter Ionatham?* Notat autem sacra Scriptura, quòd nemo fuerit, qui quempiam ei notum fecerit. Videns hoc Dauid, idem rogauit à Siba, quamquam terminis diuersis: *Numquid superest aliquis de domo Saul,* 6.

2. Reg. 4.

*vt faciam cum eo misericordiam Dei.* Aduertite id quod facer Textus adiungit: *Dixitq́; Siba Regi: Supereſt filius Ionathæ debilis pedibus.* Quod verò hîc mihi animaduerſione dignum ſeſe offert, & ad quod ſacri Interpretes non reflectunt, eſt, quòd cùm Dauid primam in indagando diligentiam, & petitionem fecit, nullus fuerit, qui auſus ſit filij Ionathæ mentionem facere; cùm autem à Siba inquireret, protinus eius meminerit. Alij alias dabunt rationes: ego modò meam offero (niſi tamen, quia mea, minùs mereatur) & dico, rationem, propter quam, quod dictum eſt, non niſi modò oſtenderit, fuiſſe, quia in prima inquiſitione, quam fecit Dauid, non amplius dixerit, quàm, quod cum quocumque, qui inuentus fuerit, facturus eſſet miſericordiam; quia verò in ſecunda dicit ſe facturum miſericordiam Dei, ideò ei declarant ſupereſſe filium Ionathæ amici ſui. Nihilominus remanet difficultas, quare modò, & non antè mentio eius fiat? Eſt hîc ſubtilitas conceptus: quare? Scriptura id dicit; quia *debilis pedibus*, & inſtar paralytici claudus erat, & ab omnibus reiectus, ac obliuioni traditus, nec putabatur quòd alius quiſpiam, quàm miſericordia Dei, eius poſſet recordari, ad ei benefaciendum; ſolus enim Deus recordari nouit eorum, qui fortunis omnibus exturbati, ac derelicti ſunt, & opem ferre ijs, quorum homines magis obliuiſci ſolent, qualis erat Miphiboſeth, in omnibus paralytico piſcinæ perſimilis.

7. Huic miraculo apprimè conueniunt, quæ ſanctus Euangeliſta Lucas, Saluatorem in Synagoga feciſſe refert, conferendo ſanitatem dæmonium habenti; ac hiſtoriam ſuam perſequens, immediatè ſubiungit, quòd exiens Synagogâ, iuerit ad ſanandam ſocrum principis Apoſtolorum S. Petri, quæ malignis febribus detinebatur: *Egreſſus de Synagogâ introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, &c.* Nónne magis rationi conſonum fuiſſet, vt Dominus IESVS affini ſancti Petri primò ſalutem contuliſſet, quæ, vt talis, omnem honorem merebatur, quàm vt ei hominem anteponat, eumque tam vulgarem, & tenuem, vt ſacer Euangeliſta eum nequidem nominauerit? Sanctus Pater Ambroſius in hoc caſu dicet quod ſentit: *Poſtquam Lucas virum à ſpiritu nequitiæ liberatum antè præmiſit, ſubſtituit fœminæ ſanitatem: vtrumque enim ſexum Dominus curaturus aduenerat, & prior ſanari debuit, qui prior creatus.* Quamquam ad Chriſtum pertinebat, vtrumque ſanare, hominem ſcilicet à dæmonio, & mulierem à febribus; conueniebat tamen, vt talem in eo ordinem ſeruaret, vt clarè appareret, quòd eius medicina, vel miſericordia, in maxima neceſſitate conſtituto primò ſubueniret. Ideò protinus homini illi proſpexit, & curam illius geſſit, quia miſeria eius magis erat antiqua; tale enim erat ſubiectum quod eam patiebatur. Ego verò adiungo, quòd homo, non ſolùm quia vetuſtior infirmus, prior ſanatus fuerit (ſiquidem miſeriæ tanto magis commiſeratione dignæ ſint, quanto magis antiquæ) verum etiam, propterea quod Socrus Petri, quia talis, plus adiumenti habebat, vt prior ſanaretur, pauper verò homo illo carebat; ideò pauper ille in curatione illi fuit prælatus: diuini namque illius Medici ſalus ad reſpectus temporales non attendit, ſed maiorem duntaxat neceſſitatem intuetur. Ideoque miſerum hunc hominem primò ſanauit, & ob eamdem cauſam trigita & octo annorum Paralytico compatiebatur.

Luc. 4.

Ambr. in Caten. D. Thom.

8. Sciuit prædicta Sanctus Petrus: Sancto Ioanne ipsum ad Templum comitante, vidit ad ianuam pauperem affecto corpore, qui ibidem eleëmosynam petebat; & hæc quidem eius vitæ ratio: *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur; quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleëmosynam ab introeuntibus in Templum.* Mox verò, *Intuens in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos;* fixit in eum oculos (qui enim præcipuè in pauperes oculos suos defigere debent, sunt Prælati, ac Ecclesiæ Principes, atque ipsi præcipuus scopus esse debent, in quem & ipsi pauperum oculi conquiescant) studio abstinens à circumstantijs quæ ad nostrum institutum non spectant; arripuit manum eius Sanctus Petrus, eumque eleuauit: *Surge, & ambula.* & cum tanta alacritate incessit, quasi numquã infirmus fuisset. Circumstantes omnes attoniti steterunt, existimantes Apostolos virtute suâ rem illam tam admirabilem perpetrasse. Respondet Sanctus Petrus, eisque declarat, qualiter Deus miraculi illius auctor fuerit, quodque in fide ac virtute nominis Filij eius infirmo illi integram sanitatem contulerint. *Et fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.* Animaduertamus ad verbum *Integram sanitatem.* Propter quam causam vocauit eam Sanctus Petrus sanitatem perfectam? An fortè alia, quàm alijs infirmis dedit, diuisa erat, aut dimidiata? Non sanè. Vt quid igitur hæc particulariter extollitur, & dicitur perfecta? Doctus Pater Lorinus explicationes refert, quas Doctores dant ad hæc verba, & dicit, quòd Glossa ordinaria sanitatem hanc, integram vocet; quia infirmus non solùm sanus surrexit, verùm exiliens incessit, nullâ in eo vmbrâ, vel reliquijs præteritæ infirmitatis apparentibus. Sed Glossa interlinealis, ac noster Cardinalis Hugo improbant hanc interpretationem, & dicunt, rationem, propter quam Sanctus Petrus eam integram vocauerit, fuisse; quia pauper ille, corpore, & animo sanus manserit: sed Lorino contrarium videtur; eò quòd nomen demonstratiuum *Hanc integram*, salutem tantummodò corporis significet. In tanta sententiarum varietate, potero & ego referre quid sentiam. Atque adeò dico, videri mihi Apostolum dixisse, quòd hæc esset integra, & admodum perfecta sanitas, quia nimirum homini mendico, indigenti, atque ab omnibus derelicto data fuit. Huic meæ considerationi fauet, quòd hoc miraculum in pedibus, & non in capite, factum sit; caput enim, vti ex diuinis litteris patet, symbolum est diuitum, & primorum Reipublicæ; pedes verò, pauperes, & inferioris notæ homines repræsentant: atque illa est completa charitas, illud donum perfectum, illa sanitas integra, quæ pauperi in necessitate constituto, ac mendico, omni humano auxilio destituto, conferuntur. Qualis etiam erat hic infirmus triginta & octo annorum, quem in Xenodochio Ierusalem vidit Dominus Iesus, in quẽ solum inter tantos, diuinos suos oculos coniecit; hac mystica actione nos ordinem docens, quem in charitatis operibus seruare debemus, illis nimirum primò subueniendo, qui hominum æstimatione minùs valent, & quia parum possunt, ac fortunæ bonis carent, ab omnibus sunt derelicti: *Hunc cùm vidisset.*

Act. 3. | Lorin. in 3. Act. | Gloss. ordin. | Gloss. Interlin. | Hug. Card.

*Vis sanus fieri?*

## Consideratio III.

*Quòd cum fortunato hoc infirmo, etiam antequam petat, agat Christus de eo sanando; nam hominibus virtutis, ipsamet necessitas, est admodum fortis & efficax petitio.*

1. CONSIDERAT gloriosus Sanctus Cyrillus, Christũ Dominum nostrum intrantem in hoc nosocomium, & non expectantẽ, vt pauper hic infirmus sanitatem ab eo petat, aut saltem necessitatem suam ei repræsentet; sed eam ipsũmet, desideria ipsius præuenientem, illi offerre; quod clarum est argumentum, & manifesta infinitæ bonitatis eius probatio. *Vis sanus fieri? Magnum misericordiæ Christi est argumentum, non expectare semper laborantium preces, sed suâ misericordiâ praeuenire.* Medici, vocati, & rogati, infirmos visitant: verumtamen Christus Dominus noster extremum misericordiæ suæ in eo superexaltauit, quod ipsemet vadat ad quærendum infirmum, eoque nihil petente, aut dicente, de eo sanando, & salute illi conferenda, loqui incipiat; adeò vt ipse necessitatum nostrarum sit explorator, vt misericordijs suis nobis subueniat: vt suo nos exemplo doceat, proximis nostris, in miserijs constitutis, benefacere, nec velle vt illi nos rogent, aut necessitates suas, vt illis succurramus, & medeamur, exponant; dixit enim magnus pater Sanctus Augustinus: *Perfecta misericordia est, vt antè occurrat esurientibus, quàm roget mendicus.*

Cyril. l. 2. in Ioan. c. 134.

Aug. l. 50. Hom. 29.

2. Erat Abraham in ipso feruore diei in ostio Tabernaculi sui; eleuat oculos, & videt peregrinos quosdam, currit in ocursum illorum, eosque detinet, veritus quòd bonam illam sortẽ amitteret, & ad aliud hospitiũ diuerterent; atque in ijs Deum sibi repræsentans, & ad pedes eorum sese prosternens, dixit: Domine mi, magnum hunc mihi fauorem exhibe, atque hoc beneficio seruum tuum affice, vt quiescendi, teq; nonnihil reficiendi causâ, ad domum meam venire digneris: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Quid hoc est Patriarcha sancte? Quænam istæ prædæ tam præparatæ, & feliciter obuentæ? Non expectares donec ad te peregrini hiaccederent, & necessitatem quâ premuntur, tibi significarent? Non præstolareris vt dicerent quibus indigeant, aut quid desiderent? Nequaquam, inquit Hildebertus Pater antiquus: *Ille tres viros videt, nec expectauit quæri officium: ne si precibus impetrarent, ægrè præstitum videretur. Occurrit venientibus, rogantur vt intrent.* Non patiebatur misericors, & benignum Patriarchæ cor, pauperum se peregrinorum postulationibus præuenıri, eique videbatur beneficio suo plurimum detrahendum, si expectasset se rogari: quapropter accelerat, eosque præoccupat, antequam se requirant, necessitatis remedium eis offerens; ex tunc Christum Dominum nostrum imitatus, qui ex parte sanctissimæ suæ Matris, ex ipso erat progignendus.

Genes. 18.

Damian. opusc. 9. eleemos. c. 3.

Hildeb. Epist. 61.

Huic loco admodum propria est doctrina quædam Sancti Cardinalis Petri Damiani, explicantis primum illum versiculum Psalmi Dauidis: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Beatus ille est, inquit Regius Propheta, qui cogitat qualiter in necessitate constituto subuenire poterit. Verbum, *intelligit*, secundùm meliores 3.

Psal. 40.

liores Interpretes, dicere vult; attendit ad sustentationem pauperum, studiosè considerat, & inquirit, qualiter indigenti emolumento futurus sit. Ille beatus, qui scire conatur, an in loco vbi degit, pauperes sint, & in necessitate constituti, vt quamprimùm eos adiuuet: *Intelligit*, qui aliorum necessitates perspectas habet, non expectans vt eas exponant, & importunis flagitationibus diuexent: qui tam liberali oculo vndique circumspicit, vt indigentium necessitatibus, etiam antequam eas repræsentent, aut de ijs quidquam dicant, prospiciat. Hactenus sacri Interpretes. Verùm Sanctus Petrus Damiani insigni distinctione conclusit: *Sunt pauperes, quibus pannosos, & bulgiolos, perasq́; gestantes, intellectu non indigemus, quos vtique manifestâ visione conspicimus: super ipsos autem pauperes debemus intrinsecus intelligere, quorum in superficie non possumus miseriam peruidere.* Duo pauperum genera sunt, inquit Sanctus Doctor; vnum eorum, qui in oculos incurrunt; alterum eorum, ad quos intellectus dirigi debet. Primi illi sunt, qui mendicando ostiatim circumeunt, centonibus onusti, & cum peris suis, ac bulgis, in quas eleëmosynas, à Christi fidelibus datas, congerunt. Vt his succurratur, non opus est intellectu, quia illi seipsis se manifestant, & siquidem ipsis eleemosynæ non dentur, solliciti sunt, vt eas exigant. Alij verò pauperes intellectu nostro indigent, hoc est, vt eos intelligamus, & cognoscamus; illi sunt qui necessitates suas non aperiunt, & paupertatem suam non diuulgant: verecundi (siue sint honesti, vel honestæ; nam omnis generis sunt innumeri) qui exteriori specie, plurima tegunt, quæ occultè patiuntur: his, inquit Sanctus Cardinalis, necessarij sunt misericordes intellectu, eleëmosynarij

Damian. opusc. 9. eleemos. c. 3.

qui intelligant; dicere vult, qui ipsis bene faciant non rogati, & absque eo quòd sese manifestent, succurrant. Hæc est summa, & excellentissima charitas.

4. Oleum illud aromaticum diuino cultui cōsecratum, quod Deus à Moyse fieri mandabat, volebat Dominus vt ex myrrha prima conficeretur: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos siclos, &c. & facies vnctionis oleum.* Sexcenta hîc congerunt Interpretes, vt ostendant quænā sit hæc prima myrrha, quæ à secunda distinguitur. Audiamus Lyranum ad nostrum institutum: *Myrrha est nomen arboris aromaticæ, & Oleaster noster dicit esse valde probabile, quòd sit illa, quæ balsamum profert, & inde procedit duplex gutta, vna per modum sudationis, & ista est prima: alia per incisionem corticis, & hæc vocatur myrrha secunda.* Sed hæc modò ad mores transferamus; Vult Deus myrrham illam sibi offerri, quæ spontaneè profluit, non illam, ad quam ferrum accedit; illa enim caritatis opera, per oleum, misericordiæ symbolum, repræsentata, Deo magis grata sunt, quæ voluntariè ipsi offerimus, non illa, quæ incisionis vi ei sacrificamus. Eleëmosynæ vltroneæ, & absque eo quòd rogentur, concessæ, sunt myrrha prima Deo sacrificata; illæ verò, quas incisiones, & importunitates pauperum sollicitant, atque eliciunt, sunt myrrha secunda, & quam Deus sibi offerri non imperat. Modò intelligentur verba illa Cantici: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Sacra Sponsa extollit, atque exaggerat liberalitatem diuini sui Sponsi Christi, Domini, & Redemptoris animarum nostrarum, & dicit, sacra eius labia distillare myrrham primam. Dicere vult, quòd beneficia eius, quæ loquens facit, sint instar myr-

Exod. 30. Lyran. hic. Oleast. hic. Cant. 5.

rhæ primæ; hoc est, quòd bonitate suâ motus, & nostris precibus minimè pressus, & coactus, ea impertiatur, prout clarè apparet in eo quod præsenti infirmo euenit, quem absque eo quòd roget, interrogat, si sanus fieri velit, & actu eidem sanitatem confert.

Eximia est ad hoc intentum ponderatio S. Bernardi. Notat hic Sanctus, Christum Dominum nostrum se comparare flori campi: *Ego flos campi.* Vt quid comparat se magis flori campi, quàm horti? Flos campi expositus est, vt ab agricola conculcetur, à pecoribus proteratur, ab incauto viatore pedibus opprimatur; non ita flores horti: omni enim curâ & solicitudine proteguntur, atque omni diligentiâ excoluntur. Verùm, propter hoc ipsũ, inquit Diuinus Bernardus, nõ cum flore horti, sed campi sese confert Redemptor meus: *Differunt inter se, quòd hortus quidem vt floreat, hominum manu, & arte excolitur: campus verò ex semetipso naturaliter producit flores, & absque omni humanæ diligentiæ adiutorio.* Christus Dominus noster flori campi admodum persimilis est; nam vt odorem suum communicet, & fragrantiam suam dilatet, non opus est vt rogetur, flagitetur, aut instanter vrgeatur, modò suffodiendo, modò rigando, modò scindendo, iam alia officia præstando, quibus indiget, vt emolumenti quid adferat: non expectat vt rogent, instigent, & exhortentur, vt odoris sui virtutem diffundat, miracula faciat, & humanis necessitatibus succurrat; hoc enim à seipso proprium habet, & sicut campus, aut flos eius, naturaliter sese communicat, prout in Euangelio accidisse videmus, ex quo constat, quòd ipsemet Dominus iuerit quæsitum pauperem hunc hominem, ad eum sanandum; & nullis precibus eius intercedentibus, perfectam ei sanitatem offerat, atque etiam conferat; verificans illud Gloriosi Bernardi: *Campus verò ex semetipso, & naturaliter producit flores, & absque omni humanæ diligentiæ adiutorio.*

Cant. 2.

Bernar. serm. 47. sup. Cantic.

6. Hanc Dei nostri conditionem singulari subtilitate deprehendit Sanctus Petrus Chrysologus in cap. 11. Sancti Lucæ, vbi amicus ille, ad quem alius venit petitum tres panes, vt cœnam inde daret hospiti, qui mediâ nocte superuenerat, pulsauit ad fores, & alius ab intus respondit, dormire se permittat, quia iam ipse, cum tota familia cubitum concesserat: *Noli mihi molestus esse, quia iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili.* Vbinam hic homo lectum suum habebat, vt eo non exurgens, loquatur ei qui in platea consistebat? Procul dubio, respondet Sanctus Episcopus Rauennas, ad ostiũ eum habebat. Si verò ita sit, vt quid difficilem, ac quasi licitantem se exhibet ad aperiendum, & concedendum quod petunt; quandoquidem solum desiderium illud non differendi, effecerit, vt ibidem lectum construeret? *O quàm pulsanti illi gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile collocauit ad ianuam?* Verùm si hoc indicium non videatur sufficiens, prosequitur Sanctus aliud non minus forte; videlicet, quod dormientibus seruis, ipse solus, pulsantis ad ianuam necessitatem audiuerit: *Qui dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus, & primus audiuit.* Reflecto ad vltima illa Sancti huius verba: *Solus, & primus*, inquit, nec videtur communis hic loquendi modus, quòd audiuerit solus, & primus: aut enim non solus audiuit, aut non primus; qui enim dicit, primus, significat, quod postmodum & alij audiuerint; si autem hoc ita sit, non audiuit solus. Difficultatem præ se ferunt, primo intuitu, verba huius Sancti, &

Luc. 11.

Chrysol. serm. Lucam.

cti, & inaduertenter prolata videntur; verùm certum est quòd sint admodum profunda: & nisi studium meum me fallat, institutum nostrum mirum in modum comprobant, atque stabiliunt.
6. Dicit quòd solus audiuerit, atque ex ipso Textu constat, rem ita se habere; nam si quispiam seruorum audiuisset, non ipse dominus, sed seruus aliquis, ad porrigendos panes, surrexisset; Christus autem Dominus noster dicit, quòd ipsemet, ad eos dandos surrexerit; adeò vt certum sit, quòd ipse solus audiuerit. Verùm non multum hoc refert, nec in eo constitit amicitiæ puritas, & perfectio. Plus est, quòd ipse primus audiuerit; hoc est, quòd si respectu seruorũ solus, respectu eius qui peteret, primus audiuerit; adeò, vt antequam ille in necessitate constitutus audiret id, quod ipsemet rogabat, iam alius ille audiuerit; quoniam amor eius non solùm potens est ad eum excitandum, vt necessitates meas audiat, verumetiam aures suas magis vicinas habet ori meo, vt me adiuuet, quàm ego meos ad eum rogandum.

*Luc. 11.*

7. Non desinit mirari Sanctus Pater Bernardus, considerans asperiem, & duritiem, quâ Christus Dominus noster sanctissimæ Matri suæ in nuptijs Canæ Galilææ respondit quando ei defectum vini, qui ibidem erat, significauit, vt, quandoquidem posset, ei prospiceret: *Quid mihi & tibi, mulier?* Domine, & Redemptor animæ meæ, quis magis quàm illa, tecum aliquid habeat negotij? Numquid mater tua est? Nónne fructus ventris eius es? Verba hæc, & multa alia Sacræ Scripturæ, ex quibus hæretici quidam dicunt, quòd Matrem suam Christus Dominus negauerit, eique stomachabundus, & acerbè locutus fuerit, occasionem nobis præbent interrrogandi, quare Christus Dominus noster verbis, vt apparet, duris, & asperis cum Virgine egerit? quæ quidem licet re verâ non sint, negare tamen non possumus, quin talia esse videantur; quandoquidem non solùm Matris nomen hîc negauerit, verùm etiam, vt apparet, nescio quid exacerbationis, ac fastidij præ se tulerit. Quãquam de fide sit, apparentem hanc seueritatem non fuisse odium aliquod, aut contemptum, omissis, breuitatis causâ, alijs rationibus, quæ ex parte Christi Domini esse potuerunt, quas sacri Doctores docent; illa, quam magnus Pater Sanctus Augustinus refert, bene intellecta, mirum in modum, doctrinam, quam docere intendimus, confirmat: *Miraculum exigebat Mater, at ille non tamquam agnoscens viscera humana, operaturus facta diuina dixit: Quid mihi & tibi, est mulier?* &c. Sanctus hic non tantùm vult dicere, Christum hoc fecisse, in quantum Virgo non erat Mater diuinitatis, cuius erat miraculum patrare, sed solùm humanitatis; & monstrare voluisse, quòd in quantum Deus, nullam in eo Mater partem haberet; idcirco dixit; *Quid mihi & tibi, mulier?* Verùm altiùs cogitatione suâ transcendit, quodque dicere voluit, meo quidem iudicio, fuit, quod non permiserit Dominus, visâ instante necessitate, cui tamquam Deus prospicere decernebat, vt Mater, quæ eum genuit, hoc peteret, & preces suas interponeret, ne cogitaretur, eius intercessione pressus, & coactus; non autem propriâ bonitate motus, hoc fecisse. Quasi diceret Christus: Non sunt necessariæ preces vt miracula faciam; necessitatis voces, vt me ad hoc obstringant, sufficiunt.

*Ioan. 2. Bern. serm. de nupt. ante med.*

*Aug. in Caten. D. Thom.*

Atque ego amplius quid in hoc loco animaduerto; duo nimirum miraculorum genera fecisse Dominum in ho-

minum in hominum vtilitatem, alia quæ malis remedium attulerunt, alia verò quæ illa propulsarunt, & impediuerunt: omnia in gloriæ, & diuinæ virtutis suæ ostensionem: *Vt manifestentur opera Dei.* Verumtamen obseruaui, Sacrum Textum, in nullo, quod malis iam obuentis remedium attulit, dicere, quòd se manifestauerit. Reflectite attentè ad verba Sacrorum Euangelistarum, & deprehendetis, duabus dumtaxat occasionibus Christum se manifestasse. Prima fuit in hac iam relata nuptiarum Canæ Galilææ, quando vini iam deficientis defectum præuenit: *Deficiente vino*; tunc enim dicit Sanctus Ioannes: *Hoc initium signorum fecit Iesus, & manifestauit gloriam suam.* Secunda, quando piscantibus Apostolis in mari Tiberiadis, pisces præmisit, & congregauit, labor ipsorum ne irritus, & vanus existeret: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis*; nam etiam dixit idem Euangelista: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, postquam resurrexit à mortuis.* Adeò vt solùm, quando auxilijs præuenit, Christo Domino benè attribuatur manifestationis nomen. Et meritò; si enim mundus per reliqua miracula Christi notitiam, virtute horum duorum totalem manifestationem percepit. Auxilium namque post necessitatem præstitum, semel est miraculosum; id verò quod illam præcedit, miraculum duplicatum: virtute enim malo obsistit; nam sapientiâ illi præuenit, & amore (adiungere liceat) illud auertit. Et quoniam duo miracula simul coniunguntur, vt in vidente maiorem admirationem, & in operante manifestationem causet, necesse est; ne autem hic meus discursus fulcimento carere videatur, audite magnum Patrem Sanctum Augustinum, conuersionis aquæ in vinum

*Ioan. 4.* *Ioan. 2.* *Ioan. 21.*

successum considerantem: *Itaque seruauit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, vt tamquam dormientes homines ad se colendum mirabiliter excitaret; propter quod sequitur: Et manifestauit gloriam suam.* Quasi dixisset Sanctus Doctor: Eo tempore quo non est admodum ordinarium, sed peregrinum, miraculis, inopiæ & necessitatibus occurrere, hominum admirationem vehementiùs ad se rapit, & ad notitiam excellentiæ & magnitudinis diuinæ gratiæ, quasi dormientes, vt eam meliùs agnoscant, excitat: ac tum illa se magis manifestat, & virtutem suam gloriosè ostentat: *Manifestauit gloriam suam.* Secundùm hoc, dicere possumus, quòd Dominus Iesus certa quadam ratione, in hoc miraculo, in Piscina perpetrato, gloriam suam hodie etiam manifestauerit. Quamquam enim non impedierit paralysis malum, quo minus fuerit, tamen paralytici preces, ad eum sanandum, præuenit. Manifestatio gloriæ suæ fuisset, ad petitionem eius, salutem, quam tantopere desiderabat; ipsi cōferre; sed multò maior, non velle, vt malorum suorum rationem reddat, eaque dinumeret, nec expectare, vt remedium eis petat; sed de industria eum quærere ad sanandum: *Vis sanus fieri?* quoniam excellentiora sunt ea caritatis opera, & in maiorem Dei gloriam redundant, quæ indigentis diligentiam, & solicitudinem præueniunt. Atque adeò, si beneficij fauore succurrere velitis, preces anteuertite; in eo enim Christianæ pietatis puritas consistit, quam & Gentiles imitati sunt, prout ibidem de Traiano suo alius dixit: *Ciuibus alimenta daturus, hoc maximum præstitisti, ne rogarent.*

*Aug. tr. 9. in Ioan.* *Plin. Iun. in Paneg.*

Aug. tr. 9. in Ioan.

### *Vis sanus fieri?*

## CONSIDERATIO IV.

*Quòd non sine ratione petierit Christus ab hoc Paralytico, an vellet sanus fieri; quia nonnulli infirmi malis suis ita afficiuntur, vt doleant se ab ijs expediri.*

1. Cyrill. lib. 3. c. 14.

GLoriosus sanctus Cyrillus, hanc Christi Domini nostri petitionem infirmo huic factam expendens, dicit, necessariò nobis ad spiritum, & mysterium quod includit, recurrendũ esse; nam quantum ad id quod littera sonat, minimè ad rem venit. Quid enim magis absonum, quàm ab homine, triginta iam & octo annis infirmo, petere, an desideraret sanitatem; præcipuè cùm constaret, illum ea de causa eò adductum, atque illud esse, quod ibidem tanto tempore expectaret. *Interrogatio huiusmodi, si vellet rem optatam consequi, ad aliud occultius intelligendum reducit.* Verùm quam mysterij profunditatem habere potest? tot annorum paralyticum interrogare an sanitatem velit, an non? Multa hîc dicunt sancti Patres, & sacri Interpretes; mihi videtur sanctum Cyrillum dicere voluisse, cælestem Medicum hanc interrogationem ideò fecisse, quia iure merito dubitari potest, an infirmi tam inueterati, suis infirmitatibus tantopere non alligentur, & affecti sint, vt eas pluris faciant quàm sanitatem; multi enim malis suis ita addicti, & in pœnis suis ita contenti sunt, vt remedium eis adhiberi, non velle, & voluntatem eis resistendi à se pœnitus abiecisse, videantur.

2. Quando Cyrus, Persarum Rex, populo Israëlitico, post multos annos 1. Esd. 1. quibus in eius potestate captiuus detentus fuit, ad terram suam reuertendi potestatem fecit, in litteris libertatis, quas ei dedit, clausulam adiecit, eamque publico edicto proclamari iussit: *Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum.* id est, Si Hebræus aliquis in Babylonia remanere, potiùs, quàm in Iudæam reuerti maluerit, debebit hic bonis, & expensis suis adiuuare eos, qui reuersi fuerint. Verùm occurrit ratio dubitandi, quisnam tam innocens futurus sit, & omni lumine destitutus, vt eligat potiùs inter barbaros Gentilium ritus seruus existere, quàm inter sacras Domini leges in Ierusalem libertate frui? Non accidit tam damnoso gustu quempiam affici, vt præterquam tantis bonis sese priuet, tanta mala voluntariè perferre velit. Non? inquit Lyranus; certum autem est, non absque fundamento Regem loqui, & decretum eius ritè diligenterque excogitatum, & expensum fuisse. Et quinam erunt illi adeò bene contenti? *Ij profectò, qui amore bonorum ibi acquisitorum tenebantur,* respondet Lyranus. Cumque illa omnia tam parui essent momenti, vt ijs, quæ in Ierusalem possidebant, comparata, potiùs mala essent, quàm bona; infelici tamen isti statui adeò erant addicti, vt illum relinquere, quasi impossibile eis videretur; quique in principio, organa, & reliqua musices instrumenta in salicibus fluminum, in tristitiæ signum suspenderant, tali postmodum solatio affecti sunt, vt terram illam relinquere eos pœnituerit; & propria eorum voluntas fuerit, quæ eos captiuos detinebat; quandoquidem cùm Deus impetrasset à Rege vt eos libertate donaret, ab ipsis

ipsis obtinere non potuerit, vt eam acceptarent; habebant enim liberos, vxores, & bona, quibus eorum voluntas ipsos fortiùs, quàm imperium Nabuchodonozor, seruituti alligabat. Ita refert id Iosephus: *Multi enim maluerunt manere apud Babylonem, non sustinentes possessiones suas relinquere.* In Algeria mancipia quædam sunt, vitæ illi infortunatæ adeò addicta, vt redimi noluerint; quidam sunt ad triremes damnati, qui finito termino, pro pretio inferiori, & viliori ludunt, vt in tristi illa vita perpetuò perseuerent; tantum enim potest mala quædam cōsuetudo, vt quidam in pœnis suis adeò sibi complaceant, vt cùm ijs carent, in solitudine versari videantur.

*Ioseph. lib. 9. antiq. c. 1.*

5. Non fuerunt hæ primæ vices, quibus populo Hebraico hoc accidit, prout notauit insignis noster Oleaster. Agit Deus de eo liberando à tyrannica Pharaonis seruitute, vbi tantùm patiebatur, vt verba illa capitis primi Exodi, quibus diuina Scriptura dicit, quòd Ægyptij Israëlitas summo, ac notabili odio haberent, eosque persequerentur, & crudeliter affligerent: *Affligebant eos illudentes eis*; transferat Oleaster (iam aliàs relatus,) secutus Pagninum, ex Hebræo: *Spinis puncti sunt filij Israel*; ab Ægyptijs, scilicet, quando diurna pensa ipsis imposita non exsoluebant, eosque crudelissimè, vsque dum sanguis difflueret, flagellabant. His autem, qui in tam misero statu erant constituti, læta nuntia de eorum redemptione Moyses detulit. Expediétne vt ea admittant? Multi fuerunt inter illos, qui eo quo par erat gaudio, ea non receperunt; quin potiùs ei dixerunt: *Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs: multo enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine.* Hoc est: Noli, Moyses, de nobis ex Ægypto educendis, & ad asperum desertum deducendis, agere; plus enim valet bona seruitus, quàm laboriosa, & difficilis libertas. Hîc quidem seruimus, sed vtcumque sufferre possumus; olla enim, fructus, allia, & cepe non desunt: in deserto autem quid futurum sit, nescimus; fortassis & aqua, ac panis nobis deerunt, & fatigatam, ac exercitam vitam ducemus. Quis non mirabitur videns gentem illam omni ratione, & consilio ita destitutā, vt mori potiùs captiua in Ægypto quam itineri se committere, & ad terrā promissionis, cum libertate possidendam tendere desideret? præsertim, cùm prudentum æstimatione, minus malum sit, semel mori, & finem malis imponere, quàm totâ vitâ seruire debere. Ingeniosè hîc disserit noster magnus Oleaster: *Malum est*, inquit, *malis assuescere, quoniam postmodum bona arbitratur mala, qui in malis enutritus est*; cùm autem filij Israël quadringentis, & triginta annis fuerint in Ægypto, non est quod miremur. Quod enim gens tanto tempore captiua seruitutem potiùs velit, quàm libertatem, quid mirum? Duci suo dicunt, quod in Ægypto captiui remanere velint; quòd enim malis iam assueti sint, in causa est, quòd in ijs sibi complaceant. Quanti peccatores (prô dolor!) in mundo sunt, Ægyptijs persimiles; quos ego auiculæ comparo, quæ caueæ inclusa, præ tristitia nec canere vult, nec comedere, quia se incarceratam, & antiquâ libertate suâ priuatam videt; labente autem tempore, adeò contentam se in ea experitur, vt apertâ fenestellâ, abire nolit; & siquidem vadat, sæpiùs reuertatur. Tales fuerunt Israëlitæ in Ægypto, ac tales etiam sunt peccatores, vitijs suis assueti.

*Exod. 1.* *Oleast. hic.* *Pagnin. ibid.* *Exod. 14.* *Oleast. hic.*

Conquerebatur Deus per Prophetam

tam suum Oseam de Ephraim, & dicit de eo: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Varias expositiones habet hic locus; Ruperti Abbatis modò sequemur; est enim huic rei admodum opportuna. Igitur *Ephraim similis est vacca vitulæ, quia didicit & aream terere, & nimiâ consuetudine amare, quod docta est, licet trituratio laborem inferat.* Amplius dici non potest. Vitula enim cùm domatur, mugitus in cœlum effert, loca confringit, ac iugum excutit; consuetudine autem eò tandem deuenit, vt illa ipsa, nemine cogente, sponte suâ ceruicem labori vltrò offerat: plus quàm diem festiuum agit, quando agricola non habet quod laboret, ad portam prosilit, domo exilit, & ceruicem, vt ad iugum deducatur, inflectit. Tale quid, inquit Deus, succedit Ephraim, hoc est, tribubus Israël idololatriæ deditis: atque omnibus etiam Christianis, qui peccare assueuerunt, & in statu peccaminoso ita conquiescunt, vt iure merito dubitari possit, an graue peccati iugum à collo suo excutere velint.

Osea 10.

Rup. hic.

5. Ponderatu admodum dignus est stylus quo Doctor Gentium, in epistola ad Ephesios, de glorioso mysterio admirabilis adscensionis Christi Redemptoris nostri, eiusque celebri triumpho loquitur: *Ascendens*, inquit, *Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quærunt Interpretes, quænam sit hæc captiuitas, quam Christus IESVS, eo die, quo triumphabundus cœlum subijt, captiuam abduxerit? Non potest esse mors, & multo minùs peccatum; nam nulli horum introitus cœli patet. Relictis alijs opinionibus, audite Glossam eminentissimi Caietani: *Pro quanto Sanctos omnes qui captiui erant in limbo, duxit in cœlum: quod est tamquam de captiuitate in captiuitatem ducere.* Attentionem ad hæc verba postulo; sunt enim nonnihil difficilia. Et quidem paradoxa videtur hæc doctissimi Cardinalis sententia. Quid enim? Gloriã, visionem Dei beatificam, animæ centrum, spei ianuam, captiuitatem vocat? haud equidem capio. An fortè Regnum cœlorum sit captiuitas? Non profectò. Quî autem intelligi hoc debeat? Dicam quod ingenij mei exilitas comprehendit. Cùm sancti Patres tristi illi limbi ergastulo tam antiquo iam essent assuefacti, sanctus Paulus, ac etiam Caietanus ipsam gloriam, captiuitatem, appellauit; fortassis ad declarandam voluptatem quâ in cœlũ conscenderunt: hoc est, quemadmodum is qui carceris commoda non relinquebat, sed commutabat, transeundo à seruitute limbi ad aliam, sed cœlestem; quemadmodum enim ipsa gloria est compendium, & aggregatum bonorum omnium, ipsos assecurabat, quòd non amitterent bona illa quæ habebant (si tamen habebant,) aut quæ ipsi sibi imaginabantur. Latè locutus est Caietanus; nam valde impropriè cœlum dicitur captiuitas. Fortassis eâ intentione illud sic vocauit, in quantùm voluntas beatorum, iam necessariò, & quasi obstricta ac coacta Deum amat? Quidquid sit, quâ potui ratione, verba eius expendi, ad confirmandam doctrinam quam probare conamur: esse nimirum homines ita malis suis affectos, quique tam arctam, vt ita dicam, cum ijs, siue temporalia illa sint, siue spiritualia, inueteratâ consuetudine, societatem iniuerunt, vt sese ab ijs separare nolle videantur, in infirmitatibus suis (animæ inquam) tantopere sibi complacentes, vt meritò dici ijs possit, vtrùm velint, aut nolint ab ijs liberari? Quàm multi sunt, qui salutem

Ephes. 4.

Caiet. hic.

lutem suam se desiderare dicunt, & re verâ, nihil tale in mentem venit, nec vmquam eiusmodi desiderium habuerunt! O Pater, nihil magis velim, quâm ab infirmitate mea sanari. Itáne verò? Igitur bona aliena quæ possides redde, honorem alterius quē abstulisti restitue, lasciuam & scandalosam amicitiam relinque. Non illud: Igitur mentiris; nam salutem non desideras.

6. Recordabimini, credo, euentus illius, quem refert sanctus Matthæus, de
Matth. 15. iuuene quodam, qui Christum Dominum nostrum accessit, vt consilium, & remedium ad sanctitatem acquirendā, ab eo peteret. Erat is honestus, diues, & prout apparebat, benè morigeratus; nam dicente ei Domino, vt Dei mandata obseruaret, respondit, se ab ineunte ætate ea semper obseruasse; & proculdubio, aliquid horum subfuisse debuit; quia sanctus Marcus aduertit, quod cùm Dominus eum vidit, & oculos suos diligentiùs in eum defixit, amore eius captus fuerit: *Intuitus eum, dilexit eum.* Et Christus, eo interro-
Marc. 10. gante, quid ageret vt perfectus foret, ei cōsuluit, patrimonium diuenderet, & pauperibus erogaret: *Si vis perfectus esse, &c.* Verba admodum similia ijs quæ infirmo huic dixit: *Vis sanus fieri?* Res autem illa, perfectum esse, nónne expetenda, & indesinenter desiderāda? Vt quid ergo, Domine, eum interrogas? Eò quòd sciam eum non voliturum; ita enim bonis suis affectus est, & diuitijs suis abreptus, vt eas deserere non velit. Atque ita accidit: nam Christo eum in eo tangente, contristatus fuit, atque admodum afflictus. Audite modò sanctum Basilium Magnum, egregiè namque iuuenem hunc aggre-
Basil. hom. 7. in diuit. auar. ditur: *In te ipso mentiri deprehenderis.* Domine mi Nobilis, haud equidem magnum Euangelistam te reputo; potiùs mihi videtur te tam bonum non esse qualem te pingis, nec tam ardentia sanctitatis desideria, qualia demonstrasti, habuisse. Quin amplius dico, hoc esse quod minùs desideres; nam homo, qui inter diuitiarum spinas quietē inuenit, quemque graue illarum iugum depressum non tenet, nec mala, & pericula timet, quæ eum constringunt; & quando ei de ijs deserendis, & ex amore Dei pauperibus erogandis, dicitur, molestiâ afficitur, & se affligit, salutem non quærit, in infirmitate sua sibi complacet; eapropter de industria ei respōdet Saluator, quasi eum interrogans, an perfectus esse velit, atque ipse tacitè dicit, quòd non: *Et abijt tristis.*

Terrestris ille Seraphim, inclytus 7.
protomartyr sanctus Stephanus, Christi Saluatoris nostri fidem prædicabat, Act. 7.
atque ab ijs tam malè exceptus fuit, prout opprobria, & conuitia, quæ in eum coniecerunt, & crudelis, ac ignominiosa mors, quâ eum affecerunt, liquidò demonstrant. Paulò ante eam, Deus cœlum ipsi aperuit, & Christum Dominum à dextris æterni Patris stantem vidit: *Ecce video cælos apertos, &c.* camque veritatem constanter eos docere cœpit. Verùm notat sanctus Lucas, quòd simulatque hoc audierunt, aures suas obturauerint: *Continuerunt aures suas, peiores aspide surdâ* (inquit hic magnus Pater sanctus Augustinus) *quæ quamuis contra inantatorē premat vnam aurem ad terram, & de cauda sibi alteram obturet, tamen ab illo de cauerna educitur.* Sed hi astutum serpentis huius ingeniū superarūt: taliter enim animæ suæ portas, vt in duritie sua persisterent, obserarunt, vt diuinum Verbum in eam numquam intrare potuerit; cumque cœli ianuæ aperirentur, tunc animarū ipsorum quasi ferro occludebantur: *Ipsas clauserunt mentes, vt in sua duritia perse-*

Aug. serm. 91. & 94. de diuersis Psal. 57.

*perseuerarent, & cùm cœli ianuæ aperirentur, ipsas Iudæi menteslaudebant.* Omnia hæc obstacula sancti Stephani verbis, cuius ore Spiritus sanctus loquebatur, opponebant; ne cum illorum echo aut resonantia, Diuinæ gratiæ lux ad illos subintroiret, & illuminarentur, qui in errorum suorum cœcitate tam contenti, & in infirmitatibus suis tantopere sibi complacentes viuebant, vt nequidem de salute verba fieri, audire velint.

*Aug. serm. 99. de diuersis.*

8. Talis, quales isti, suo calculo erat Simon ille Leprosus, cuius meminit sanctus Lucas. Ponderat sanctus Gregorius Nicenus, quòd vnum eorum quæ Dominus, ab ipso inuitatus, ei obijciebat, fuerit, quòd domum eius intranti pacis osculum non dederit: mos illis tẽporibus inter Hebræos admodum vsitatus, vti ex multis sacræ Scripturæ locis constat: *Osculum mihi non dedisti, &c.* Domine, & Redemptor animæ meæ, vt quid leprosi osculum requiris? Estnè res aliqua magis fastidiosa quàm lepra, quæque maiorem horrorem & nauseam pariat, quàm leprosi osculum? eoque multo magis cùm lepra, prout Sancti dicunt, symbolum sit peccati? Ita quidem inquit Nicenus; sed propterea quoque id magis sentit Dominus; ipse enim leprosum hunc tam corpore, quàm animo sanare desiderat; atque in eum finem hospitium eius subierat; ille autem tantum abfuit vt eâ occasione fructum aliquem faceret, vt conqueratur Dominus, quòd meliorẽ rationem secum non inierit. Absque dubio enim vtramque salutem admodum perfectam habuisset, si ore suo sanctissimam Saluatoris humanitatem tetigisset: *Reuera fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attraxisset puritatem*; inquit Nicenus: desiderasset Dei Filius, vt Simon Leprosus ei dedisset osculum, quod est spirituum quædam participatio, vt inde in corpore, & anima salus ad eum peruenisset. Sed in ægritudine sua bene sibi complacere debebat, & in lepra sua admodum contentus existere; quandoquidem cùm posset, ab ea sanari noluerit, cumque salus ipsa cum domi suæ quæsitum pergeret, eâdem portâ quâ intrauerat, egressa sit. Et quoniam illud ipsum Euangelico huic infirmo euenire poterat, vt tam parum oblatam salutem desiderat, sicut leprosus, eiusque sequaces; proptereà Christus Dominus noster eum rogat: *Vis sanus fieri?*

*Luc. 7.*

*Gregor. Nicen. hom. 1. in Cant.*

---

*Hominem non habeo.*

CONSIDERATIO V.

*Quòd fide, & amore Dei carens, essentiam hominis perdat, & tantummodò secundùm apparentiam homo remaneat.*

1. RVpertus Abbas, expendens definitionem illam, quam Spiritus sanctus homini dedit, *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo*; dixit hæc verba: *Verbum est, qualem sensum efficit intellectui tuo?* Quærit doctus Abbas: *Talem nimirum efficere debet, qui pertineat ad eamdem rationem, quare dixit æternus, & incommutabilis Deus; Ego sum qui sum: ac si diceret, Deum timendo, & mandata eius obseruando, accipit esse homo, gratiâ, & adhærendo Deo, qui naturâ est.* Quasi dicat; Deum timendo, & mandata eius obseruando, fit homo per gratiam, quod Deus est per naturam; vt quemadmodum Domini huius insigne sit dicere, quòd sit qui est: ita de eo qui Deum timet, & mandata eius obseruat, dicatur, quòd

*Rup. l. 7. de glorif. Trinit. c. 12. Ecl. 12.*

quòd sit, qui est; hoc est, quòd verè sit homo cuius essentia consistit in amando, & seruiendo Deo: atq; adeò idem est, eum timere, & mandata eius obseruare, quod hominem esse; & idem est, esse hominem, quod Deum timere, & Diuinas eius leges obseruare: *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.* Suppositâ huius doctrinæ veritate, non erit mihi peregrinum dicere, quod iure merito Christo Domino nostro infirmus hic dixerit, se, quamuis consanguineos, amicos, & notos haberet, hominem tamen nõ habere; eò quòd tales, cùm fide, & Dei amore carerent, in quibus essentia hominis consistit, homines non essent, nec hominis plus quàm similitudinem haberent.

2. Refert Sacer Historiographus Moyses infelicem statum, in quo mundus constitutus erat, quando Deus Dominus noster aquis diluuij pœnas de eo sumpsit; eumque totaliter corruptum, & omnem gentem vitio inhonestatis, & lasciuiæ deditam fuisse dicit: *Cumq; vidisset Deus terram esse corruptam; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noë, &c.* Sanctus Pater Ioannes Chrysostomus hunc locum exponens, quærit, quinam hi fuerint, qui se corruperunt, & in turpitudines, ac peccata præcipitauerunt? Et respondet, non esse dubium, quin homines fuerint, cùm illi soli peccati capaces sint. Quare igitur non dicit Scriptura, quòd homines fuerint ipsi delinquentes, sed caro, & terra quæ peccauerunt? Quare eos priuat nomine proprio creaturæ rationalis, quod est homo? Respondet sanctus Doctor: *Ob malitiam, carnem eos vocat, & non homines.* Quamdiu Deo seruierunt, & boni permanserunt, hominis nomine fruiti sunt: verùm simulatque gratiam eius perdiderunt, eumque grauia peccata committendo offenderunt, iam Spiritus sanctus, eos non homines vocat, sed glorioso hoc appellatiuo nomine priuat, quoniam idem est, peccatorem esse, quod essentiam hominis amittere.

*Genes. 6.*

*Chrysost. hom. 23. in Genes.*

3. Sacra Historia dicit de Noë, quòd fuerit homo iustus, & perfectus; nam vbi nostra Vulgata habet: *Noe vir iustus atque perfectus.* Septuaginta Interpretes transferunt; *Homo iustus atque perfectus.* Ingeniosus Philo Hebræus reflectit ad laudandi modum, quo Diuinus Spiritus loquitur de Noë, hominem eum vocans. Cæteri autem eiusdem temporis (quærit Philosophus) non erant etiam homines? Quis dubitet? quandoquidem essent animalia rationalia, quæ est definitio, quam Philosophia naturalis homini attribuere solet. Vt quid igitur Noë particulariter datur hoc nomen, quasi in eo solo humana natura conseruaretur? Audite Hebræi responsionem, sapientissimo, & Catholico Doctore dignam: *Sciendum quòd hominem non vulgari loquendi formâ, rationabile animal vocat; sed per excellentiam eum qui suo respondet nomini, eiectis ex animo immansuetis, rabidis ferinisq; vitiorum affectibus. Argumento est, quod post hominem addit, iustus; quia nemo iniustus est homo, sed potiùs bestia, humanâ formâ prædita: in solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit.*

*Genes. 6. 70. Interpret.*

*Phil. lib. de Abrah.*

4. Offert se mihi cogitatio quædam sancti Hieronymi, quæ magnam meretur attentionem, tam quia eius, quàm quòd nouitatis aliquid contineat. Reflexit hic sanctus Doctor ad verba illa Dei & Domini nostri, dicta per Prophetam suum Ezechielem: *Hæc dixit Dominus Deus: Homo homo de domo Israël.* Quis hic tam peregrinus loquendi

*Ezech. 14.*

di modus? quærit hic Sanctus. Cui superflua non videretur hæc verborum duplicatio: Homo homo? Quid secundò prolatum addit homini primò pronuntiato? Indubiè repetitio hæc primâ fronte redundans videbitur: verùm mysterijs plena est, si intelligatur:
Hieron. hic. *Quodq; secundò dicitur Homo homo, &c. duplicem in nobis iuxta Apostolum ostendit hominem, exteriorem, & interiorem; multi enim habentes hominis faciem corporalem, diuersarum bestiarum assumunt imagines, &c. Quando verò interior homo iuxta imaginem perseuerauit Conditoris, tunc nascitur homo, & fit istiusmodi secundùm exteriorem, & interiorem hominem bis homo homo.* Gratia enim, & interiores animæ virtutes cum exteriori hominis figura, significant id quod repræsentant. Hoc est: *Homo homo de domo Israël.*

5. Sapienter sanè in hac materia discurrit Sanctus Bernardus, occasione
Psal. 48. illius versiculi Dauidis Psalmo 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* quem aliqui de omnibus illis intelligunt, qui ad dignitates euecti, & sublimioribus in locis constituti, officijs, & obligationibus suis desunt, & toti aberrant, nihilque boni peragunt: atque adeò dicunt, horum verborum hunc esse sensum: Eleuatus, & sublimiori loco constitutus est homo, honoratus, & in authoritate positus fuit; honorem autem, quo eum affecerunt, non cognouit; ratione status in quo sese conspexit superbiuit, & euanuit, quidque sibi agendum foret, non expendit: atque ita dicunt aliqui, talem hominem bestiam esse. Benè quidem hæc annotata sunt: sed Sanctus Bernardus hunc versum intelligit de propatente nostro Adamo, qui fraude, & mendacijs à Satana miserè deuictus, & ab excellentia, magnaque sublimitate, in qua Deus rebus omnibus, in hoc mundo visibili creatis, eum superiorem collocarat, deiectus, & ad vilitatem maximè abiectorum, & turpium animalium prostratus fuit: *Erubesce, quòd pro consortio Angelorum consortium sortitus es pecorum, non modò in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis: cum iumentis partiris panem terræ, qui panem Angelicum fastidisti: in corpore manet humanæ animæ similitudo, in anima verò bestiali similitudine, mutata est similitudo Dei.* Bern. ser. de primor. med. & nouissi. nost. Adiungit Sanctus Ioannes Chrysostomus, peius esse, quòd homo eò sese abiecerit, vt bestijs assimiletur, Chrysost. hic. quàm vt reuerà sit bestia; & minus malum fore, à bestia prognatum esse, quàm illi comparari; nam absque ratione & iudicio nasci, non erat culpa: sed hominem cum ratione natum, sine illa viuere, turpitudo est admodum culpabilis. Hæc omnia hominem communiunt, vt honorem suum conseruet, & authoritatem protegat, & dignitatis, ac celsitudinis suæ memoriam non amittat, Deum timens, ac mandata eius obseruans: quandoquidem hoc solùm sit verum hominem esse: *Hoc est enim omnis homo*; peccatores verò sunt homines phantastici, qui licet appareant, non sunt.

Capite quarto sacri sui Vaticinij dixit Ieremias, quòd terram aspexerit, 6.
& hinc & inde oculos diduxerit, quodque in ea hominem aliquem deprehendere non potuerit: *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; intuitus sum, & non erat homo.* Ierem. 4. Difficultatem profectò habent hæc Prophetæ verba; certum enim est, mundum eius temporibus hominibus plenum exstitisse, ac innumeros Duces, Sacerdotes, Principes, Reges & Monarchas tum fuisse, prout idem Propheta multis prophe-

tiæ suæ locis refert. Quomodo igitur verbi eius veritas saluabitur, quod ne vnum quidem hominem in tota terra se vidisse, dicit? An fortè eo tempore quo eam perlustrauit, breuioris visus fuerit, aut aliquod in oculis impedimentum habuerit? Non sanè. Quin potiùs, quia tam perspicaces habuit, animaduertit, hominem non fuisse. Ita id refert Sanctus Pater Ioannes Chrysostomus: *Neque enim à figura, sed ab actione, quod est, vnumquodque intelligitur: cætero de communione nominis dumtaxat dicitur id, quod dicitur: Solus ille verus est homo, qui conseruatâ imagine, à Deo concessam pulchritudinem minimè fœdauit.* Multi quidem ac infiniti homines Ieremiæ oculis sese obtulerunt, sed neminem talem iudicauit: & meritò; non enim figura, sed actiones hominem efficiunt: horum autem, cùm non essent probæ, nec diuinæ legi conformes, cognouit Propheta, tales, licet exteriùs aliquam hominis speciem referrent, præter nomen nihil habere; ille enim solus per essentiam est homo, qui insignem, ac pulchram Dei imaginem, in eius gratia perseuerando, conseruat; eamque vitijs, ac peccatis non obnubilat, offuscat, expungit, atque commaculat: *Solus ille verus est homo, qui conseruatâ imagine, à Deo concessam pulchritudinem minimè fœdauit.*

*Chrysost. in Cat. Græc. in Iob. translata à Comitolo.*

7. Coronidem discursui huic imponit insignis cogitatio gloriosi Sancti Ambrosij, considerantis formam negationis Sancti Petri, quam refert Sanctus Ioannes Euangelista, in qua supponere debemus Apostolum Petrum grauiter peccasse, licet antiqui Doctores, diuersas vias ingressi, eum excusare voluerint. Ipsa veritas est, quòd Christum Dominum nostrum negauerit, eumque negare graue sit peccatum. Primum quidem, quia mentitus fuit; alterum verò, quia iurauit; mendacium autem & iuramentum in causa illicita, sunt grauia peccata; atque adeò omnes Doctores Catholici, grauis peccati eum condemnant, atque ipse Sanctus Petrus tamquam grauissimum illud defleuit. Et quamquam verum sit, quòd cum illo amiserit caritatem, non tamen fidem, iuxta meliorem sententiam Sancti Patris Augustini, Sancti Cyrilli, Sancti Leonis Papæ, & Ruperti Abbatis. Et ratio est, quia in animo non sentiebat, quod ore proloquebatur; neque etiam dixit, quòd non esset Deus, sed quòd eum non cognosceret. Notat modò Sanctus Ambrosius, quod, cùm eum apprehendere vellent, quia eum in Christi consortio viderant, responderit: *Non sum.* Mysterio plena est hæc negatio: non enim solummodo Christum negat, sed etiam seipsum; atque adeò duplex est hæc negatio. Audite Sancti huius verba: *Quia videbatur Christi negare societatem, vtique se negauit,* & dixit se non esse, quasi à se auferens naturam, & negans de se essentiam hominis, per culpam quam actu committebat. Quasi dixisset: Essentiâ hominis priuatur, qui contra Deum, & Dominum suum tam grauiter delinquit: *Non sum.* Licet appaream, modò tamen non sum homo, nec pro tali haberi debeo: atque ita dicit Theophylactus, infirmi huius verba ad mores transferens: *Hominem non habeo,* Supposito enim, quòd, vti ex Euangelio cōstat, esset peccator, verè dicebat, se hominem non habere, eò quòd nec iudicium, nec rationem haberet; iam enim per peccatum eam amiserat, atque adeò non erat homo: *Nos non habemus hominem, id est, humanam rationem, vt portet nos in piscinam lachrymarum, vtpotè comparati cum iumentis, &c.* Omnes itaque conemur amare

*Ioan. 18.*

*August. tract. 123. in Ioan. Cyrill. l. 19. in Ioan. c. 1. Leo Papa serm. 9. de pass. Rup. comment. in Matth. 26. Ambros. l. 10. in Luc.*

*Theoph. apud Barrad. hic*

amare, & timere Deum, vt homines simus, cùm hæc quidditatiua eius definitio sit. Non simus similes Iudæis, genti tam peruersæ, & à Deo adeò abalienatæ, & seiunctæ, de quibus (nesciens quid diceret, instar alterius Caiphæ) affirmauit Paralyticus, quòd non essent homines: *Hominem non habeo.*

---

*Tolle grabatum tuum, & ambula.*

CONSIDERATIO VI.

*Quòd homine culpâ ægrotante, iurisdictiones suas anima amittat, ex domina, sui corporis ancilla deueniens.*

1. *Euseb. Emiss. Hom. huius feria. Sap. 9.* HVIC considerationi fundamentum dedit Eusebius Emissenus, qui per hunc lectum, quem Dominus homini huic tollere iussit, corpus, & per eumdem iam sanum, animam intelligit: *Tolle grabatum tuum, porta, & contine, & in seruitutem redige carnem tuam; lectus namque animæ corpus est: in quo, si vitiosum fuerit, tota infirma, & languida iacet anima, sicut scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* atque idem fuit ac si dixisset ei Dominus: Cùm esses infirmus, lectus te detinebat, & grabatum te ferebat; modò autem te sano, & bono, non te ille, sed tu illum tolle: *Tolle grabatum.* Anima infirma in peccatis, & cupiditatibus suis existit, quaque rotæ voluuntur, ipsa vadit, neque alio modo se mouere nouit: sed anima illa iam sana, lectum & corpus tollit quocumque voluerit. Heu Fideles, & quàm magnum nosocomium est mundus huiusmodi infirmorum! Ex ore Ieremiæ

2. Prophetæ veritatem hanc audite.

*Thren. 5.* Deplorat hic sanctus Vir in Threnis suis Reipublicæ suæ mala, & Regni sui destructionem: *Serui dominati sunt nostri*; hoc est, secundùm sensum litteralem: Ad tam infelicem, & lugubrem statum deuenimus, vt illi, qui erãt serui, & captiui nostri, modò heri & domini nostri sint. Relinquo nunc litteralem horum verbornm explicationem: remaneat in aliam occasionem quæ citò sese offeret, eamque cum glorioso Sancto Hieronymo in sensu mystico perpendamus; id enim instituto nostro conuenit. Consideratio Prophetæ, inquit magnus Doctor, non substitit in temporali ruina Ierusalem, nec corporali eam inhabitãtium captiuitate; vlteriùs eius cogitatio processit: spiritualem desolationem & ruinam animæ, quæ peccati serua existit, plangit Ieremias: *Hîc spiritualis animæ ruina vastatióque describitur*; & idem fuit ac dicere: *Caro, quæ seruire debebat, dominata est animæ*; anima autem tam est infelix, vt mancipium eius cuius est domina, & captiuam cuius est Regina, se peccando constituat: hoc est quod sentio, inquit Ieremias, quodque sanguineis lachrymis deplorandum est, videre Dei ordines peruersos, non solùm in quantum auctor est gratiæ, sed etiam naturæ. *Hieron. hîc.*

Mirabili stylo locutus est Moyses de creatione hominis; prout considerate notauit Rupertus Abbas: *Factus est homo in animam viuentem.* Non solùm Præpositio illa, *In*, quæ in rigore grammatico significat, quòd Deus fecerit hominem in ordine ad animam; inquit doctus Pater, docens hoc emphatico loquendi modo, quòd eum fecerit, vt de anima, eiusque bonis tamquam de veris, & æternis ageret; si enim Spiritus sanctus hoc non intenderet, secundùm magis proprium loquendi modum de parte respectu totius, dixisset; Fecit Deus animam ratione ho- 3. *Genes. 2. Rup. l. 2. de Trinit.*

ne hominis; verùm hoc non dicit, sed, *Factus est homo in animam viuentem.* Pulchrè animaduersum! Verumenim verò, ad aliam lucem, cum magno Tertulliano, verba hæc considerare debemus. Ponderans hic Doctor, verba illa diuini Textus, in eodem capite 2. Geneseos: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* legit: *Formauit hominem limum de terra*; adeò vt ipsum corpus, vocet hominem: *Iam homo, qui adhuc limus.* Sed ad punctum modò reuertamur, vnde diuertimus: quando Scriptura dicit, quòd *factus est homo in animam viuentem*; per hominem intelligit corpus; atque adeò componendo doctrinam Tertulliani & Ruperti, conclusio hæc deducitur, quòd Deus fecerit corpus, vt seruiret animæ, eius esset mancipiũ, in omnibus ei obediret, eiusq; mandatis semper intenderet; hoc est *Factus est homo in animam viuentem.*

Tertull. l. de Resurr. carn.

4. Genes. 16. Superbiuit & euanuit Agar, ancilla Abraham, inopinatâ illâ felicitate, videns se eius vxorem; concepit, & cognoscens pignus quod vtero concludebat, Dominam suam despexit. Illa verò, proteruiam eius videns, marito suo cõquesta fuit. Respondit ille, ipsius esse illam castigare, & superbos eius animos deprimere. Fecit id senex domina: ancilla verò moderatam pœnam ferre non valens, fugam instituit vt damno suo consuleret. In via existens, ibat per desertum Sur, penitus oblita & ignara, quòd vt talis dominæ suæ Saræ subijci & obedire debebat. Continuò in via illa procedebat, nesciens quò pergeret, eo modo quo brutum sine intellectu incedit: loquitur ei iuxta fontem aquæ Angelus de cœlo (tale enim consilium est Angelo proprium,) itineris rationem ab ea exquirit: *Agar, vnde venis? quò vadis?* vt ei memoriam refricaret, & suggereret, quod de qua domo, ob quam causam fugiat, & videat ancillam se esse, quibus perpensis, eam, quam de domina sua habet imaginationem, corrigat. Dicit illa Angelo quid agatur, quomodo heri sui domo sit egressa, malum agendi modum, quo domina sua secum vteretur, ferre non valens. Auditis eius rationibus, persuadet ei Angelus, vt iterum ad heri sui domum reuertatur, sitque humilis, eique subijciatur: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Doctus, & antiquus Cardinalis Victriacus egregiam nobis dat allegoriam; per Agar enim carnem intelligit, & per Sacram eius dominam spiritum significari vult, & dicit: *Non igitur fugiat Agar à facie dominæ suæ, sed humilietur sub manu eius, vt caro subijciatur, & seruiat spiritui.* Hoc est, subdatur caro spiritui, & arrogantiam atque elationem corporis anima castiget; illa enim Dei est voluntas, in Angeli mandato repræsentata: pars superior, & spiritualis sensitiuam, instar dominæ, humiliet; & sensitiua tamquam inferior, & ancilla, à superiore coerceatur: *Vt caro subijciatur, & seruiat spiritui.*

Victriac. serm. 1. Dominic. 2. Quadr.

5. Genes. 25. Vno partu in lucem mundi huius prodierunt duo illi fratres, filij Isaac, Iacob, & Esau, inuicem ita contrarij, & inimici, vt semper in perpetuis fuerint discordijs, ambo inuicem contradicentes, ita vniti, & concatenati, vt licet primus appareret Esau, Iacob tamen ita ei alligatus foret, & tam fortiter pedi eius affixus, vt antequam vnus nasceretur, iam & alius apparuerit: *Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, &c. protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu;* inquit Sacra Scriptura. Cardinalis Victriacus mirabilem hunc locum in manus assumit, eique non minus spiritualem,

lem, quàm singularem explicationem assignat: *Iacob cum Esau pugnat, ratio cum sensualitate, anima cum corpore, virtutes cum vitijs. Dicitur autem quòd maior seruiat minori: corpus enim seruiet animæ, & sensualitas rationi, & vitia virtutibus; dum excitatur homo repugnando carni & vitijs.* Licet enim tam pertinax fuerit lis & dissensio, quam illi duo super Maioratu, & Principatu, inter se habuerunt, cœlum tamen sententiam tulit, vt maior seruiret minori. Corpus enim, licet priùs formatum, quàm anima creata fuerit, animæ tamen tamquam eius mancipium, seruire debebat, & illa tamquam ipsius domina, regere, & imperare. Sensualitas quoque rationi subdita esse debebat, eiusque obedientiæ subordinata. Atque ita inter iustos, & Dei seruos agitur, vt spiritus sit nauarchus, caro autem coacta remis incumbat. Non sic inter peccatores; nam grabatus tollit infirmū, & appetitus sēsualis, perinde ac si animæ dominus foret, de ea agit quod voluerit.

Vitriac. loco cit.

6. Audite insignem animaduersionem Aquilæ Doctorum Sancti Augustini. Sanctus Euangelista Ioannes agit de modo quo diuinum Verbum incarnatum per gratiam homines generat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quasi dixisset, inquit magnus Pater: Filij gratiæ non sunt partus viri, nec mulieris. Sed cur mulierem carnem vocans, non etiam eodem modo virum appellat? Dicam, inquit hic Sanctus: *Ponitur caro pro vxore, quomodo aliquando spiritus pro marito; quia ille imperare debet, iste seruire.* Mirabilia verba! Sanctus Ioannes enim imitatus est modum loquendi Sacræ Scripturæ in formatione hominis, & mulieris. Agitur ibidem quomodo Deus fecerit Euam; eâ autem visâ dicit Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Creat Deus hominem, & dicit sacer Historiographus: *Et factus est homo in animam viuentem.* Nihilominus remanet dubium, Quid mulier, viro suo comparata, demeruit, vt ipsum vocent animam viuentem, & ex manibus Dei purus effectus spiritus procedat: *Animam viuentem.* illa verò prodeat ossa, & caro: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea?* Facilis est solutio. Est homo muliere superior, eiusque caput: *Vir est caput mulieris*; ipse est qui ei mandat, eam regit & gubernat; demum est magis perfectus quàm illa. Mulier itaque quæ tamquam inferior obedit, quæ tamquam imperfectior subditur, quæ est pars illius totius, per me licet, sit caro: *Ex voluntate carnis, caro de carne*; sit etiam os: *Os de ossibus.* sed vir, qui est creatura tam nobilis, tam excellens, tam omni ex parte superior, & omnibus antecellens, nequaquam caro sit, aut os, sed pura anima, & purus spiritus; eiusque qualitates, & superioritas, in nobili illo titulo, & honorifico appellatiuo cognoscantur; adeò vt dominium, quod maritus habet in vxorem, habere debeat spiritus in carnem; & subiectionem, quam mulier habet erga maritum, corpus spiritui reddere debeat: *Ponitur caro pro vxore, quomodo aliquando spiritus pro marito; quia ille imperare debet, iste seruire*; dicit gloriosus Augustinus.

Ioan. 1.

August. in hunc locum.

Ephes. 5.

Hinc infertur, quàm paruam, aut nullam rationem habeant peccatores, in quibus spiritus seruit corpori, & perinde ac si mancipium eius foret (cùm tamen legitimus, & naturalis illius sit dominus) mandatis eius attendit, defensionem suarum culparum fundandi in carnis infirmitate. His pulchrè os obstruit antiquus Tertullianus. Audit in- 7.

dit ingeniosus hic Pater Christum bonum nostrum, qui Patrem suum orans, dixit: *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* His attentis, inquit Septimius, quæ ratio esse potest, vt infirmum forti sese non submittat? Nulla, meo iudicio. Audite eius verba quæ magni admodum sunt momenti: *Carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impensius: legimus autem & spiritum firmum. Caro terrena materia est, spiritus verò cœlestis: cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus: quæ verò fortia, non tuemur? Cur cœlestibus terrena non cedant? Si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostrâ culpâ infirmiora sectamur.* Nullam ergò criminum suorum excusationem adferre possunt peccatores; nam propria eorum malitia cunctos accusat, nec ego aliud ipsis remedium superesse iudico, quàm potentem Dei manum, quæ sicuti misero huic homini salutem dedit, ita illos ab infirmitate sua sanare potest, & efficere, vt grabatum, qui anteà illos tollebat, ipsi tollant; atque iste vnus erit ex maximè prodigiosis effectibus virtutis eius, atque vna ex maioribus ostentationibus magnificentiæ eius.

Matt. 26.

Tertull. lib. ad vxorem. c. 4.

8. Talem iudicauit gloriosus Sanctus Petrus Chrysologus, considerans verba illa, quibus Sanctus Euangelista Marcus describit potestatem, quam Christus ad malignos spiritus ex obsessorum corporibus eijciendos Discipulis suis dedit: *Et dabat illis potestatem spirituum immundorum.* Ingeniosè notauit hîc Sanctus, quòd Sacer Euangelista non dicat, quòd Dominus dederit eis potestatem super spiritus immundos, quamquàm hic esset magis communis dicendi stylus, & proprius loquendi modus; sed quòd dederit eis potestatem eorumdem spirituum. Et dicit hic Sanctus, Dominum id ideò fecisse, vt hominis victoriæ magis illustres, & triumphi magis gloriosi existerent. Id autem quomodo, & quâ ratione? Existente quopiam captiuo eiusdem hominis, qui anteà erat suus, incarcerato ab eo, quem hucusque in vincula coniectum detinebat, subiecto imperio illius, cui mandauerat: & obediente instar mancipij, illi, qui suum fuerat; eique quasi, Deus suus fuisset, seruiebat, eumque adorabat: *Hoc est diuinæ virtutis insigne, hoc trophæum singularis triumphi, vt prædæ suæ prædo ipse, ipsis captiuis suis captiuus, vinctis quondam suis vinctus ipse diabolus nunc tradatur: quatenus eorum subijciatur imperio, quorum anteà fuerat magnificus seruitute, &c.* Quis fastus insignior, quis triumphus celebrior ab inimico relatus fuit, quàm ille, quem hodie hic infirmus iam sanus, vel hic peccator iam conuersus, retulit? Iam enim ab infirmitate sua ita conualuit, vt vires, & spiritum habeat vt humeris suis lectum suum imponat, & grabatum tollat, qui anteà ipsum tulit; hoc est, ad regendam eius animam, sanat corpus, quod cùm infirmaretur, quasi per terram eam reptabat: *Et statim sanus factus homo ille; & sustulit grabatum suum, & ambulauit.* Et siquidem ferendo grabatum, se corpore perfectè sanum ostenderit; mox ad templum procedens cum Deo acturus, ostendit quoque sese animo sanum esse, quodque infirmitas, & seruitus peccati, in salutem, & libertatem gratiæ sit conuersa, *Ad quam, &c.*

Marc. 6.

Chrysol. serm. 170.

TRA-

# TRACTATVS VI.

# DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

*Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, &c.* Matt. 17.

## SALVTATIO.

PRÆTERITA Dominicâ, Sancta Mater nostra Catholica Ecclesia nobis ob oculos posuit stratagemata & dolos Sathanæ, eiusque falsa promissa, & victoriam Christi Domini de eodem inimico post orationem, & ieiunium continuatum diebus quadraginta: hodiernâ verò die, nobis in memoriam reuocat diem illam, quâ Dominus noster in suo sacratissimo corpore, videndum exhibuit vestitum illum deauratum & gloriosum, quo induentur corpora nostra, quando erimus de numero Beatorum. Est autem id quod contigit, tale, Anima Christi ab instanti primo conceptionis fuit gloriosa, propter vnionem cum persona diuina; sed, statim initio, cohibuit claritatem omnem sui sacratissimi corporis, vt posset nobiscum agere, & in patibulo crucis mori ex amore erga genus humanum. Transfigurari igitur Christum, fuit potestatem dari, vt corpori communicaretur debita claritas, & exteriùs appareret, quæ talis fuit & tanta, vt eius respectu solaris claritas dispareret, splendore illo corporis ad ipsa Domini vestimenta perueniente; per quæ dedit intelligi Dominus noster hominibus quantâ gloriâ se priuaret in gratiam eorum. Insuper accendere voluit corda nostra desiderijs ardentibus præmij adeò gloriosi, & spem nostram acuere per decorem & speciem tantæ gloriæ, quæ Petro Apostolorum Principi (qui vnus erat ex tribus, quos ex duodenario Apostolorum numero elegit Dominus, & assumpsit quasi manu apprehensos ad montem excelsum & secretum, in quo hæc contigit visio) fuit visa talis, vt licet eam in alio tantummodò videret dumtaxat, nec eamdem possideret ipse; sufficeret tamen eius fruitio ad perpetuam satietatem, & petierit ibidem permanenter habitare quod & dixit Magistro suo per hæc verba: *Bonum est nos hîc esse.* Domine; bene est nobis hîc; si placet, faciamus hîc tria tabernacula vel tentoria ex his ramis tibi, astantibusque tuis hospitibus Moysi & Eliæ. Eodem momento, quo hæc dixit Petrus, apparuit nubes lucida quæ obumbrauit eos, auditaque est hæc vox: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, eidemque obtemperate. Quibus auditis & visis, obstupefacti Apostoli in terram cadunt; sed eos erexit in pedes Dominus, descendentibusque

busque de monte mandauit, vt secreta essent hæc omnia vsque ad tempus suæ resurrectionis, & aduentum S. Spiritus, quando incapaces forent reliqui Apostoli omnis inuidiæ per confirmationem in gratia. Qua & nos in primis indigemus, &c. *Aue Maria.*

---

*Assumpsit.*

## CONSIDERATIO I.

*Iter ad cælestem gloriam adeò asperum est in apprehensione hominis, vt se excusaret ab illo arripiendo, ne experiretur eius difficultates, nisi Deus blandâ & amabili violentiâ adhibitâ hominem assumeret.*

SANCTVS Albertus Magnus nostri Ordinis, explicans illud verbũ *Assumpsit*, dicit idem valere atque *Ad se sumpsit*. Elegit Christus tres Discipulos suos, & assumpsit eos ad se; quasi diceret: Ipsemet excitat eos vt iter arripiant, non tam suis, quàm magistri sui pedibus; quia nisi ipse homines, quasi manu arriperet, & eis inferret suauem vim, non aggrederentur iter cœli, ne se defatigarent, eò quòd sibi metuant de asperitatibus & molestijs in eodem itinere occurrentibus.

Psal. 36. *Apud Dominum gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Qui viriliter agunt, (hæc est communis expositio horum verborum) Deus eos ducit per viam, omnesque eorum passus dirigit: placent ei ipsorum opera, omniaque eis prosperè euenient. hoc sibi vult, *Viam eius volet.* Aliam tamen sequemur interpretationem, quæ est magni Ecclesiæ Doctoris S.P. Augustini, qui dicit, voluisse significare Vatem regiũ, quòd quando Deus hominem per iter deduceret, eiusque gressus dirigeret, tunc iter eius vellet: *Cùm à Domino gressus directi fuerint, tunc viam eius volet: cupiet enim qui à Deo dirigitur, Christum, & desiderabit permanere semper in Christo.* Non poterit quidquam boni facere homo, n[illegible] passum ponere in via vertutis, nisi D[illegible] eum manu ducat; & ideo necesse est vt ipse sit illi itineris dux, vt eius gressus ad suum obsequium deriuentur. Clarissimè patet hæc veritas in hodierno Euangelio; prout enim notat magnus Albertus, necesse fuit, vt Dominus noster apprehenderet tres hos Discipulos, & quasi manu duceret, & insuper eis inferret vim blandam, vt ascenderent abrupta montis huius, in quo visuri erant Christi gloriam; qui, nisi ijs vim intulisset, frustrati fuissent hac fruitione, vt se à molestijs liberarent.

2. Eo tempore, quo cælestes diuinæ iustitiæ administri venerunt punituri Ciuitates illas peccatrices, præmonuerunt S. Loth, vt & ipse, & familia eius tota in tutum se reciperent, ne flammis vltricibus corriperentur. Equidem Loth cœpit se excusare, & ostendere se non libenter exiturum. Angeli verò, aut Deus brachium eius arripiunt, vxorisque eius & filiarum, eosque quasi vi adhibitâ extrahunt, & in tuto ponunt extra vrbem: *Dissimulante eo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntq; eum & posuerunt extra ciuitatem.* ita vt, dicentibus ei Angelis, vt se reciperet in excelsum montem: *In montem saluum te fac;* id ei persuadere nullatenus potuerint, & opus fuerit vim ei inferre, vt eò perueniret. Sed quid causæ fuit, quòd vir sanctus adeò recusauerit in eum montem se recipere? *Quia multi mundi illecebras fugiunt, tamen in actione positi, contemplationis apicem subire nequeunt: exiuit Loth à Sodomis, sed ad montana*

Genes. 19.

Isidor. in Gloss.

*tana non peruenit.* Ita docet magnus Isidorus. Fuit Loth typus illorum Christianorũ, qui reipsa fugiunt astutias, & mundi laqueos, quibus suos fascinare solet: sed non transcendunt vitam actiuam, nec attingunt culmen contemplationis, in quo anima Christiana perfectiùs Deo suo fruitur, expers omnium mundi molestiarum, & ab omni rerum transitoriarum strepitu libera. Prudenter quidem hæc Sanctus ille Archiepiscopus; non tamen reflexit, quòd Loth non fugeret Sodomiticum ignem, nec ascenderit locum, in quo eum euaderet, nisi postquam è Sodomis eum extraxerant Angeli, & vim ei intulerant vt exiret, & iter ingrederetur. Ratio fuit, quia cùm mons esset locus ad saluandum: *Saluum te fac.* difficultatem inuenit, vt tam longè procederet, vt frueretur tanto bono, & opus fuit, vim ei inferre, manu eum apprehendere, & procurare vt iret, & vellet admittere salutem. *Genes.19.*

4. Ponderauit singulari spiritu Doctor mellifluus & contemplatiuus S. Bernardus istam amatæ Sponsæ petitionem directam ad Sponsum dilectissimum: *Trahe me, post te: curremus &c.* Duc me suauissime & amantissime Sponse, vocis tuæ violentiâ me cape, mox videbis, vt sodales meæ, & ego curremus suspensæ, & abreptæ præ summa fragrantia aromatum tuorum. Quid hoc sibi vult anima sancta? Vt quid expectas, dum vis tibi inferatur? Vt quid ipsa non celeriùs curris? Cur non volas? Nónne præ oculis tuis habes gratias & dona, quibus tuus diuinus abundat Sponsus, vt te ditet? Procede, nec adeò lentè gradere ad id acquirendum, quod tantoperè tuâ interest. *Quid? Sponsáne ergo necesse habet trahi, & hoc ad Sponsum?* Magna est fragilitas nostra, teste S. Bernardo; quippe qui neque bona certa, & manifestè nobis proposita arripimus, nisi trahamur. *Quàm pauci post te ô Domine Iesu ire volunt! cùm tamen ad te peruenire nemo sit qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque ad finem.* Verè maxima est hæc miseria hominis; quippe cùm sciat & credat qualem gloriam Deus in monte, vel in cœlo (nam & hoc modo appellatur in S. Scriptura: *In monte sancto tuo.*) suis præparauerit, tamen non lubens ad eam pergat; imò nec passum pedis ponere dignemur ad eam possidendam, nisi ipse nos manu apprehendat, & quasi vi adhibitâ, deducat: *Trahe nos.*

*Cant 1.* *S. Bernard. serm. 21. in Cant.* *Psal. 15.* *Psal. 14.*

Orat Propheta Euangelicus, vt discipulis Domini nostri Iesu Christi, & in ipso omnibus omnino fidelibus, duo specialiter dentur sensus tamquam magis præ reliquis necessarij; nempe visus, & auditus: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post terga monentis.* Veniet præceptor tuus, intende oculos vt videas quid facturus sit; aures, vt intelligas quæ loquatur. Non reflecto modò ad id quod communiter hîc expendi solet; scilicet quod à discipulis ordinariè non petatur nisi auditus, per quem intelligant quidquid præceptor dixerit; quocirca & ipsi *Auditores* nominantur; & ille *Sensus disciplinæ.* Sed pro discipulis supremi huius magistri non solus petitur auditus, sed insuper etiam visus. Quod proposito nostro seruit, est, quod notat doctissimus Cardinalis de Vitriaco, qui ait, quòd discipuli doceantur lectiones suas facie ad faciem, & non obuersis humeris. Quod cùm ita sit, dicit Propheta, quòd Christiani vocem eius audient, dum eos alloquetur à tergo: *Post terga monentis.* Soluit hoc dubiũ acutissimus hic Doctor, duobus dumtaxat verbis: *Aures* *Isa. 30.* *Vitriacus serm. 1. Dom. 3. post Pentec.*

*tuæ*, &c. *fugitiuum vocando, & insequendo; Hæc est via, ambulate in ea.* Ratio quare hoc modo ad se nos vocet cœlestis hic magister, est, quòd cùm ipsum fugiamus, ipse nos insequatur vt apprehendat, vocatque nos, vt ostendat iter ad cœlos, per idemque deducat vt saluemur; tales quippe sumus, qui tam illubentes ascendamus montem gloriæ, vt nisi Deus nos vocaret, & insequeretur, manuque nos duceret, dicens: *Hæc est via, ambulate in ea*; est quippe via salutis; paucissimi nostrorum eam ingrederentur.

5. Apprimè facit ad propositum, quod in parabola prædicauit Christus, & referunt SS. Lucas & Matthæus. Scito, inquit, quòd homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit ad eam multos, & horâ cœnæ misit seruos suos vt venirent inuitati, eò quòd parata essent omnia, sed omnes se excusarunt. Villam emi, dicebat vnus, & vado eam visum; dic domino tuo, habeat me excusatum. Alter: Emi boues, quos, vado probatum. Alius: Vxorem duxi, nec possum venire. Offensus fuit Paterfamiliàs ob illas excusationes, & mandauit seruis suis, vt abirent ad exitus viarum, & colligerent pauperes, claudos & cæcos. Quo facto, necdum contentus Paterfamiliàs, mandauit plures quærerent, & cogerent ad intrandum, & fruendum suis epulis: *Compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Iterum circuite, & per vim cogite vt intrent, donec locus impleatur. Gloriosus Chrysostomus violentiam hanc perpendens, quâ vtitur Dominus noster erga inuitatos, deplorat rusticitatem nostram, quòd tales inueniamur, qui ad similes festiuitates, cibosque illos delicatissimos (qui sunt deliciæ gloriæ cœlestis) non venimus nisi vi admotâ. *Quid igitur dementius inuenitur, quàm cùm ad nuptias vocaris, resilire?* Nemo luculentiùs dementiam nostram probabit quàm qui ostenderit, per vim nos adigendos, vt ad beatitudinem cõtendamus: *Compelle intrare.* Mirabilia sunt verba Christi Domini nostri, quibus amantem sui Apostolum Petrum alloquitur post gloriosam suam resurrectionem: *Cùm autem senueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Quî id fieri potest? inquit Chrysostomus. Petrus, cuius amor Christo iam probatus erat, qui eundem summo sequebatur affectu, nulli mouere poterat dubium de futura constantia in fide, quodque instar viuæ rupis, omnes hæresum vndas frangeret, & omnes acies tyrannorum ensium exciperet, & retunderet, & cuius charitas numquam deficeret in sequela Domini sui, cui erat paratus compati in terris, vt cum eo regnaret in Cœlis. Hic porrò vir quorsum audit ex ore diuino: *Et ducet, quò tu non vis?* Sed & hîc (inquit Os aureum) apparet, quanta cũ difficultate, voluntas humana tendat in suum bonum, ad quod non ibit, nisi assumpta: *Numquam ouis ad caulas perueniet, si pro suo libitu peragretur. Numquam scientiam Discipulus poterit obtinere, si totus pro sua voluntate contenderit. Ægrotus quoque numquam poterit recipere sanitatem, si pro suo curatus fuerit arbitrio.* Omnes hæ similitudines, quas S. Chrysostomus adfert, euidenter probant, quanta cum difficultate conuertamur ad bonum, quando nobis deest dux itineris, vel vt melius dicam, nisi nos manu ducant, & vim in eum finem adhibeant. Ecce quàm tardi simus: nec potest id luculentiùs demonstrari, quàm ex eo quòd ne quidem S. Apostolus Petrus, qui adeò Christum amabat, cum quæreret, nisi ab eodem tantopere adiutus; & certo modo, vim ei inferret, vt se sequatur.

Matt. 22. Luc. 14.

Chrys. hom. 70. in Matt.

Chrys. apud Tilman. in alleg.

Et id

Et id ipsum vidimus hodie in ascensu montis, prout notauit S. Albertus Magnus.

7. Audiamus modò quid contigerit coapostolo eius Paulo. Præuenit eum Deus speciali illâ gratiâ, vt eum supernaturaliter eleuauerit in cœlum, eique gloriam suam ostenderit: *Scio hominem raptum, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit: & scio huiusmodi raptum vsque ad Paradisum, &c.* Notat Angelicus doctor noster S. Thomas, verbum quo explicet Apostolus hanc exstasim, *Raptum*. Quid est (inquit S. Doctor) *esse raptum*? Pergit: *Rapi propriè dicitur, quod subitò & per violentiam aufertur.* Hinc oritur ratio dubitandi, Nónne tum temporis Paulus erat conuersus? Nónne ex tunc erat plenus gratiâ, & ditatus fauoribus cœlestibus? Omnino. Mandet ei igitur Christus, aut dicat ei Deus, vt cœlum ascendat, & ipse vadat recepturus summam hanc gratiam, & non assumatur tamquam raptus, quasi eo pergeret inuoluntarius. Hinc apparet quales simus nos, & quomodo via cœlestis sit instar difficilis ascensus, etiam sanctis & iustis: etiam Petro & Paulo inferenda est vis, vt eant ad gloriam: *Ducet, quò tu non vis: Raptum vsque ad Paradisum.* Hæc omnia luculenter probant, quod initio proposuimus; videlicet quòd appareat homini iter cœleste adeò asperum & præruptum, vt nisi Deus adhibeat amabilem violentiam, & quasi manu portet, id non arripiet, ne se fatiget.

1. Cor. 12.

S. Thom. comment. in hunc locum.

*Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, &c.*

CONSIDERATIO II.

*Quòd Christus (qui est omne bonum nostrum) vt nos maiori charitate sibi deuinciret, semper voluerit solus esse in doloribus, ad gloriam verò socios admittere.*

QVÆ modò consideraturi sumus, accepta referenda sunt S. Bernardo qui hæc summa cum grauitate notauit. Considerat igitur Doctor mellifluus, quòd Dominus noster hodie secum assumpserit Petrum, & Iacobum, & Ioannem in montem Thabor, & quòd eosdem secum non habeat in monte Caluariæ, dum cruci esset affixus. Videtur autem quòd qui particeps est gloriæ, non debeat immunis esse à doloribus & pœna. *Sed nec Christum docuit, simul & Petrum, aut Iacobum, vel Ioannem pro salute hominum pati*, Non solùm, ne quis diceret, quod discipulorum passio in aliquo suppleuisset id, quod deerat passioni Christi, sed insuper quia per hoc Christi charitas, summâ afficeretur iniuriâ, quæ eius est naturæ, vt licet admittat alios ad communicationem deliciarum, & bonorum: *Assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius*; non tamen admittit quemquam ad pœnarum & dolorum experientiam: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Tam auarus est dolorum (parcite verbo) vt eum communicet nemini; tam prodigus gloriæ, vt eam in omnes transfundat. Sed amare hoc modo, solus nouit Deus, solus Deus potest. 8.

Bern. ser. 3. de quinque panibus &c.

Ioan. 18.

Notum est passim omnibus, Sanctum Iob, dum vndique doloribus, & calamitatibus esset circumdatus, positus in sterquilinio, spoliatus omnibus bonis, insuper & filijs & sanitate, eo ipsum tempore derelictum omnino solum, desertum ab amicis, qui ipsum instar mortis fugiebant. Quod ipsum significat Vir sanctus verbis mœstitiæ sensum

Iob.6. sensum satis exprimentibus: *fratres mei transierunt à me.* Ad hæc notauit Origenes, ipsum deliberatè exiuisse domo suâ & ciuitate, vt secum solus esset in

Orig. l. 2. doloribus & afflictionibus: *Sedebat Iob super aceruum stercoris extra ciuitatem: Me solum, inquiens, circumdent mala mea, mihi soli molesta sint vulnera mea, ne efficiar alijs execratio, ne exacerbentur ciues propter meos dolores.* Dicit vir sanctus, solum se velle pati, nullumque velle secum pati. Notat porrò Olympiodorus, quòd eo ipso momento, quo vidit se immunem à doloribus, & restitutum pristinæ prosperitati, admisit amicos ad se visitandum, & fuit in aliorum consortio: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius.* Nullus fuit consanguineorum, amicorum, & aliorum quos nouerat, qui non venerit ei congratulatum, & cum eo collætatus fuerit. Fierinè potest, inquit Olympiodorus, si ea quæ viro sancto contigerunt, opponantur ad inuicem, Iobum in doloribus & tribulationibus reperiri omnino solum, & coronâ tot amicorum circumdatum in prosperitate? Ita verò. Cùm factum esset diuinitus, vt ad eum certatim currerent, fuit, inquit doctissimus hic Pater, opus Dei, qui hæc procurabat. Sed quomodo intelligemus hoc ita se habere? Quid enim aliud videmus in rebus humanis & transitorijs, quàm multos numerari amicos in prosperis? Voluit significare hic Doctor, hunc sancti Iobi actum & propositum, diuinum fuisse, non humanum; qui enim ita seipsum effingit, vt in prosperis admittat socios, cupiens in aduersis solus esse, non operatur vt homo, sed vt Deus, qui in monte gloriæ suæ habet sibi assistentes, & in monte Caluariæ solus est cum cruce.

Olympiod. in Caten. Græc.

Mirificè facit ad propositum, id quod notauit S. Paschasius. Introducit Isaias Propheta Christum redemptorem nostrum adscendentem cœlos in gloria & triumpho, cælestesque aulicos, quasi obstupescentes de nouo genere vestium eius, & inquirentes: *Quare rubrum est indumentum tuum?* id est, tua sacrosancta humanitas tincta rubro colore proprij sanguinis; & Dominum respondentem: *Torcular calcaui solus.* Non videtis, me solum exhausisse omnem laborem ad torcular, & quòd sine vllius societate, & auxilio expresserim humanam meam naturam? Dicere vult, se solum repertum in passionibus, & morte, omni humano auxilio destitutum: *Solus.* Sistamus hîc. Ille idem Dominus die tertiâ è sepulchro surrexit, & affirmat Euangelista, cum eo multos Sanctos surrexisse, quorum animæ, in limbo Patrum, eius aduentum expectabant: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quinimò, secundùm opinionem grauium Doctorum, cum capite suo Christo, ipsâ die triumphalis eius adscensionis cœlos adscenderunt. Ita tenet S. Anselmus Bedam secutus: *Qui cum resurgente Domino surrexerunt, Bedâ attestante, etiam cum illo ascendente, simul ascendisse credendi sunt.* Quâ doctrinâ præsuppositâ, quid causæ fuit, quòd Auctor vitæ solus subierit tormentum passionis, & resuscitatus cum tot comitibus inueniatur? Soluit hanc quæstionem S. Paschasius, qui hoc singulariter animaduertit: *Christus quamuis vnus sit mortuus & solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum plurimis: vt primùm testes haberet resurrectionis: deinde ipse vnà cum multis, vt spem refunderet desperatis, testis existit perpetuæ resurrectionis.* Caput erat Christus, ipsi membra; ama-

3. Isai. 63.

Matt. 27.

S. Anselm. Beda.

Pasch. l. 2. in Matt.

bra;ama-

bra;amabat ipse homines, & ipsi amabantur; & in medio tantæ gloriæ constitutus,eâ solus frui nolebat, nisi homines eius participes fierent; & licet hi cum ipso passi non fuissent, & ipse solus laborem torcularis subijsset: *Torcular calcaui solus*; tamen charitati eius videbatur, quòd nos offenderet, nisi participaremus aliquid gloriæ, & acquisitis eius diuitijs frueremur. Solus, inquit, volo pati,sed in multorum frequentia regnare.

4 Ad rem aliquam reflexi, quæ mihi animaduersione digna visa fuit. Sacer Chronographus beatus Ioannes narrat Dominum inuitatum fuisse ad nuptias in Cana Galilææ,& dicit Virginem sanctissimam adfuisse, & Discipulos cum Domino venisse. *Erat Mater IESV ibi. Vocatus est autem & IESVS,& Discipuli eius ad nuptias.* Idem Euangelista tractans quomodo Dominus iuerit Ierosolymam,aliud non dicit,quàm *Ascendit IESVS Ierosolymam*, nullâ Discipulorum factâ mentione. An forsan ratio est,quod abfuerint à Diuino Magistro? Minimè verò. certum est enim eos adfuisse: quippe quando eiecit vendentes è Templo, dicit Euangelista Discipulos, visâ hâc heroicâ actione,admiratos fuisse, & meminisse eam à Danide spiritu prophetico prædictâ: *Recordati sunt verò Discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tua comedit me.* Cur igitur fit mentio Discipulorum in nuptijs,dum verò Ierosolymã tendunt, silentio prætereuntur? Opinionem suã alij proferãt: Origenis enim huic rei est admodum propria. Saluâ aliorum opinione,doctrina Origenis seruit ad propositum & omnia quæ nos cogitauerамus, omnino subtiliter dicit, *Obseruandum est, Matrem IESV adesse nuptijs, vocatumq́; fuisse IESVM cum Discipulis; neminem verò præter IESVM nominari Ierosolymam ascendisse; viderique Discipulos etiam adfuisse; quandoquidem recordati sunt scriptum esse: Zelus domus tua comedit me. At fortasse in singulis erat IESVS Ierosolymam ascendens; quoniam non dictum est: Ascendit IESVS Ierosolymam, & Discipuli eius.* Quasi diceret, quòd narretur Discipulos cum Diuino Magistro fuisse in nuptijs Canæ: quia cùm in similibus solemnitatibus soleat adesse voluptas, hilaritas, & oblectamentum, qualia Dominus suis permittit, idcirco videtur noluisse adesse sine illis, nec admittere quidquam lætitiæ, cuius ipsi non essent participes: sed quando Ierosolymam tendit, vadit ad passionem, & quasi Dominus fuisset in omnibus Discipulis, nulla fit illorum mentio; tantummodò dicitur, quòd Saluator vadat, quia non vult eorum consortium in passione, & morte,quæ eum expectabat. In pœnis,& afflictionibus vult esse solus; & in eo quod aliquid voluptatis,& lætitiæ præ se fert, vult eos comites sibi assistere.

5 Christus Dominus noster quandoque probare voluit, mortem suam esse medium maximi momẽti ad acquirendam sibi gloriam,& nobis emolumentum; & in eum finem prædicauit suis similitudinem grani frumenti, quæ licet non habeat omnes omnino circũstantias ad parabolam requisitas, & ab interpretibus eiusdem non annumeretur, est tamen exemplum admodum doctrinale: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quemadmodum granum frumenti, sub terra corruptum & mortuum,lucratur,& fructificat: sic in morte mea consistit honor Patris, & meus; vita, & lucrum hominum, & acquisitio regni mei. Notat Venerabilis Beda,

Isai. 63. Ioan. 2. Matt. 27. Ioan. 2. Orig. tom. 11. in Ioan. Ioan. 12.

Beda, quòd agens de sua morte, loquitur de seipso in numero singulari, sed agens de resurrectione, in plurali, dicens quòd multi enascentur fructus ex hoc grano: *Solus mortuus est, cum multis surrexit*. Sibi soli quod amarum est, dulcia multis; dolores sibi, gloriam sibi & hominibus. Confirmatur hæc Bedæ ponderatio per doctrinam nostri Hugonis Cardinalis, quæ licet eadem videatur, non erit ingrata. Descẽdit Dominus noster IESVS ad miseros, funestos illos carceres, & subterraneos specus, qui sunt in corde terræ. Id nos docet symbolum Fidei: *Crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos*; & solus quoque pergit ad has terræ cauernas. Bene equidem. Et quomodo ascendit Cœlos in die admirabilis Ascensionis suæ, ad fruendum æternâ gloriâ, tot sibi titulis debitâ? S. Paulus id docet per hæc verba: *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Hoc est (quod notauimus ex Beda & Anselmo) quòd secum assumpserit veteres Patres qui in Limbo expectauerant sanctissimum eius aduentum. Eiusdem est sententiæ doctissimus Cardinalis noster, qui comparans descensum ad inferos cum ascensu ad Cælos, dicit: *Solus in infernum descendit, sed cum multo comitatu Cœlos gloriosus ascendit*. Ad loca obscura, inuia & pœnosa euntem nemo comitatur; sed ad læta, suauia & gloriosa secum adducit turbam magnam quæ eum sequatur, & populum innumerabilem qui comitetur. Et coincidit cum eo quod Beda aduertit: *Solus mortuus est, cum multis surrexit*.

*Beda in Caten. S. Thom.* — *Symb. Fid.* — *Ephes. 4.* — *Hugo Card. ad c. 1. Cant.*

6, Narrant Euangelistæ, milites aut carnifices ministros Satanæ spineam coronam texuisse, & capiti Christi Domini imposuisse. *Milites plectentes coronam de spinis, imponebant capiti eius*. & de illa ipsa corona, hæc verba Cantici Salomonis: *Ingredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in Diademate, &c.* intelliguntur. Tertullianus, Athanasius, Tres Patres, Rufinus, Proclus, Cassiodorus, Bernardus, Philo Carpathius, Iustus Vrgelitanus, Anselmus, Aponius, & Theodoretus, citati à Gislerio in commentario huius loci, dicunt quòd Ecclesia inuitet filios suos, vt videant verum suum Regem pacis Christum IESVM, coronatum coronâ, quam Mater sua, aut nouerca synagoga ei imposuit. Si recurramus ad cap. 19. Apocalypseos S. Ioannis, inuenimus ibi eum visum ab Euangelista multis redimitum coronis: *Et in capite eius diademata multa*. Hi textus clarissimè contrarij sunt, Salomon quippe nobis dicit vt cum videamus vnâ dumtaxat insignem coronâ, è contrà affirmat Ioannes se eum vidisse cum multis. Qua ratione conciliabimus sẽtentias adeò contrarias? Ad soluendũ dubium quod sese offert, seruiet quod notat S. Hieronymus, ponderans, mandasse Deum Zachariæ Prophetæ, faceret coronas quasdam aureas, alias argenteas, easque imponeret capiti Iesu Sacerdotis filij Iosedech: *Et sumes aurum, & argentum & facies coronas, & pones eas in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni*. Notat S. Doctor, IESVM coronari coronis multis, cùm videatur vna sufficiens. Et rationem adfert maximi momenti ad nostrum propositum: *Imponuntur autem coronæ Iesu filio Iosedech Sacerdoti magno, quia nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in singulis coronam accipit*. Et adhuc clarius S. Cyrillus Alexandrinus: *Est corona & gloria Christi, saluatorum ab ipso salus*. Iosedech filius Iesus, typus fuit summi Sacerdotis nostri IESV Christi, & idcirco, non vnicâ, sed multis redi-

*Matt. 27.* — *Cant. 1.* — *Tertull. Athan. tres P. Rufi. Procl. Cassi. Bern. Phil. Carp. Iust. Vrgel. Ansel. Apon. Theod. citati Gisleri. hic.* — *Apoc. 19.* — *Hieronym. apud Riber. hic.* — *Cyrill. comment. in hunc locum.*

nitur coronis, quæ illæ ipsæ sunt, quibus nos oportet coronari. Ita vt ille idem Dominus, qui se solùm spinis, hoc est, pœnis & doloribus coronari voluit; quando coronatur auro, vel gloriâ, nos etiam similiter coronari velit: vt confirmetur doctrina hæc nostra, quòd purissimus eius amor in eo eluceat, quòd vadens ad montem crucis solus, ad montem verò gloriæ non nisi cum socijs ire voluerit.

7. Cùm Sponsa sancta imitari vellet dilectissimi Sponsi vestigia, petit vt eam ducat post se, quodque tunc reliquæ sodales sequentur. In hunc sensum explicat S. Bernardus hæc Cantici verba: Cant. 1. *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Eia mi Sponse, adhibe vim vt te sequar, & sequentur vestigia tua sodales meæ, præ fragrantia vnguentorum, & aromatum tuorum. Audite discurrentem Doctorem contemplatiuum: Bern. serm 21. *Trahimur, cùm tribulationibus exercemur: currimus, cùm internis consolationibus respiramus. Ego, quod austerum, & durum videtur, retineo mihi, & dico singulariter: Trahe me; quod suaue & dulce, tibi communico, & dico: Curremus. Volo habere socias consolationis, non autem & laboris.* Tunc Deus nos ad se trahit tamquam vim passos, dum nos mundat aduersis; & tunc curremus post vestigia eius, dum nos allicit consolationibus suis. Porrò hoc ago ego, sodales meæ, vt certiores vos faciam charitatis meæ: quidquid durum est, & rigidum, mihi soli seruo, & dico numero singulari, *Trahe me:* quidquid dulce est, & volupe, communico vobiscum: *Curremus.* Summatim igitur volo vos socias fauoris, non doloris, præmiorum non pœnarum.

8. Et ecce quàm bellè induatur Discipulus ad instar Magistri. Apostolum Paulum dico ad exemplar Domini, & 2. Cor. 11. Redemptoris nostri IESV Christi. Act. 26. Hinc iustè dicebat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Iuxta hunc sensum exponit gloriosus Ignatiùs Martyr verba quæ Apostolus dixit Agrippæ: S. Ignat. Mart. epist. 7. ad Tarsen. *Opto, non tantum te, sed omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Conformiter S. Ignatius: *Non horret nunc vincula, sed potius sibi rem charissimam reseruauit: nec adhuc perfectis & ignorantibus pretium tribulationis proposuit.* Quasi diceret: Opto, quantum in me est, omnes vos esse, sicut me, Christianos, Apostolos, in Cœlum raptos, insuper & habere-tis gratiam miraculorum; porrò vincula, & tribulationes mihi seruo: si quid honorificum est & gloriosum, cupio vos sociòs, in molestijs verò & tormentis, volo inueniri solus; sum etenim, Magistri illius Discipulus, qui numquam in doloribus assistere permisit suos, nec habuit quidquam gloriæ, quod non communicauerit.

Celebris fuit apud Veteres gnome 9.
Demetrij. *Amicos*, inquiebat magnus Nuceus Nucleus serm. Laz. par. 2. ille Philosophus, *in rebus lætis debere adesse vocatos, at in aduersis, non vocatos.* Supponebat vir sapiens, Amicos debere esse adeò synceros, vt prosperis nollent frui soli, sed & amici eadem participarent; aduersa verò tolerarent, nec nuntiarent. Ideo dicit, vt hîc non expectent vocari, nec illuc eant, non inuitati. Oportet meliorem tum fuisse mundum quàm hodie; quippe cuius amici in honoribus, & gloria, nullos patiuntur socios, & quidquid pœnale & triste, dumtaxat communicant. Solus Christus Dominus noster syncerè amat homines; vtque melius eis constaret, quantopere eos diligeret, voluit in pœnis, & tormentis inueniri solus,

quæ in monte Caluariæ amore nostri subiuit; sed in monte Thabor non ferunt eius viscera reperiri sine comitibus. *Assumpsit, &c.*

---

### *Excelsum seorsum.*

## Consideratio III.

*Theatrum gloriæ Christus voluit esse solitudinem montis; Theatrum iniuriæ mortis suæ, ciuitatem numerosissimam; vt doceret nos tegere gloriosa, & manifestare imperfecta.*

1. *Oleast. ad illa verba Gen. 45. Præcepit vt egrederentur cuncti foras.* AVctor huius considerationis est Famosus ille Lusitanus, Oleaster noster, qui in commentarijs super Genesim, casu tractans mirabilem ascẽsum Christi ad montem cum tribus Discipulis, vt se transfiguraret, dicit: *Diuitias suas paucis Discipulis in monte quo transfiguratus est, ostendit, quos vltra hoc contestatus est, vt nemini visionem ante eius resurrectionem dicerent. Passionem verò suam celebratissimam, & vulgatissimam esse voluit, quam acerbissimam coram inimicis passus est; vt nos doceret infirma nostra diuulgare, suprema verò & gloriosa abscondere.*

2. *Exod. 40.* In templo, inter altare sacrificiorũ, & altare Propitiatorij, erat medium velum: *Eriges Tabernaculum testimonij, & pones in eo Arcam, dimittesq́ ante illam velum*; ita vt altare aureum Propitiatorij velo esset absconditum, & ab exteriori parte aliud altare Holocaustorum expositum aspectui omnium intrantium: *Pones altare aureum in quo adoleatur incensum coram Arca testimonij. Tentoriũ introitus Tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti.* S. Cyrillus Alexandrinus indagans mysticum sensum huius textus, dicit vtrumque altare significasse Dominũ nostrum IESVM Christum; hâc tamen differentiâ, quòd altare aureum visui sit absconditum, holocaustorum verò, omnibus manifestum. Sed quæ huius ratio? Audiamus Sanctum per se loquentem: *Celebratur primum, quia occultata atque recondita est gratia Christi: alterum autem vulgo patebat, quia mors eius omnibus patet.* Altare aureum absconditum, significabat Christi glorias, quas Dominus omni quo versatus est tempore cum hominibus, abscondit: Altare holocaustorum figurabat eius mortem, quæ fuit in conspectu omniũ; cùm esset etenim adeo ignominiosa, voluit Dominus eamdem neminem latere. *Cyr. 4. in Ioan. 18.*

Obseruatu dignum est, quod ait Spõsa, agens de suis perfectionibus, & pulchritudine: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Interpretes diuersimodè explicant has similitudines, quibus hîc vtitur Sponsa. S. Bernardus dicit, quòd instituat comparationem inter pulchritudinem suam & pelles vel tabernacula Salomonis, quibus cùm vellet, vtebatur. Cùm enim hæ pelles, vt seruarent illæsum, & immaculatum, purum & nitidum quod eis tegebatur, essent ipsæ deturpatæ, & ab aëre, puluere, pluuijs, & alijs cœli inclementijs læderentur, & dicat hic Sanctus, quòd anima sancta loquatur de vero Salomone, amatissimo Sponso suo Christo IESV, & quòd pellibus Salomonis comparet exteriora sua vilissima & contemptibilia; quemadmodum tentoria, vel pelles Salomonis, solummodò ostendebant id quod turpe erat & maculatum, & quidquid erat pretiosum & magni valoris occultabant, sicut Alcibiadis Sileni, adeò celebres apud omnem retro antiquitatem. *Cant.*

tatem. Ad eumdum modum animarum Sponsus Dominus noster Iesvs Christus, quidquid fuit humile, debile, vile, contemptibile manifestabat; è contrà, omne summum, gloriosum, diuinum occultabat. Et quandoquidem Sponsa adeò esset ei dilecta, in seipsa tamquam suos sentiebat istos affectus, & satagebat quantum poterat, eum imitari; ideo dicit, quòd pulchritudo sua ei omnino assimiletur. Hæc omnia sapienter dixit Bernardus: *Quapropter bene se Sponsa ait nigram sicut pelles Salomonis, quia afflicto condoleat, & fraternum etiam decoloret incommodum: quam nigredinem & ipse sibi Salomon dignanter induit, qui peccata nostra tulit in corpore suo super lignum.*

*S. Bern. serm. 28. apud Gisl. in appendice Patr.*

4\. Non minus ingeniosè idem Sanctus animaduertit diuersum modum loquendi quo vsus est propheta Isaias, narrans duas illas visiones quibus ei manifestatus est Deus, semel suffixus in cruce, & aliàs in throno gloriæ cum summa maiestate. Quando refert quod crucifixũ viderint, vtitur numero plurali: *Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor.* Omnes eum in cruce vidimus, adeò sibi dissimilem, vt non videretur Dei filius, sed malefactor aliquis: talem eum effinxerunt peccata nostra. Narrat idem Propheta modum quo eum vidit in gloria, & loquitur (quod obserua) in singulari, & ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Illa quidem communis visio verbo pluralis numeri designatur; hæc autem tam singularis est, quam sublimis,* inquit Bernardus. Ita vt solium gloriæ, & thronum maiestatis nemo viderit, nisi vnus Isaias: *Vidi*; opprobria verò, & contumelias, & passiones, non vnus Isaias, sed multi: *Vidimus.* vt credamus, Dominum nostrum semper occultasse gloriam suam, & infirmitatem publicasse.

*Isaia 53.*

*Idem de Verbis Isaiæ.*

Omnino est notandum, in Euangelio referri natiuitatem secundùm carnem Domini nostri Iesv Christi admodum præcisè & addi plures circumstantias valde singulares. Sanctus enim Lucas addidit tempus, locum, paupertatem, & quomodo ab omnibus fuerint eius parentes destituti: *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.* Idem S. Euangelista, referens admirabilem Ascensionem Domini, dicit in suo Euangelio: *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Et in Actis Apostolorum quę ille idem scripsit: *Assumptus est.* Nec ipse, nec alius Euangelistarum his aliquid addit; nam S. Marcus dumtaxat dixit: *Assumptus est in cœlum.* Sed quid fuit in causa, quòd adeò summariè retulerint sancti Euangelistæ actionem adeò gloriosam & plenam maiestatis; cùm adeò particulariter addiderint omnes circumstantias in eius humiliatione & depressione? Alij alias dabunt responsiones: illa Sancti Hilarij discursum nostrum mirificè confirmat: *Natiuitatis dies Dominum nostrum terris dedit, Ascensionis reddidit cœlo. In illo Dominus verè se esse hominẽ confessus est: in hoc verò, Deum se esse, in Ascensione testatus est.* Primum indicat humilitatem, & infirmitatem eius; alterum verò signum est gloriæ, & potestatis: illud itaque fusissimè narretur, vt omnes accuratè norint; hoc autem breuiter & concisè, & verbis modestiam, & humilitatem referentibus, cùm virtute propriâ eo adscendente dicatur *Assumptus.* Quibus omnibus confirmatur, quod assumpsimus probandum, quòd diuinus Magister ad nostram instructionem voluit semper occultare gloriam suam, & manifestare humilitatem.

5\.

*Lucæ 2.* *Luc. 24.* *Act. 1.* *Marc. 16* *Hilar. homil. de Ascensione.*

6. Ponderat S.Gregorius Magnus verba, quibus Christus se agnoscendum præbuit Apostolo Paulo, in mirabili eius cõuersione. Interrogans enim quis esset: *Quis es Domine?* Dominus (prout aliàs obseruauimus) respondit: *Ego sum Iesus Nazarenus.* Domine, dicebat summus Põtifex Gregorius, nónne esset magis conueniens, dicere quòd sis creator cœli & terræ, secunda in Trinitate persona, filius æterni Patris, eique æqualis & consubstantialis? &c. Vsus obtinuit in hoc mundo, vt eo quod maximi faciunt, homines sese cognitos reddant eisque nominibus, & cognominibus, quæ magis honorifica sunt, vtantur. Quis non videat quanta sit distantia inter titulum creatoris cœli, & terræ, & nomen IESV Nazareni, cùm Nazareth locus fuerit adeò vilis, quique tam parui fiebat, vt alius ille fieri non posse existimaret, vt boni aliquid inde prodiret. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* cùm audiret Messiam è Nazareth oriundum. His non obstantibus, ait S.Gregorius: *Non ei à Domino respondetur: Ego sum Vnigenitus Patris: ego Verbum ante sæcula, &c.* Quasi diceret: Obliuiscitur Redemptor diuinitatis suæ, & silet titulos gloriæ & maiestatis suæ. Tantummodò se dicit IESVM, in Nazareth incarnatum, ibidemque educatum; in loco inquam humili, & abiecto, vtiturque nomine quod humilitatem indicat & abiectionem, quia per illud innotescere desiderat. Ita vt, etiam in cœlis existens gloriosus, gloriam dissimulet, & infirmitatem publicet.

Ioan. 1.

S.Greg. apud Lorin. hic.

7. Quãdo cœlestis Legatus à Deo missus, egit cum sacrosancta Virgine de Incarnatione Verbi diuini in suis purissimis visceribus, tamquam electo thalamo eminentissimorum horum sponsalium, vnum ex ijs quæ dixit de filio, quem castissimo ventre erat conceptura, fuit prædictio regni Israelitici: *Et regnabit in domo Iacob.* Ad hæc verba solent inquirere sacri Interpretes, quare dixerit Angelus, quòd Princeps æternitatis potiùs diceretur regnaturus in domo Iacobi, quàm in domo Abrahæ, aut Isaaci, cùm descenderit ex his omnibus. Scio, quidquid Sancti Patres, & Doctores moderni ad hanc difficultatem respondeant; sed eorum pace, liberè dicam quod sentio circa hunc locum. Et primò omnium necessariò recurrendum esse ad capita 25. & 32. Geneseos, ex quibus clarissimè constat, quod Iacob, qui in vtero matris cum Esau fratre suo luctatus fuit & animosè apprehensâ plantâ eius illum superauit; post natiuitatem suam fratrem suum semper timuerit, & instanter à Deo petierit ab eodem liberari: *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* & aliâ occasione ipsum semel & sæpiùs adorauerit: *Adorauit pronus in terram septies;* vt manus eius viuus euaderet. Ita vt magnanimitas Iacobi eiusque victoria, in matris vtero reconditæ fuerint, & ibidem eas vir sanctus absconditas reliquerit: suam verò pusillanimitatem & impotentiam omnibus manifestauerit. Hinc intelligetur mysterium, contentum in verbis Angeli ad Virginem sanctissimam, *Regnabit in domo Iacob;* id est, in omnibus erit illi similis, eiusque virtutes virtutibus eius admodum pares (secundùm nostrum modum loquendi; nam in rigore virtutes Iacobi, & aliorum veterum Sanctorum fuerunt ad imitationem virtutum Christi Saluatoris nostri.) Et quemadmodum Iacob victorias, & heroicas suas actiones occultauit, pusillanimitatem verò suam, & metum publicauit; ita Christus gloriam suam, &

Luc. 1.

Genes. 25. & 32.

Genes. 33.

& triumphos abſcondet, calamitates autem ſuas, & anguſtias manifeſtabit.

8. Modò intelligemus rationem, ob quam noluit Chriſtus de cruce deſcendere, cui erat affixus, dum Iudæi eum irridentes, & illudentes, dicebant: *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce.* Quare Domine Ieſu, animæ meæ redemptor, non deſcendis cùm poſſis, & per hoc oſtendis eis, quòd ſis verus Dei filius? Nónne actio hæc quam maximè redundabit in gloriam tuam? Et in hunc finem fiunt miracula, vti teſtatur S. Ioannes, de primo illo quod feciſti in nuptijs Canæ Galilææ, quòd ibi fuerit exhibita primâ vice manifeſtatio gloriæ tuæ: *Et manifeſtauit gloriam ſuam?* Sed & hanc ob cauſam, inquit S. Ildephonſus, deliberatè elegit in cruce mori, & per tormenta quæ patiebatur, cõſtare voluit verum hominem ſe eſſe clariùs voluit publicare infirmitatem ſuam patiendo, & noluit oſtentare gloriam ſuam deſcendendo: *Vt te veram Matrem oſtenderet, verum ſe hominem patiẽdo tormenta, monſtrauit,* dicit Sanctus ille Archiepiſcopus, Dominam noſtram alloquens. Eamdem ob cauſam, ob quam elegit, theatrum gloriæ ſuæ eſſe montem ſecretum, & pro theatro mortis, ciuitatem numeroſiſſimam; docens fideles ſuos, vt ab eo diſcant abſcondere gloriam ſuam, & infirmitates manifeſtare.

Matt. 27. — Ioan. 2. — S. Ildephonſ. ſerm. 8. de Aſſumpt.

---

*Transfiguratus eſt ante eos.*

## CONSIDERATIO IV.

*Licet Transfiguratio glorioſa fuerit, dicit S. Euangeliſta, quòd, Chriſtus ſe transfiguret, & non, quòd ſe glorificet; quia Deus gloriam non reputat, quæ tribus communicatur, ſed quæ ad omnes ſe extendit.*

AVDITE veritatem huius aſſumpti ex ore, & calamo Regij Prophetæ Dauidis, Pſalmo 30. ſacri ſui vaticinij: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Magnus eſt indubiè, ô Rex gloriæ, torrens dulcedinis tuæ. Sed non contentus conſideratione ſummæ iſtius voluptatis, & deliciarum, ſtatim addit: *Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.* Ponderans hunc verſum S. Bernardus, inquirit, vt quid, ſuppoſito quòd dixerit Dauid, dulcedinem illam eſſe omnino ſummam, addiderit, quòd Deus eam perfecerit? Et reſpondet, rationem eſſe, quia antè dixerat, eam eſſe abſconditam: *Quam abſcondiſti,* Sed numquid eâ fruebantur Angeli beati? Omnino; ſed ab hominum oculis erat abſcondita, & idcircò ipſe Deus eam iudicat imperfectam: *Magna quidem, & magna valde, ſed nondum perfecta,* inquit Bernardus. Et idem poſſumus modò dicere, quòd licet eâ ex nunc potiantur homines multi, pauci tamen ſint reſpectu eorum, qui eâ in fine fruentur. Quando Deus eam manifeſtabit in vniuerſali iudicio, tunc ea, quæ etiamnum eſt magna dumtaxat, erit plenariè perfecta, quia innumeri homines illâ fruentur. Intereà non habetur à Deo talis, quia tam extenſè non communicatur.

Pſal. 30. — S. Bernard. ſerm. 8. Omn. Sanctor.

2. Cupiebat Moyſes, dum Deus eum alloqueretur, vt ſe taliter manifeſtaret vt clarè videret maieſtatem, diuitias, & gloriam diuinæ faciei clarè intueretur; atque adeò dixit: *Oſtende mihi faciem tuam.* Nequaquam, inquit Deus: hoc autem faciam; pones te in foramine petræ, & tranſibo coram te; ponam

Exod. 33.

nam manum meam super oculos tuos, & sic eos operiam, vt non clarè videas faciem meam, & postquam transiero, videbis me à tergo, &c. *Ego transibo coram te, tollamq; manum meam*, &c. ita vt Deus ei tandem non ampliùs se mõstrauerit quàm in promulsi de quadam gloriæ, vt sic dicam, cùm negauerit ei faciem suam intueri: beatitudo enim, quam speramus, consistit in visione Dei facie ad faciem, in quo adimplebitur, quod dixit S. Ioannes:
1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Idem S. Euangelista capite 1. historiæ suæ Euangelicæ, dicit homines vidisse gloriam Christi, qualis conueniebat Filio æterni Patris: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Petunt sancti Patres, de qua gloria hîc loquatur Discipulus dilectus? S. Ioannes Chrysostomus existimat intelligi gloriam crucis, ita vt gloriam illam completam vocet, quia in ea verum Deum sese ostendit. (Chrys. hom. 11. in Ioan.) Hîc modò se offert ratio dubitandi, quare Deus noluerit monstrare Moysi gloriam suam, aut si eam ostenderit (secundùm opinionẽ Doctoris nostri Angelici, S. Thomæ, qui in hac parte sequitur S. Augustinum) eam non appellet Dominus nomine gloriæ, sed apparentem gloriam: (S. Th. 1. p. q. 12. art. 9.) *Posteriora mea videbis*; ea verò, quam in arbore crucis ostendit, glorioso hoc nomine absolutè appelletur? Dicant alij quod sentiunt. Dico rationem esse, quia Moyses volebat solus frui gloria Dei: *Ostende mihi.* Petebat sibi soli, & gloriam vni soli determinatam, non reputat Deus perfectam. Gloria autem crucis multis fuit exhibita, imò omnibus: *Vidimus*, videlicet omnes, inquit S. Ioannes. Fuit gloria vniuersalis, ideoque veram eam vocat Spiritus sanctus, & per os S. Ioannis adeò honorificè eam compellat: *Vidimus gloriam eius.*

3. Ponderat S. Hieronymus laudes quas tanta cum exaggeratione S. Dauid canit de portis Sion, quas longè præfert Deus tabernaculis Iacob: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* (Psal. 86.) Voluit Deus excellere in ornatu portarum Sionis: summopere itaque afficiebatur, & delectabatur, vt essent elaboratæ & politæ. Figurat in his, inquit sanctus Doctor, Sacramenta S. Ecclesiæ, quæ sunt portæ, & securus introitus ad Ecclesiam militãtem, & triumphantem, suntque compositæ & elaboratæ ipsis manibus Domini nostri IESV Christi, qui est auctor omnium. Et instituens comparationem inter easdem, & cæremonias Veteris legis, quas appellat *Tabernacula Iacob*, dicit eas his longè esse præstantiores. Et vult intelligi, quòd solæ portæ Sionis magis sint conspicuæ & ex arte factæ, quàm omnia Palatia Iacob. Parœmialiter dicunt Hispani: *La buena portada honra la casa*: Speciosa porta decus est & ornamentum domus. Et sensus est, maioris facere Deum solam Ecclesiæ portam, quàm quidquid in veteri templo construxisset. Rationem addit S. Hieronymus; quia illas portas pauci intrabant, quia nemo intrabat, nisi qui esset è populo Hebræorum; & per portas Sionis, id est, Ecclesiæ, intrat multitudo gentium, & infinitus fidelium numerus. (Hieron. hic.) *Diligit Dominus portas Sion, super omnia Tabernacula Iacob. Non eas portas, quas hodie cernimus in fauillam & cinerem resolutas, sed portas quibus non præualet infernus, & per quas credentium in Christum ingreditur multitudo.* Portas illas, quæ multos ducunt ad gloriam, plures facit Dominus, quàm illas alias, quas pauci, & definito numero intrabant: illæ sunt gloria, & honor domus; & ideo statim subijcit

cit Propheta: *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei*, alloquens Hierusalem cælestem, in qua Dominus singulariter colitur, & honoratur. Quasi diceret: Summum quod de te dici potest, & quod gloriam, qua ciues tui fruuntur, vel maximè extollit, est, si dicatur, quòd multi eam possideant, & innumeri portas tuas subintrent: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia Tabernacula Iacob.* & hanc Deus summam gloriam suam iudicat. *Gloriosa dicta sunt de te, &c.*

4. Apostolus Paulus nequaquam concedere vult, charitatem illam, & relucentes radios, quos Deus faciei Moysis impressit, quique perstringebant visum eorum, qui in faciem Moysis intendebant, veram gloriam fuisse, licet illius similitudinem haberent. *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, &c.* (2. Cor. 3.) Ita admittit veram fuisse gloriam faciei eius, vt absolutè non cōcedat, imò potiùs videatur negare. Si tamen legamus S. Lucæ Euangelium, inueniemus, quod quando hodie cum Elia interfuit Transfigurationi Domini, dicantur fuisse in gloria, & maiestate: *Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate.* (Luc. 9.) Origenes transtulit: *Visi in gloria.* Iam verò, numquid gloria, cum qua apparuit Moyses in lege Veteri, communicata fuit à Diuina præsentia, sicut hodie à gloria Christi? Ita quidem, inquit Origenes. Quare igitur de illa dicit Apostolus, quod non fuerit vera gloria: *Nec glorificatum est, &c.* hanc verò Euangelista veram vocat, & vt talem deprædicat? *Visi in gloria.* Optimè ad hanc difficultatem respondet Origenes: *Nihil aliud in Lege gloriosum habet Moyses nisi solam faciem; in Euangelijs autem totus glorificatus ex integro. Audi enim quid dicatur in Euangelijs: Ecce apparuerunt Moyses & Elias in gloria, colloquentes cum IESV.* (Orig. hom. 12. super Exod.) *Hîc non refertur, quòd glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria.* Gloria quæ faciem non excedit, & quæ ad vnam partem est determinata, non reputatur vera: illa verò, quæ toti communicatur corpori, est perfecta. Quæ confirmant id, quod assumpsimus probandum, quòd illam gloriam reputat Deus veram, quæ non limitatur ad vnum aut paucos, sed multos, & ad totum corpus mysticum pertingit.

Iam aliâ ratione consideremus locum illum Zachariæ, quem pridem ponderauimus. 5. Mandauit Deus Prophetæ, congregaret aurum, & argentum, & ex eis duas, aut plures coronas conficeret, quibus Iesum summum Sacerdotem coronet: *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu.* (Zach. 6.) Notat S. Cyrillus Alexandrinus, iubere Dominum, imponi capiti Sacerdotis tot coronas, cùm vnum caput vnicam dumtaxat admittat. Quid ergo includit mysterij, iubere Deum Prophetæ, vt illum coronet multis? Respondet S. Doctor: *Est corona & gloria Christi, saluatorum ab ipso salus: saluata est enim non vna gens, quemadmodum olim per Moysem Israel, sed quidquid & iam gentium sub cælo est. Hoc quippe Christum decebat.* (S. Cyrill. in hunc locum.) Coronæ istæ, symbolum sunt gloriæ, quâ coronatur IESVS Christus, Dominus & redemptor animarum, qui est salus fidelium, quam eius meritis acquirunt. An non sufficeret vna corona, ad significandam gloriam eorum qui saluantur? Nequaquam: nam gloria Legis gratiæ non arctatur ad gloriam Veteres legis: hæc enim imperfecta erat, quia soli Hebræi saluabantur: illi verò nihil deest ad complementum, quia communis est omnibus nationibus.

*Hoc quippe*, vt concludit Cyrillus, *Christum decebat*, saluare multos, non paucos; ornari coronis multis, non vnicâ. *Facies coronas.*

8. Orat Dominum Dauid Psalmo 103. mittat Spiritum sanctum, vt per eius aduentum omnia repleantur gloriâ: Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in sæculum.* Ita vt Propheta intellexerit, idem esse, dare Deum Spiritum suum, & communicare gloriam suam. Memoriâ tenete quæ diximus. S. Euangelista Ioannes capite 7. dicit, quòd interea temporis quo Christus non esset glorificatus, Spiritum sanctum æternus Ioan. 7. Pater non dederit: *Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus.* Replicat S. Augustinus Euan- Aug. l. 4. de Trin. c. 20. gelistæ, per hæc verba: *Quomodo de S. Ioanne Baptista dictum est, Spiritu sancto replebitur? &c. Zacharias sancto repletus Spiritu inuenitur?* Si verè dicit S. Ioãnes quòd Spiritus sanctus hominibus sit communicatus, quomodo S. Ioannes Baptista, & pater eius Zacharias fuerunt pleni diuino Spiritu, vti Luc. 1. constat ex Euangelio S. Lucæ? Pro solutione huius dubij oportet nos meminisse aduentus S. Spiritûs, modò in specie visibili linguarum ignitarum, modò in vento horribili super sanctos Act. 2. Apostolos, aliosque qui cum eis erant congregati: *Dispertitæ linguæ tamquam ignis; tamquam aduenientis spiritus vehementis.* & sic intelligetur quâ ratione S. Euangelista dixerit, quòd Deus non dederit suum Spiritum, nec communicauerit suam gloriam: *Quia certè illa Spiritus datio, post clarificationẽ Christi futura erat, qualis numquam antè fuerat.* Quasi diceret S. Augustinus, quòd licet Spiritus sanctus se communicasset illis, & alijs iustis, tamen omnes simul essent pauci; sed quando descendit super Collegium Apostolorum, toti se communicauerit Ecclesiæ; ita vt, in quantum donum illud fuit singulare, & gratia paucis concessa, reputetur quasi non concessa: & quia hoc donum fuit generale, & concessum multis, dicatur quòd Deus hac vice primùm dederit diuinum suum Spiritum, & totus mũdus eius gloriâ repletus sit. *Emitte Spiritum tuum: sit gloria Domini in sæculum.*

Vidit se hodie S. Petrus in conspectu gloriæ, cupiuit ibidem figere domiciliũ 7. permanens, quod & indicauit Domino nostro Iesu Christo: *Domine bonum est* Luc. 9. *nos hîc esse.* Bene est nobis hîc, vt quid volumus mutare domicilium? Audit eum S. Lucas, atque vt ignorantem, & stultum eum censurat: *Nesciebat quid diceret.* Laborant Interpretes, vt explicent, in quo consisteret eius ignorantia & stultitia, ac in diuersas abeunt sententias. Vnam ingreditur Sanctus Paschasius, quæ discursui huic coronidem imponet. Cur non erit bonum manere in monte Thabor, in quo est Dominus gloriæ? inquirit hic Sanctus. Dicam: *Et hoc vt dixit, mendacium est; quia si sic bonum esset, vtique in eo per-* Paschas. lib. 6. in. Matth. *mansissent loco, nec tamen alijs subuenisset; non dico generi humano, sed nec alijs coapostolis, qui cum eo ad ipsum locum non ascenderant. Neque enim de his aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas quàm maximè commendabatur.* Quasi diceret: Verba Petri, quantum ad id quod sonant, procul dubio mendacium continent: Petrus enim, ibi manere desiderans, de sui solius bono, & commodo agebat, sibi soli totam gloriam præoptans: reliquorum verò vel hominum, vel condiscipulorũ nullam rationem habens. hoc autem non est bonum corã Deo, sed malũ, atque adeò, *nesciebat quid diceret*; quia hanc reputat Dominus

minus gloriã, quâ fruuntur multi: quæ autem ad tres dumtaxat homines eſt reſtricta, non meretur talis nominari. Et hæc eſt ratio, quare de Christo dicatur, quòd fuerit transfaguratus, & non quòd fuerit glorificatus; quia non habetur pro perfecta gloria tribus ſolis communicata, ſed illa quam poſſident multi. *Transfiguratus eſt ante eos.*

---

*Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.*

7. Luc. 9.

### CONSIDERATIO V.

*Quando Pater æternus vidit Chriſtum cœleſtibus ſplendoribus perfuſum, creat illum Doctorem mundi: quia lumen bonæ vitæ, dat pondus doctrinæ.*

QVÆSTIONEM curioſam mouent
1. Abul. q. 90. in Matt. 17. hîc ſacri Interpretes; nempe, quæ ſit ratio, cur dum Chriſtus baptizaretur in Iordane, adſtiterit Pater æternus, prout & hodie in Transfiguratione, ſolemnes hos duos actus condecorans, in Baptiſmo dixerit: *Hic eſt filius* Matt. 3. *meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* hîc verò adiunxerit, vt ipſum audirent, Matt. 17. & pro Magiſtro haberent: *Ipſum audite.* Multas rationes congerunt Doctores, vt huic difficultati ſatisficiant: ſed inter alias placuit mihi, quam adfert Mendoza in l. 1. Reg. c. 3. num. 21. ſect. 2. venerabilis magiſter meus, famoſuſque interpres Librorum Regum: *Quia*, inquit, *Chriſtus Dominus in baptiſmo quandam peccatoris imaginem præferebat: in Transfiguratione ſummam Prædicatoris ſanctitatem repræſentabat.* vt omnes diſcant, qui ſiue ex officio, ſiue ex obligatione alios docent, quantum referat illos eſſe ſanctæ vitæ, vt eorum doctrina bene audiatur.

Vocat Deus ad ſe Moyſen, iubetque 2.
ei vt faciat Arcam, Propitiatorium, Cherubinos, menſam panum propoſitionis, & particulariter Candelabrum: Exodi 25. *Facies & Candelabrum ductile de auro mundiſſimo.* Hæc omnia continent ſumma myſteria, quæ declarat noſter Angelicus Doctor. Immoremur ſolùm Candelabro, quod debet eſſe ex auro S. Th. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6. puriſſimo, affabrè, & maximo quo fieri poteſt cum ornatu, & nitore factum. Deus bone! oportetnè omnem exhaurire artem, & nihil non agendum eſt ad abſoluendum Candelabrum? Adeò ornatum, adeò pulchrum debet eſſe, id quod videtur è primaria Tabernaculi vel Templi ſupellectili? Haud equidem capio. Ego quidem, inquit S. Nilus: Non attendis verba Domini, *Vt luceat?* quodque Candelabrum illud ſit vt illuminet Tabernaculum? Noli itaque mirari Diuinum præceptum: Nilus in Aſcet. *Candelabrum quidem indicat, qui cæteros illuminare profitentur, omnibus eſſe partibus ſolidum, & nihil leue, nihil inane habere, aut vacuum oportere: omnia quæ ſupeuacanea, atque inutilia, vt inculpatæ vitæ exemplum intuẽtibus præbeat, circumcidere & amputare.* Quaſi diceret: Candelabrum illud eos ſignificat qui alios illuminant, & docent, ideoque Deus tantâ curâ de eorum perfectione agit; quæ quidem omnino neceſſaria eſt eis, qui vel officij, vel obligationis ratione, in aliorum hominum lucem expoſiti ſunt eorumque doctrinæ intendunt: nec in talibus vel minimam culpæ ſuſpicionem pati poteſt; ſed omnino puri, & abſque vllo peccato eſſe debent.

Neſcio an multi reflexerint ad my- 3.
ſticam fabricam menſarum Templi, quas vidit Ezechiel Propheta: *Labia earum*, ait, *vnius palmi.* Ponderauit hæc Ezech. 40. verba S. Gregorius Magnus, & in eis inuenit magnum myſterium. Primo intuitu

tuitu videbitur non cohærere os cum palmo, nec connexionem habere linguam & manum. Porrò certum est, optimè cõuenire hæc duo, & maximi momenti doctrinam continere. Quæ autem illa? *Doctor quod docendo loquitur, hoc vigilanter operetur. Verbis ergo suis semetipsum conueniat: vbi itaque se conspicit opere implere quod dicit, ibi auditores admoneat, eorumq; animos ad studium bonæ operationis accingat.* Id est, ab exemplo incipiat necesse est, cui docendi munus incũbit. Primus obligatur magister ad virtutem, & in tantum afficaciter docebit lingua, in quantum primum operatus fuerit manibus suis. Ita vt manus debeant esse mensura oris, id est, opera conformia doctrinæ. Nec quisquam plus tenetur in operibus suis prælucere sanctitate, quàm cui commissum est virtutis magisterium. Et hoc mysterium innuitur in palmari labro mensæ. *Laba earum vnius palmi*, dicit magnus Doctor.

S. Greg. hom. 21. in Ezech.

4. Alloquitur Deus Isaiam, eique dicit: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Inquiramus verò, quare Deus tantopere velit vt vox Prophetæ sit ad instar tubæ potiùs quàm alterius instrumenti? Scio aliquos dicere, quòd inter omnia instrumenta musica, nullum minùs aduletur, quàm tuba, cuius vsus est in Castris. Non suspendit animum vt lyra, non detinet vt organum, non delectat vt chitara, nec vt alia instrumenta, sensus abripit, quin potiùs cor immutati; ex vna quidem parte terrorem causat, & metum; ex alia parte, confirmat animum, & accendit ad arma. Talis debet esse vox Magistri aut Concionatoris, vt tuba terrifica potiùs animans quàm blandiens; quæ non prouocet somnum, sed excitet dormientem, & animet expergefactum, quæ somnolentum peccatorem & correptum sopore delictorũ suorum euigilare faciat, & surgere è lecto peccati cui incumbit; & vt iustũ vigilantem in ictu oculi incitet ad arma Christiana animosè arripienda, vt manum apponat pœnitentiæ, ieiunio, cilicijs, flagellis, quibus armis cœlum expugnatur, & vitia præscinduntur: verba etenim ficta, blandientia, & adulatoria abhorret Deus. Hoc mysteriũ docere voluit nos, dum iubet Prophetam clamare tamquam Tubam. Fateor hoc bene obseruatum.

Isaiæ. 8.

5. Porrò eruditus ille Lusitanus Apocalypseos interpres (ex cuius commentarijs moralibus Oratores Euangelici multum emolumenti desumpserunt) ponderans hanc metaphoram, putat aliud mysterium contineri: dicit itaque sequentia: *Tuba enim non solùm ori imponitur, sed etiam manibus tenetur: ita enim Concionator debet Euangelium, quod in ore habet, manu, id est operatione fulcire; quo sensu intelligendum est illud Isaiæ: Quasi tuba exalta vocem tuam.* Auditores enim non minùs ad manus, id est, opera eius respicere debent, quàm verbis eius auditum accommodare: necesse est vitam eius clarissimè prælucere, vt dux & lux aliorum esse possit. Si enim dumtaxat diserta & facunda sit eius scientia, & manibus mutila, illam ne quidem Gentilis, multo minùs Christianus approbabit. Sic enim cecinit Horatius: *Res gerere, & captos ostendere ciuibus hostes, Attingit solium Iouis.*

Viegas in Ap. c. 1. sect. 23.

Horatius.

6. Intelligimus modò, ob quam caussam verbum Dei in Scripturis sanctis vocetur gladius. Sic illud appellauit S. Paulus; qui Doctorem Euangelicum armis instruens, pro galea, cogitationes salutis; pro lorica, integritatem iusti-

tiæ;

tlæ; pro scuto, infallibilitatem fidei ei attribuit. Et deueniens ad ensem, inquit: *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Sed quare Apostolus verbum Dei nominat gladium? Saluâ aliorum sententiâ, dico, quòd vti gladius nec occidit, nec vulnerat, nec scindit, nec aliquem operatur effectum, nisi primò per manus, & brachia motus ei imprimatur; sic etiam verbum Dei non fructificat, nisi priùs exemplo executioni mandetur, antequam docendo diuulgetur, idque licet maximâ, & contentissimâ, quæ in humano pectore formari possit, voce vestiatur, & summâ, quæ in Angelum cadere possit, eloquentiâ, illustretur.

*Ephes. 6.*

7. Omnino ponderandum est, quod in Deuteronomio dixit S. Moyses Propheta: *In dextera eius ignea lex. Dilexit populos.* Priora verba non eodem modo explanant Interpretes. Aliqui volunt, allusionem esse ad fulgura & ignem, quæ emicuere quando Dominus Populo suo legem dedit. Alij, quos refert doctissimus noster Oleaster, Tabulas legis ad instar ignis reipsa resplênduisse. *In dextera eius ignea lex, id est duæ Tabulæ, quibus erat sculpta Lex; quæ quidem Tabulæ igne erant opertæ, & innolutæ, aut velut ignis splendebant.* Hinc facilè poterimus concludere ad probandum nostrum discursum, & dicere, quòd sicuti in Tabulis illis, quas Deus Hebræis dabat, eos doceret quid facto opus esset, vt salutem consequerentur; Dominus verò præceptoris eorum officio fungeretur, noluerit eas esse absque splendoribus, eosque manibus tenerent, *In manu eius*, ne audirent doctrinam, nisi lumen operationum, & insignia sanctitatis per manus significatæ conspicerent. Sed ne omnia trahamus ad allegoriam, obseruemus vltima verba, coniuncta prioribus in sensu litterali. *In dextera eius ignea lex, dilexit populos,* id est, Lex est in manu eius, aut, Lex procedit ab eius manu, & *etiam diligit populos* (ita cum Pagnino legit insignis noster Oleaster) & tunc (secundùm magnum hunc magistrum) sensus est: *Affert secum Legem, quoniam populos diligit*, id est, quia Dominus homines amat, idcirco eis Legem dat amoris, eosque ad amandum obligat; nam hoc est summarium Legis totius: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum*, &c. Si enim non amaret, non doceret nec præciperet vt amarent. Porrò tantus amator amoris legem meritò persuadere potest, eique competit legem ignis promulgare, *Ignea lex*; quia est ipsissimus ignis: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Absque obloquio potest docere, quia incipit ab exemplo.

Deuter. 33. Oleaster. Oleast. cit. Matth. 22. Deuter. 4.

8. Est huic loco admodum propria ingeniosa, & diligens ponderatio docti nostri Cardinalis Hugonis. Mandat Deus Ezechieli: *Imple manus tuas prunis, & effunde super ciuitatem.* Quid hoc sibi vult? Nónne potiùs præciperet ei Deus, vt ardentes prunas forcipe ex foculo desumeret, quàm vt propriâ manu eas arriperet, vt super populum illum eas dispergat? Peregrina quidem nouitas, sed mysterio plena! Audiamus præfatum Doctorem: *Qui prius in Sanctorum exemplis prunas ignis sumpserit, id est, ardorem charitatis conceperit; talis potest ignem effundere posteà super ciuitatem, id est, ardenter prædicare ad plebem & eam accendere ad amorem: qui enim non ardet, non accendit.* Procul enim dubio, efficax erit eius doctrina, cùm ipse primus exequitur, quod alijs persuadere intendit; cumque ipse incensus fuerit charitate, etiam alios inflammabunt sermones eius, quemadmodum faciebant verba Eliæ,

Ezech. 10. Hugo Card. hic

*Hugo cit. Eccles. 48.* inquit Hugo, de quo dicit Scriptura: *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et hæc sunt necessariò requisita in ijs, quibus creditur Magisterium hominum, aut quocumque demum modo alios docendi munus incumbit; quæ siquidem eis desint, verbis suis & discursibus nihil proficient.

9. Inter alias visiones obiectas S. Ioanni in libro suæ Apocalypseos relatas vidit Angelum descendentem de Cælo, splendidum & speciosum, & faciem eius instar solis, resplendentem: *Facies eius erat vt sol.* (*Apoc. 10.*) & dicit, quòd manu teneret librum apertum, quem Deus mandabat Euangelistæ, de manu eius acciperet: *Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli.* (*Beda hic.*) Venerabilis Beda notat hunc Angelum apparuisse adeò splendidum, vt lumen eius, cum speciosissimo planeta componi posset, si id non superaret. Et addit, hoc non esse adeò mirum, quia fungebatur officio Doctoris: *Meritò facies eius vt sol, qui librum iam gestabat apertum.* Imò idcirco mandatur Euangelistæ vt accipiat de manu eius librum, & vt tamquam discipulus vadat lectionem excepturus; quoniam tunc bene docetur, & doctrina magistri auditoribus imprimitur, quando in docente extant signa virtutum, & argumenta sanctitatis.

10. Refert idem Euangelista, quòd Paralytico illi ad piscinam, quando post concessam sanitatem eum reperit cælestis Medicus, eidem dixit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* (*Ioan. 5.*) Vide quemadmodum vixeris, quia reincidere in morbum, longè est periculosissimum. quasi diceret: Ne te posthac contingat peccare; peccata quippe fuerunt causa infirmitatis tuæ, & relapsus tui curationem vestram difficiliorem reddiderunt: id quod modò necessariò conducit, est, vitam, vitæque tuæ rationes in melius commutare, ne deterius tibi aliquid contingat, & ne pœnæ temporales in æternas cõmutentur. Ioannes Chrysostomus in sermone quodam habito de hoc miraculo, interrogat, quare Christus non dederit monitum hoc spirituale Paralytico in lecto recumbenti? Et respondet sanctus Pater, quòd illud reseruarit in tempus magis opportunum: *Vbi verò morbum expulit, vbi pristina ipsum valitudini restituit, vbi potentiæ atque prouidentiæ fidem, re & opere fecit: tum verò respectiuam adhibuit admonitionem, cùm deinceps ei ob res tantas gestas iure meritoq; fides fuit adhibenda.* (*Chrys. serm. de Paralytico to. 3.*) Visum fuit Christo, quod non esset opportuna exhortatio quę præcederet sanitatem, idcirco voluit eum antè curare, vt viso miraculo efficaciùs operetur doctrina; quia non poterant non esse efficaces sermones eius, qui adeò gloriosa operabatur.

11. E contrà fieri nequit, quin inefficax omnino sit doctrina magistri, cuius manus ori contradicunt. (*Cicero in Tusculanis.*) Refert alicubi Tullius de Demosthene excellenti Oratore, eum adeò fuisse vanum, vt si fortè incedens per plateas, obuiaret ancillula aliqua onusta hydriâ ad aquam hauriendam, quæ sociæ suæ annueret oculis, significans eum esse clarissimum Græciæ Oratorem; ab inchoato itinere deflecteret, & ad illas accederet, auditu eas proximè insequens, vt intelligeret, quid secum loquerentur: *At quantus Orator?* inquit Cicero. Negari equidem non potest, quin esset summus Orator, nihilominus tamen in causa erat, quòd eius doctrina parui fieret: *Sed apud alios loqui didicerat, non multum ipse secum,* vtpotè qui instrue-

inſtrueret alios,& numquam ſeipſum; & per vitæ actiones quodammodo diſſuaderet,quod verbis doceret; nam ne vmbram vel minimã mali oportet habere eum,qui virtutem perſuadere cõtendit. Et hoc docet nos Chriſtus, in ſplendore gloriæ Mundi magiſter declaratus; tunc enim æternus Pater præcipit vt eum audiamus. *Ipſum audite.*

---

### *Bonum eſt nos hîc eſſe.*

### CONSIDERATIO VI.

*Quòd Petrus vix ſe viderit in gloria conſtitutum,cùm in ea perpetuò commorari voluit:nam oculi qui rebus cœleſtibus ſibi ſatisfaciunt, terrenis ægrè adhæreſcunt.*

1. Cyrill. Alex. l.9. in Leuit.

NON eſt hæc mea conſideratio,ſed ſancti Patris Cyrilli Alexandrini:*Petrus quæ ſurſum ſunt,quærebat,non quæ ſuper terram.Illuc aſcendebat ad illa tecta,ad illa faſtigia,de quibus dicit Dominus:Qui in tecto eſt,non deſcendat tollere aliquid de domo.*Quamuis in monte Thabor non rectè dixerit Petrus ob rationes notas: *Bonum eſt nos hîc eſſe*; aliquo tamen reſpectu,laudem meretur eius intentio:cùm enim Dominus gratioſè eum aſſumpſiſſet ad montem contemplationis, eidemque communicaſſet dulcedinem amicitiæ ſuæ,nihil magis ad propoſitum proferre potuit,quàm *Bonum eſt nos hîc eſſe.*Apage Munde;cui enim datum eſt accedere ad viſionem gloriæ,immeritò tui recordatur,teque aſpicit. *Bonum eſt nos hîc eſſe.*

2. Eccleſ.2. Ambroſ. in c.10. Lucæ.

Ponderat egregiè S.Baſilius Magnus, quod Spiritus ſanctus per Salomonem dixit:*Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat.* Aut ſecundùm lectionem S. Ambroſij: *Stulti in calcaneo.* Notabilis ſententia, inquit Baſilius, & primo aſpectu difficilis intellectu;vt quid enim diſtinguit inter ſapientem & ſtultum,& dicit,vnum habere oculos in capite,alium non ;cùm tamen videamus omnium oculos in capite: hanc quippe ſedem eis natura tribuit. *Cuiuſnam oculi non ſunt in capite?* Sed reſpondet Vir ſanctus,diuinum Spiritum non de oculis corporis, ſed animæ, hîc loqui, & quemadmodum iuſtus ad ſuperna Cœli bona dumtaxat attendit,& ſe totum eis conſiderandis impendit, & conſequenter non ſe inclinat ad temporalia & inſtabilia mundi,ſed deſpicit terrena omnia, quæ à peccatoribus amantur, qui reſpiciunt terram verſus.Idcirco hæc eſt peculiaris laus Iuſti, quòd oculos habeat in capite,quia ſolummodò ad ſuperna eius deſideria dirigũtur.Hæc excellenter Baſilius: *Atqui hic in capite, id eſt,vt ea contempletur, quæ in ſublimi ſunt:nam qui non ad bona quæ in ſublimi ſunt,ſed quæ in terra,reſpectat, is vtique defigit, detrahitq́, oculos in terram.* Et Sanctus Hieronymus excellentem dedit interpretationem, quæ bene probat noſtrum aſſumptum,& dicit,quòd verba illa,*in capite*,debeant intelligi obiectiuè,vt loquuntur Logici,& non ſubiectiuè. Hoc eſt, quòd Iuſtus, qui eò proceſſit,vt norit Chriſtũ caput ſuum, nec vult,nec poteſt ab eo auertere oculos,nec occupari circa deliria terræ,ſed omni conatu Chriſtum ſequi, & permanſuris cœli bonis frui deſiderat. *Qui in perfectũ virum peruenerit,& meruerit vt caput ipſius Chriſtus ſit,oculos ſuos ſemper habebit ad Chriſtum,& eos in ſublime eleuans,numquam de inferioribus cogitabit.* Hanc veritatem hodie in S.Petro confirmatam videmus.

S.Baſ. hom.10. in Hexameron.

S.Hieron.

Iacob

3. Genes.28 Iacob in Mesopotamiam proficiscens, somno se dedit in loco deserto, & ecce cœli ei aperiuntur, eoque in loco mirabilem scalam videt, per quam Angeli ascenderent & descenderēt, Deumque millies sibi benedicentem. Expergefactus Iacob obstupescit, &, Quanta, inquit, hæc mutatio! quàm citò hic locus ex terra conuersus in Cœlum! *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* E vestigio Vir sanctus itineri se dedit: *Profectus ergo Iacob, venit in terram Orientalem.* Vel, vti noster Cardinalis Caietanus ex Hebræo transfert: *Et eleuauit Iacob pedes suos.* Quare sacer textus ante visionem hanc mysterio plenam hoc de eo non dixit, cùm ante visionem, iam iter esset ingressus? Ingeniosè respondet Caietanus: *Significatur quòd diuinâ visione, ac promissione animosior redditus Iacob, accelerauit iter.* Quid nobis per hæc verba significare voluit Spiritus sanctus? Iacobum hac cœlesti visione adeò fuisse confirmatū, vt exinde tantâ festinatione incesserit, vt terram pedibus vix contingere videretur. Ego verò pace eius amplius dico, quòd festinatio illa, quam adhibuit Sanctus, postquam intellexit stationes suas diuinitus esse munitas, nos doceat eam, quâ omnes illi, quibus datum est cognoscere cœlestia, & Dei gloriam per contemplationem intueri, per viam diuinorum mandatorum eius currere solent, vt tandem possideant, quod contemplantes cognouerunt, quódque adeò frigidè tractent terrena, vt si fieri posset, nec planta pedis ea contingerent. Hoc significat, *Et leuauit Iacob pedes suos.*

Lect. Heb. Caiet. hic.

Caiet. cit.

4. 3. Reg. 19. Eliæ dixit Angelus, vt in monte quodam coram Domino se constitueret: *Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterēs petras ante Dominum.* & dixit Elias: *Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* & ibi erat Dominus, & aderat diuina Maiestas. Vix hæc acciderant, cùm referente sacra Scriptura, Elias *operuit vultum suum pallio.* Quid autem hoc sibi vult, inquit S. Gregorius Magnus, quòd nec ad spiritū, nec ad commotionē, nec ad ignem Elias vultū operuerit, & ad dulcē sibilum auræ tenuis, confestim faciem suam texerit? Respondet Sanctus Doctor: *Vultum suum Propheta pallio operuit, quia in ipsa summa contemplatione veritatis, quantâ ignorantiâ homo contegatur, agnoscit.* quasi diceret, cùm in blādo illo spiritu sese Dominus manifestaret, vt eum vidit, mox cognouit, quāta sit ignorantia, imò cæcitas hominis illius, qui oculis ad alium finem vtitur, quàm ad videndum Deum: *Operuit vultum suum pallio:* nam oculi qui Deū viderunt, non habent aliud quod aspiciant, aut desiderent. Lib. 5. Moral. c. 29.

5. Cant. 8. Mysterio plena sunt verba animæ illius Deum tantopere diligentis, quibus dicit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sexcentas expositiones huius loci adferunt Interpretes; ea verò quæ instituto nostro subseruiet, est S. Petri Damiani: *Læua subesse capiti dicitur, cùm præsens vita à mente, quæ cogitationum caput est, aspecta calcatur: dexteræ vero amplexibus stringitur, qui solius æternæ vitæ desiderijs vndique delectatur.* Talis erat S. Petrus Apostolus, qui semel admissus ad visionem gloriosæ lucis, terrena cuncta fastidit, omnia præsentis vitæ vilipendit; ac in possessione æternorum bonorum, vel, vt veriùs dicam, in vmbra dumtaxat voluptatis sempiternæ permanere desiderat. Damian. epist. 112

6. Profitetur Dauid in Psalmo 118. se singu-

Psal.118. S.Hilar. singulariter amare diuinam pulchritudinem Redemptoris. Cui conformiter explicauit S.Hilarius hæc eius verba; *Oculi mei defecerũt in salutare tuum.* S. Hilarius prophetica hæc verba explicans, addit sequentia: *Propheta animæ suæ oculos in Deum defixit, & de salutari, quid intelligi oporteat, sæpe tractauimus, eum scilicet, esse Iesum. Alijs igitur, oculos suos in desideria sæcularia occupantes, & in voluptates rerum præsentium tendentibus, Propheta in Dei salutare defixus est.* q.d. In salutem Dei, oculos suos Propheta defixit, eosque nec ad momentum quidem ab eo deflexit, id est, ad considerandum gloriam, & pulchritudinẽ Saluatoris se totum impendit. Cumq; alij terrestribus desiderijs toti immerguntur, ipse istorum omnium oblitus, nihil præter Iesum aspicere desiderat; atque adeò illa Prophetæ verba: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*, reipsa idem significant quod hæc S. Petri: *Bonum est nos hîc esse.*

7. Damasc. serm. de Transfigurat. Attendi sacrum Chronographum dicere, quod tempore Transfigurationis Christi: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Scio S.Damascenum docere quod lux faciei Dominicæ longè superaret solarem. Sed nihil inuenit Euangelista lucidius, cui eam compararet; eumque sequuntur plerique sancti, & sacri Interpretes. Sed bona eorum venia, aliud hodie aperiã, quod omnino subseruiet ad firmandum nostrum discursum. Dico itaque, quod ex industria vsus sit sacer Historicus metaphora solis, quãdo descripsit lucem & claritatem faciei Dominicæ: & ad confirmationem conceptus mei adferam quod memini me legisse apud Philonem Alexandrinum. Philo. lib. de Temulentia. *Sicut enim sol, inquit Philosophus ille, exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis: ita quoties animæ oculi syncero, puro, fulgidissimóque luciferi Dei sensibili splendore irradiamur, nihil aliud possunt inspicere*; nam omnia se abscondunt, nec quidquam apparet, præsentibus adeo excessiuis splendoribus. Iam itaque capies mysterium, cur apparuerit facies Saluatoris, similis soli, & sẽsus est, quod quemadmodum sol materialis, Planeta verè pulcher, abscondit quidquid in cœlo est, ne oculi nostri corporei illud aspiciant: ad eum modum in præsentia Christi gloriosi, veri solis animarum nostrarum, oculi nostri spirituales, intellectus scilicet noster, luci eius adeò immersi esse debent, vt quidquid in mundo est, eis sit inuisibile. Oculi quippe adeò beati, qui ad videndum Deum admissi sunt, iam nihil amplius habent quod videant, aut concupiscant; idcirco *Resplenduit facies eius sicut Sol.*

Beata Magdalena, quæ Dominum tantopere dilexit, stabat iuxta sepulchrum Dominicum, flens quia non inueniret sacrum cadauer, & existimans furto eum ablatum: *Stabat ad monumentum plorans*, inquit S.Ioannes Euangelista. Et narrat, quod eodem tempore, viderit duos Angelos eo in loco, in quo positus fuerat Dominus, qui ab ea causam fletus inquisiuerunt. Respondit illa: *quia tulerunt Dominũ meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Et tantum abfuit, vt illi sufficeret visio Angelorum adeò speciosè indutorũ, adeoque pulchrorum, vt multò magis anhelaret ad corpus mortuum Christi, quàm viuorum consortio Angelorum afficeretur. Idque in hunc modum, vt dilectus Discipulus animaduertat, quod eos, etiamnum sibi loquentes, deseruerit, eisque tergum obuerterit, abieritque: *Hac cum dixisset, conuersa est retrorsum.* Gloriosa mulier, inquit Origenes, cur visis Angelis consolationem non admit- 8. Ioan.20. Orig. Hom. de Magdalena.

admittis? Quidni amor tuus iucunda hac visione conquiescat? Respondet Scriptor ille antiquus vice Magdalenæ: *Quæro Creatorem, & ideò grauis est mihi creatura ad videndum.* Adeò vt retro respiciat, & Angelis dorsum obuertat, è quorum colloquio nullum reperit leuamen, adeò desiderans videre, quia solum Deum quærebat, & cum illo solum agere, & colloqui volebat. Quippe quæ optimè nosset, & experimento didicisset dulcedinem, & suauitatem quæ in eo reperitur ab omnibus, qui eum ex corde quærũt; ex quo prouenit vt terrena cuncta fastidiat.

9. Quod contigit Dauidi, prout ingeniosè obseruat S. Hieronymus, ponderans illa verba Psalmi: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Nihil mihi adeo est suauis, quàm obseruantia tuorum diuinorum mandatorum; meditari legem tuam diuinam, & mysteria, quæ me sacra tua oracula docent contemplari. Insuper nihil mihi adeo sapit, quã agere de te in colloquijs meis. Vis scire quantopere? *Super mel ori meo. Rectè post mel gustatum, alius nullus sapit cibus.* O quàm præclarè hæc dixit Dauid! Quia qui peruenit ad gustum Dei, nihil extra eum illi sapit. Idem ei accidit, quod comedenti mel, cui omne aliud quodcumque gustauerit, insulsum & insipidũ videtur. Sicuti S. Petro visa sunt omnia terrena, simulatque Christum in gloriæ splendoribus conspexit.

*Psal. 118.*

*Hieron. hic.*

Refert Laërtius de Anaxagora Philosopho, quod cùm citatus esset, vt ius omne quod ad quamdam hæreditatem habebat, in iudicio ad proferret, responderit nolle se pro re adeo vili litigare. *Cognatis eum ob hoc increpantibus, ait, digito in cœlum intento: Illa patria mea est, illa hæreditas mea, illam ego curo, non ea quæ super terram.* Verba homini Gentili indigna, sed omni Christiano admodum propria. Qui spe gloriæ alitur, vti & Apostolus Petrus, quæ causa fuit, quod in hæc verba proruperit: *Bonum est nos hîc esse.* Nihil amplius mundum curo, Domine, hic viuamus, & moriamur. Sanctissime Apostole, si ad ciuitatis ingressum mente excedis, si conspectis à longè muris extra te raperis, quid erit, quando æternis bonis frui poteris? Notitia tanti boni differatur vsquead eius possessionem: ibi intelliges, quid sit videre Deum, finem vltimum animæ nostræ, quietem nostrorũ desideriorum, satietatem famis nostræ, solamen tristitiæ nostræ, abyssum deliciarum, mare immensum omnium bonorum gloriæ &c. Amen.

---

# TRACTATVS VII.

## AD DIEM MERCVRII POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

*Ecce ascendimus Ierosolymam.* Matt. 20.

PRÆSENS Euangelium pars est cap. 20. sacræ Historiæ S. Matthæi; in eo nobis Euangelista commemorat, quomodo Christus Dominus noster Ierusalem

salem proficiscens selegerit duodecim ex discipulis suis, quos peculiariter mundi Apostolos designarat, eisque dixerit: Seorsim vos euocaui, vt mirabiliora, & occultiora pectoris mei secreta vobis aperirem, & declararem. Ecce ascendimus Ierosolymam; & ne post futuros euentus admiremini, eosque rem peregrinam æstimetis, hinc vos, vt eos præuideatis, & cautiores vos reddam, præmoneo, me ibidem tradendum Principibus Sacerdotum, Scribis, & Pharisæis, meque ab illis Gentilium manibus tradendum, vt ab ijs illudar, irridear, spinis configar, flagellis cædar, & tādem cruenta, & ignominiosa morte afficiar. Breui tamen tempestas hæc transibit; nam tertia die resurgens, æternùm deinceps regnabo. Duodecim Discipulis hæc audientibus, tam ieiuna, & peregrina eis visa sunt, vt ne verbum quidem, ex omnibus quæ diuinus Magister eis dixit, assecuti sint; quin potius aliter omninò intellexerint, prout videre licet ex duorum, qui erant filij Zebedæi, insulsa omninò, & intempestiua ad Dominum directa petitione, matris suæ intercessione vtentium, quæ eos, facilioris expeditionis causa, comitabatur. Accessit autem eā ciuilitate, & submissione, quâ ambientes solent, eaque, quæ filij dixerant, proposuit. Domine, inquit, est quod gratiam vnam à te petam, confisa, cùm tantæ ad eam impetrandam rationes subsint, quod eam mihi non sis negaturus; eaque est, vt his duobus filijs meis, & cognatis tuis, vni ad dextram, alteri verò ad sinistram tuam in regno tuo consedere tribuas. Responsio ad illos directa fuit; nimirum, quod nescirent, quid postularent. vestrâ interest, inquit Christus, calicem meum bibere: Satisne virium, & animi ad hoc vos habere existimatis? Responderunt, se posse, Bibetis quidem, intulit Saluator, sed loca illa à suprema æterni Patris mei prouidentia, & dispositione danda sunt. Turbati, & indignati sunt reliqui, propter horum duorum petitionem, atque inter illos, super primatu in Magistri sui regno, contentio facta est. Ille verò maximi momenti doctrinam extemplo eis proposuit, eos commonefaciens, inter eos, non prout in mundo accidit, futurum fore, nec maiorem alijs dominaturum, sed eum qui alijs præferri voluerit, eorum pedibus sese subicere, eisque ministrare debere; eò quòd humilitas via sit, qua ad regnum gloriæ conscendatur. *Aue Maria.*

---

*Ecce adscendimus Ierosolymam.*

## CONSIDERATIO I.

*Quod necessarium sit quotidie nouos in virtute progressus facere, vt in via cœli promoueamur, & ad apicem gloriæ perueniamus.*

PRimæ huic considerationi principium dedit sapientissimus Salo- I.
mon, qui in Prouerbijs suis viuis coloribus nobis depingere volens viam Iusti, quam omnes, qui rapido cursu in cœlestem Ierusalem tendimus, sequi debemus, nisi nos ipsos præcipitare, & omninò fundum petere velimus, dicit hoc modo: *Iustorum semita quasi lux* Prou. 4.
*splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem; id est, Meridiem;* inquit in suis notationibus doctissimus Sà Lu- Sà hic.
sitanus. At consequenter, metaphora hæc desumpta est ab eo quod in Cœlo peragitur, in via Solis, & cursu, quem ab ortu suo in Oriente, vsque dum perueniat supra nostrum horizontem, zenith capitis nostri designans, prosequitur.

tur, Matutino tempore Sol in oriente exoritur, Cœlum exornans, terram illustrans, & totum aërem amœnis versicoloribus vestiens, qui oculis nostris tanta cum venustate obuersantur, vt non nisi pulchra tapetia, luce variegata, esse videantur: procedit autem cursum suum prosequens, & de gradu ad gradum, & de domo ad domum conscendens, donec in medio medietatis cœli sese constituat, diemque cum ea plenitudine, ac perfectione lucis, quam habere debet, derelinquat. Talis est via Iusti, qui instar pulcherrimi solis in mundo oritur, vt eum claritatis suæ radijs illustret, & tenebras dissipet, ac vincat, conformiter ad dictum Apostoli, qui Sanctos luminaria mundi vocat: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*, gressusque suos per hanc viam ita prosequitur, & continuat Iustus, vt ne ad punctum quidem eos retrofigat, in quo præcipuum iustitiæ eius consistit; quin potius continuò proficiat, ac vltra in melius semper progrediatur, donec ad apicem, & summitatem perfectionis perueniat: *Crescit vsque ad perfectum diem.*

*Ad Phil. lip. 2.*

2\. Pro horum verborum explicatione, memini insignis Allegoriæ Ruperti Abbatis, ponderantis quod sacra Scriptura dicit de Patriarcha Abraham, Genesis 12: *Perrexit Abram vadens, & vltra評 progrediens ad Meridiem.* Quid nostra refert quod Abraham vltra progressus sit ad Meridiē, vel ad Septemtrionem, vt quid hæc tam consultò sacer Historiographus nobis commemorat? Respondet doctus Tuitiensis: *Meridies significat perfectionem: bene ergo progredi dicitur ad Meridiem, qui ab hac aura fidei suæ vltra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio ad plenum, & perfectum peruenit perfectionis diem.* Quasi diceret: Meridies,

*Genes. 12*

*Rupert. hic.*

luce nimirum plenissimâ, & altissimō loco existente, symbolum est perfectionis; Abraham verò figura hominis fidelis. Itaque cùm de eo dicitur, quod Meridiem versus proficisceretur, significatur, Iustum, & verum Christianum in via virtutis non subsistere, donec ad diem gloriæ, vbi semper est Meridies, dies sine nocte, claritas sine obscuritate, lux nullis tenebris intermixta, pertingat. Hoc ipsum est quod disertè dicit Salomon: *Procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Numquam subsistit, aut quiescit Iustus, sed semper vlteriùs progreditur; hodie vnam, cras aliam virtutem acquirit; hodie vnum meritorium gradum attingit, altero vero die gressum vlterius figit, donec ad vltimum terminum, qui est dies cœli, & ingressus Ierusalem visionis pacis, pertingat.

3\. Egregia est consideratio sancti Seueriani, ponderantis sacram Scripturam nobis referre, quòd Deus vocauerit Moysem, eique præceperit, vt montem conscinderet; *Ascende ad me in montem.* Si sacer Textus legatur, palā fiet ex eo constare, quòd cùm Deus amico suo hæc diceret, iam ille montē conscendisset, atque in eodem existeret; nam paulo antè citata verba, sacra Historia dicit: *Ascenderuntq; Moyses, & Aaron*, &c. Quid igitur, rursus eum vocando, vel præcipiendo vt montem conscindat, Deus intendit? Facilis est huius difficultatis solutio, si ad verba quæ Dominus ei dixit, reflectatur: *Ascende*, inquit, *ad me in montem; non inquit, in montem tantum, quem iam ascenderat, sed ad me, inquit, vt sublimiorem adhuc ascensum proponat.* Eum quasi instruens vt amplius ascenderet, nec ei sufficeret iter quod iam confecisset; quod sua interesset altiùs ascendere, & quantumuis summo loco existeret,

*Exod. 24.*

steret,

ſteret, ibidem gradum non continere, donec eò vbi ipſemet Deus eſſet, perueniſſet. Atque hoc eſt quod quilibet Chriſtianus, qui ſalutem ſuam ambit, agere debet, ſcilicet continuò progredi, & de virtute in virtutem proficere, in omnibus prudenter, & circumſpectè agere, domare monſtra, & difficultates ſuperare, mundum pedibus ſubijcere, ac carnem ſubiugare, voluptates pedibus proterere, ac de dœmonio triumphare, donec perueniat, vt dixit Dauid, ad videndum Deum Deorum in Sion. *Pſal. 83.*

4. *Ierem.* Magnus Scripturarum Magiſter ſanctus Hieronymus ad rem quampiã reflexit, quam ſacri Interpretes non magni fecerunt, & meâ quidem ſententiâ, grauiſſima eſt eius animaduerſio. In tẽplo illo quod vidit Ezechiel, omnia *Ezech. 43.* quæ in eo erant, numero, pondere, & menſurâ conſtabant, prout patet ex cap. 43. Sed quando agitur de gradibus, quibus ad Propitiatorium adſcẽdebatur, nihil amplius dicit Scriptura quam: *Gradus autem eius verſi ad Orientem.* Quam ob cauſam, inquirit hic ſanctus Pater, gradus illi numerũ quoque non habent, nec dicit Propheta quot eſſent? Audite reſponſum, inſtituto noſtro apprimè accommodatum: *Propterea graduum numerus incertus relinquitur, vt quantocumque ſtudio ad altiora aſcendere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos, & cogitemus illud Pſalmiſtæ: Ibunt de virtute in virtutem.* Quaſi diceret: Non abſque myſterio hiſce gradibus Spiritus ſanctus numerum certum, & determinatum non aſſignauit, vt nos doceret, quod quantumuis aſcenderimus, nobis tamẽ videatur maximam etiamnum itineris partẽ ſupereſſe conficiendam: nam in via, virtutis nimirũ, quæ nos ad Deum ducit, numquam ſubſiſtendũ, ſed ſemper abſque mora progrediendum, donec ad Propitiatoriũ perueniatur; hoc eſt, vt citatus Propheta dixit: ad Deum in ciuitate Ieruſalem, ad quam conditi ſumus, conſpiciendum.

*Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* quærit Propheta Dauid Pſalmo 16. Notate reſponſum animaduerſione dignum, inquit ſanctus Baſilius Magnus: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Norunt omnes, eum dici operari iuſtitiam, qui opera ſua legi conformat; qui omniũ actionum ſuarum, non aliam, quam æquam legem Domini, capit regulam; qui continuo operatur ad Dei voluntatem ſe conformare procurans. Admodum autem ſapienter ponderat ſanctus Baſilius, Prophetam non in præterito, ſed in præſenti tempore reſpondiſſe: *Attende exactam dictionis vim, non dixit, qui ambulauit; ſed qui ambulat, neque qui fecit iuſtitiam, ſed qui facit: non enim vnus actus perficit ſtudioſum virtutis operatorem, ſed per omnem vitam prorogari, & extendi conuenit virtutis actiones:* adeò vt vitæ finis, ſit & terminus operationis bonæ, & tum demum promereri deſinat, quando conſcenſo monte Domini, quieſcere cœperit. 5. *Pſal. 16.* *Baſil. hic*

Audite inſignem cogitationem famoſi illius Apocalypſeos commentatoris incidenter tractantis locum illum capitis 27. Iſaiæ, vbi Deus loquens de Iuſtis qui in Lege gratiæ ſibi eſſent famulaturi, deque eorum profectu, & progreſſibus in virtute; dicit in hunc modum: *Florebit, & germinabit Iſraël.* Quis hic tam præpoſterus loquendi modus? E contrà dicere debuiſſet propheta; germinabit, & florebit; nam ſuppoſito quod vtatur metaphora deſumpta ab arboribus, quæ reuireſcunt, & florent, clarum eſt quod primò nouis 6. *Iſaia 27.*

uis surculis vestiantur, deinde verò flores producant. Vt quid igitur Isaias de arboribus spiritualibus, hominibus scilicet Iustis, ac bonis Christianis loquens, dicit, quòd primò florere, deinde vero reuirescere debeant? Insignis Lusitani responsioni, quæ excellens est, aurem præbete. *Quia videlicet iustus cum in flore est, adhuc se debet reputare in germine esse, vt conetur magis efflorescere, & in vberem fructum prorumpere.* Quasi diceret: Iustus virtutum floribus oneratur, eique videtur quod tum demum germinare incipiat, & quidem deliberatè, ac consultò hæc secum statuit, vt tanto maiori ardore virtutum exercitia resumat; & tali spiritu animoque diuinorum mandatorum viam prosequitur, quasi eousque ne gressum quidem fixisset, sed tum demum inciperet. Atque hoc ipsum agere debent omnes Fideles, qui sunt veri Israëlitæ, qui Deum in obscuro fidei lumine hîc intuentur, eumque in claritate gloriæ in monte sancto eius, hoc est, cœlesti, ac triumphanti Ierusalem, videre confidunt.

*Vieg. in Apoc. c. 9. com. 2. sect. 11.*

7. Reflexi aliquando ad verba illa, quæ Christus Dominus Discipulis suis dixit: *Ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis.* Non solùm dicere vult, se illos elegisse, vt eos tamquam Euangelij Magistros, ad fructum in animabus faciendum, per orbem vniuersum mitteret; sublimiores fuere Domini cogitationes; atque hisce verbis eos docere voluit, ipsorum, ac omnium fidelium officium fore, peregrinari, & progredi, quodque omni tempore meritoria vitæ æternæ opera exercere deberent. Audite ad hoc institutum, gloriosum sanctum Fulgentium. *Sicut autem qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet vbi ambulet; sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus vbi possimus proficere, donec Deo perducente, ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam peruenire.* Itaque quod Diuinus Magister Discipulos suos docet, est, vt peregrinos se esse meminerint, atque vt tales viatores se esse, qui semper incedere debent, hoc est, in Dei seruitio, noua semper acquirendo merita, progredi, donec eorum præmio perfruantur. Hoc sibi volunt hæc verba: *Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis.*

*Ioan. 15.*

*Fulgent. epist. 4. ad prob. de orat. cap. 3.*

In hoc eodem capite alia eis verba dixit Dominus, iudicio nostri Cardinalis Caietani magni admodum momenti: *In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Discipuli.* Prima verba in sensu grammatico facilia sunt intellectu; sed postrema, prout sonant, difficultate non carent. Nam ex Euangelio constat, eos à multo iam tempore in Discipulos electos fuisse, atque adeò non videtur formalis esse hæc cœlestis Magistri propositio, Æternũ Patrem gloriæ sibi ducturum, quod illi Discipuli sui efficiantur; quandoquidem eo loquendi modo significet, eos vsque dum Discipulos non fuisse. Quæ doctrina directè opponitur ei, quod in hac materia sacri Euangelistæ nos docent. Quomodo igitur hæc Saluatoris verba intelligenda sunt? Dicat id, acutè vt solet, Eminentissimus Cardinalis. *Bene nota, quod de existentibus iam Discipulis suis dicit: Et efficiamini mei Discipuli, quod est alterum hic significatum, vt intelligamus perseuerantiam manendi in Iesu, consistere in continuo effici eius Discipulum.* Clariùs explico: Significauit eis diuinus Præceptor, vt taliter operarentur, & tam indefessâ voluntate sibi 8.

*Ioan. 15.*

*Caiet. hic.*

sibi famularentur, vt perpetuò apparerer, eos numquam ab eius seruitio sese auertendo, nec in eo vmquam subsistendo, sed potiùs continuò progrediendo, atque maiora virtutum augmenta acquirendo, sese veros discipulos eius esse, atque; *In hoc,* inquit, *glorificatus est Pater meus, &c.* Quotquot itaque, Fideles sumus, tam sollicitâ perseuerantiâ, Deum amare, eique seruire conemur, vt numquam in eius seruitio, atque amore subsistamus. Incedamus non quiescentes, ascendamus non defatigati, vsque dum ad terram promissionis, quam inquirimus, perueniamus; eâ enim ratione, nos veros eius Discipulos demonstrabimus: *Et efficiamini mei Discipuli*; qui enim ex eorum sunt numero, omnes cum eo tendunt, & adscendunt Ierusalem; vt ascensu illo mysterio pleno nos doceret, quod quousque viatores fuerimus per accliue, & montosum virtutis iter nobis semper incedendum sit, donec ad cœlestem Ierusalem, & æternæ pacis visionem perfruendam, perueniamus: *Ecce ascendimus Ierosolymam.*

---

*Ecce ascendimus.*

## CONSIDERATIO II.

*Quod in ea qua Christus ascendit Ierusalem celeritate, & diligentia, in eo verò quo Cœlos conscendit otio, & tarditate, nos doceat, quam hilares & læti occasiones omnes pœnæ, quietis autem quam inuiti, & quasi coacti amplecti debeamus.*

I. HODIERNA die tam concitato gressu ascendit Christus Ierosolymam, vt Euangelistæ notarint, eum Discipulos suos præcessisse, tamque deliberato, ac constanti animo incesserit, vt exteris stuporis, suis verò videntibus eum incedentem, & quasi iucundè, & hilariter salientem, timoris causa fuerit: *Et præcedebat illos, & mirabantur, & stupebant, & sequentes timebant*; Marc. 10. atque etiam aduerbium *Ecce*, quo cum propositionem illis factam incepit, significat festinationem, quasi aditer eos animauerit; nam, vt Sacri Interpretes annotarunt, propria illos pigritia detinere videbatur. Subsistite hic, & ad caput vltimum Sancti Marci Euangelistæ mecum properate, & verba, quibus admirabilem Christi Domini ad cœlos ascensionem commemorat, expendite: *Dominus quidem Iesus assumptus est in Cœlum.* Marc. vlt. Verba, quæ, vt Doctores notant, vim, ac violentiam quam Christus sibi fecit, vt ascenderet, significant. Quod etiam probatur ex ijs quæ referunt Seuerus Sulpitius, & Haymo, Seuer. Sulpit. quod Christus ascendens vestigia sua Haymo apud saxo impressa reliquerit, vt testaretur, Carthag. se, nisi Aeterni Patris voluntas intercessisset numquã homines relicturũ, hom. 14. nec iterum ad Cœlos rediturum: *Vnde* de Ascens. *videtur eum quasi pedibus saxo illi vehementer hæsisse, significans, quod si aliter Pater non decreuisset, diutius adhuc hominum consortio, atque consuetudine vteretur.* Modò igitur duos hos euentus conferamus, atque ex ijs considerationem nostram eliciemus; nimirum, quod festinatione illa qua Saluator, vt mortem crucis pateretur, contendit Ierosolymam: *Ecce ascendimus*: & otio illo ac lentitudine qua Cœlos ascendit: *Ferebatur in cœlum*; vt ad dexteram æterni Patris sederet, fideles suos doceat, Act. 1. quanto gaudio, & animi exultatione occasiones pœnæ, ac tribulationis amplecti debeant, & quomodo inuiti, ac quasi coacti ad quietis, & delectationis occasiones procedere necesse sit.

Quam

2\. Quam iteratò præmonuit Deus hominem, vt Sabbathum quietis custodiret,& nulla in eo seruilia opera exerceret! *Hoc est quod locutus est Dominus: Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est facite,& quæ coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane*; dixit Moyses Dei nomine filijs Israël. Atque hoc ipsum eis commendat capite 20.23.31.& 35. Exodi, ac plurimis alijs locis sacræ Scripturæ. Si autē recurramus ad caput.3. libri Genesis, reperiemus, quòd cùm Dominus primum hominem ad pœnas & labores condemnauit, vnâ tantummodo
Genes.3. vice dixerit: *In sudore vultus vesceris pane,&c.* Vt quid homo tam facilè ad labores dimittitur,& tantâ difficultate ab ijs separatur? Multas rationes hîc congerunt Sacri Interpretes; sed illa
Rodulp. in cap.23. Leuit. quam Rodulphus adducit, instituto nostro imprimis seruit. Non est dubium quin contrarium esse debere videatur; nimirum vt, cùm laborare iubetur, sæpiùs hoc ei dicatur, vt ad labores procedat; quando verò ei dicitur, vt quiescat, dimidiatum verbum sufficiat vt hoc ei persuadeatur. Verùm contrarium agit Deus:& ratio est: *Quia homo voluptati deputat laborem, qui ex iudicis sententia laboris sustinet damnationem.* Quasi diceret: Pœna illa, ad quā homo supremi Iudicis sententia condemnatus est, labor ei non videtur, sed gratia; afflictionem eam non iudicat, sed delicias; punitionem non censet, sed beneficium; pœnam non reputat, sed gloriam. Atque hæc est ratio propter quam tantâ promptitudine pœnam illam admittens, non nisi summa cum difficultate ab ea separari possit. Sufficit vt semel ei dicatur, sese fatiget, vt labori sese subijciat; & ad quietem perduci non potest, nisi sæpiùs ei hoc dicatur,& tum quoque quasi coactus incedit. Hoc est quod omnibus Christianis incumbit; nimirum, vt exemplū Christi eis sit vitæ regula, & ad illud, tamquam ad perpendiculum, mores suos componat.

3\. Voluit Deus constituere Abrahamum Patrem fidei, caput credentium populi sui,& facem, quæ orbem vniuersum illuminaret. Primum autem ei mandauit, vt terram suam, quæ erat Chaldæa, desereret,& ad eam tenderet, quam ipsi esset ostēsurus; Deus verò ei pollicebatur, quod bonis omnibus eum repleret, & benedictionibus suis cumularet,& amplissima beneficia, ac singulares fauores in eum conferret. Et dicit sacer Textus, Abrahamum cum vxore sua Sara,& quibusdam fidelibus quos domi suæ habebat, exijsse, vt in terram Chanaan proficisceretur: *Et egressi sunt, vt irent in terram Chanaan.* Post multum temporis, & postquam Deus, fidem, & amorem eius sæpiùs explorasset, supremum tandem & vltimum experimentum adhibere voluit, vt Abrahamus eâ ratione, tamquam maximè timens Deum, eumque singulariter diligens, toti mundo innotesceret. Præcipit itaque ei, vt filium Isaac in holocaustum sibi offerat, rem antehac non visam, & penitus inauditam; *Tolle filium tuum vnigenitum Isaac,&c.* Vix Deus verba protulerat, cùm Abraham non expectans donec illucesceret, summa cum festinatione itineri se commisit, vt diuino mandato pareret,& vnigenitum suum filium immolaret. Ita sacer Historiograhus retulit: *Igitur Abraham de nocte consurgens &c.* Gen.22.

Genes.12.

Facinus profectò tam heroicum, vt Sancti illud extollere, & laudare non cessent. Insignis noster Oleaster reflectit ad celerem, & diligentem executionem

tionem quam sanctus hic vir intendebat, quandoquidem lucem diei non expectarit vt manum operi admoueret. *Parum esset ostendere diligentiam in delectabilibus, aut non tam grauibus: sed iustus senex, grauissimum mandatum sine vlla dubitatione perfecit: ita vt postquam noctu mandatum de immolando filio acceperat, summo manè implere disposuerat, quasi ad epulas inuitatus.*

Oleaster. hic.

4. Fateor hæc sapienter expensa esse; ego verò cogitationes eius vlterius prosequor, & considerans accelerationem illam, qua Patriarcha ad sacrificandum Isaac sese disposuit, quam denotat aduerbium, *Igitur*: quem consequentia ex antecedente deducitur; hoc est, quod eo ipso momento quo Deus hoc ipsi mandauit, mox obedire incepit; hanc ipsam accelerationem compono cum mora illa quam fecit, quando idem dominus ei mandauit, vt de terra sua egrederetur, prout iudicant verba Sacræ Scripturæ: *Egressi sunt, vt irent*; quasi inter egressum, & discessum mora aliqua intercesserit. Quid hoc sibi vult, Patriacha Sancte? Quando Deus tibi præcipit vt ex patria tua egrediaris, & regiones in quibus natus, & educatus es deseras, tardo, ac lento gradu egrederis; cum autem dicit, vt filium tuum Isaac sacrifices, summa celeritate obedis? Haud equidem capio. An forte difficilius tibi fuerit natale solum, cognatos, amicos, & notos deserere, quam dilectum filium tuum vita priuare? Haud equidem credo. Quid igitur ad hæc dicemus? Alij in diuersas abibunt vias. Puto ego, rationem cur adeò lente ac cunctanter patria sua exierit, fuisse, quia sciebat ad aliam se tendere, in qua, secundum diuina promissa, magna bona acquireret, & summa felicitate frueretur, atque adeò quodammodo quasi coactus incedebat; cum verò pergat filium occisurus, vadit vt subeat rem maximè quam fingi posset, seueram ac tragicam, qualis erat, vnici filij, quem plus, quam oculorum suorum pupillas, diligebat, carnificem agere; ideoque tantopere accelerat, & minima mora tempus longum ei videtur. Verus profectò Regum ei videtur. Verus profectò Redemptoris mundi imitator, qui ad glorias tam lentè, & cunctanter procedit, vt plumbeis pedibus incedere videatur, ad opprobria autem crucis, ire ei non sufficit, sed currere, ac volare videtur.

5. Vocat Deus sanctum iuuenem Samuelem, iam decumbentem, & dormientem; persuadebat ille sibi quod à sacerdote Heli vocaretur; confestim igitur è lecto surrexit, & currens perrexit intellecturus quid sibi mandaret: *Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me*, inquit sacer Textus. Respondet sacerdos, quod eum non vocasset, reuerteretur, & cubitum concederet; atque ita fecit: *Et abijt, & dormiuit*, & conformiter ad vocem Hebræam, *Halac*, quam hic adducit venerabilis meus Magister, insignis ille Librorum Regum commentator, quæ significat: *Ambulare*, *incedere*, Samuel quasi ambulans, & lentè omnino processit, vt quieti se daret. Audite modò huius Doctoris verba, quæ egregiè discursum nostrum probant: *Verus enim obediens, & si in omnibus obtemperet; tamen ad laborem celeriter volat, ad quietem pedetentim ambulat, ad sublimia tardus, ad humilia festinus.*

1. Reg. 3.

Lectio Hebr.

Mendoc. hic.

6. Huic loco admodum proprio est consideratio sancti Gregorij magni, combinantis duo Sacræ Scripturæ loca, vnum ex nouo, alterum ex veteri Testamento. S. Apostolus Paulus Ierosolymam laboraturus mittitur, ac tanto ardore animi missionem hanc aggressus

Actor. 21. gressus est, vt volare videretur: *Ego non solum alligari, sed etiam mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Destinare voluit Deus Moysen in Aegyptum, vt ibidem magnifico, & honesto illo Legati sui munere fungeretur: renuit hic Sanctus, & adduci non potuit, vt honorem illum susciperet, ac itineri sese committeret, quod tandem non propria voluntate ductus, Exod. 3. sed quasi coactus fecit: *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem?* &c. S. Gregorius vtrosque audit, atque in hæc verba Gregor. l. 35. mor. c. 10. prorumpit: *Præeunte ergo vtrorumque Ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione, aduersis autem ex deuotione militemus.* Quasi diceret, quod ex constanti heroicorum horum Ducum virtute multa nobis addiscenda sint; quodque ad nostri instructionē magni momenti doctrinam illi ambo nobis proponant; nimirum quod si verè ac serio, seruire ac obedire Deo desideremus, ac palmā, veris obedientibus promissam, acquirere, ad mundi prosperitates inuiti, ac aliter non valentes, & obedientia obstricti, verum ad aduersa liberi, & spontanei, ac ex singulari quodam affectu, & deuotionis sensu procedere debeamus, in priori Apostolum Paulum imitantes, & eodem quo ipse affectu, ac animi exultatione patiendi occasiones indagantes, atque ad eas anhelantes; in posteriori verò sanctum Moysen, omnes honoris, ac gloriæ occasiones fugientes, & tardi, & præpediti ad illas incedentes.

7. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,* Isaia 58. *& sanitas tua citius orietur;* inquit Euangelicus Isaias. Multas expositiones patiuntur hæc Prophetæ verba. Sequamur modò eos qui ea de diuini Verbi, salutis nostræ caussa incarnandi, nascituri, & morituri, in mūndum aduentu, explicant. S. Pater Ioannes Chrysostomus reflexit ad verbum *Erumpet,* Chrysost. hom. 55 in Matth. & dicit sequentia: *Cur non apparebit, dixit, sed erumpet? Vt velocitatem,* inquit, *& copiam dantis exprimeret; vtique hoc verbo intelligamus, valde illum nostræ salutis cupidum esse, quod muneribus plenus ex largiendi festinatione, quasi prorumpit: cum nihil sit quod ineffabilem eius impetum prohibere possit.* Atque ideò rapido, ac impetuoso quoque fluuio ipsum comparat: *Erit quasi fluuius violentus.* Isaia 59. qui scilicet obiectis aggeribus retentus, & in angustias redactus, tandem exundans omnia disrumpit, & maiori impetu profluit; atque ita legit Theodoretus: *Quasi fluuius impugnans.* Theodoret. hic. Itaque de Messia dicere voluit Propheta, quod veniens in mundum instar fontis occlusi, instar torrentis retenti, instar impetus repressi ac refrænati, impedimentis omnibus diffractis, & sublatis, velox, festinus, rapidus incedit, currit, volat, hæc enim omnia significat verbum, *Erumpet.* Et hæc quidem in aduentu è cœlo in terram contingunt, modò verò quid idem Propheta, de eodem de terra in cœlum adscendente, dicat, audiamus: *Et ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti.* Isai. 53. Secundum communem sacrorum Interpretum doctrinam, per metaphoram virgulti, ex terra admodum sterili, & arenti pronascentis, paupertatem, & indigentiam Christi Domini nostri Propheta depingit; ego verò, eorum pace, de Ascensione Filij Dei explicare debeo, sumpto fundamento ex propria significatione verbi *Ascendet*; ac consequenter considero moram illam, qua virgultum aliquod, ad quod hic alludit Propheta, excrescit atque attollitur, tam lentè enim; ac tardè sese à terra erigit, vt

quasi vi ab ea diuelli, & separari videatur. Hocce Mysterium continent hæc verba: *Ascendet sicut virgultum, de terra sitienti.* Adeò vt cum Dominus de cœlo in terram descendit, tanta cum festinatione veniat, quasi fulmē nubem disrumpit, *Erumpet*; cum autem de terra ad cœlum conscendit, instar virgulti in terra sicca, & arida plantati paulatim, & sensim exurgentis, ascendit; Atque ita dicit Euangelista: *Ferebatur in Cœlum*, & *Videntibus illis eleuatus est.* Et ratio huius, meo quidem iudicio, fuit, quia aduentus eius in terram fuit ad patiendum, & moriendum, admirabilis autem in Cœlum Ascensus ad gloriosè viuendum, & regnandum.

Chrysost. hom. 55 in Matth.

Isaia 53.

8. Modo intelligetur ratio propter quā Christo mundus, patria, & cœlum, exilium fuerit. Et ita quidem semper intellexi verba illa sancti Ioannis: *In propria venit*; quasi dixerit quo diuinum verbum in mundum venerit, veluti is qui in patriam suam venit, vt cum suis eam inhabitet, ad significandam festinationem, & animi exultationem cum qua descendebat. Et religiose obseruauit sanctus Bernardus, considerans verba quibus Angelus Gabriel supremam cœli Reginam allocutus est: Dominus Tecum, quod Dominus magis quā famulus accelerauerit, & instar gigantis incesserit, atque adeò primus aduenerit: *Transiliyt te, qui misit te, dominus præcessit nuntium suum.* Iam verò hic idem Dominus, qui ita accelerauit iter, & quemadmodum is qui domum suam repetit, quando agit de suo in Cœlos ascensu, dicit, se in exilium properare; ita enim sanctus Ioānes Chrysostomus explicat parabolam illam quam saluator de Domino illo proposuit, qui in remotas regiones profectus est & omnia bona sua seruis suis tradidit, &c. *Sicut homo peregrè proficiens. vocauit seruos suos. Commendat Christus dilectionem suam ascensurus enim ad regna cœlestia vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter charitatem eorum, quos relinquebat in terra.* Existimat, quod cum homines deserit, & ad cœlos ascēdit, procul admodum, ac cum dolore sese absentet, atque in exilium ablegetur. Cum tamen à terra illa, atque hominibus discederet, qui adeò ingrati extiterunt, vt non destiterint, donec eum in crucem egissent; & ad cœlum tenderet, in quo tanti fiebat; ad Patrem qui tantopere eum diligebat, ad Angelos qui in eius adoratione, ac seruitio eximios se essent reddituri; denique ad delicias, & felicitates æternas perfruendas. Magnitudo amoris quo erga nos fertur magis extolli non potest, quam si dicatur, quod quia sciret pœnas & dolores eum manere, ideò tam celeriter aduenerit; & quia dum reuertitur, non nisi delicias, & glorias se reperturum nouit, quasi coactus ascendat: & quemadmodū de eo Euangelista eius dixit, quod in Patriam suam venerit, ille ipse de se dicat, quod in exilium proficiscatur.

Theodoret. hic.

Ioan. 1.

Bern. serm. 54. in Cant.

Matth. 25.

Chrysost. in imperf.

9. Sed dolendum paucos esse Christianos qui Dei sui vestigijs insistant, eiusque exemplum imitentur. Contrarium in hoc mundo propter peccata nostra accidit; nam ægrè admodum, & quasi coacti ad labores, & pœnas, omnes accedunt; ad gaudia verò, & oblectamenta, non tantum currimus, sed etiam volamus. Audite particularem quamdam considerationem, si tamen quia mea non displicerit, & minus mereatur. Christus Dominus noster per sanctum Ioannem dicit: *Ego autem si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Constans est doctrina Sanctorum Patrum, quod verbum *Traham*, significet, vi quadam, & violentè attra-

Ioan. 12.

attrahere. Notate hæc, & recordamini verborum Michææ Prophetæ, quibus de Ascensione Domini loquens, dicit, quod Cœlos sit ascensurus, fidelibus viam pandens, qui eum postea sunt comitaturi, Deoque suo in corpore, & animo gloriosi perfruituri: *Ascendet pandens iter ante eos.* Aduerto, Prophetam non dicere, quod Dominus vim eis inferet, vt se sequantur, sed potius præcedat, vt qui retrò sunt, pro sua voluntate, & non coacti incedant. Quomodo verò, vt in cruce eum inueniant, vim eis infert, vt autem ad cælum ascẽdentem sequantur minime eos cogit, sed in manu proprij sui consilij eos derelinquit? Dicant alij quod sentiunt, ego vero, nisi grauiter halluciner, existimo, quod quoniam Christus in cruce doloribus, & pœnis circumcinctus est, necessarium sit amabilem vim hominibus inferre, vt eum quærant: cum autem in Cælo existit, in gloria, & omnis generis oblectamentis constitutus est, necesse non est quempiam cogere, vt ad felicem illum statum eum prosequantur, omnes enim summa diligentia, & festinatione eum quærent. Hæc quidem nonnihil per exaggerationem dicta sunt; sed ideò factum vt magis exaggerem summam illam diligentiam ac sedulitatem, quia huius vitæ gloriam homines quærunt, & difficultatem qua pœnas, & afflictiones amplectuntur. Et quoniam Christus Dominus noster veritatẽ hanc adeò perspectam habebat, exemplo suo aberrantia, & deuia eorum desideria dirigere voluit, eos docens, quo gaudio, & animi exultatione pœnarum, & tribulationum occasiones amplecti debeant, ad illas verò quæ voluptatis, & quietis aliquid habent, quasi coacti accedere.

Mich. 2.

---

*Et filius hominis tradetur.*

CONSIDERATIO III.

*Quod Prælati non minùs teneantur subditorum suorum defectus pœnis corrigere, quam secreto obtegere.*

APPRIME sciebat Christus Dominus, quod Iudas, qui ibidem præsens aderat, eum esset traditurus; sed eo non obstante, non declarauit, quis esset futurus traditor; solummodo dixit, quod scribis, & pharisæis tradendus foret. Idem fecit in nocte cænæ, quando omnibus dixit: *Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est*; non determinando quis futurus esset, qui eum venderet. Non tantum, prout dixit Chrysostomus, ne si Iudam nominasset, eum Discipuli in partes discerpsissent: *Fortasse enim eum discerpsissent Apostoli*; sed etiam, prout alibi idem ille sanctus docet, ne peccatum Iudæ, quod vsque dum occultum fuerat, reuelaret; &, *Ne vulgaret proditorem ac manifesta redargutione redderet etiam impudentiorem.* Qua quidẽ ratione Christus Dominus nos docuit, de alterius honore, probè ac laudabiliter semper loqui, præsertim verò superiores, ac eos qui aliquomodo alijs præsunt: nam posito quod Iudas eum esset traditurus, & ibidem præsens esset, personam non nominat, ne eam infamet. Discant à Cœlesti Magistro, & perfecto prælatorum, ac superiorũ exemplari, quotquot alijs prę sumit, subditos suos non inhonestare, nec eorum turpitudines, ac infirmitates detegere, sed quantum fieri poterit eas obtegere, & dissimulare. 1.

Matth. 26.

Chrysost. hom. 7 in Ioan.

Chrysost. hom. 81. in Matth.

Refert sacer historiographus Moyses, 2.

Geneſ.1. ſes, in principio mundi, cum Deus terram creauit, tenebras eam vndique occupaſſe: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Non potuiſſet ſimul cum mundi exordio, ipſa quoque lux apparere? An non potuiſſet Creator in lucis ſplẽdore fabricam ſuam inchoare? Quis dubitet? Quare igitur voluit, vt prior eſſet nox, quam dies? Non videtis, inquit Oleaſter, quod Scriptura dicat: *Terra autem erat inanis, & vacua?* Vel prout Septuaginta Interpretes dicunt, *Incompoſita?* id eſt, rudis, informis, impolita, inuiſibilis.
70. Interp. apud Oleaſt. 161. Hæc ipſa porrò eſt ratio, quare Deus obſcurarum tenebrarum velo fabricam ſuam cooperiri voluerit. Audite modò moralem Oleaſtri conſiderationem: *Sunt peccatores ſuis inuoluti peccatis, vani, inepti ad finem ad quem creati, ſunt, vt nihil in eis appareat, quod gloriæ aptum eſſe videatur: ſunt etiam vacui omnium virtutum, & honorum, quorum ſunt capaces: ſunt, inquam, terra informis, & quæ nullis vſibus apta eſſe videatur: terra, inquam, qualis à principio fuit, vana, vacua, aquiſque peccatorum operta.* Quaſi dicat: Terra in turpi illo, & obſcuro ſtatu, in quo à principio fuit, conſtituta, figura fuit peccatorum, qui vitijs ſuis implicati, vani, & virtutum omnium ac bonorum vacui exiſtunt, & in quibus nihil apparet dignum gloria, qui eſt finis ad quem conditi fuerunt. Talibus itaque benignus Deus obſcuritatis pallium inijcit, quo eorum defectus, ac imperfectiones tegat, ne quiſpiam eas videre poſſit. Et quemadmodum tum demum, cum terra in deliciarum, ac voluptatis paradiſum iam conuerſa eſſet, lucem efformauit; ita etiam tum velamen à ſecreto aufert, & opera noſtra videri, ac cognita eſſe permittit, quando animæ noſtræ, antea ineptæ, & incompoſitæ, in hortum florum, & diuinas virtutum plantas commutatæ ſunt: *Et dixit Deus: fiat lux, &c.* Vtiliſſimum ſanè documentum ijs, qui Dei loco in terra conſtituti ſunt.

Vnus ex primis, ac præcipuis Dei vicarijs fuit ſanctus Moyſes, de quo ſacra Scriptura dicit, quod cum eſſet in monte tabulas Legis, digito Dei ſcriptas recepturus, Ioſue vero ad radicem montis eum exſpectaret, videns populus quod moraretur, petierit ab Aarone Deos qui eum præcederent; ipſe autem vitulum exercerit, quæ adorauerunt, cuique idololatriæ cultum exhibuerũt. Deus autem Moyſi hæc ſignificauit: *Vade, deſcende, peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti.* Deſcendens autem hic ſanctus vir, & cum Ioſue incedens, noluit ei iudicare ea quæ Deus ſibi reuelaſſet; & videns Ioſue dubitantẽ, quis tumultus ille eſſe poſſet, quem in caſtris audiebant: *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris*; noluit tamen Moyſes hac dubitatione, aut errore eum liberare. Sed, Deus bone! in quo fundatur tantum hoc ſecretum? Tam magnum ſilentium, quid myſterij includit? Quid cauſæ eſſe poteſt, quod Moyſes à tanto amico, qualis eſt Ioſue, ſibi caueat? Eam reddit doctus quidam author Luſitanus, dicens: *De alienis culpis, nec cum familiaribus eſt agendum.* Ea propter, licet Moyſes Ioſuè familiariter vteretur, eo tamen non obſtante, peccatum populi ei declarare noluit. Vt omnes, non ſolum perſonæ publicæ ſed etiam particulares, diſcant, cum nullo mortalium de proximorũ peccatis agere, ſed potius quantum fieri poterit, ea tegere, ac ſilere, quamdiu diuulgata nõ fuerint. Sed inquies; publicabitur, & mox ab omnibus ſcietur: nihil refert, vt minus, per te non ſciatur: Moyſes quippe ſatis percipiebat, quod Ioſue pecca-

3. Exod. 32.

Magal. in Ioſue.

peccatum populi breui compertum esset habiturus; nihilominus tamen noluit, vt ex ore suo illud intelligeret.

4. Gloriabantur summoperè Hebræi, ob speciales fauores quibus verus Deus Israëlis eos prosequebatur, & illos quidem colligebant ex eo, quod ipse Deus adeò propinquus eis fieret, eisque tam familiariter vteretur: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster.* Habemus enim Deum qui nos instruit, qui nos ducit, qui nobis consulit, nos sustentat, regit, atque etiam alloquitur. Nullus omnino populus Deum sibi tàm propinquum, & ad manum habet sicuti nos. Magnus Oleaster hunc locum explicans, curiosam mouet quæstionem: *Numquid Iudæi propinquiorem sibi Deum quam Christiani habebant? illi enim ad manum habebant, nos taciturnum, & quasi mutum.* Sed certum est, Deum melius nobiscum agere tacendo, quàm cum illis loquendo. Audite rationem, quæ excellens est: *Si nobis loqueretur videns nos tam imperfectos, quid putas nobis dicere posset, nisi peccata nostra? piè ergò valdè nobiscum moratur, neque tamen loquitur, vt nostris miserijs succurrat, neque tamen statim arguat, sed dissimulet.* Alludit magnus hic Doctor, & celebris scripturæ Interpres, ad locum illum Sophoniæ, vbi Propheta de tempore Legis gratiæ loquens, dicit: *Non dissoluantur manus vestræ.* Quasi dicat, Nolite cadere animo, quia pacem vobiscum inibit Deus. Sed illa, obsecro, pax quomodo videbitur, aut cognoscetur? *Silebit*, inquit, *in dilectione tua, vt non confundaris.* Ita vt inquit hoc loco sanctus Hieronymus, Domini huius amor inerratorum nostrorum silentio cognoscatur: *Et silebit peccata tua in charitate, qua te dilexit*; & meritò quidem, nam amor qui delicta publicat, multum distat ab eo, quem Deus in terra plantauit, qui tamen huic per omnia assumilari debet.

*Deut. 4.* *Oleast. hic.* *Sophon. 3.* *Hier. hic.*

Si Dauidē, inquit Spiritus Sanctus, cognoscere velitis, scitote quod *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Si ad hæc verba eorumque significationem, reflectamus, videntur hæc plane incerta, atque vnum alteri contradicere. Tenerum vermiculum vocat illum, qui in ligno generatur, eò quòd vermium omnium sit mollissimus, & maximè debilis, & minimè omnium resistat; & præterquam quod vermiculum vocet, addit epithetum, tenerrimus; eò quòd nihil sit quod nocenti sibi minus resistat; cum nullis alijs instrumentis, quam extremitate digiti opus sit, ad eum occidendum. Quomodo ergo vermiculo huic tam vili, ac maxime debili comparat Dauidem, cum simul declaret maiores fuisse vires eius, quam omnium Ducum quos mundus habet, quandoquidem octingentos inimicos vno impetu interfecerit. Quomodo de eo, qui tales, ac tantas vires habet dici potest, quod sit instar animalculi tam vilis, & sine vllis viribus ad resistendum? Et quidem, si Spiritus Sanctus diuersis locis, ac circumstantijs temporum hæc dixisset; nimirum quod tempore belli in castris existens, tam animosus, & validus fuerit, vt in acerrimo quodam conflictu octingentos cæciderit; tempore verò pacis, instar vermiculi, ab omni duritiæ ac sæuitia alienus fuerit, concedi hæc facilè possent. Sed hæc duo in vna sententia coniungere, erroneum videtur; verumtamen in diuinis litteris, error non est, nec haberi potest.

5. *2. Reg. 23.*

6. Lyranus in morali huius loci expositione, dicit, quod Spiritus Sanctus hac metaphorâ viuis coloribus bonum superio-

*Lyran. hic.*

periorem, ac Prælatum expresserit hac doctrina supposita, videamus ex ore antiqui Patris Galfridi, in quo is qui regit, teredini, siue ligni vermiculo assimiletur. *Sicut autem ligneum robur sine ferro, & osse tenerrimus penetrat vermiculus, & atterit; sic etiam doctrina sacra, secreta quadam virtute illabitur sensibus auditorum, & rigida corda conterit, & confringit: quin etiam sine violentia, & acerbitate, tamquam vnctio docens de omnibus, in mansuetudine, & suauitate noxia omnia demolitur. Denique inermis iste vermiculus non inefficax fuit. Sequitur enim, quod vno impetu interfecerit octingentos; impetu, inquam, & vehementia eius, quæ numquam excedit, charitatis.* Patent hæc in Dauide, in quo verus Prælatus adumbratur, qui vt subditi defectus corrigat, & aberrantem peccatorem in viam reducat, non vociferatur, nec vitia eius diuulgat, sed summa lenitate, secretò, nemine conscio, reprehendit; atque adeò tanto efficacior est eius reprehensio, & doctrina vehementior. Hac enim ratione ita culpam corrigit, vt etiam delinquentis honori, & famæ consulat. Et quoniam Dauid in suo regimine ita se gessit, ligni vermiculo meritò comparatur, qui tacendo, & secretò absque eo quod sentiatur, aut videatur, densissimum ac durissimum lignum arrodit, & demolitur, donec cum eo in terrã deijciatur. Hoc mysterij includit cum dicitur, quod tenerrimus vermiculus impetu vno octingentos interfecit.

Galfrid. in alleg. Tilman.

7. Vt autem moralis huius loci Do- 2. Reg. 18.
ctrina melius fundata procedat, singularem Sancti Ambrosij cogitationem audite. Rebellem suum filium Absalomem tenerrimè diligebat Dauid, cum ille in hunc insurrexit, vt vitam ei adimeret, ac regno spoliaret, nõ sine summo perditionis suæ discrimine. Petebat, atque etiam mandabat ducibus exercitus sui, qui obuiam ei procedebant, vt eum seruarent, & non occiderent. *Seruate mihi puerum Absalom.* Cum autem eum mortuum intellexit, tam amare fleuit, vt nihil eum consolari potuerit, & gemens, ac flens dicebat: *Absalom fili mi, fili mi Absalom. Quis mihi det, vt ego moriar pro te!* Subtiliter aduertit S. Ambrosius, quod quamdiu Absalom vixit, vocauerit eum Dauid, puerum, post mortem verò filium. Et rationem diuersitatis horum verborum assignans, dicit sequentia: *Cum viueret, puer erat, quia parricidio petabat patrem; non ergò pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis: vbi verò est mortuus, apud pium patrem crimen defecit, naturæ nomen remansit.* Cum enim nomen filij amorem, & reuerentiam erga Patrem significet, ingratus autem, & inobediens Absalom vltra nomen filij nihil haberet, appellando puerum, ratione ætatis rebellionem eius excusare voluit. Quasi quis dicat: Puer est, ætas eum excusat, nescit quid agat; atque adeò peccatum eius obtegere voluit, licet omnibus esset manifestum. Sed eo vitâ defuncto, cum iam nihil haberet, quod amittere posset, filium nominat: *Absalom fili mi, fili mi Absalom!* Egregium sanè Prælatis omnibus, Parentibus, ac Dominis documentum, vt discant subditorum, filiorum, ac seruorum suorum honori consulere, & omni studio eorum peccata, & vitia occultare conentur.

Ambr. Octon. 17. sup. Psal. 118.

Quando Christus Dominus noster 8.
in vltima cœna discipulis suis verba illa dixit, quæ in principio huius considerationis expendimus: *vnus vestrum me traditurus est.* Omnes, perfido Iuda, qui ibidem præsens aderat, excepto, tam turbati fuerunt, vt nec animus, nec lingua ipsis fuerit ad longos discursus forman-

Ioan. 13.

mandus, sed vnusquisque tantum pro seipso interrogauit, & petijt an ipse fortè infœlix ille futurus esset: *Nunquid ego sum Rabbi?* Nam quamuis conscientia teste securi forent, prudenter tamen de humana instabilitate dubitarunt, eamque suspectam habuerunt, sanctus Petrus autem, tantus Christi amator, se continere non potuit, quin eum interrogaret, quis scelestus ille apostata futurus esset; quamquam tamen per se hoc non fecerit, sed per dilectum discipulum, prout ipsemet refert, *Innuit huic Simon Petrus*, & occultè ei suggessit, vt ex Christo Domino intelligeret veritatem eorum quæ agebantur. In medium hic prodit Angelicus Doctor. S. Thomas, rem hanc examinans, & admirans aduertit, sanctum Petrum, vice omnium alias solitum fuisse loqui, prout constat ex capite 16. & 19. S. Matthæi, vbi condiscipulorum suorum nomine respõdit, & dixit: *Ecce nos reliquimus omnia: Quid ergo erit nobis.* Et omnium nomine heroicam illam confessionem fecit: *Respondens Petrus, &c. Modò verò ad interrogandum mediatores quærit? Sed cum Petrus in Euangelijs est semper audax, & primus ad respondendum, propter amoris feruorem inueniatur; Quid est quod hic tacet? Quid est quod alteri interrogationem committit?* Quid mysterij hocce Petri silentium includit? Quænam hæc tam peregrina nouitas? Cur per seipsum à diuino Magistro veritatem non inquirit? Audite, nisi forte antehac sciatis, huius sancti responsum, est enim huic rei mirum in modum accommodatum: *Quia Petrus nolebat, quod Dominus hoc publicè, & quod alij possent audire, manifestaret. Vnde quia ipse remotus erat à Christo, nec ipse tantum audiuisset, Ioannem, qui erat proximus Christo, ad interrogandum excitat.* Significare desiderat Angelicus Magister. S. Petrus certa quadam ratione, ex tunc erat Prælatus, idque secundum communem iuris regulam: *Proximè accingendus, habetur pro accincto*; nec volebat vt quisquam, vel audiret, vel sciret, alicuius condiscipulorum, aut subditorum suorum vitium, & proditionem; cumque mensæ assidens nonnihil à Domino distaret; signis Ioanni indicat, vt cum ipse proximè Domino assisteret, eum hoc rogaret, & ne alijs innotesceret, ipse non facit, quod tamen, nisi hoc inconueniens subfuisset, prout semper solitus erat, ipsemet interrogasset. Egregium profectò superioribus omnibus exempla, licet pauci illud imitentur.

Matth. 16.
Matth. 19.
Thom. in Ioan.

Sacer chronographus Lucas in actis Apostolorum, admirabilem sancti Pauli, conuersionem referens, dicit, comites illius vocem quidem ei loquentis audiuisse, licet eum non viderint: *Audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Verbis his memoria retentis, ad caput 22. eiusdem libri mecum properate, vbi Apostolus, conuersionem suam eiusque circumstantias refert, ac dicit: *Lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum.* Et quidem, vt eo, vbi substitimus, reuertamur, si duo hæc loca sibi opponantur, primo intuitu manifesta in eis sese offert contradictio cum quod vnus affirmat, alter negare videatur. Verùm ingeniosus noster Cardinalis Caietanus, loca hæc, quæ sibi contraria videntur, componit; ac dicit, quod ea quæ Apostolus refert, nequaquam contradicant ijs quæ sanctus Lucas affirmat; nam Lucas de Pauli voce loquitur, atque de ea dicit, quod comites eam non audiuerint; Apostolus autẽ de voce Christi, & hanc à circumstantibus auditam non fuisse, 9. Act. 9.

se, animaduertit: *Non cótrariatur Lucæ, quia Lucas loquitur de voce Pauli, & Paulus de voce Christi*; quasi diceret, quod vocẽ quidẽ Pauli audiuerunt, eò quòd nihil inde damni ei obueniret; Christi verò, qua tyranum, & fidelium persecutorem eum vocauit, non audierint; quia Christus Dominus ore suo Pauli vitia publicari nollet.

10. Discamus à cœlesti Magistro proximorum nostrorum culpas; & peccata tegere, vt de nostrorum venia, & remissione tanto securiores reddamur: Isaia. 58. *Ecce adsum*, inquit Deus per Isaiam, *si desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest*. Sanctus Hieronymus doctè, ac curiosè explicat, quid sit extendere digitum, hisce verbis: *Ne detragas proximo tuo, & singulos quasi digito notes*; dicendo nimirum: hic istam ignaniam, & turpitudinẽ, iste iniquitatem illam, ille verò hoc peccatum &c. commisit. Ab hisce enim si abstinueritis (estque idipsum quod in Euangelio Christus nos docet) Deum vobis fauentem, & auxiliantem habebitis; *Ecce ad sum.*

---

*Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

## CONSIDERATIO IV.

*Vt peccator in grauia ac enormia peccata sese præcipitet, à leuioribus delictis incipere solet.*

I. Chrysost. orat. ad. uers. Gentil. ET hæc consideratio S. Ioannis Chrysostomi, oratione aduersus Gentiles, in qua sequentia verba dicit: *Quemadmodum in materiam aridam cadens scintilla statim accenditur, nec subsistit, donec quod reliquum est, depascat, fortius se armante incendio: sic & natura peccati, procedens vlterius, peior semper fit, magisque indomita.* Quis diceret, de tam parua scintilla, ora ignem spirantia nascitura? Hæc verò eius est natura, vt modicum quid sufficiat, ad grauia damna inferenda; idemque peccato proprium est, vt admodum leue sufficiat, plurimis alijs aduocandis, vtque peccator in valde enormia crimina sese præcipitet. Quæ autem melior huiusce doctrinæ, & veritatis probatio desiderari potest, quam ea quam in præsenti Euangelio præ manibus habemus? in quo Christus Dominus noster dicit se ad irrisiones, spinas, flagella, crudelem denique, ac ignominiosam crucis mortem in manus gentilium tradendum fore. Adeò vt, inquit Dominus, ab irrisionibus inceperint, & non destiterint, donec cruci me affixerunt. Minus est irrideri, quam flagellari; minus quid sunt flagella, quam spinæ & hæ quid minus, quam crux; demum ministri satanæ, peccata sua continuo augendo, & aggrauando in peius semper processerunt. Non solent vno in malo peccatores sese continere, quin potius vlterius semper procedunt, prout dixit Ieremias: *De malo ad malum egressi sunt*; peccatum enim quod cõmittitur ad aliud sequens disponit: adeò vt à minus grauibus culpis incipientes, eas continuo adaugeant, donec in grauissima peccata sese præcipitent. Ierem. 9.

Laruatus accessit dæmon cum Eua locuturus, eique dixit: *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Respondit illa: *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur; de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, neque tangeremus illud.* Sanctus Ambrosius Euam mentitam fuisse ait, dicendo quod Deus præcepisset, ne arbo- 2. Genes. 3.

arborem scientiæ boni & mali, quæ erat in medio paradisi, attingerent; hoc enim sacer Textus non refert, sed tantum quod mandauerit Deus, ne comederent: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Et dicit hic Sanctus, quod glossa hæc quam Eua confinxit, & hæc verba quæ ex cerebro suo ipsa adiecit, certa fuerint prænuntia reliquorum peccatorum, quæ ipsa comedendo, & maritum ad fructus vetiti comestionem indicendo esset perpetratura: *Tangetis enim Deus non dixerat, sed comedetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium.* Non sufficiet Dœmoni si vnum mendacium Eua protulerit, hoc enim non adeò graue peccatum est; vlterius progredi illa debet, & verbis satanæ credendo peccare, atque etiam mariti sui peccato occasionem præbere: vnum peccatum, aliud secum trahet, & continuo de malo in peius ambo ruent; hæc est enim peccatoris natura, à minoribus incipere, vt ad maiora deueniat.

Ambr. l. de Paradis. c. 12.

3. Insignis noster Oleaster causam expendit, quæ grauem illam pœnam confusionis scilicet, linguarum, induxit, qua Deus in eos, qui fabricam illam turris, quæ ad cœlum pertingeret, animaduertit: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Faciamus, inquit Dominus, vt vlterius progredi non possint. Vnde clarè infertur, inquit famosus hic Interpres, malis proprium esse, vt si boni quid incipiant, illud non prosequantur; si verò mali quid adoriantur, non cessent donec ad summum iniquitatis peruenerint: *Bona inchoare solent, sed non perficere: mala verò ad finem perducere.* Rarum est Christianum peccare, & vnum tantum peccatum committere; nam, vt diximus, essentialis eius proprietas est, alia aduehere, suntque postrema semper grauiora; licet enim à minoribus incipiat, quæ instar pigmæorum appareant, generantur tamen sæpenumerò alia instar gigantum.

Genes. 11.

Oleast. hic.

4. Cum Israëlitæ in vasta illa eremo, & solitudine existerent, proficiscentes ad terram Promissionis, & existimarent non sat animi, & virium se habere ad exeundum, & progrediendum versus terrã promissionis deficiente eis Moyse, qui dux illorum erat; eò quòd cum Deo acturus montem conscendisset; recurrerunt ad Aaronem, & instanter petierunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Et confecto vitulo, summam solemnitatem instituerunt, ac inuicem congratulati sunt, alta voce exclamãtes: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Quid hoc, inquit S. Ioannes Chrysostomus, non vides plus quam vnum, qui est vitulus, quomodo igitur dicis quod sint multi? *Respiciens vitulum vnum factum, quare igitur hi Dij?* Sapientissima profectò est Sancti huius responsio: *Vt ostendat, quod non modo eum quem videt, adorat, sed & Deorum pluralitatem annuntiat, sententiam interpretatur, non quod videtur indicat;* quasi diceret: Cum anima semel deuiauerit, & à Deo suo, qui verus est, Dominus aberrauerit, & idolum aliquod erexerit quod adorat; certo certius, continuo sese præcipitabit, aliaque plura adorabit, & quotquot sibi imaginata fuerit. Hoc mysterij habuit, cum Aaron dixit, quod illi essent ipsorum Dij, quasi præsagiens, quod post illum alios adorarent, quodque peccatum illud plures tandem comites haberet. Nam vnum committere, certum erat indicium aliorum quæ essent commissuri, multiplicando idola, & iniquitate ipsorum semper in peius accrescente.

Exod. 32.

Chrysost. Hom. de pœnit.

Refert

5. Refert Sacra Scriptura, quod Esau, filius Patriarchæ Isaac, quadam die fessus ex agro reuersus, coactus virtute ciborum animi sui debilitatem reparare; videns quod frater suus Iacob scutellam pulmenti, vt sibi videbatur bene corti, haberet in manibus, eum rogauerit, vt illius sese participem redderet, eò quòd magnopere eo indigeret, & se grauiter premi sentiret: *Da mihi*, inquit, *de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum.* Libentissime quidem, respondit Iacob, hoc præstitero, *Si vendideris mihi primogenita tua.* Simulatque verba hæc audiuit, primogenita sua diuendidit; comedit pulmentum, & Iacob Domus Patris sui Isaac Dominus, ac successor effectus est. Angelicus Doctor Sanctus Thomas, certum putat, Iacobum cum Esau iocatum fuisse, quando ei contractum hunc proposuit: *Potest dici, quod Iacob à principio non serio, sed quasi ioco, vel modo tentatiuo adixerit: sic tamen, quod occulto instinctu Dei ad hoc fuerit compulsus; & tamen iurauit ei Esau, & vendidit primogenita sua.* Adeò vt lusus, & iocus dispositio fuerint ad hoc vt Esau simoniæ peccatum committeret, vendendo primogenituram, cui sacerdotium annexum erat. Nec credendum quod tanta fuerit fames Esau, vt tam inconsideratè, & stultè agere debuerit; sed ipse inordinato quodam appetitu, sese abduci permisit, hoc autem ad simoniam ipsum disposuit, & postmodum impœnitĕtem effecit; talem enim Spiritus Sanctus ipsum describit, & denotat, cum eum accusat, quod parui fecerit, quod primogenita sua dedisset, & parum senserit errorem à se commissum; tantum incendium parua scintilla excitauit. Ex quibus verificatur doctrina Sancti Chrysostomi, in principio huius considerationis allata, quæ est eadem cum illa Spiritus Sancti in Ecclesiastico: *A scintilla vna augetur ignis. Id est*, interprete docto Cardinali vitriaco, *à concupiscentia, quando non resistimus in principio. Prius enim incendentur palea cogitationum, & postmodum comburitur totum ædificium.* Insignis profectò metaphora! Quemadmodum enim vnica scintilla sufficit, ad sumptuosam domum incendĕdam, & comburendam; ita quoque parua culpa, iocosum verbum ad sanctam & bonam animam confundendam, & destruendam: sensim, & paulatim ignis accrescit, & de vna scintilla nascitur ignis exurens, & consumens; & ab vna Christi irrisione, deuenitur ad eius crucifixionem. Sufficiunt hæ probationes ex veteri testamento, videamus an aliquas in nouo reperiamus, ad maiorem discursus nostri confirmationem.

*Genes. 25.*

*D. Thom.*

*Eccli. 11.*

*Vitr. serm. 2. Dominic. 9. post Oct. pentecost.*

6. Et quidem, ni fallar, admodum insignem nobis subministrauit sanctus Petrus Chrysologus. Herodes Rex natalem suum diem celebrabat, omnibus Regni sui Principibus magnifico conuiuio instructo: *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, &c.* inquit S. Marcus, id est, quod finito conuiuio, & sublatis mensis, magna solemnitas, & choreæ institutæ sint, prout in Palatio Regio diebus ita extraordinarijs, & notabilioribus fieri solet. Et quamquam multæ puellæ nobiles, & elegantes ex tota nobilitate iuuenes saltauerint; tamen filia Reginæ Herodiadis palmam tulerit; quæ tanta elegantia, & dexteritate saltauit, vt omnium animos rapuerit, & omnes palam confessi sint, quod nemo omnium eam fuerit assecutus. Herodes autem præ lætitia, & gaudio ita insanijt, vt finitis choreis dixerit ei, vt gratias ac munera exposceret, iuramento affirmans, se nihil eorum quæ postu-

*Marc. 6.*

postularet licet dimidium regni sui peteret, ei negaturum: *Cumque introisset filia ipsius herodiadis, & saltasset, & placuisset herodi, simulque recumbentibus, Rex ait puellæ, &c.* Illa verò tam bonam petendi occasionem nacta, matrem suam consuluit; quæ dixit, vt nihil aliud peteret, nisi caput Ioannis Baptistæ. Regem itaque adijt, ab eoque illud expetijt; & quamuis doloris, ac tristitiæ iudicia exhibendo, sese contristari ostenderit; illud tamen dari præcepit: iam vix mandata dederat, cum impij ministri ad carcerem properant, securi eum percutiunt, & caput in disco adducunt, hisce epulis finem mensę imposituri: *Misso spiculatore præcepit afferri caput in disco.* Considerate, inquit sanctus Episcopus Rauennas, vnde sacrilega hæc audacia, at temeritas iniqui huius Regis inceperit. A complacentia leuis, obscœnæ meretricis, castitatis carnifex effectus est; & primi pondere peccati, quis credat! in grauitatem tam horrendi sacrilegij prolapsus est. Mirabilia sunt eius verba: *Rex,* inquit hic sanctus, *quid tantis cuneis arctatur? sufficit infelix caro sibi, suis casibus ad ruinam, attestante propheta, cum dicit: Vt quid irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ.* Id est, si tamen mentem eius rectè assequar: Exigui insultus sufficiunt ad herodem superandum; qua enim maiori vi opus est, vt homo debelletur, & subigatur, quam vt peccator ipse fuerit? Optimè profectò hoc intellexit Dauid, inquit Chrysologus, quando petebat ab hominibus, ne lapsum, & ruinam impiorum procurarent. Hoc enim procul dubio aliud non erat quam intendere ædificium aliquod deijcere, quod iam ruinam minabatur, & absque vllo

Chrysost. serm. 174.

molimine erat collapsurum: & idem est ac si diceretur, quod vt aliquis in noua peccata incidat, sufficiat in aliqua incidisse. Peccauit semel herodes, sed reuera ibi non subsistet; spondeo eum continuo in maiorem peccatorem euasurum. Omnia hæc exempla nos docent, quam diligentes, & solliciti esse debeamus, ne peccati illecebra, & voluptate, nos abripi permittamus; perniciossimus est eius in animas nostras ingressus; nam post vnum non adeò magnum, alia multò maiora subsequi solent.

Quam insignem ad hæc animaduersionem notaui in sancto Patre nostro Alberto magno, exponente verba illa Euangelistæ Lucæ, loquentis 7.
de proditione Iudæ: *Intrauit autem satanas in Iudam, &c.* Hora nempe qua minime debebat, infelicis istius animæ possessionem capiens, & de venditione magistri eius acturus; Obseruat egregius hic Doctor, primas vices, quibus improbus hic homo aditum concessit, fuisse, quando in Bethania, Christo Domino in domo Lazari cœnante, Magdalena alabastrum confregit: *fractu alabastro;* & vnguentum pretiosum ac odoriferum, *Effudit super caput ipsius recumbentis,* ipse Iudas obsequium tot titulis debitum perditionem æstimauit: *Vt quid perditio ista? &c.* Hic, inquit sanctus Albertus primæ vices fuerunt; quibus animarum inimicus Iudæ primam possessionem cepit. Mox verò peior factus est vlterius progrediens, & de pretio traditionis conueniens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Ac tandem de malo in peius proficiens, summo ac execrabili scelere perfecte conclusit, Dei sui mortis causa existens, adeò vt iam incipiens, subsistere, nec se con-

Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14. Matt. 26.

tinere potuerit. Eximia sunt ipsa sancti illius Doctoris verba. *Intrauit autem satanas in Iudam. Hunc autem introitum inchoauit in vnguenti effusione in Bethania: auxit autem malitiam, quando ad sacerdotes exiens, conuenit de pretio sanguinis, sed in toto consummauit, quando à Christo buccellam accepit, postquam satanas cum toto affectu malitiæ intrauit.* Tunc enim tantum abfuit, vt à Christo Domino tam singulari fauore, ac munere donatus, placatus, ac lenitus fuerit, vt quam primum ad perficiendam traditionem egressus fuerit, tumque perditionem suam consummauerit; ac de uno gradu in alium sese in infernum præcipitauerit: peior profectò quam milites Gentiles, quorum Dominus in Euangelio meminit, hos enim cœcitas infidelitatis aliqua ratione excusabat, & peccatum eorum diminuebat.

Albert. Magn. in Luc. 22.

7.

Luc. 22.

8. Nescio an aliqui aduerterint ad responsum quod Christus Redemptor noster daturus est multis, qui in die extremi iudicij ei dicent, se in eius nomine prædicasse, dœmonia eiecisse, & alia huiusmodi, adeoque sibi satisfaciat, & præmium quod promeriti sunt, elargiatur. Ille verò primò dicet eis, quod eos non nouerit; eo quod illa omnia hominibus complacendi potius, quam Deo satisfaciendi gratia, egerint. Et statim hæc verba subiunget: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Præclarè aduertit S. Anselmus, Christum Dominum loqui de præsenti, non autem de futuro, cum tamen videatur eum magis formaliter fuisse locutum, si dixisset; Discedite à me qui operati estis iniquitatem, non autem qui operamini; cùm certum sit quod finito vitæ termino, simul quoque bene, aut male merendi tempus cessauerit: atque ideo damnati nequaquam operari non possunt, eo quod non sint amplius viatores. Nihilominus, inquit hic sanctus mysterio pleno sunt verba Saluatoris: *Qui operamini iniquitatem.* Audite verba Anselmi, preciosa enim sunt, & magni facienda: *Non dicit, qui operati estis; quia licèt modò non habeant facultatem peccandi, tamen adhuc peccare vellent, si adhuc viuerent.* Quasi diceret: Peccatores tanta obstinatione, & tam obfirmato animo sese iniquitati tradiderunt, & laxatis habenis in quælibet vitia, & peccata absque vlla cessatione sese tantopere præcipitarunt, vt prius viuendi finem fecerint, quam voluntas offendendi Deum eis defuerit: atque adeò si in potestate eorum foret, semper operarentur iniquitatem, & quantum ad affectum continuo malefaciunt. Animaduertite, fideles, quanti vestra referat prima semper peccata, quantumuis leuia, euitare, vt tanta damna impediantur. Quandoquidem certum sit, quod licet peccata nostra in principio adeò grauia non sint, tamen ea semper augeantur, donec in grauissima scelera nos præcipitent; ab illusione inceperunt carnifices eorumque ministri, & ab irrisionibus, ac ludibrijs, eo deuenerunt, vt summum totius mundi peccatum, quale fuit ipsum vitæ authorem ea ipsa priuare, commiserint; *Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Matt. 26.

Marc. 14.

Matth. 7.

Matt. 26.

Anselm. ibi.

*Dic vt sedeant hi duo filij mei, &c. Nescitis quid petatis.*

## CONSIDERATIO V.

*Dignitates in domo Dei dantur eas reijcientibus, non autem eas ambientibus, easque non ambire, securissima via est ad eas obtinendas.*

1. SAnctè affirmare ausus sum, quod cum Deus sit qui petitioni horum duorum fratrum, meliora loca ambientium, annuere debeat, eos hac vice spe, & opinione sua frustrandos. Reuera enim clarus est error, dignitates personis eas ambientibus conferre, & non quærere personas, quæ dignitates promereantur. Placebunt hæc fortassis hominibus, nescio tamen an si ea ratione eligantur, electiones Deo placebunt. Contrarium omnino Diuina Maiestas vult, nimirū vt personæ quærantur ab officijs, non autem officia à personis: ne autem sine fundamento loqui videar; attentè legantur quatuor Euangelia, & innumera in eis hominum multitudo reperietur, qui quotidie Christum Dominum inquirebāt; hi quidem vt à corporum infirmitatibus, alij verò, vt à multo maiori, animarum scilicet lepra sanarentur; &, si bene memini, non inuenietur quod vel vnum, ex omnibus qui Christum quæsiuerunt, Apostolum creauerit, sed quod omnes, quorum electionem Euangelium refert, à Christo, eo loco, vbi sua opificia exercebant, quæsiti fuerint; Petrus, & Andreas qui erant
Matth.4. piscatores, in mari vbi piscabantur: *Ambulās Iesus iuxta mare Galileæ.* Idem
Matth.9. fecit cum duobus fratribus Ioanne, & Iacobo: *Procedens inde &c.* Quin ipsum Matthæum, qui erat publicanus, in publico mercatorum conuentu quæsiuit, maluitque eum inde deducere, vt dignitas eum quæreret, quam alijs eam ambientibus dare, fortassis quia ea tantum intentione eum accedebant. Vt per hæc doceamur, quæ in titulo nostræ considerationis continentur; nimirum in domo Dei honores non dari eos ambientibus, sed ijs, qui vt eos admittant, requiruntur; hi enim soli ijs digni, eosque promeruisse censentur.

Ponderat sanctus Ambrosius, quod 2.
etiamsi sanctus Patriarcha Noë diluuium iam finitum cognouisset, ex eo quod columba, quæ cum ramo oliuæ in ore suo aduenerat, de eo quod agebatur, eum certiorem iam reddidisset, atque adeò ex arca egredi potuisset; tamen sine speciali Dei mandato id minimè fecerit: *Locutus est autem*
*Deus ad Noë, dicens: Egredere de arca* Genes. 8.
*tu, ex vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum.* Adeò vt si Deus ei hoc non mandasset, nequaquam egressus fuisset. Quid autem causæ habere potuit vir sanctus, vt hoc faceret? sanctus Ambrosius existimat rationem fuisse, quia Noë deinceps futurus erat Rector, & absolutus Dominus maris, ac terræ, prout ex sacro textu constat, quod vniuersalem ei iurisdictionem in hæc omnia commiserit. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres Cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Et quoniam ad regnandum egredi debebat, absque diuino impulsu in terra pedem figere noluit: *Ita-* Amb. L.
*que recedente aqua, & siccata terra, exi-* de Noë &
*re potuit Noë de Arca; sed iustus nihil si-* Arca. c.
*bi arrogat, sed totum se diuino committit* 21.
*imperio. Verecunda enim iustitia est,*

*quia inuerecunda iniquitas, quæ vsurpat indebita, nec reueretur auctorem*; ne enim iniussus regimini sese ingerere videretur, naui exire, ac terræ possessionem capere noluit. Illud enim soli peccatores faciunt qui nec Deum timentes, nec homines reueriti, honoribus sese ingerunt, nec expectant, donec à Deo ad eosdem promoueantur.

3. Hoc ipsum erat quod Deus de multis per Ieremiam conquerebatur: *Non mittebam eos, & ipsi currebant*; ad munia scilicet, & dignitates Ecclesiasticas, non vocati, prout Explicat noster doctissimus Cardinalis Caietanus: *Qui se ad dignitates Ecclesiasticas non Dei nutu, sed proprio conatu intromittunt*. Reflectamus ad verbum, *Currebant*; quo quidem Deus de effrœni eorum audacia, & temeritate conqueritur, qui propria ambitione abrepti non expectata, diuina electione, sese honoribus ingerebant; & hunc locum Ieremiæ, cum alio loco Exodi componamus, vbi Deus mandauit Moysi: *Solue calceamentum, de pedibus tuis*. Contrarium magis expediuisse videtur, præcipere nimirum Deus, vt calcæos indueret, si fortè eos non induisset, cum terra in qua erat esset dumetum spinis, & tribulis plenum, inter quæ Deus ei apparebat. Verum Lipomanus, hæc magnum mysteriũ includere dicit. Quod autem illud est? Velle scilicet Deum vt incedens, caute omnino, ac præmeditatò pedes in terra figeret: *Nudis pedibus venire præcipitur, vt cautè incedat*. Rectè quidem; nihilominus remanet dubium. Quare lentè, ac cautè incedere debet, si vadat à Deo vocatus? Quia Deus ad honores, & dignitates eum vocat, vt legati sui munere apud Pharaonem perfungatur, ac per hoc docere Deus voluit, quod ad honores procedentes, etiam ab ipsomet Deo vocati, currere non debeamus, prout ambitiosi illi faciebant, de quibus per Ieremiam conqueritur: *Et ipsi currebant*; sed cautè omnino incedere, sicuti qui coactus vadit, & qui minimè ambiuit, sed quia Deus eum designauit.

*Ierem. 23.* *Caiet. in illud Pauli ad Rom. 10. Quomodo prædicabunt. &c.* *Lipom.*

4. Duas fuisse scalas in templo Salomonis, dicit sacra Scriptura, diuersimode extructas, & fabricatas: vna erat recta per quam adscendebatur ad templum, altera verò per quam ad cœnaculum scandebatur, erat obliqua, & in gyrum scansilis, quam communiter cochleam vocamus: *Per cochleam adscendebant in medium Templi Cœnaculum*; inquit sacer textus: & Angelomus scalas hasce ad mores referens dicit: *Cochlea scala est non recta; per cochleam ergo illis ascendunt, in Ecclesia cœnacula, qui per ambitionem, & cupiditatem effrænatam ad honores Ecclesiasticos irrepunt; per scalam verò rectam illi scandunt, qui per virtutes, & merita vocati in Templum veniunt*. Et tales vult Deus esse omnes qui Ecclesiæ suæ loca, ac sedes occupaturi sunt. Et quoniam Ioannes, & Iacobus hâc non incesserunt, sed per cochleam, hoc est per matris fauorem, & consanguinitatis patrocinium ascendere voluerunt, idcirco ipsorum postulatio reiecta fuit. Ius quod claudicat, & fulcimentis nititur, contra se præsumptionem habet: *Nescitis*, inquit, Christus, *quid petatis*; non recto itinere venitis, expectate donec quæramini, & vocemini ad loca quæ ambitis.

*3. Reg. 6.* *Angelom. ibi.*

5. Obseruauit Gilbertus Abbas, quod diuinus sponsus, iteratò, ac festinanter vocet sacram sponsam, prout verba illa indicant: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni*. Non sufficit ei, semel, & iterum eam vocasse, sed tertio

tertio quoque adijcit, *veni.* Fortè vt ei significetur, esse totam Trinitatem quæ eam vocet, & expectet,& vnamquamque ex tribus ei dicere, *Veni*; vt eam cogat,& impellat ad festinandum.

Cant.4. Verumtamen doctissimus hic Pater expendit, necessarium esse tribus vicibus eam vocari, vt incedat; cum tamen vna sola sponsi vocatio, amanti sponsæ sufficeret, imo vel dimidium verbum superfluum foret, vt verè, obediens ad vocem eius attendat. Ita quidem in alijs occasionibus contingere solet, inquit Gilbertus, sed non in hac præsenti, nam in mora eius perfectio consistit: *Vides si non morosè egreditur de Libano; quæ toties vocatur, & forte sponsæ mora festinationem nostram sugillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum prouidi, vires nostras minime pensantes, festinamus ingredi in labores prælationis, nec expectantes, vel semel vocari, vltrò nobis ipsi honorem sumimus: vocationem vel præuenientes, vel arte procurantes.* Atque adeò sponsæ mora tam laude digna est, quam furor noster & præcipitantia reprehendi, ac censurari meretur. (Gilb. serm. 29. in Cant.)

6. Refert sacer textus, quod cum Moysi in regimine populi Israëlitici successorem dare voluit Deus, ei hæc verba dixerit: *Tolle Iosue filium Num, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, & audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël.* Multa sese hic offerunt consideratu digna, quæ alias vsui futura sunt. Doctissimi Lyranus, & Abulensis aduertunt ad verbum, *Tolle*, & quidem ad nostrum propositum accommodatè; ac notant quod in rigore non solum dicere voluerit, elige, aut assume Iosue: maiorem enim vim, & energiam dictionem hanc habere dicunt; & significasse: vi eum adstruge, non enim volet: coge, nam certo certius resistet. Audite verba Lyrani: *Tolle persuadendo ei, quod ad voluntatem meam suscipiat onus, aliàs nequaquam suscepturus, nisi multis ad illud suscipiendum constrictus, & conuictus teneretur.* Et Abulensis: *Tollere significat dictionem quamdam non voluntariam; in quo significatur, quod Iosue non petierit istum principatum, nec appetebat, sed solum ex mandato Dei assumpsit illum.* Sciebat namque Deus quam ægre Iosue honorem illum admissurus esset, quam ob causam eum promerebatur, & illo dignus erat. Ideoque eum quærit, & omnibus Israëlitis præfertur: *Tolle Iosue filium Num.* (Num.27.) (Lyran. hic.)

Norunt omnes quid acciderit Ionæ Prophetæ in Niniuè ire recusanti, quo Deus cùm munere concionatoris, & doctoris numerosissimæ illius ciuitatis eum destinarat. Relictis plurimis, quæ nostro instituto non seruiunt, doctus Lipomanus in catena obseruat, mandasse Deum ceto qui eum deglutierat, vt eum in terra euomeret: *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Vt autem, saluum, & incolumen se conspexit, ad missionem se accinxisse, quam antea acceptare noluit, atque ex facto hoc moralem doctrinam, instituto nostro admodum oportunam, deducit: *Inuenit Dominus, & Ionam prophetam in ventre ceti, in medio maris, & coëgit cetum vt euomeret ipsum, quo mitteretur Ecclesiastes ad Niniuem: Quare non est opus, quod malis artibus contendas, ad clariora, & ampliora officia.* Qui enim magis latent, & sese occultant, quærere solet Deus, vt eos honoret; & quanto magis abstrusus, absconditus, & sepultus erat Ionas; tanto magis quoque aptus, & idoneus 7. (Ion.2.) (Lipom. in Caten. ad c.3. Exod.)

erat,

erat, vt Deus eum quæreret, & negotium tanti momenti ei committeret, & ministerium tantæ authoritatis commendaret, vt hinc, Christiane, addiscas, per media illicita, & malas artes suprema loca, & officia honoratiora non procurare, sed potius ea fugere, & ijs te indignum agnoscere; hæc enim optima dispositio est, vt Deus tui recordetur, & ad supremas dignitates te conquirat.

8. Et sanè hac ratione tractari honores debent, timendo scilicet, & tremendo vel solum cum de ijs verba fieri audimus. Significatur per Angelum Virgini Mariæ, quòd Deus eam in Matrem sibi elegisset; turbatur, & non parum sese intricatam, ac perplexam deprehendit; Angelus verò eam confortare, & asseuerare Dei hæc esse iussa: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* Illa autem ab Angelo certior facta, & secura; submisso animo dignitatem acceptat: *Ecce Ancilla &c.* Vt quid turbatur, sese retrahit, & necessè est eam ab Angelo confortari? *Ne timeas Maria*; scio Christum in horto ab Angelo confortatũ fuisse: *Apparuit Angelus confortans eum.* Sed hoc fuit, quia sequenti die ipsi moriendum erat, quia per terram reptandus, caput ipsi perterebrandũ, & quinque millibus flagellorum ictibus percutiendus: Sed Mariam confortare, quando talis ei dignitas confertur? Dicant alij, quod sentiunt, ego vero respondeo, & dico omnino conuenire vt eam confortent, & animent. Nam si Christus confortatur, dum quinque mille flagellorum ictus ei infliguntur; verè humili quinque mille flagellorũ ictus tanti non sunt, quantum vel vna dignitas. Fundatur hæc mea cogitatio in altera docti Masij, qui expendit, Iosue tribus vicibus per Angelum à Deo confortatum fuisse, cum eum populi sui Ducem, creauit: *Confortare, & esto robustus, confortare, & esto robustus valde: ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus*; quia adeò humiliter de se sentiebat, vt dignitatem illam acceptare vereretur: *Benignissimus Deus, qui vltro illum tam multis hortamentis, atque pollicitationibus subleuat, satis ostẽdit, quam ipse de se humiliter sentiret.* Mox verò ambitiosos pungit atque coarguit & dicit: *Nullos honoris minus dignos esse, quam qui eorum sunt maximè candidati.*

Luc. 1.

Luc. 22.

Iosue 1.

9. Hoc quoque filios Zebedei concernit, cum tantum absit vt honores ipsis tormentum sint, vt illos etiam quęrant, & ambiant, omnibus medijs vterant, quæ ad illos consequendos maximè accommodata iudicabant. Verùm hanc ipsam ob causam indigni sunt, qui obtineant, quod prætendũt, cumque tot ipsis merita desint, eis respondetur, quod non sciant, nec intelligant quid petant. Potius expectassent donec vltro oblati, & instar cyathi pleni, propinati ipsis fuissent honores, illi verò eos respuissent, vel ad minus coacti eos recepissent. Hoc enim clarum, ac manifestum argumentum fuisset, quod eos promeriti fuissent; prout alius de Traiano suo dixit; *Alij consulatum antequam accipiant. Tu & dum accipis meruisti.* Nam vt dixit Poeta: *Hic solus spreuisse potest, qui iure meretur.* Idest, quod in aliquo muneri non possit animus ad dignitates contemnendas, nisi in eodem earum merita coniungantur; & hoc illud ipsum est, quod in titulo nostri discursus proposuimus.

Plin in Panegyr.

Claud. de Consul. Theod. pan. 2.

---

*Nescitis quid petatis.*

## Consideratio VI.

*Quod apud Christum non valeant respectus sanguinis, sed ipsa operum merita, ad docendum Prælatos quod in conferendis officijs non sit habenda ratio consanguinitatis.*

1. PRædictvm erat à Prophetis de Messia, quod futurus esset sacer-
Psal. 109. dos secundum ordinem Melchisedech: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; de hoc autem dicit sacer textus, quod fuerit homo sine patre, & matre, absque consanguineis, absque vlla stirpe &
Heb. 7. prosapia; perinde ac si è cœlo delapsus fuisset; hoc enim sensu intelligi possunt verba illa Pauli: *Melchisedech sine patre, sine matre, & sine genealogia, assimilatus Filio Dei*; non quod ex hominibus, quorum erat filius, procreatus non fuisset, sed quod ita separatus, ac abalienatus ab illis viueret, quasi ab ipsis progenitus non fuisset: cumque veritas figuris atque vmbris correspõdere debeat, eas tamen ab inuicem repignerando, siue omnimoda inter eas sublata similitudine, & æqualitate, sacerdos hic æternus in mundo haberi debuit pro homine è cœlo delapso, sine patre, sine matre, sine consanguineis, sine vlla prosapia. Veritas hæc nota erat, secundum naturam diuinã; nam cum esset primogenitus æterni Patris in cœlo, non potuit consanguineos habere in terra; conueniens autem fuit vt secundum humanam naturam verificaretur. Et quamquam ex eius parte matris suę progenies eum solummodo contingeret, conueniebat tamen vt erga eam ita se gereret, perinde ac si nec matrem, nec consanguineos, nec vllam in mundo progeniem habuisset. Hæc fuit ratio propter quam cum quadam die prædicaret, & quidam ei significaret, quod mater sua, & fratres sui adessent; responderit; *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres* Matth.
*mei?* Quasi diceret: Mihi nec sanguis, 12.
nec consanguinitas est, & apud me nihil possunt, nec valent consanguinei, nec agnati. Hac autem ratione Christus Dominus verum sacerdotem sese ostendit secundum ordinem Melchisedech, non autem Aaron. Nam, vti aduertit magnus ille pater sanctus Augustinus, in sacerdotio Aaronis, vnus alteri succedebat, & tamquam bona propria, transibat à patre in filios, adeoque masculus à patre ipsum etiam Aug. qu.
sacerdotium hæreditabat: *In veteri* 46. ex
*lege nasci decreuit Deus sacerdotes, in* vet.
*noua verò fieri Dominus iussit sacerdotes.* testam.
Christi uerò sacerdotium immediate è cœlo venit: ideoque non dicitur caro, nec sanguis, sed sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, cuius nec pater, nec mater, nec stirps vlla nota fuit.

Quam aliam meliorem huiusce ve- 2.
ritatis probationem desideratis, quam responsum quod Christus Dominus in Euangelio cognatis suis, filijs Zebedi dedit, quando ad eum accesserunt dexteram, & sinistram in regno eius petituri, confisi consanguinitate qua ipsum contingebant, & existimantes hoc solum sufficere, vt petitioni suæ satisfiat? *Nescitis*, inquit, *quid petatis.* Nam prima loca dantur ijs qui potiora merita habent, non autem proximioribus consanguineis; & cõtingere potest, vt post

vos

vos alij veniant, qui loca illa magis promerentur; & siquidem ea quæ modo ambitis promissa forent, vel data, eo casu præmio sibi debito frustarentur:
Chrysost. hom. 66. in Matt. *Nam si alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quam vos opera facturi sunt quomodo illis expulsis, locum eorum vos occupabitis?* inquit Chrysostomus: Qua quidem ratione Christus Dominus maximi mométi doctrinam dedit omnibus, qui officia, & honorata onera conferunt, ne cœcutiant respicientes carnem, & sanguinem, nec proximis & consanguineis de illis prouideant, sed illis qui maiora merita habuerint.

3. Exod. 20. Ad huius discursus probationem adducit doctus noster magister Yangas, locum illum Exodi, quo Deus populo suo, præsertim verò templi, vel tabernaculi sui ministris præcepit: *Non ascendas per gradus ad Altare meum*; prætereò modò sensum litteralem, qui ad rem nostram non facit. Moralis autem quem ponderat hic Doctor, est huic rei maxime accommodatus: *Neque iustum est ad officium sacerdotale, ad columen Episcopatus eos admittere, qui nullis alijs meritis quam consanguinitatis, aut affinitatis gradibus gloriantur, scriptum est enim: Non ascendas per gradus ad Altare meum.* Neque enim existimandum est, quod lex ista solam decentiam, & corporis compositionem commendet, qua ad sacrum altare ascendi debet, sed quod simul decernere, ac stabilire voluerit Deus, quod ij qui ad illud ascensuri essent, hoc est ad officia, & dignitates ecclesiasticas, per gradus, huius scilicet, vel illius consanguinitatis, ascendere non debeant. Hoc enim summopere abominatur; nec vult vt in domo sua intuitu carnis, & sanguinis aliquid emolumenti acquiratur; sed vt merita, & virtutes vniuscuiusque sint scalæ quibus ad suprema loca, & honorabiliora officia ascendatur. Hoc mysterij cõtinet mandatum hoc Dei: *Non ascendas per gradus ad altare meum.* Prout etiam aduertit Stephanus Cantuariensis, citatus in allegorijs Tilmanni. Steph. Cant. in Alleg. Tilmann. ad hunc locum.

4. Moyses morti proximus, pro suo in populum suum affectu, sollicitus ne se moriente, præside, & gubernatore ac duce destitutus remaneret, ad Deum accurrit, rogans vt sibi demostrare dignetur, quem pro bono regimine reipublicæ illius nouerit conuenire: *Prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, &c.* An ergo Moyses non habebat filios? Ita quidem carebatne consanguineis? Minime verò. Non potuisset ergò hos vel illos Deo prôponere, vt ex illis, quem digniorem iudicaret, in Ducem populi illius eligeret? Potuisset quidem, inquit Oleaster; vt quid igitur hoc ipsum non fecit? Propter iam dictam rationem noluit vt per consanguinitatis gradus, quibus ipsum contingebant, ad regimen conscenderent: *In quo loco taxantur illi, qui filios, aut nepotes in officijs sufficere volunt, etiamsi partes necessarias non habeant, ad ministeria eorum administranda*; adiungit magnus hic Doctor. Oleast. hic. Validissime itaque reprehenduntur hoc loco ij apud quos plus valet amor carnis, & sanguinis, quam dictamen rectæ rationis; & volunt vt filij sui, & consanguinei; per fas, & nefas, administrent officia, etiamsi careant qualitatibus, ad eorum ministerium requisitis; nec alias perfectiones, & merita habeant, quam solam consanguinitatem. In quo quidem manifestè peccant contra iustitiam distributiuam, dum honores, sola voluntate ducti indignis, quia consanguinei sunt, conferunt, bene meritos autem

autem, quia extranei ijs frustrantur. Non ita profectò fecit Moyses amicus Dei, qui Dominus facie ad faciem loquebatur; potuisset eum, si rogasset, filios suos eligere vt in principatu sibi successissent, & propriam dignitatem ex se descendentibus annectere; ipse verò his relictis, Iosue ex alia stirpe, vel Tribu oriundum, elegit: vt sciamus, inquit Oleaster, regimen populi, non carni & sanguini, sed vitæ sanctitati, & præclaris meritis committendum.

5. Regebatur in principio Populus hebræorum à Iudicibus à Deo constitutis, donec tempore, Prophetæ Samuelis, vltimo. Iudice, eoque, iam sene, & impotenti ad regendum, ex parte populi solemnis ad eum legatio missa fuit, qua ei declarabatur, quandoquidem ipse iam defatigatus foret, nec filij ipsius capaces essent regiminis, eò quòd vestigijs ipsius non inhærerent, quin potius malis artibus vterentur, & peruersis essent moribus, desiderare populum Regem indigenam sibi constitui, eumque hoc postulare. Aduertit autem diuinus Textus, quod *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent, Da nobis Regem, vt iudicet nos.* Oleaster ponderans quam ægrè hoc tulerit Propheta, existimat causam illius non tam fuisse iniuriam Deo illatam, eò quòd ordinem regiminis eius inuertere vellent; quam quia ei dictum fuit quod filij eius non essent apti, & idonei, vt in regimine populi ei succederent: *Aegrè tulit populum non permisisse filios suos illi succedere.* Ecce quantum possint respectus carnis, & sanguinis, cum etiam Samuel, qui erat seruus Dei, & vt talis cognitus, atque in sacra Scriptura tantopere laudatus, prætenderit vt filij sui, etiam ad id muneris incapaces, sibi succederent, & Israëlitarum Rempublicam gubernarent.

1. Reg 8.

*Oleast. Loc. cit.*

De terrore illo orbis terrarum, Magno nimirum Alexandro, cuius heroicis facinoribus plenæ sunt tam sacræ, quam profanæ historiæ, referunt Sacræ litteræ, quod deciderit in lectum, & quod non minimum fuit magnanimitatis eius, & strenuitatis argumentum, cognouerit se moriturum. Morti autē proximus, & coactus de rebus suis disponere, *Vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute sua, & diuisit illis regnum suum, cum ad huc viueret.* Res profectò peregrina, & ponderatu dignissima! An forte liberos non habebat Alexander? omninò. Non habebat fratres? ita quoque. Quare igitur aliquem illorum Regni sui successorem non designauit, sed seruis suis illud commisit? Quia non carnem & sanguinem, sed virtutum merita Hæredes suas esse voluit, Iustinum in hoc casu audite: *Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem Imperij faciat hæredem? Respondit: Dignissimum: Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, & cum Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet Hæredem.* Quæ quidem, si cum ijs quæ scriptura commemorat, conferantur, videtur Monarchiam famulis suis, quibus maximè confidebat, commisisse, vt illi postmodum cum toto populo, eum quem maximus idoneum, & capacem ad regendum iudicarent, eligerent. 6.

1. Machab. 1.

*Iustin. l. 12.*

Quando Salomon egit de Templo Dei ædificando, dicit Scriptura sacra, quod vocauerit Hiram quem magni faciebat, eumque rogauerit vt seruis suis mandaret, vt irent ad mōtem libani, & cedros aliquot, in templi fabricam præciderent: *Præcipe, vt præcidant mihi serui tui cedros de libano.* Aduertit autem Dionijsius Kaarnæus, quod non mandauerit 7.

3. Reg. 5.

*Kaarn. serm. s. Mathia.*

dauerit Salomon cædi ligna ex sylvis suis, aut alijs Regni sui locis, sed ex alienis, & sapidam hinc moralem doctrinam elicit: *Noluit Salomon, vel vnam quidem trabem, ex suis sylvis in domo Domini poni, sed ex alterius Dominio, è monte nimirũ Libano omnia adduci ligna voluit. Quo docemur ex ijs potius qui digniores sunt, licet alienigenæ, eligendos, quibus Domus Domini tamquam trabibus sustentetur, Ecclesia nimirũ, quam ex cognatis, & familiaribus, qui potius Ecclesiæ domum euerterent, quam sustentarent.*

8. Non dico quidem consanguineos ad officia & dignitates promouendos non esse, sed tantum ne id fiat, quia consanguinei sunt, sed quia merentur: & electio quæ ad hoc instituitur non sit voluntatis, sed intellectus & iudicij: adeò vt non videatur sanguini fauor impendi, sed præmium virtuti attribui. Cum Pater Aeternus Christum Dominum nostrum in mõte Thabor filium suum declarauit, & præcepit vt omnes eum audirent, & pro Magristro agnoscerent, dixit hæc verba: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Inclytus Martyr Sanctus Cyprianus legit hoc modo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè sensi.* id est, de quo bene sensi, vel bene iudicaui: adeò vt ipsum iudicũ præcesserit amorem, & electionem, qua in mundi magistrum ipsum elegit. Hoc ipso docens æternus Pater, ipsam electionem qua in orbis vniuersi Præceptorẽ electus fuit, non tam fuisse opus affectus, & voluntatis, quam iudicij & rationis; quasi clarius dixisset: Ipsum Magistrum vestrum constituo, nõ quia ipsum amo, sed quia noui eum hoc promereri. Ac propter eandem rationem negat hodie sedes ambientibus fratribus, eisque dicit; quod nesciant quid petant; eò quod non amoris consanguinitatis, sed dictamini rectæ rationis sese conformet.

Matt. 17.

Cypria l. 2. epist. 3. & lib. 1 testimon. ad Quirin.

9. Quæ fuerunt quandoque aliqui à Christo Domino, an multi, vel pauci saluandi forent; quibus respondit: *Cum Pater familias clauserit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine, Domine aperi nobis: & respondens, dicat vobis: Nescio vos vnde sitis;* tunc quidem ad hanc quæstionem responsum intelligetis. Aduertit Theophylactus, Christum Dominũ dicere, se illos non nosce, nec scire vnde sunt; si eos non nouit, quomodo punit? fieri non potest vt pœna executioni mandetur, si reus ignoretur. Dominus quidem, inquit Theophylactus, optime nouit culpam; sed dicit se personas ignorare. Verum quorsum dicit se nescire vnde sint? Quid refert in ordine ad iudiciũ scire, vnde sit reus? *Dissimulat scire vnde sint, & meritò Dominus autem cognoscit suos. Hoc autem quod dicit: Comedimus, & bibimus coram te, & in plateis nostris docuisti, simpliciter quidem ad Israëlitas dicitur: Etenim Dominus ex eis natus est secundum carnem.* Quasi diceret: Ego virtutum merita, non autem sanguinem remuneror: vitia, non autem consanguinitatem castigo: adeoque si nulla bona opera condigna vitæ æternæ adduxeritis, Cœlo exclusi remanebitis. Neque enim rationi consonum est, vt locum occupet, etiam consanguineus, si merita nulla habeat: Nescio vos vnde sitis. Non attẽdo quod conterranei mei sitis, nec etiã curo consanguineos meos vos esse, vt in Regno meo loca vobis assignem; nam hæc, illa promerentibus, reseruantur.

Luc. 13.

10. Idem modo respondit Christus Dominus cognatis suis Ioanni, & Iacobo, qui confisi consanguinitati qua ipsum attingebant, ad meliora loca aspirabant, vel in Regno temporali, quod Christum Dominum habiturum arbitra-

bitrabantur, vel in æterno gloriæ, prout multi sancti Patres existimant; *Nescitis*, inquit, *quid petatis*, nam loca illa regni mei non obtinentur pretio sanguinis cognationis, sed sanguinis pro Deo eiusque honore, & gloria effusi: *Potestis bibere calicem, &c.* Conemur itaque, fideles, si mansiones cœli ambimus; iustitiam nostram fundare in bonis operibus à nobis factis; præmonet enim nos Christus Dominus, quod cognatio, quàm factus homo, filius hominis, & frater noster nobiscum contraxit, nobis non patrocinabitur, sed merita, quæ gratia eius auxiliante, acquisiuerimus, &c. Amen.

# TRACTATVS VIII.

## AD DIEM VENERIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

*Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matt. 21.

PRÆSENS Parabola vineæ, in sensu litterali, particulariter directa fuit ad populum Hebræorum; in mystico autem magni admodum momenti doctrinas offert ad nostrum omnium instructionem. Breuiter ac summarie exposita, sententiam continet contra incurios, & ingratos quosdam agricolas, qui magna admodum dona à Deo recipientes, nihil inde vtilitatis attulerunt, quin potius occasionem sumpserunt, grauia crimina committendi. Significat autem ipsa parabola, quod cum Iudæos ex captiuitate liberasset, Templo, Lege, & Altari eos donauerit, vt bonorum operum fructus inde referrent, cumque per Prophetas ipsos admonuisset, eosdem occiderint, donec proprium suum filium ad eos misit, non vt eos castigaret, sed ipsis potius faueret, quandoquidem cum titulo Saluatoris in mundum venerit. Fortassis, inquit, verecundia afficientur, nec omittent, quin filio meo soluant, & satisfaciant. Non hæc dixit incertus futurorum, & euentum rei experiri volens, non bene sciebat, cum omnia ipsi sint præsentia, quod se essent contempturi; sed humanæ tantummodo libertati locum dedit, vt pro libero suo arbitrio operarentur: dixit quæ facere debuissent, non autem quæ fecerunt. *Hic est Heres*, inquiunt, dum eum venientem vident, *venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius*, reipsa eum apprehendunt, extra vineam eijciunt, & occidunt. Dicit autem Christus; Vos legis Doctores, & Magistros, cum sitis cynosura à qua reliqui ducuntur, & reguntur, vos inquam, in hoc casu iudices vestros constituo, quid promeriti vobis videntur hi agricolæ, & quid faciet eis Dominus vineæ, quia tam male tantis eius beneficijs responderunt? Quid? inquiunt, vt minus vineam eis auferet, & alijs eam locabit, qui reddant ei fructum tem-

temporibus ſuis. Saluator ſententiam eorum confirmat, dicens: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hæc ſummatim eſt parabolæ ſubſtantia; vt autem ſuper eius concluſione diſcurramus, quæ compendium eſt omnium quæ continet, & ipſa quam Saluator dedit ſententia, neceſſaria eſt diuina gratia. Aue Maria.

---

## *Auferetur à vobis Regnum Dei, &c.*

### Consideratio I.

*Quod Deus Pater hanc eis hereditatem committendo amabilem, & eius poſſeſſionem eis auferendo rigidum Iudicem ſeſe oſtenderit, vt ſi primum nos incitet ad eum amandum, ſecundum nos obſtringat eum timendum.*

1. Via quam ſancti faciliorem, & ſecuriorem ad cœlum inuenerunt, eſt quempiam inter amorem, & timorem vitam ducere; timor enim peccata refrænat, & conſideratio rigoris, ac iuſtitiæ diuinæ, cautos nos reddit, & circumſpectos ad eum non offendendum; memoria vero ſuauitatis, ac amoris diuini, nos incitat ad eum amandum, & plurimum quoque confidendum de eius miſericordia, & liberalitate, ad ſperandam peccatorum à nobis commiſſorum remiſſionem. Iudicare hoc voluerunt Aegyptij, qui pro ſymbolo hieroglyphico Dei, ponebant ſphingem, prout refert Clemens Alexandrinus, ad ſimilitudinem hominis, & feræ depictam; quaſi dicerent, Deum & amandum, & timendum, prout explicat idem ille Pater: *Quod Deum oportet amare, & timere: amare quidem vt ſanctis benignum, & propitium: timere autem, vt qui ſit impijs iuſtus inexorabiliter.* (Clem. Alexand. lib. 5. Strom.)

2. Hoc ipſum demõſtrare voluit Deus per columnam illam ignis, quæ inſtar accenſæ facis in noctis tenebris populo Iſraëlitico prælucebat: *Præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* (Exod. 13.) Quia vt idem Clemens Alexandrinus dicit: *Si obedieritis lucem, ſi non obedieritis ignem.* (Clem. Alexand. exhort. ad Gent. paulo poſt princ.) Erat ipſis pro face, quæ lucem eis ſubminiſtrabat, atque in deſerto ducebat; vnde certam ſpem concipiebant, proſpero aliquando itinere perueniendi ad terram promiſſionis, in obedientia Deo debita perſeuerando: nihilominus volebat quoque Deus timeri, & reuerentiam ſibi ab illis exhiberi, nam columna quæ erat vice luminis eos deducentis, ſeruire quoque poterat pro igne eos conſumente, ſi obligationi ſuæ iniquè non ſatisfeciſſent. Atque ita doctus hic Pater introducit Deum, qui quaſi digito hæc duo demonſtrans, eis dicebat: ſi mihi obedieritis erit hæc columna ad prælucendum, ſin minus ad vos exurendos & conſumendos. Et ſanctus Cęſarius Arelatenſis doctrinam hanc vlterius proſequens, dicit: *Dux quidem erat Moyſes, ſed eos in columna lucis, & nubis Filius, & Spiritus Sanctus præcedebat.* (Cæſar. Arelat. hom. 4. de Paſc.) Quorſum autem Spiritus Sanctus, & diuinum Verbum aſſiſtebant, & præcedebant? An vnus illorum non ſufficiebat ad populum illum deducendum? Dicam quod in hac materia ſentio. Filio in quantum homini, iudiciaria poteſtas attribuitur; prout idem Chriſtus Dominus per Ioannem dixit: *Pater omne iudicium dedit filio*; atque ita conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum. (Ioan. 5.) Gratia verò & miſericordia pertinet ad Spiritum ſanctum, qui cœleſtia dona diſtribuere ſolet.

solet. Iam verò si solus filius populum illum deduceret, nimius foret timor sub vnius Iudicis iurisdictione, rigorem iustitiæ minitantis. Si autem solus Spiritus sanctus eos regeret, de magnitudine clementiæ eius confisi, minus audaces forent, & minus præcauentes. Ne autem plus quam oportet aut timeant, aut præsumant, & ne omnia sint timor, aut fiducia, habeant Duces filium Dei, eiusque Spiritum Sanctum; hoc est, eius misericordiam, & iustitiam, vt inter duo hæc extrema magis securi incedant.

3. Genes. 1. Caiet. ex Hebr. Incipit Moyses commemorare creationem Mundi, eiusque prima verba sunt: *In Principio creauit Deus Cœlum & terram.* Doctissimus noster Cardinalis Caietanus ex Hebræo transfert: *In principio creauit Iudex Cœlum & terram.* Difficilis profectò lectio, quia videtur non facile cum Vulgata conciliari posse. nam creare mundum, opus fuit bonitatis Diuinæ; nomen verò Iudicis seueritatem indicat. An ergo Creatio, quæ communiter Deo Creatori attribui solet, secundum hanc versionem, Deo Iudici attribuitur? Magnus Tertullianus, translationem hanc aut sequens, aut supponens, accommodatè ad nostrum institutū difficultatem hanc soluit: *A primordio Creator tam bonus, quam & iustus: Pariter vtrumque processit, bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est:* nimirum vt homines taliter amarent benignitatem creatoris, qualiter seueritatem Iudicis vererentur. Conformiter ad distinctionem rerum quam Deus tunc fecit, discursum suum dirigit Tertullianus, alludens, vt videtur, ad eam, quam in extremo iudicio bonorum, & malorum facturus est Dominus, illos saluans, hos condemnans; atque adeò dicit: *Omnia vt bonitas concepit, ita iustitia distinxit,* & existimat, quod eandem quoque doctrinam inde elicere debeamus, nempe inter amorem, & timorem viuendum nobis esse, vt tuto & securè incedamus.

Tertull. lib. 2. cont. Marc. cap. 10.

Ad hoc propositum ponderat sanctus Irenæus diuersa illa nomina quæ Moyses Deo attribuebat, quandoque enim dicebat: *Deus tuus ignis consumens est*; aliàs verò, *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis.* Quid sibi vult tam diuersa nomina Deo attribui? Sapienter admodum hoc nobis edisseret hic Sanctus: *Moyses transgressori legis populo, igneum Deum esse dicebat, igneum à Deo diem superduci minitans; his verò qui erga Deum timorem habebant, Dominus Deus dicebat misericors, pius & magnanimus, &c.* Videte, fideles, qualiter Deus sphinx sit, in figura hominis, & feræ, qui ametur, & timeatur, vt eum & amare, & timere discamus. Neque enim efficacior consideratio dari potest, vt Christianus in officio contineatur, & recto semper tramite incedat, quam continuo recordari dulcedinis, & rigoris Dei; huius quidem ad eum timendum, illius verò ad eum amandum. 4.

Iren. l. 4 aduers. Hæres.

Magnoperè ponderanda sunt verba illa, quibus Propheta Isaias petebat à Deo, vt diuinum suum Verbum mitteret in mundum ad eum liberandum: *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ.* Videtur quod melius dixisset Propheta: Veniat Leo de Iuda. Sic enim in diuinis litteris nominatur Redemptor, sitque Rex, & Dominus mundi, non autem veniat agnus. Leo enim quia Rex animalium, & propter vires suas, ac generositatem, symbolum est potentiæ, & fortitudinis, quæ in eo qui regere debet, ac gubernare, requiritur: Agnus verò imago est patientiæ, 5.

Isaia. 16.

tientiæ, & humilitatis, propria ei, qui seruit, & obedit. Verumtamen optimè dixit Propheta, inquit Cardinalis Victriacus, cum Agnum petijt, & Dominum: Perinde ac si diceret: *Emitte agnum, ne desperemus, dominatorem, ne præsumamus; vt scilicet speremus, & timeamus. Hæ siquidem sunt duæ deargentatæ columbæ pennæ, spes & timor.* Et quemadmodum si vna tantummodo ala avi desit, volare non potest; ita anima Christiana, si careat vel amore, vel timore Dei, qui alæ sunt, quibus in quantùm viatrix seipsam mouet, incedere non poterit, nec cœlum conscendere; atque adeò coniungere oportet formidinem & fiduciam, spem & timorem.

Victriac. serm. 1. Domin. 25. post Pětecost.

4.

6. Quam sapienter ac ingeniose disseruère sacri Interpretes super maledictione illa, quam Christus Dominus coniecit in ficulneam illam, quam, Sancto Marco teste, absque fructibus reperit: *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Saluator hæc verba vix protulerat, *Et arefacta est ficus.* Quærunt modo Interpretes, quid Saluator huic ficulneæ maledicens, eamque arefaciens intenderit, cum ipsum non offendisset, & tam aliena foret à culpa, quàm libertate? Et siquidem omnes Christi actiones magna quædam Sacramenta includebant; altum profectò mysterium in hoc tam seuero, & rigido miraculo contineri debet. Ita sanè & Theophylactus, appositè ad rem nostram, ingeniosè illud detexit: *Quoniam sæpe Christus miracula fecit, benefaciendo hominibus non viderant autem Discipuli potentiam eius, si quem vellet affligere: eius gratia, hic vult ostendere Discipulis, quod & affligere, & se crucifixuros in vno momento perdere potuisset, si voluisset: ideò in arbore insensata ostendit virtutem suam.* Et siquidem præcedentia miracula eos inuitabant ad eum amandum, præsens certè eos obstringebat, vt eum timerent. Idem obseruat Sanctus Ioannes Chrysostomus, super cap. 21. Matthæi vbi illud ipsum miraculum refertur.

Iren. l. 4 aduers. Hæres.

Marc. 11.

5.

Isaia. 16.

Theoph. in c. 11. Marc.

Chrysost. hom. 68. in Matth.

Modo intelligo quare Sanctus Bernardus Christum Dominum compararet api: *Cui mel in ore, in cauda aculeus.* Nam quemadmodum apis in ore florem gerit, & in cauda verò aculeum quo repugnat, & pungit: ita hic Dominus & dulce, & amarum; mel, & aculeum; misericordiam & iustitiam habet; vt hâc timeri se faciat, illâ verò amorem nostrum sibi acquirat, & hac ratione in ordine, & officio nos contineat, ne à statione nostra, excusso obedientiæ iugo, digrediamur, cumque offendere audeamus. 7.

Considerate quid tempore captiuitatis Christi Domini acciderit. Venit Iudas cum militibus, eique pacis osculum porrigit: dicit ei Christus: *Amice ad quid venisti?* Eodem verò tempore, dicens ijs qui ad se capiendum aduenerant: *Ego sum*, dicit Euangelista, quod *ceciderunt in terram.* Domine mi, & Redemptor animæ meæ, liceat mihi te interrogare, & petere. Si proditorem amicum voces, vt quid tam diuersimodè cum militibus agis, eosque in terram conijcis? Tam dulcem & amabilem summo tuo inimico te exhibes, tam fortem & seuerum ijs qui te minus offenderunt? dicant alij opinionem suam, mea quidem (nisi quia mea, displiceat, & minus mereatur) est, cœlestem Magistrum, amore falsi Discipuli vtrumque fecisse; intendit enim Iudam conuincere, demonstrando obligationem quàm habebat ad se amandum, cum eum agnoscens, amicum appellaret, 8.

Matth. 26.

*Amice*, ac simul quantoperè obstringeretur ad se timendum, quandoquidem tam validum, & potentem omnipotentiæ suæ effectum conspiceret, cum vna sola voce, omnes suos inimicos prosterneret, & in terram conijceret: *Ceciderunt in terram.* Quasi diceret Christus: si te suauitas & amor, quibus tecum ago, audacem te faciant, terreat potestas quam habeo, & amor meus te obstringat, vt me ames, potestas autem mea, vt punitionem reformides, & de emendatione cogites, cum tam grauiter me offendas.

9. Tanti verò momenti est hæc doctrina, vt etiam post resurrectionem suam Christus Dominus eius nobis exempla subministrarit. Egregia profectò est cogitatio S. Gregorij Magni, qui expendit ea quæ sacer Euangelista de Angelo illo refert, qui tamquam testis resurrectionis Christi, mulieribus ad sepulchrum apparuit: *Erat*, inquit, *aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix.* Quomodo hæc tam diuersa coniunguntur? aut quam vnum cum alio connexionem habet? Maximam quidem, licet non tam facilem intellectu. *Quia omnipotens Deus, & terribilis est peccatoribus, & blandus est iustis*, inquit magnus Doctor; quasi diceret: Non videtis conspectum fulguris terrere, niuis verò quandoque animare, & recreare? Ita quidem. Mirabilem itaque duorum præcipuorum attributorum, quæ nostro modo concipiendi, sunt in Deo, significationem hic videtis, peccatoribus terribilis est, & iudex; iustis verò blandus & misericors. Peccatoribus vehemens est fulgur, quod eos adurit, & absumit, iustis autem blanda nix. Optima profectò doctrina peccatoribus, quales nos sumus; amare nempè, & timere Deum, nec tantum de eius misericordia confidere, vt eius iustitiæ obliuiscamur. Et siquidem prima Euangelij verba nos animent, ac recreent, quibus Christus Dominus sese vt amabilem Patremfamilias introducit, nouam vineam, recenter plantatam in terra bona, ex vera & bona vite, munitam turri, torculari, & reliquis necessarijs requisitis instructam, agricolis elocantem: *Homo erat Paterfamilias, &c.* Intimident, & terrefaciant nos alia, quibus parabolam concludens, non iam Patrem, sed Dominum se nominat: *Dominus vineæ*, rigurose ac seuere condemnans illos ipsos quibus vineam elocauerat, eamque, quia constituto tempore non debite satisfecerant, ab eis auferens, eamque alijs agricolis elocans, qui vineæ illius fructibus melius sibi satisfaciant, verificans illud Poëtæ: *Arma tenenti, omnia dat, qui iusta negat.* Hæc omnia nos docent verba Saluatoris: Auferetur à vobis, Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Matth. 28.

Gregor. hom. 11. in Euang.

Lucan in Pharf.

---

*Auferetur à vobis.*

## Consideratio II.

*Quod cum aliquis extra sphæram capacitatis suæ sese extendere voluerit, iusto Dei iudicio amittat quod habebat, ac insuper non acquirat quod desiderat.*

Singulari Dei fauore & auxilio opus est, vt intra fortunæ suæ limites sese contineat, qui alienis impendijs rem suam familiarem adaugere potest. Celebrauit alius ille in Mecœnati continentiam illam, & mediocri-

*Propert. l. 3. allegor. 8.* diocritatem: *Mecœnas eques, etrusco de sanguine Regum: intra fortunam qui cupis esse tuam.* Paterfamilias agricolis his vineam suam dedit, vt eam colerent, fructus eius colligerent, & annuam fructuum pensionem soluerent. Cum autem tempus fructiuum appropinquasset, misit seruos suos, vt pretium elocationis expeterent, sed tam inhumani fuere hi agricolæ, vt alios lapidauerint, alios ceciderint, alios verò occiderint. Misit & filium suum, vitam ei adimunt, vt hac ratione hereditatis dominio potiantur. Hoc autem inde consecuti sunt, quod Dominus vineæ eam ab ipsis abstulerit, & nouis agricolis elocauerit; atque ita lubentes, vel inuiti dominio quod ambiebant, & elocationis tabulis, quas habebant, destituti remanserunt. Iusto enim Dei iudicio fit, vt, qui plura quam sibi conueniant, & facultates ferant, desideret, perdat ea quæ habet, & omnibus destituatur. *Lucan in Phars.* Continuata huiusce rei series nobis desumenda est, ad firmam discursus nostri probationem efformandam.

2. Magna fuit malitia primi Angeli; simulatque enim ex manibus Creatoris sui prodiuit, non solùm eum non agnouit, ac gratias egit, sed etiam vana illa, & elata cogitatione superbiuit, & in eum insurrexit: *In cœlum conscendam similis ero altissimo.* *Isaia 14.* Non ambiuit dœmon verus esse Deus, & Deum loco, ac sede sua priuare, & in ea ipse consedere, prout ex professo probat Angelicus Doctor Sanctus Thomas; *Thom. 1. p. q. 63. art. 3.* subtilis enim erat, & videbat omninò fieri non posse, vt Deus esset, Deumque sede, & loco suo exturbaret; malitia eius eò tantum peruenit, vt desiderauerit similis ei fieri, ideoque dixit: *Similis ero Altissimo.* Adeò vt non suffecerit ei, quòd Angelus esset, sed præsumptuosè Deus videri voluit. Quid autem ex vana hac cogitatione vtilitatis consecutus est? quærit Sanctus Ahelredus? quid? dicit id Sacer *Ahelred.* Textus: *Verumtamen ad infernum detraheris, & in profundum laci.* Pœnas verò quas dedit, cùm peccato eius componit modò hic sanctus, & vtrumque magnam inter se proportionem habere, deprehendit: *Digna retributio, vt qui cœlum voluit alatus ascendere, in infernum trahatur inuitus: nec ad quamlibet partem inferni; sed qui cœli summa petebat, ad ima descendat inferni.* Vt summum infimo opponatur, & omnia quæ possidebat bona, amitteret, diuina iustitia ita ordinante, vt omnia amittat is, qui omnia desiderabat.

3. Ambitionis, & auaritiæ, vel alterutrius spiritu ductus Rex Ozias, summi Sacerdotis officium, & dignitatem inuadere, ac vsurpare voluit; cumque *2. Paral. 26.* ipsi summo Sacerdoti, incensum pro populo oblaturo, non nisi semel in anno Sancta Sanctorum ingredi liceret, sumpto Ozias thieribulo, prout dicit Sanctus Ioannes Chrysostomus: *In Sancta Sanctorum irrupit, qui locus omnibus erat inaccessus, præterquam primario Sacerdoti.* *Chrysost. de verb. Isaia hom. 5.* Ad hunc enim temeritatis terminum ambitione quispiam peruenit; taliter sese præcipitat, nihil enim est quod ei sese opponat, nec Dei Lex, nec eius iustitia, non mors, vel infernus. Accurrit mox ipse summus Sacerdos Azarias, & cum eo octoginta Sacerdotes admodum fortes, & animosi; & omnes simul, inquit sacra Scriptura. *Restiterunt Regi, atque dixerunt: non est tui officij Ozias, vt adoleas incensum.* Quis cogitasset futurum aliquem qui potentiæ Regem, in re aliqua, quæ tantoperè ipsi cordi erat, impediuisset, quantumuis iniusta illa



foret?

foret? Facessite, sufficiebat enim ambitionis eam esse, nam si non homines, certè lapides in eum insurrexissent. Prosequitur autem Sanctus Doctor: *Qui contendit supergredi proximos, multas inueniet difficultates, multos patietur contradictores.* Neque verò hic solum substitit, sed etiam Deus in ipsum animaduertit, & *Orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus*; & cum eadem (quod ad institutum nostrum facit) tamquam leprosus, non solum ex templo, sed etiam ex ciuitate eiectus fuit, regnumque perdidit: *Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini, &c.* inquit Sacer Textus. Et Chrysostomus disertissimis hisce verbis discursum suum concludit: *Ingressus est, vt Sacerdotium vsurparet, etiam regnum perdidit: ingressus est, vt fieret venerabilior, & factus est execrabilior.* Si extra terminos sibi à Deo præfixos non prosilijsset, & regia dignitate contentus fuisset, tanta ei desolatio non superuenisset, extra sphæram capacitatis suæ ire voluit, atque etiam Sacerdos esse. Iustum proinde Dei iudicium fuit, vt, cum tanta simul arripere, & amplecti voluerit, omnibus priuaretur, & Regnum, ad alium magis dignũ possessorem, transiret, & vinea ab ipso auferretur, & agricolæ magis grato tribueretur: *Porro Ionathan filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.*

4. Capite tertio Danielis narratur,
Daniel. 3. quod *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex*: & mandauit, vt omnes sub pœna capitis eam adorarent. Adeò vt eius malitia non solum eum adduxerit vt se Deum esse, sed ipsam quoque suam statuam & imaginem, manu artificum elaboratam, Deum esse crederet; eamque vt talem posuit, mandans vt omnes eam adorarent, prout ponderat magnus Theodoretus. Verum enim verò animaduertite, inquit hic pater, quid ei acciderit eo tempore, quo ipse gloriæ incrementis se maximè sublimatum existimabat: *Vox de cœlo ruit, tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum tuum transibit à te* (quod idem est, ac *Auferetur à vobis Regnum Dei*) *& ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua.* Audite modo Theodoretum sententiam hanc exponentem: Itaque belle in istum regem quadrat illud Dauidis: *Homo cum in honore esset, non intellexit: cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, nempè Pa- Psal. 48.
ter noster Adam, qui Deus esse desiderans, quod fieri nequaquam poterat, perdidit quod erat, Dei scilicet imaginem & similitudinem; & gloria quã antea habebat, in ignominiam versa est, & instar bruti effectus est; hoc enim euanescenti ambitioso proprium est, prout etiam dixit Sanctus Ambrosius: *Ambitiosus, dum vult esse sublimior, fit remissior*, cumque Dominus vineæ esse vult, ne quidem eius agricola relictus est. Ambros. l. 3. in Luc.

Infelix ille Rex Saul cum Philisthæis depugnans, videns exercitum suum cæsum, seipsum, in gladium suum irruens, occidit. Aderat ibidem adolescens quidam, & vti videtur miles, qui credens Dauidem lætaturum, si sciret Saulem crudelem persecutorem suum iam obijsse, eò quòd hac ratione pacificam Regni possessionem esset sumpturus, accipit regalem coronam à capite Saulis, eamque ad Dauidem deferens, dicit: Domine mi, mortuus est Saul. Qui nosti? Scio, Domine mi, quia præsens adfui, eumque pœnè interemptum 5. 2. Reg. 1.

ptum occidi. Casu veni in montem Gelboë, eumque vidi hastæ suæ incumbentem, ille summis cum doloribus, & angustijs in sanguine suo se voluntans, rogauit me, vt iam pœnè interemptum occiderem, & ab angustijs, & afflictionibus, quibus premebatur, liberarem. Feci id, Domine mi, *Et tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Vix verba compleuerat, cum Dauid vni seruorum suorum præcepit, vt eum occideret: *Qui percussit illum, & mortuus est.* Scio multos, sequentes Theodoretum, dicere, miserum hunc hominem seipsum condemnasse, dicendo, se Amalecitam esse, contra quos Deus sententiam mortis protulerat, præcipiens vt milli eorum parceretur. *Erat Amalecita, in quem vniuersorum Dominus iam tulerat sententiam mortis.* Verumtamen Dionysius Carthusianus euentũ hunc expendens, egregiam admodum doctrinam moralem protulit; dicit enim, quod Dauid magna de causa, nimirum quia excesserat, cum occidi iusserit: *Sanguis tuus super caput tuum, id est, tibi ipsi, & tuo excessui imputata est hæc tua occisio, quia hanc meruisti.* Alij aliter explicabunt hæc verba. Mihi verò videtur eum dicere voluisse, eum merito pœnas dedisse, eò quòd, cum miles esset, non in cassidem, sed in coronam manus coniecerit. Si tu miles sis, & non Rex, quis te constituit, vt de corona ageres? Regibus, qui coronari solent, eam derelinque, & cassidem, quæ ex conditione tua tibi conuenit, assume. Non nisi ex limitibus tibi à Deo constitutis, & extra capacitatis tuæ sphæram transgredi desideras: morieris itaque, & neque cassidem neque coronam habebis, & nec miles eris, nec Rex: ita enim Diuina Maiestas disponit, vt qui ad maiora, quam sibi conueniant, adspirat, perdat & illud quod possidet.

*Theod. q. 1. in lib. 2. Reg.*

*Carthus. hic.*

5.

6. Confirmat hanc cogitationem factum Alexandri Magni, quod refert Aulus Gellius; nimirum, quod cum hic Princeps quadam die sub noctem, in sinu quodam maris in scapha subsisteret, æstum præstolaturus, corona ex capite eius deciderit: nauta quidam natandi peritissimus, sese mox in aquã, coronam exempturus, coniecit. Ille eam comprehendit, & sese ad enatandum conuertens, vt liberius aquas scinderet, & manus non impeditas haberet, eam capiti suo imposuit: egressus eam mox accepit, ac Regi obtulit. Tum Alexander pro dexteritate & agilitate commissa, certam pecuniæ summam ei dari iussit, & pro audacia, & temeritate, qua coronam capiti suo imposuerat, illud è vestigio amputari iussit, in testimoniũ pœnæ illius quam meretur is, qui ad maiora adspirat, quam sibi debeantur.

*Aul. Gell.*

7. Diabolus Christum Dominum *statuit supra Pinnaculum Templi*, quod omnes supremum Templi fastigium fuisse dicunt; eo verò in ea altitudine posito, dicit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs suis.* Quasi diceret: Cogitaui ego, quod vt fama tua vndequaque valet, & mundus, pro eo qualis es, te agnoscat, & recipiat, sanum consilium fore, si te inferius hinc conijcias, & omnis Ierusalem quasi è cœlo descendentem te videat. Nullum verò damnum oriri inde poterit, nam: *Angelis suis mandauit de te*; cumque Scripturas memoria teneas, scriptum est: *In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Sanctus Ambrosius hanc satanæ actionem ad mores transfert, & notat sollicitudinem

*Matth. 4.*

dinem qua efficere conabatur, vt Christus Dominus ascenderet, non vt in loco alto existeret, & sese iam eleuatum contineret, sed vt casus eius grauior foret; dicitque inimicum hac ratione cum ambitiosis agere, Deo iusto suo iudicio id permittente: *Hoc quidem est iactantiæ, vt dum se putat vnusquisque ad altiora conscendere, sublimius vsurpatione factorum ad inferiora detrudatur.* Quis ambitioso damnorum illorum causa fuit? Effrænata eius ambitio; si enim suo se loco continuisset, & fortunæ suæ limites non excessisset, certum est quod ea non excidisset.

*Ambr. l. 4. in Luc.*

8. Ponderat magnus Ecclesiæ Doctor Sanctus Gregorius, seueram illam pœnam, quam Diuina Maiestas auaro illi diuiti, qui mendicum Lazarum ad ianuam suam habebat, inflixit; quæ non contenta eum in perpetuum ad infernum condemnasse, etiam temporali pœna affecit, eum scilicet proprio nomine priuare, non enim dicit, qui vocaretur, sed *homo quidem, &c.* Cum tamen de paupere illo dicat, quod nomen eius fuerit Lazarus. *Notandum etiam est, quod in populo plus solent nomina diuitum, quam pauperum sciri. Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dixit: Quia Deus humiles nouit, atque approbat, superbos ignorat.* Dictum bene: ergo verò hanc Sancti huius doctrinam vlterius prosequi velim, vt inde discursus mei probationem desumam. Dicit, quod ad superbum hunc diuitem castigandum, proprio eum nomine priuauerit. Quæro modò, in quo maxima peccatoris huius superbia constiterit? Insignis noster Caietanus existimat, quod in volendo esse, & videri plus quam reuerà esset; probat ex eodem Scripturæ contextu, qui dicit: *homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso. Peccatum luxus ex vestitu exteriori significatur, purpura enim Regum non cuiuscumque diuitis est.* Hominem itaque, qui persona ordinaria cum sit, se tamen vt magnatem gerit, & tanta honoris ambitione ducitur, vt Rex quidam apparere velit eum; ipso etiam nomine priuando castiget Deus, & humilioribus inferior remaneat; nam illos quidem Deus, & mundus nominibus suis appellat, de hoc verò nequidem qui vocaretur, nescitur. Hæc nimirum merces est, quam quispiam, humilis conditionis cum sit, seipsum nimium efferendo, refert, tam vilem vtique, & abiectum remanere, vt etiam nomine quod habebat, spoliatus videatur.

*Luc. 16.*

*Caiet. hic.*

9. Notum est; maximum antiquæ legis honorem, & maximè illustrem laudem fuisse, alicuius ex duodecim Tribubus Israël caput esse. Certum quoque est, vnam ex illis fuisse Dan, cuius toties meminit Scriptura Sacra. Quando autem Sanctus Ioannes duodecim Tribuum populum in cœlo vidit, non refert se vidisse Tribum Dan, sed eius loco substituit Tribum Leui, prout Sanctus Hieronymus obseruat. Quæ ratio fuerit, propter quàm eius non meminerit? Multas nobis offerunt Sacri Interpretes, quas curiosi apud Authores in margine citatos videre possunt. Ego verò, eorum venia, moderni cuiusdam docti opinionem sequi debeo, qui censet quod hæc Tribus, quia limites sibi à Deo præfixos transilire voluit, etiam locum quem inter reliquos Filios Israël habebat, amiserit. Probat hanc suam cogitationem loco illo libri Iosue: *Ascenderuntque filij Dan.* Vbi conformiter ad hebræum legit: *Et exiuit terminus Dan ex ipsis.* id est, egressus est Dan de terris eorum, & in ijs contentus non fuit, & alias occupauit, vt plu-

*Apoc. 7. Hier. l. 1. contra Iouinian. Perer. in Apoc. Disp. 20. Riber. Alcaz. Velasq. in cap 2. ad Philipp. v. 6. ann. 7. mor. Iosue 19.*

vt plura bona lucraretur, & maiores diuitias acquireret. Quapropter catalogo virorum illustrium Israël adscribi non meruit, eoque honore priuatus fuit. Æquum profectò fuit, vt perderet quod erat, qui plus voluit quam haberet. *Noluit Tribus Dan intra diuinæ ordinationis cancellos concludi, sed præscriptos sibi terminos egressa, maiores comparare diuitias, & altiorem honoris gradum conscendere, sibique tandem fortunam fingere.*

Velasq. sup.

10. Admirabilis ad hoc propositum est Historia Simonis Magi, quam refert, & ponderat Sanctus Ambrosius. Dicebat, & constanter affirmabat hic scelestus Christum Dei filium se esse, & siquidem necessarium foret se veritatem hanc, etiam cœlum versus ascendendo, probaturum. Confestim arte magica volare cœpit. Sanctus Apostolus Petrus eum volantem videns, in genua prostratus, ad orationem sese composuit, quæ prius, quam incantatoris huius volatus ad cœlum perueniit. Et mox in rupem concidens, crura sibi confregit, adeò vt incedere non potuerit. Audite modò sententiam, qua hic Sanctus euentum hunc concludit: *Et hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulo ante volare tentauerat, subito ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* Idem ijsdem verbis dicit Sanctus Maximus homilia quinta de Sancto Petro, & Paulo. Euenit infortunato huic quod Papilioni, quæ non contenta per aërem incedere, alis suis tam altè volare vult, vt ad ignis vsque regionem pertingere intendat, adeoque paupercula combusta moritur. Quis te, Papilio, ad tam alte volandum constituit? Non sufficit tibi in aëris regione volare? Alas, & cum illis vitam, quam habebas amittes, cum plus volueris, quam natura tibi concesserit; qui taliter luit, taliter soluet. Sibi ipsis culpam attribuant vineæ agricolæ, cum pravus ipsorũ procedendi modus, damni quod incurrerunt, causa exstiterit. Non suffecit ipsis seruos se esse, sed domini esse voluerunt, & ex agricolis proprietarios se facere; ideo vinea ab ipsis ablata est, & nec vnum, nec aliud habuerunt. Dignissima profectò temerariæ suæ culpæ pœna: *Auferetur à vobis, &c.*

Ambr. serm. 66.

Apoc. 7. Hier. l. 1. contra Iouinian. Perer. in Apoc. Disp. 20. Riber. Alcaz. Velasq. in cap 2. ad Philipp. v. 6. ann. 7. mor. Iosue 19.

9.

---

*Auferetur à vobis.*

## CONSIDERATIO III.

*Quod Deus damnorum nostrorum non sit author, eo quod peccata quæ committimus, causæ sint pœnarum quas patimur.*

AVferetur à vobis Ecclesia, cultus, & mea erga vos assistentia (inquit agricolis Paterfamilias) quid ais Domine, & Deus vitæ meæ? An non tu ille es, qui hisce bonis illos priuabis, & spiritualem, quàm possident vineam auferes, quandoquidem non dicas: *Auferam à vobis Regnum Dei?* sed, *Auferetur, &c.* quasi ab alio id faciendum sit. Sed certum est, quod pro connaturali suo amore, non patietur se, (cum reipsa non sit) damnorum nostrorum authorem haberi: nam peccator, eiusque peccatum pœnarum quas patitur, causa existit. Considerаui quandoque, pro solita mea tenuitate; quare Deus, & Dominus noster primum hominem ex Paradiso non exemerit, quandoquidem eundem eò adduxerit? Adam namque de terra Damascena, pedibus suis ad Paradisum non venit, sed ipsæ Dei ma- 1.

nus,

nos, quæ eum efformarunt, eum quoque eo detulerunt, atque inde pedibus suis discessit, prout videre licet in differentia quæ est inter: *Posuit eum in Paradiso*; & *emisit eum de Paradiso.* Capere quidem eum potuisset, & extra ponere; sed eum eiecit, non autem exemit, vt videat non nisi à Dei manu Paradisi felicitatem sibi obuenire posse; à se ipso verò infortunium mortalitatis, cùm omnibus malis, quæ ipsum à Paradiso, & Deo seiunctum, & remotum consecuta sunt.

2. Egregie ad hanc rem facit quod ex mente Diui Basilij Magni animadverto. Legite attentè omnes maledictiones, quas in Legis transgressorem conijcit Deus, & videbitis quod populus ad singulas responderit: *Amen:*

Deut. 27. *Maledictus qui nõ honorat Patrem suum, & matrem: Et dicet omnis populus: Amen.* Atque ita ad reliquas maledictiones, quas Leuitæ imprecabantur, respondebat populus: *Amen.* Notat modò hic Sanctus, quod ad benedictiones quę in Legis obseruatores conferebantur, populus nunquam responderit, *Amen*; hoc modo: *Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro*; & non adiungit *Amen. Cur* autem, quærit Sanctus Basilius, *recitatis maledictionibus, adiungitur Amen: benedictionibus verò nulla sequitur affirmatio?* Vt ad hanc dubitationem respondeat, vtitur hic Sanctus verbis quibusdam Sancti Apostoli Pauli ad Corinthios, & dicit hoc modo: *Diluet hanc dubitationem Apostolus 2. ad Corinthios 1. dicens: Filius Dei non est, etiam & non, sed in ipso est etiam: omnes enim Dei promissiones in ipso sunt, etiam Amen.* quasi diceret: Non recordamini eius quod dicit Sanctus Paulus, nimirum, quod ad hoc vt Deus eiusque Filius beneficia in nos conferant, à nobis minimè dependeant, nec opus eis sit oris nostri *Amen?* motivum enim nobis benefaciendi ab intrinseco habent, estque ipsis proprium, & ipsi sibi respondent, cumque nobis benefaciunt, *Amen* dicunt. Sed modò ad nodum difficultatis. Ratio quare Hebræorum populus ad maledictiones diceret *Amen*; hoc est, ita eueniat, fuit, quia pœnæ quas patimur tam alienæ sunt à conditione & natura Dei, vt earum executio à nostra propria voluntate magis, quam à diuina procedere videatur: atque ita ipsi nos sumus qui dicimus, vt maledictiones, quibus nobis minatur Deus, perficiantur, & eueniant. Verùm in benedictionibus necessarium non est vt respondeatur *Amen*; Nam quemadmodum Deum, sua ipsius naturalis bonitas ad nobis benefaciendum eousque inclinat, vt vltro illud facere desideret, & se facturum promittat, vt infallibiliter executioni mandetur, ideò ipsemet *Amen* dicit, nec expectat, aut sperat vt nosipsi illud dicamus. Sine horum agricolarum *Amen* vineam suam eis commisit, sed absque eo ab eis non abstulit; nam illi ipsi proprio se gladio iugulant, atque confodiunt, dicuntque se mereri vt dominium ab eis auferatur: *Malos malè perdet, &c.* Vtque hæc veritas magis appareat & elucescat, quando sententiam, quam contra seipsos tulerunt, Dominus confirmat, non dicit, quod vineam ab eis auferet, sed quod illa ab eis auferetur: quod idem est ac dicere: fiet quod vos ipsi dicitis, & vos ipsi vindictæ quam peccata vestra promerentur, executores eritis: *Auferetur à vobis, &c.*

A fide veri Dei Israël apostatauit Regnum Samariæ, faciendo idola, & vitulo cultum venerationemque Deo debitam tribuendo. Ad hæc alludunt 3.

verba

Osea 8. verba illa Prophetæ Oseæ: *Proiectus est vitulus tuus, Samaria.* Vel prout ex Hebræo transfert insignis noster Hispanus Arias Montanus; *Proiecit te vitulus tuus, Samaria.* Et idem est, acsi dicatur: Vt vitulum adorares, Deum tuum dereliquisti: verumtamen & ipse promptè tibi soluit, & pœnas, quas peccata tua promeruerunt, tibi inflixit; nam cuspide suo te confixit, & de florescenti, ac glorioso statu quo fruebaris, te deiecit, & instar mancipij, ijs quibus antea dominabaris, seruire iussit: *Significat Israëlem, cuius Regia Samaria fuit, cornu petitum, & proiectum esse ab eo vitulo, quem ipse sibi aluerat, translatione ad rem accommodata pulcherrimè vsus. Significat autem abductionem, & captiuitatem Israëlitarum, qui propriâ Idolomaniæ culpa à suis sedibus eiecti sunt, perinde ac si cornibus vituli, quem ipsi nutrierant, expulsi, & exturbati fuerint*; inquit Doctissimus Montanus. Quasi obnuntians, se pœnarum, licet omnes à manu sua proueniant, authorem non esse; vt de se-ipsis, non autem de Deo conquerantur: si enim peccata eorum non exstitissent, numquam ad tam vilem, & miserabilem statum, in quo se deprehendunt, peruenissent. Corvus quem nutriuerunt, oculos ipsis eruit, & vitulus quem adorarunt in captiuitatem illos redegit, & ipsi delinquendo sui ipsorum sese carnifices effecerunt: *Proiecit te vitulus Samaria.* Non dicit Dominus quod ipse eos proiecerit, sed quòd peccatum ipsorum eos destruxerit; neque enim Dei nostri pietas, & benignitas patitur, vt damnorum nostrorum authorem sese esse fateatur; & meritò: non nequidem cum pœna saluti conuenit, se eius inuentorem fatetur; quia nec etiam tum voluntati eius, sed tantum obligationi, in quam peccata nostra ipsum conijciunt, conformis est.

*Ar. Mōt. ex Hebr.*

3-

Modò intelligetur alius Isaiæ locus, 4. quem Interpretes diuersimodè exponunt: *Peccata nostra responderunt nobis.* Ego verò, expositorum venia, nouam, & particularem explicationem adhibere debeo, & meo iudicio, litteræ admodum conformem. Non loquitur hic Propheta de vocali responsione, quam homines mutuò dare solent, quando rem quampiam interrogant; cum certum sit, peccata, nec os, nec linguam ad loquendum habere, (licet Sancti Patres, ac diuinæ litteræ eis aliquoties ea attribuant) sed de alio responsionis genere, quod ita vocari solet. Castrum aliquod bellica sua tormenta explodit, & ictus (inquiro) vnde respondent? Ab hinc quatuor, sex, octo, vel decem milliaribus, prout ventus aërem impellit. Modo intelligetur allusio quam Propheta facit ad hæc verba: *Peccata nostra responderunt nobis.* Qualis autem fuit responsio? Quasi colubrinarum, & tormentorum muralium, quæ cum ab vna parte exploduntur, in alia longe distanti respondent. Nos Hispaniæ peccatores culparum nostrarum tormenta bellica, & peccatorum nostrorum igniuomas machinationes, summa cum Diuinæ Maiestatis iniuria, atque offensa, in cœlum explodimus, atque adeò necesse est, vt illa nobis respondeant, sed vbi? Non hic, vbi peccata nostra committimus, sed in alijs locis magis remotis. Vna die in Belgio, alia in Nauarra, alia in Catalonia, alia in Lusitania respondent. Et vt verum fatear, armorum strepitus, & tumultus tam sonorus est, vt ad omnes hinc & inde commorantes pertingat; hoc est: *Peccata nostra responderunt nobis.* Hæc sunt quæ loca nobis

nobis auferunt, & ex vineæ possessione deturbant, prout dixit Spiritus sanctus: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, &c.* necessarium quippe est, vt similibus causis, similes effectus respondeant. Eccli. 10.

5. Lugebat in Threnis suis Propheta Ieremias Reipublicæ suæ mala, ac Regni destructionem (prout aliàs ponderauimus.) *Serui dominati sunt nostri,* inquit sanctus vir, hoc est secundum litteralem interpretationem docti nostri Cardinalis Hugonis: Ad tam miserum statum deuenimus, vt *Serui nostri prius, posteà dominati sint nostri. Et gentes finitimæ, quæ prius erant subiugatæ, & quasi videbantur esse amicæ eorum, per dominium opprimebant eos.* Potuissemus nos in litterali dumtaxat horum verborum intelligentia detinere, propter doctrinam, quam calamitosis hisce temporibus accommodatam, exhibent: sed aliam, eamque spiritualem magni Ecclesiæ Doctoris Sancti Hieronymi referre volo, vt ex conferentia vtriusque, probationem assumpti mei, quam inquiro, deducam. Non fixit cogitationem Isaias (inquit optimus Scripturarum Interpres Hieronymus) ad temporalem Hierosolymæ ruinam: altius volauit eius consideratio, spiritualem desolationem, & confusionem deplorans animæ illius, quæ propter peccata sua captiuitati addicitur; *Hic spiritualis animæ ruina vastatioque describitur, caro quæ seruire debebat, dominata est animæ:* Propheta enim lachrymas suas profudit, videns confusionem quam peccata producunt, cum enim anima, corpus, & spiritus carnem regere debeat, anima per peccatum eò deducitur, vt imperij ius amittat, & mancipium eius cuius erat Domina, ac subditam cuius erat Regina, sese efficiat. Hic enim perturbatus est ordo qui in peccati republica cernitur. Secundum hæc duas seruitutes continet hæc prophetia, vnam spiritualem, alteram temporalem: illam animarum, hanc corporum: ac Prophetæ spiritualis prius quàm corporalis exhibita, & repræsentata fuit, hæc enim est pœnæ, illa verò culpæ; & quemadmodum culpa mater est pœnæ, ita prius peccatores, deinde verò punitos considerauit. Numquam enim Hebræi Gentilium seruituti addicti fuissent, nisi prius crudeli peccati seruituti seipsos subiecissent. Temporalis captiuitas responsio fuit iaculorum peccatorum suorum, quæ contra Diuinam Maiestatem prius exploserunt, atque adeò Ieremias calamitates, quas patiebantur & vineæ priuationem, ipsis attribuit: & ideò non dicit Deum eorum authorem esse.

Thren. 5. Hug. Card. Hiero. hic.

Ponderabat ad hoc propositum Magnus Pater Sanctus Augustinus, Sacrum Euangelistam Ioannem nobis dicere, quod cum Christus Dominus noster negotiatores illos Templo eiecit, fecerit flagellum ex funibus, quibus merces suas colligatas aduehebant, atque ita eos benè castigatos dimiserit. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo.* Et hic Sanctus adiungit: *Scriptum est, funiculis peccatorum suorū vnusquisque constringitur. Ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de resticula fecit, & inde expulit de Templo omnes, qui sua quærebant.* Quasi diceret: Quia, vti scriptum est, peccatorum suorum funibus sese vnusquisque constringit, ideò Saluator ex funibus, qui erant inter bona vendentium & Deum simili auaritia offendentium, instrumentum ad castigandum effecit. Quoniam peccator, qui culpam aliquam in Deum committit, primus est, 6.

Ioan. 2. Aug. in Psal. 130. Prou. 5.

est, qui ad sui punitionem instrumentum offert, atque ipse de seipso vindictam sumit. Adeò, vt non solum pedes & manus sibi liget, peccatis suis pro funibus ei subseruientibus, ne iugulationem euadere possit, prout dixit Spiritus sanctus per os, & calamum Salamonis, verum etiam gladium ex eis conficiat; adeò, vt omnia instrumenta ex parte sua ponat, omnia faciat, & omnium author sit: *De peccatis suis homines vapulant*; prout dixit gloriosus Augustinus.

7. Sequitur (more suo) Angelicus Doctor Sanctum Augustinum, explicans verba illa Christi Domini, per eumdem Sanctum Ioannem: *Eum qui venit ad me, non eijciam foras.* Audite obsecro attentè eius verba, nam & merentur: *Quia illi, qui egrediuntur, non tamquam à Christo eiecti egrediuntur, sed causa eiectionis sit ex parte ipsorum, qui per infidelitatem & peccata, à secreto rectæ conscientiæ recedunt, & sic dicitur, non eijciam ego foras, sed ipsi se eijciunt.* Quasi dicat: Meritò inquit Christus, quod eum qui veniet ad se, non eijciet foras, nec à se amandabit; cum certum sit, quod ex parte Dei non sit peccatoris abscessus, ipse enim est qui patris sui domum renuntiat, & spontè ab ea recedit; ac propterea affirmat Dominus officij sui esse eum detinere; *Non eijciam*, dici nequaquam potest, quod ipse manum extendat, vt eum à se propellat. Si ipse, quia vult, discedat, de seipso conqueratur; quia ipse exilij, & proscripsionis suæ causa existit: *Sed ipsi se eijciunt.* Quapropter Iudæi vineæ agricolæ de eius Domino immeritò conqueruntur quod ea ab eis auferatur, quandoquidem ipsi in sua causa arbitri fuerint, & sua ipsorum sententia eius sese possessione priuarint. Quam ob causam Saluator non dicit, quod eos castigare deberet, & hereditatem ab eis auferre, ac melioribus curatoribus eam committere, sed quod ab eis auferretur: quasi nolens sese infortunij ipsorum principium fateri, & eadem ratione docens, quod ipsorum peccata illud aduexissent: *Auferetur.*

*Thom. hic.*

8. Modo intelligetur alius difficilis locus S. Matthæi. Christus Dominus noster cum Discipulis suis mensæ assidens in nocte cœnæ, quando Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, illa adeò nota verba illis dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in Regno Patris mei.* Omnibus loquitur Redemptor, inquit Angelicus Doctor S. Thomas; neminem excludit, *vobiscum*, etiam in Iudæ consortio existens; itaque, vel dicere debemus, quod communionem ei non porrexerit, nec sanguinem suum ei dederit, quandoquidem in gloria eo non esset fruiturus; vel hæc vniuersalis: *Cum illud bibam vobiscum*, non est absolutè vera. Audite responsionẽ Magistri Angelici, nam eius eam esse satis apparet: *Christus loquitur Discipulis, à quorum Collegio Iudas se separauit: non autem Christus eum exclusit, & ideò Christus quantum est in se, etiam cum Iuda vinum in Regno Dei bibit, sed hoc conuiuium Iudas repudiauit.*

*Matth. 26.*

*Thom. 3. p. q. 81. a. 2.*

9. Excellens omnino est animaduersio Sancti Ioannis Chrysostomi, & instituto nostro admodum accommodata, ponderantis verba illa Redemptoris: *Quoties, inquit Ierusalem alloquens, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Mox verò, in pœnam quod noluerit, rem amplificans adiungit: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: Non dicit relinquam domum vestram*

*Luc. 13.*

*Chrysost. in Ioan. 8. hom. 52.*

*ſtram deſertam, ſed relinquetur, non addita perſona*; inquit Aureum os, neque enim paſſus fuit, ſeſe authorem haberi tantorum malorum, qualia ſunt, homines ſine Deo relinqui. Nihil ab eius voluntate procedit, quod nobis malum ſit; alibi eius origo quærenda; & propter eandem rationem quando hodie vineæ agricolis eius amiſſionem minatur, non dicit, quod eam ab eis auferet, ſed quod ab eis auferetur. In ſeipſis tantæ punitionis cauſam quærant, certo enim eam inuenient, cum tam publica ac nota ſint grauiſſima, & maximè enormia ipſorum peccata: atque adeò, *Auferetur*, ſignificauit; in me quidem nihil auxilij, fauoris, aut pietatis reliquum eſt: ſingulos meos affectus indagaui, & ne vnum quidem inter eos deprehendi, qui malus vobis fuerit, ſolummodo deſidero vt vos penes me protectos, & ſaluos inueniam: ſi quidquam paſſi fueritis, vos ipſi illud quæſiuiſtis, & in vobis ipſis cauſam eius deprehendetis. Qui ampliores diſcurſus huius probationes deſiderauerit, legat Sanctum Hieronymum ſuper Epiſtolam ad Galatas capite tertio, vbi occaſione maledictionum ſerpentis, & Adam pulcherrima quædam refert.

---

*Et dabitur genti facienti fructus eius.*

## CONSIDERATIO IV.

*Quod in domo Dei nulla ſedes vacet, quia eo ipſo tempore quo indigni eam perdunt, bene merentes eam occupant.*

1\. IN materia tam graui, qualis eſt ea, quæ in hac conſideratione tractanda nobis eſt, vt ſecuri incedamus, non expedit vel pedem figere, niſi Angelicum Magiſtrum Sanctum Thomam itineris ducem aſſumamus; qui in prima parte doctrinæ ſuæ quærit: *Vtrum prædeſtinatio ſit certa?* Hic eſt titulus articuli ſexti, quæſtionis 23. & quamquam ſanctus Doctor ad hoc dubium reſpondeat affirmatiuè, nihilominus argumenta quædam in cõtrariam partem adducit, quæ, vti apparet, oppoſitum concluſionis eius probant, ac præſertum primum, fundatum in verbis illis Apocalypſeos; *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Explicat id Magnus Pater Sanctus Auguſtinus: *Quod alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit*: igitur prædeſtinatio non eſt certa, & infallibilis. Ad hanc inſtantiam egregia diſtinctione reſpondet Sanctus Thomas, dicens, coronam duobus modis alicuius dici poſſe. Vno quidem conſiderando coronam ex parte diuinæ prædeſtinationis, & in hoc ſenſu nemo eam perdere poteſt; eò quòd neceſſariò eâ potiri debeat. Poteſt quoque ſumi corona, ſecundum meritum gratiæ; quia quod meremur certa quadam ratione eſt noſtrum: atque ita poteſt quiſpiam per peccatum mortale quod committit, perdere gratiam, quæ eſt eius corona. Atque in hoc ſenſu dicitur, quod alius amiſſam coronam accipiat, in quantum in locum eius ſubrogatus eſt.

*Thom. 1. p. q. 23. art. 6. ad 1.*

*Apoc. 3.*

*Auguſt. cit. à D. Thom.*

Hoc eſt quod dicit Iob non permiſſurum Deum aliquos cadere, niſi alios ſubleuet: *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Atque ita videbitis, in locum Angelorum qui ceciderunt, ſubſtitutos eſſe homines, & in locum Iudæorum Gentiles (quod idipſum eſt quod Euangelium noſtrum dicit;) *Auferetur à vobis* 2.

*Iob 34.*

*vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Pono hic ipsissimum (licet longum) Sancti Doctoris textum, eò quòd grauissima sint eius verba. *Ad primum ergo dicendum, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter, vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ; quod enim meremur, quodammodo nostrum est. Et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat; secundum illud. Iob 34. Conteret multos, & stare faciet alios pro eis. Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in loco Iudæorum Gentiles, &c.* Et Glossa hanc Sancti Thomæ doctrinam resumens, omnia duobus verbis complexa est: *Perdito malo, vinea alij datur, cum donum gratiæ, quod superbus perdit, humilis accipit.* Atque ita discursus noster ritè fundatus est, quod omni fideli plurimum intersit diuinam gratiam conseruare: quia aliquando taliter amittere eam potest, vt eam deinceps non recuperet: nam in domo Dei moris non est, loca vacare, nam quæ ab aliquibus, quia indigni sunt, auferuntur, mox alijs, quia ea promerentur, attribuuntur.

Thom. loco cit.

Apoc. 3.

August. cit. à D. Thom.

Glossa. Ordin. sup. hanc parabol.

3. De Henoch, viro Sancto, & magno Dei seruo, dicit Sacra Scriptura; *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Reflectit autem Doctus Cardinalis à Victriaco quod Deus Henochum ad Paradisum potius transtulerit, quam ad alium quempiam locum, in quo Diuina Maiestas collocare eum potuisset, vsque ad diem iudicij, quo tamquam præcursor Domini, ad mundum dijudicandum, venire debet (prout Sacra Scriptura nos illud docere videtur) licet Sanctus Hieronymus existimet, quod ad gloriam conscenderit: *Henoch enim & Elias mortis necessitate superata, ita vt erant in corporibus, de terrena conuersatione ad cœlestia Regna translati sunt.* Et dicit, Deum de industria id fecisse, ne vacuus esset locus quem pater noster Adam deperdidit. *Henoch, qui iustus erat inter peccatores, in locum vnde peccatores eiecerat, id est, in paradisum transtulit* Non videtis quod Deus *Emisit eum de paradiso?* necessariò itaque alium in eius locum substituere debuit: *Et translatus est in paradisum.* Enocho, inquit Deus, coronam quam Adam perdidit, dereliqui; vt sciatur, quod in amicitia Dei, locus, quem aliquis deserit, non vacuus remanere, & deserentem exspectare; sed potius quamprimum alteri tradi soleat: *Auferetur, & dabitur.*

Eccl. 44.

Hieron. tom. 1. Epist. Miner. & Alexand.

Victria. serm. 1. Domin. 2. Quadrag.

4. Quam aptam, & bene conditam ponderationem nobis offert insignis noster Oleaster! *Dimitte me* (inquit Deus Moysi) *vt deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Quid hoc sibi vult, (quærit hic grauis Doctor) an fortè Moysis prosperitas à populi sui ruina dependeret? Haud equidem credo. Nec etiam intendit probare Moysen, probè enim sciebat, quod pluris faceret desiderium & oblectationem ipsius Dei, & bonum populi eius, quam proprij honoris, & lucri augmentum; prout ostendit Palatium Pharaonis pro deserto deserens. Quare ergo Moysis commoda, & lucra, cum populi sui interitu cōponit Deus? Audite responsionem, authore suo dignam: *Probat locus iste, quod communiter Sancti dicunt, neminem videlicet Deum deijcere, nisi alterum subleuet. Vult eos consumere, sed non delebit, nisi Moysen*

Exod. 32.

Oleast. hic.

*sen faciat in gentem magnam.* Ex quo patet conditio & natura Dei, qui nescit misericordias suas continere, sed cum bonum aliquod quidam non promerentur, alios quærit qui illud accipiant, & vult vt hi fruantur ijs, quæ alij perdiderunt.

5. *Psal.* 108. Psalmus centesimus octauus Dauidis, plagarum, & suppliciorum plenus est, quæ Spiritus sanctus proditori Discipulo minatur, de eo enim ad litteram loquitur, secundum communem Doctorum explicationem, & de ijs qui eum imitantur. In eo Psalmo, inter alia, scripta sunt hæc verba: *Episcopatum eius accipiat alter.* Quod adimpletum est, succedente in eius locum Sancto Matthia, qui diuina sortione electus est: (*Act.* 1.) *Cecidit sors super Matthiam,* inquit sacer textus. Modernus quidam commentator, casu locum hunc pertractans, vtitur relata Doctrina Angelici Doctoris Sancti Thomæ, & dicit quædam verba instituto nostro admodũ accommodata: (*Riber. in Apoc. c. 3.*) *Iudam Dominus ad coronam vocauit Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit, quia corona indignum fore præsciuit. Vnde, & coronam eius, scilicet Apostolatus honorem, alius accepit, sicut scriptum est: Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter.* Iusto enim Dei iudicio factum est, vt alteri eum promerenti, & meliores quam perfidus agricola, fructus referenti, attribueretur. Nec collatio dilata fuit, nam locus vix vacuus fuit, cum Matthias diuina sorte eum occupauit.

6. Ponderat gloriosus Sanctus Isidorus, quod vltimus Hebræorum summus Pontifex fuerit Caiphas, primus verò Ecclesiæ Catholicæ, qui eum successit, Sanctus Petrus. Et si obseruetur, quando Caiphas quæsiuit à Redemptore, an esset Filius Dei, & Dominus respondit, ipsum hoc dicere, quamprimum vestimenta sua scidit: (*Matt.* 26) *Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei? Dixit illi Iesus: Tu dixisti, &c. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua.* Qua quidem actione prout communiter notant Sancti Patres, ipse se dignitate Sacerdotali spoliauit, eius insignia confringens, & sese tamquam indignum possessorem castigans. Adeò, vt simulatque credere noluit Christum esse Filium Dei, contra se sententiam tulerit, & iudicauerit promereri se, vt coronam Sacerdotalem quam habebat, amitteret. Agit porrò Deus de creando alio Principe Sacerdotum, qui in Ecclesia sua succedat; inter omnes ex omnibus Discipulis suis Sanctum Petrum eligit, & tamquam digniori ouium suarum curam committit: *Pasce oues meas.* (*Ioan.* 21.) Si verò rationem indagemus, quare Seruator noster Petrum potius, ad supremum illum locum occupandum, quam reliquos condiscipulos elegerit (inquit Sanctus Isidorus) deprehendemus eam fuisse, quia in virtute fidei, quæ Caiphæ defuit, præcelluerit; atque ita videmus, quod cum heroicam illam confessionem fecit: *Tu es Christus Filius Dei viui;* (*Matt.* 16.) mox exinde ei addixerit Dominus, quod summum Sacerdotem eum procrearet, & Ecclesiæ Tiaram tribueret: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum;* iam enim expectaui quod Caiphas per suam incredulitatem se totum loco illo quem possidebat, indignum redderet, vt Petro propter fidei suæ constantiam de eo prouideretur. Qui nouam gratiam reiecit, puniatur, & ea quam habebat priuetur,

qui verò eam festiuè exceperit, & pleno ore confessus fuerit, ad eam promoueatur, & subleuetur. Prodeant verba Sancti Archiepiscopi: *Eos qui in vetustate computruerunt, nouamque gratiam reiecerunt, vt res veteres Dominus appellauit, vt qui frangerentur, ac nouum regni sermonem effunderent. Quo in genere fuisse Caipham deprehensum est; nam cum à Domino audisset: Filius Dei sum; fregit vestimenta. At verò Petrus, qui spiritus vitæ legem acceperat, non modo cum doceretur, non renuit, verumetiam ad solam interrogationem confessus est, in hoc videlicet, insitam veritatis cognitionem ostendens.* Ruina Caiphæ ad Petrum transiuit; nam si ille ad Dominum vineæ cum eius fructibus non accurrit, hic in solutione præstanda tam accuratus est, vt fructus anticipate præstiterit.

*Isid. l. 1. Epist. 51.*

7. Explicemus paulo amplius duo illa loca Iob, & Apocalypsis, quæ articulo in principio allato adducit Sanctus Doctor: *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Hoc* (inquit Magnus Pater Sanctus Gregorius, hæc verba explicans,) *quotidie agitur, sed quia adhuc finis partium vtrarumque non cernitur, non timetur.* id est; Qui peccat, non existimat se gratia Dei excidisse, nec ab eius amicitia reiectum, quamquam ei constet, quod peccauerit; quia oculos non habet quibus videat, quomodo eodem tempore quo Deum offendebat, iam Deus gratiam quam ipse amittebat, alteri impertiebatur. In quo quidem, Fideles, magis timendum est, quam appareat; non enim solum dicit, quod dum aliqui cadunt, Deus alios subleuet, sed quod eos in cadentium loco collocet, quod perinde est ac eos repudiare, ac penitus deserere: nam loca, licet multa sint numerata tamen sunt, nec plura erunt quam sint.

*Iob 34.*

Quis non videat quomodo hic locus respiciat alium Apocalypsis, & quam belle, ad institutum nostrum, inter se conueniant: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Id est: Benè custodi quod possides, ne alius coronam capiti suo imponat, nam nec ab ipso auferetur, nec alia superest quæ tibi detur (ita hunc locum explicant ex antiquis Doctoribus Sanctus Gregorius Papa, Primasius, Rupertus, Haymo, Beda; & ex modernis, Lyranus, Ribera, Alcazar, Blondo, & alij plures.) Et si forte cum eo qui in locum tuum subintrauit, numerus compleatur, quid de te fiet? Expectare debebis vt alius cadat, vt tu intres? Quid scis num hæc sors tibi contingat? Et num tu futurus sis fortunatus? Caue ne id videas, cum te omni remedio destitutum videbis, sic enim ijs qui sese perdunt & damnant, accidere solet, vt peccatorum suorum rationem non habeant, nisi cum pœna eos commonefacit, & quia differtur pœna, non corrigitur culpa. *Numquàm enim* (prosequitur diuinus Gregorius, in eodem loco Sancti Iob) *culpam suam reprobi, nisi in pœna cognoscunt, & quia pœna differtur, culpa despicitur. Labuntur verò à statu iustitiæ, & locum vitæ illis cadentibus, alij sortiuntur.* Prout ad oculum patet in agricolis vineæ, nam idem fuit eius possessione illos priuare, & Gentilibus eam committere. 8.

*Apoc. 3.*

*Gregor. Primas. Rupert. Haym. Beda, Lyran. Riber. Alcaz. Blond.*

*Gregor. loco cit.*

Cuius repræsentatio ac exemplar fuit, Christum Dominum Templo egredi, in quo eum lapidare voluerunt, & immediate post cœco à natiuitate salutem conferre: *Præteriens inde vidit cœcum, &c.* inquit Sanctus Ioannes: *Abscondite exiens de templo;* explicat doctus Cardinalis à Victriaco: *In quo innuit, quod se à Iudæorum* cordi- 9.

*Ioan. 9.*

*Victria. serm. 3. Dominic. in Passio.*

*cordibus absconderet, & relinquens templum, hoc est Iudæorum cæremonias ad Gentes deberet transire. Vnde cœcum natum statim postea curauit, & eum sub figura gentium illuminauit.* Iam exinde compleri incipiens verbum Saluatoris: *Auferetur à vobis, &c.*

---

### *Facienti fructus eius.*

### CONSIDERATIO V.

*Castigat, & punit Deus quosdam in emendationem & correctionem, aliorum, vt sic alieno periculo cauti discant, ad non prouocandum iram eius, omni studio eum non offendere.*

1. SVpponit Christus Dominus tamquam certum, quòd Gentiles, quibus daturus erat vineam suam, locupletiores fructus reddituri erant, vtpotè qui alieno periculo cautiores fierent, & ex supplicio Hebræorum addiscerent normam effugiendi vltionem, & iram Dei. Prudentissimè disseruit in hâc materiâ S. Ambrosius: *Toruos Leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere, & cùm sint ipsi terribiles discunt timere. Cæditur canis, vt pauescat Leo, & qui suâ injuriâ exasperatur, coercetur alienâ, alteriusq; exemplo frangitur.* Experientiâ teste Leones mansuescunt, & naturâ suâ intrepidi, discunt pauere, modum autem adinuenit industria hominum, caniculum ad eius præsentiam verberant, tantumque ex verberibus canis concipit timorem, vt depositâ feritate agninam induat mansuetudinem. Hoc ipsum voluit Christus præsenti parabolâ nos edocere, vt cernentes, quam seuerè puniat Deus ingratitudinem beneficiorũ quæ Hebræis contulerat, agnoscamus, quòd multò rigidiùs plectet Christianos, si ingrati fuerint beneficijs, quæ dedit vineæ Ecclesiæ suæ, incomparabiliter maiora, & munificentiora ijs, quæ antiqua Sinagoga ab ipsius liberalitate recepit.

*D. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel cap. 2.*

Ponderat idem Sanctus Ambrosius, 2.
quòd affirmet Deus se elegisse Pharaonem ad ostendendum in illo vires potentiæ & brachij sui: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum suscitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.* ô Domine Deus, inquit hic magnus Doctor, vt quid punis Pharaonem tot suppliciorum modis, cùm eum veluti pertinacem tandem submergi, & aquis suffocari sis permissurus? Appositè respondet S. Præsul, hisce verbis: *Suscitatus est, vt esset, in cuius pœnâ, & vario tormentorum genere vsque ad mortem, omnes, qui sine Deo erant, metu territi hunc solum Deum esse, cum admiratione maximâ faterentur, à quo hæ vindictæ sunt.* Permittite Deo, vt agat sua, non enim hæc tantùm facit vt puniat Pharaonem, quantùm vt ex hâc pœnâ & supplicio colligat vtilitatem, & bonum multorum, qui neque ipsum nouerant, neque vti verum Deum æstimabant, vt agnoscentes, quàm seuerè punit, timentésque ne idem ipsis eueniat, in eum crederent, & credentes adorarent, sicque plagæ illorum forent horum medicina salutaris. Adducit autem S. Doctor ad comprobandum dictum suum, similitudinem medici, qui per anatomiam cadaueris, causam mortis defuncti curiosè indagat, & perscrutatur: *Antiqui Medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consecutis, requirebant, quomodò prodessent viuis, quæ in homine latebant, vt apertis*

*Rom. 9.*

*D. Ambros. hic.*

*bis, cognoscerent causas ægritudinis, vt pœna morientis, proficiat ad salutem viuentis.* Ac si diceret: Non arguitur crudelitatis Medicus, qui per anatomiam dissecat corpus mortui quique omnes venas perlustrat cadaueris, vt ex morte vnius, discant omnes viuentes modum euadendi mortem. Non

2. aliter Deus in Pharaone, (& idem dicere licet de his pessimis agricolis) contendit vt agnoscamus, quomodò

Rom. 9. obduretur peccator, & obduratus pereat, vtque eorum periculo cauti taliter viuamus ne idipsum nobis contingat.

3. Obseruat ingeniosè S. Basilius Seleucus id, quod in ipsis mundi primordijs factum fuit, quando Deus litem intentauit sacrilego illi fratricidæ Cain, qui stimulatus inuidiâ proditoriè occiderat iustum Abelem fratrem suum, fuitque adeò execranda eius nequitia, vt ipsum Deum ignorantiæ insimulare, eique peccatum commissum negare præsumeret, quasi possibile foret Deo imposturam facere. Iratus Deus conuicit eum ipsis vocibus, & clamoribus sanguinis, quem perfidus effuderat. Damnauit eum ad perpetuos labores, angustias, tremorem, & irrequietam animi trepidationem, ita vt nullibi pacem, aut securitatem haberet: *Vagus, & profugus eris.* Vel vt septuaginta legunt: *Gemens, & tremens eris super terram*; & quidē præmunitus saluo cōductu, ne quis ipsum occidere valeret: *Posuit Deus signum in Cain, vt omnis qui inueniret eum, non interficiat eum*, ô Domine, inquit S. Basilius, nonne meliùs erit vnicâ vice hominem illum peruersum occidere, & permittere, vt eum propter peccata sua interficiant? Nequaquam, inquit Sanctus: *Tremens obambula, animata lex videntibus occurrens, spirans columna auertat à tali pœnâ: lex, inquam, atramenti vice, trepidationis voce conscripta: malum tacere nescium intuentibus, & perturbata natura, quietem suadeat*; id est: tremens & trepidans huc illucque discurres, semper inconstans, & omnibus te videntibus eris lex viua, & animata, quæ monebit illos, vt sibi caueant ne similem incurrant pœnam, & tuo periculo edoceantur, nisi velint, vt sibi idem eueniat. Adiungamus his ea, quæ dicit Doctissimus noster Maluenda referens ex Hebræis, quod vbicumque Cain pertransibat, cuncta vociferabantur tam montes, & lapides, quàm arbores, & animalia exclamantia, *Recedite, recedite, recedite*; veluti, dum canis rabie agitatus pertransit omnes clamant facessite & monent vt fugiant, ne mordeantur, & simul cum illo in rabiem incidant. Hæc maledictio Cain etiam pro parte comprehendit perfidos Iudæos, filios Cain, eiusque sequaces, vt videlicet, obambulent per mundum dispersi, & omnibus opprobrium, & ludibrium facti, quos cum potuisset Deus penitùs eradicare, noluit, sed per vniuersum terrarū orbem dispersit. Vt homines videntes illos tam abiectos, qui anteà fuerant cæteris nationibus prælati, & millenis gratiarum donis, præ alijs, locupletati, seriò resipiscerent, & præcauerent, ne quid simile illis accideret, fierentque eorum ærumnæ, & afflictionis consortes.

D. Ambros. hic.

Genes. 4. lex. Interpret.

Basil. Seleuc. orat. 4. in Cain & Abel.

Maluēd. lib. de Paradiso.

Notissimum est illud, quod in libro Iosue commemorat Sacra Scriptura de furto, quod Achan in expugnatione vrbis Ierico commisit, accipiens, & occultans quædam spolia. Ignorabatur furti reus, & explorato quasi miraculosè, quòd ipse esset obnoxius culpæ decernunt exequi in eum pœnam à lege 4.

lege taxatam, & sacro attestante eloquio fuit lapidatus: *Lapidauitque eum omnis Israël, & cuncta, quæ illius erant igne consumpta sunt.* Est quæstio valdè controuersa inter sacros Interpretes, an filij vnà cum Patre fuerint occisi? communior opinio affirmat illos simul cum patre fuisse lapidatos, vel igne consumptos. Fundatur autem hic dicendi modus in sacro Textu, vbi enarratur, quod quando patrem duxerunt ad vallem Achor lapidandi eum causâ, quòd vnà filios, & filias eius abduxerint: *Tollens Iosue,&c. Et filios eius,& filias eius,& duxerunt eos ad vallem Achor.* Bellè notatum. Sed iam aliam sumus inituri viam, & sententiam probabilem, quam Doctissimus Lyranus refert ex Rabbinis sectaturi, quod, nempè licèt filij, & filiæ eius fuerint conducti, & astiterint præsentes morti eius, non tamen cum illo occubuerint: *Filij, & filiæ Achan non fuerunt cum eo occisi, sed ducti fuerunt cum eo*; & potest hæc Hebræorum opinio corroborari, quia nimius fuisset rigor, quod filij deberent luere delictũ, cuius non fuerant complices, sed quod solus pater iam in crimine deprehensus perpetrauerat, quoniam non solet Deus punire filios propter delicta parentum, nisi eorum vestigijs inhæreant, aut saltem criminum sint rei, & complices, vt disertè asserit Propheta Ezechiel: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ad rem ergò; quarè Iosue à Deo afflatus iussit, quòd filij adessent testes mortis sui parentis? Quidnam hôcce mandato prætendit? Accommodissimum est responsum: *Vt eius punitionem videndo, à similibus cohiberentur*; putà, vt alieno Patris periculo cauti timerent semper simile crimen admittere, vtque pœna, & supplicium Patris foret filiorum instructio, & monumentum.

Iosue 7.

Lyran. hic.

Ezechiel. 18.

Haud dubiè, id ita disposuit Iosue iam experientiâ edoctus, quàm vtilis sit consideratio suppliciorum in vno, vt alij coerceantur, ne eisdem criminibus implicentur. Nescio an curiosi animaduerterint crebras illas confortationes, quibus Deus Iosue tam seriò animauit, quando eum loco Moysis ducem populi substituit. Trinâ namque vice, si curiosiùs notetur, in eodem capitulo ei dicit, ne timeat, nec cadat animo, sed robusto, ac generoso pectore cuncta aggrediatur: *Confortare, & esto robustus, ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus, noli metuere, & noli timere.* Ecquid hoc? An fortasse Iosue tam deiecti erat animi, tamque excors vt necessè fuerit Deum ipsum, tot vicibus eum animare, & confortare? Non capio. Doctissimus Lyranus appositè ad rem nostram explicat timores illos Iosue: *Viderat Iosue, quod Moyses sanctissimus, malitiâ perturbatus peccauerat, in aquis contradictionis, propter quod priuatus fuerat ingressu terræ Promissionis, & ideò meritò timebat, ne sibi aliquid simile acciderit.* Recordabatur Iosue illius, quod paulò antè Moysi contigerat, &c. Et huiusmodi penès se efformauit argumentum: Deus priuauit eum vitâ, & officio, idque mihi contulit, timeo, & exhorreo aliquid admittere, quòd mihi carò constet, & easdem luam pœnas. Rectè quadrat hîc illud Cambysis, qui habens iudicem pessimum, peruertentem omnis iustitiæ ordinem, mandauit eum excoriari viuum, eiusque pelle fulciuit sedem, seu tribunal, ex quò alijs ius dicebat, & statim dedit filio virgam prætorianam, symbolum iustitiæ, præcepitque ei quòd in sede patris iudicaturus sederet; vt habens præ oculis præsentissimum exemplum edisce-

Iosue 5.

Lyran. hic.

edisceret, quomodò iustitiam administrare deberet; & idcircò fuit æquissimus iustitiæ minister, quia supplicium & pœna delictorum parentis erant ei norma rectè iudicandi, & eodem philosophandi modo mouebatur prudentissimus Iosue, & timebat ne minimum delinqueret.

6. Mirum est me herclè, quòd Deus iubeat Prophetæ Ezechieli, vt lugeat & deploret casum, & ruinam malorum Angelorum in nomine, personâ, & gestis Regis Tyri adumbratam: *Fili hominis leua planctum super Regem Tyri &c.* (Ezechielis 28.) Quæ enucleans Abbas Rupertus ingeniosè aduertit, quòd consultius præciperet Deus homini, festiuè recolere ruinam Angelorum, quàm luctuosè plangere, cum planum sit, quòd damnum eorum redundauerit in vtilitatem hominum, qui vacuas eorum sedes occupabunt. Qui igitur Deus præcepit ei lugere, vbi tanta erat lætandi materies; cum id, quod ipsi Angeli amiserant, homines essent recuperaturi? Notate responsum, intento nostro accommodissimum: *Planctus iste humilitas mentis, & confractio cordis est, considerantis, & videntis opera Domini, quàm terribilis sit in consilijs, non solùm super filios hominum, verùm etiam super ordines Angelorum: ille reuerà viriliter scrutatur, & perpēdit quid sibi faciendum sit, pulueri, & cineri, cùm ille summus Angelus tam magnus, tam sapiens, tam speciosus ita terribiliter proiectus sit pro eo, quòd creatori suo subditus esse noluit.* (Rupert. de victoria verbi Dei lib.2.c.3.) Non sunt lacrymæ compassionis quas Deus commendat prophetæ propter casum Luciferi, sed humilitatis, & contritionis, eius videlicet, qui intuens propriam fragilitatem, non sibi spondet securitatem. Quoniam si Deus Angelis, creaturis adeò nobilibus non pepercerit, quando ceciderunt nolentes subijci diuinæ Maiestati, eosque tam seuerè puniuerit, quid faciet hominibus pulueri, & cineri, si in similem inciderint reatum? opus est flere, & non quomodocumque, sed lacrymas sanguineas, & postulare à Deo gratiam ad non peccandum; ita vt Deus commendet Ezechieli, & per ipsum nobis omnibus, vt præ oculis habeat ruinam Luciferi, eiusque damnationem æternam, vtque ad exemplum eius se humiliet, & contremiscat, & tali cautelâ viuat, vt gratiam conseruet, in quâ ipse infœlix non stetit, nec permansit.

Obduratus Pharao sequens cursum 7.
obstinatæ suæ malitiæ ingressus est mare rubrum persequens populum Dei, & dum furijs agitatus bellum Deo inferre molitur, & omnia sibi salua, & prospera pollicetur, concitatus Deus contra ipsum, & exercitum eius, submergens omnes in aquis vehementibus, ita vt nullæ ipsorum reliquiæ superstites remanerent; Israelitæ autem sicco vestigio mare pertransierunt. Mox vt ad littus transierunt, oculos retorserunt, *&, viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus Dominum.* (Exodi 14.v.) Insignis noster Oleaster carpit mysterium in hâc connexione verborum. Quæ enim conuenientia vnius cum altero, quomodò concordat videre hostem mortuum, & illicò incipere contremiscere? Hîc locum habebat maxima confidentia, ac proindè importunus videtur timor. Verumtamen non est inconueniens; inquit magnus Lusitanus sed valdè commodus: *Qui gaudere debuissent de suffocatis hostibus, timere dicuntur; nam qui propter nos destruit inimicos, nos etiam suffocabit, si ex amicis inimici fiamus.* (Oleaster hic.) Non fuit natus hic timor ex pusillanimitate, aut animi demissione, sed ex prudenti consideratione; perpende-

runt namque apud se: Deus qui amore nostrum destruit hostes, id ipsum faciet nobiscum, si ex amicitiâ ad inimicitiam deflexerimus; idcircò æquum est, vt timeamus, & ex hostium submersorum exemplo addiscamus, qualiter oporteat vitam rectè instituere, ne vltio diuina nos pariter eisdem supplicijs inuoluat.

8. Dixerunt quondam discipuli Saluatori nostro: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis*; gloriabantur Apostoli de potestate sibi datâ, quòd etiam dæmones verbis suis obedientes ex obsessis corporibus egrederentur. Respônditque eis supremus Magister volens spiritum superbiæ in cordibus eorum reprimere: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, ô discipuli mei videor in vobis contemplari ruinam Luciferi, qui arroganti superbiâ elatus cecidit è summo cœlo in profundam abyssum inferni. Ad quid (quęrunt SS. Petrus Damianus, & Gregorius Magnus) obijcit Christus Dominus exemplum superbiæ, Luciferũ æternis supplicijs condemnatum? Quæ etenim comparatio inter casum primi Angeli, & potestatem Apostolorum super dæmonia expellenda? & datò, quòd eis vellet proponere exempla superborum seuerè punitorum, nonne abundabant plurima hominum testimonia, qui propter idem superbiæ delictum fuerunt humiliati? Quarè ergò non adducit eos tamquam exemplar casus, & ruinæ? certissimum namque est, quod exempla quò proximiora sunt, eò plus moueant, & terreant. Magnum profectò mysterium in eo continetur, inquit sanctus Cardinalis Damianus, quia voluit Dominus hoc pacto terrefacere homines memoriâ, & recordatione maximi supplicij, eapropter vsus est exemplo, Luciferi, qui fuit primus author superbiæ, & idcircò maximè, & in exemplum aliorum castigatus, quasi diceret eis: *videte ne dum nequitiæ spiritus vestris subduntur imperijs, mentes vestræ iugo premantur elationis; quia si Satanas cœlum perdidit per superbiam, homo superbus nequaquàm valet inuenire, quod sperat*. Id est: ex sedulâ consideratione potestatis vestræ viuaciori memoriâ, & altius perpendite casum, & ruinam primi Angeli, & vnà agnoscitè maiores fuisse fauores ipsius, quàm vestros, & tamen spe sua fuit frustratus, timete, ne id ipsum vobis eueniat. Sanctus autem Gregorius, relatus à Diuo Thomâ, idem prorsus, licet alijs verbis, affirmat: *Mirè autem Dominus, vt in Discipulorum cordibus elationem premeret, iudicium ruinæ detulit, quod ipse Magister elationis detulit, vt in authore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent*. Id est: ne Apostoli superbirent, exhibuit eis superbum humiliatum, & vt alieno supplicio edoceantur repræsentat eis Satanam, qui veluti primus reus seuerissimè fuit castigatus, & meritò, quia nullum est reperire medium efficacius, neque remedium potentius ad reprimendos motus superbiæ, & elationis, quàm experimento videre vanam præsumptionis arrogantiam in alijs seuerè punitam.

Vidit aliquando S. Apostolus Paulus hominem quemdam apud Corinthios, peccati mortalis reum, qui studiò celeri gradu ad Infernum properabat; cupiebat eum, reuocare, & ad viam salutis reducere, eumque in finem præcipit nequissimo dæmoni vt corpus eius possideat, & adeò crudelibus tormentis excruciet, vt eum ad extrema deducat: *Quem tradidi Satanæ in interitum carnis* Ad quid? *vt spiritus saluus fiat*. Omitto hîc expendere id 9.

Marginalia: *Lucæ 10. v.* — S. Petr. Damian. epist. 9. — D. Greg. in caten. D. Thom. hic. — 1. Corinth. 5.

re id, quod S. Chrysostomus adnotauit, quòd Apostolus non dixerit, dedi, sed tradidi: *Non dixit dare huiusmodi Satanæ, sed tradere, aperiens ei pœnitentiæ ianuas, & tamquam pedagogo huiusmodi tradens*; id est, tradidit eum Satanæ, ceu traduntur pueri pædotribis instruendi, & corrigendi, vt eum doceret, corpusque cruciatibus torqueret, quibus ipse tandem edoctus resipisceret, & ad meliorem frugem conuersus animam suam saluaret. Quod autem ego carpo in hoc loco, est id, quod Magnus Tertullianus ad rem nostram obseruauit, (non examino modò, quo fundamento moueatur) dicens doctorem Gentium hic loqui de spiritu cæterorum, id est, de animabus aliorum fidelium, qui videntes eum atrocibus tormentis excruciatum, ex eius supplicijs instruerentur, & veluti antidoto salutari curarentur, ipsiusque periculo cauti metuerent consimilem culpam admittere: *Tradidi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, Saluum, & integrum præstandum, ab omni immunditiarum contagione eiecto incestuoso fornicatore.* Et quia, animaduertit Christus Redemptor noster, quòd Gentiles cõmouerentur ex pœnis Iudæorum, quos castigabat, idcircò enuntiat eis tamquàm certissimum, quod locabit vineam suã alijs agricolis, qui copiosiores, & multò plures ei referẽt fructus.

D. Chrysost. hom. 15. in 1. ad Corinth. lib. 1. de pœnit. c. 13.

Tertull. lib. de pudicit. c. 13.

---

*Dabitur genti facienti fructus eius.*

### CONSIDERATIO VI.

*Faciendo contraria ijs, quæ peccatores operantur, securi gradimur per viam salutis nostræ.*

1. NVLLVM homini præsentius, aut securius remedium ad non aberrandum à scopo, & tramite salutis, quàm agere contrarium illius, quod videt facere inimicos Dei: ideòque hoc ipso quòd Iudæi non retulerunt fructus vineæ Domino, erunt promptissimi Gentiles ad referendos illos tempore suo, & præstabunt oppositum illi, quod Iudæi fecerunt, vt tuti ac securi gradiantur per viam salutis.

Loquens sacra Scriptura de sancto Iobo sic fatur: *Vir erat in terrâ Hus nomine Iob.* Diximus alibi in doctrinâ SS. Patrum fundati, Spiritum sanctum voluisse verbis illis explicare excellentiam virtutum huius Sancti viri, eò quòd inter gentem pessimam, nempe, Hussitas commorans Sanctam duxerit vitam. Verùm modò altiùs locum hunc ad maiorem laudem Iobi explicare oportet; quapropter premo lectionem Sancti Hieronymi ex Hebræo fonte depromptam: *Vir fuit in terrâ consily, nomine Iob.* Itaque Spiritus sanctus vocat Hus terram consilij. Verba planè difficultate plena, exploratum namque est Hussitas fuisse homines impijssimos, & consequenter necessariò fuisse pessimi consilij, quia malus nequit rectè consulere. Quid ergò, dicemusne de Iobo, quòd pessimos habuerit consiliarios? Hoc sanè non in honorem & æstimationem, sed in confusionem, & iniuriam ipsius redundabit. Verum est, sed sanctus Hieronymus, & ante eum Spiritus sanctus, non voluit offuscare sanctitatem personæ Iobi, sed potius eam summis laudibus extollere, dicens Iobum fuisse adeò sanctum, vt etiam improbissimi mores Hussitarum, inter quos morabatur, ipsi fuerint consilio, & exemplo ad rectè probeque viuendum, idemque erat Iobum videre deprauata opera Hussitarum, ac illis animari contra eos, ad amandum, & seruiendum Deo.

Iob. 1.

D. Hieronimi. ex Hebræo.

Et in hoc sensu intelligenda sunt verba illa: *vir fuit in terrâ consilij*: id est, qui viuens inter Hussitas maximos peccatores & pessimos nequam: *vir erat in terrâ Hus.*

2. Enarrans sacer Historiographus generationem Seth filij Adam effatur in hæc verba: *Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini.* Fuit hic primus, qui auspicatus fuit laudes Dei decantare: Paraphrastes Chaldæus ita transfert hæc penultima verba: *In diebus eius incœperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.* Et magnus noster Lusitanus: *Tunc prophanatum, aut pollutum est nomen Domini, id est, generatio cain tempore suo, polluit nomen Dei faciendo mala*; id est, illo tempore machinati sunt filij Cain modos quibus Deum non colerent, sed offenderent, non adorarent, sed blasphemarent, Notate illud, *Tunc*, Quodnam fuit illud tunc? Quando filij Cain incipiunt malignari, Deoque cultum, & adorationem iure debitam denegare, tunc filij Dei incipiunt eum honorare, collaudare, & debitum honoris tributum ei persoluere, ita vt eodem tempore, quo illi offendunt, hi adorent, imò quantò, illi ipsum maioribus iniurijs lacessunt, & blasphemant, hi tantò feruentiori zelo, & cultu ipsum venerantur, & extollunt. Ast sciamus, quinam fuerunt filij Cain? cognoscite patrem, & ex illo facili negotio clariorem filiorum notitiam colligetis. Est constans Hebræorum traditio, (vt iam alibi adnotauimus) quòd quando Cain eduxit fratrem suum Abelem ad agrum: *Egrediamur foras*, eum hisce verbis lacesserit: *Non est iustitia, neque Iudex, neque sæculum aliud, neque præmium recipient iusti, neque pœnas luent impij*; Et quia probus frater æquo zelo motus ei contradicebat, & redarguebat, eum interfecit. Itaque, teste Genebrardo, hic impius fratricida fuit primus hæreticus in mundo, primusque atheista, seu atheios, qui Dei prouidentiam negauit & immortalitatem animæ, & resurrectionem carnis eliminare præsumpsit. Et filij ac prognaui perfidiæ ac hæreseos eius hæredes idipsum egerunt. Dum ergò isti coniurati hostes Dei ipsum grauiter offenderēt, & blasphemarent nomen sanctum eius, Seth eiusque filij, & successores omni studio ipsum honore, & laudibus prosequi contendebant. In hoc sensu, inquit Oleaster, exponi debet, quod Enos cœperit inuocare nomen Domini, non quòd fuerit primus, quia primitus ante ipsum Adamus, & filij eius Cain, & Abel iam Deo sacrificia immolauerant, sed quia aliquo tempore intermedio cessauerat Dei cultus, ab ipsis filijs Cain eliminatus, in oppositionem inimicorum Dei, illum resuscitauit, & maiori feruore, quàm ipsius prædecessores Deum veneratus est, & adorauit: *Iterum incœptum est, inuocari nomen veri Dei.* Itaque Enos fecit contrarium illi, quod pessima illa, & adultera gens faciebat, quo securius negotium salutis perageret. Et hoc ipso, quod Cain, & filij eius agricolæ non persoluerint Deo fructus de rigore iustitiæ debitos, idcircò Seth, eiusque successores tam fideli fœnore fructus suos ei retulerunt, & tributum suum persoluerunt.

*Genes. 4.* *Paraphrast. chalda: oleaster hic.* *Genebrard. in chronolog.*

Plantauit Noë vineam, & inexpertus, seu ignorans vim & efficaciam fructus illius, nempè, vini bibit intemperanter, & inebriatus est. Et captus potu, & impos mentis cecidit denudatus in terram; quem videns minùs compositè iacētem, maledictus filius Cham cœpit illudere, & irridere eum, accersiuitque 3.

ſiuitque fratres ſuos Sem, & Iaphet vt vnà ſecum parentem ebrium ludibrio haberent: *Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda, ſcilicet, patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis.* Et notanter addit ſacer Textus: *At verò Sem, & Iaphet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris ſui.* Obſeruate, quæſo, aduerſatiuam, *at verò*, ex quâ confirmationem diſcurſus noſtri colligam. Sed Sem, & Iaphet tamquam probi filij, non ſolùm non habuerunt patrem ſuum irriſui, ſed èconträ acceperunt pallium incedentes retrorſum & illo verenda patris ſui coöperuerunt. Iuraſſem ego, inquit S. Gregorius Magnus hoc ita futurum fore, quòd filij probi, & reuerentes contrariũ acturi eſſent illius, quod inuerecundus, & impudens facere præſumpſerat: Et quòd boni ſubditi occultaturi eſſent defectus, & mala ſuperioris, quæ inſolens ſubditus contra fas, & nefas propalauerat: *Bonis ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, vt tamen hæc ab alijs occultent.* Nequeunt actiones non eſſe contrariæ, & oppoſitæ, quando conſcientiæ diſcrepantes diſſentiunt.

*Geneſ. 9.* *D. Greg. lib. 25. in moral. c. 15.*

4. Ponderationem meretur mandatum illud, quâ præcepit Deus populo ſuo, vt afferret ſacrificia ex animalibus, & auibus, noluerit autem ſibi piſces immolari: *Quòd ſi de pecoribus oblatio fuerit &c. Si autem de auibus holocauſti oblatio fuerit &c.* & nullam facit piſcium mentionem. Varias excogitarunt rationes ſacri Interpretes, moribus hominis accommodatiſſimas; ſed inſignis eſt & litterali ſenſui conſona, quam Dionyſius Cathuſianus ex Angelico Doctore S. Thomâ adducit, & apprimè inſtituto noſtro congruit: *Quia Idololatræ, inquit, in ſuis ſacrificijs, alijſque maleficijs, piſcibus vtebantur*, id eſt, quia gentiles in ſuis oblationibus piſces adhibebant, noluit Deus illos ſibi à populo ſuo offerri. Ac ſi diceret: Hoc faciunt Idololatræ, ergò nolo quòd vos hoc ipſum faciatis, ſed ex diametro oppoſitum, ne cum illis in facto conuenire videamini.

*Leuit. 1.* *Carthuſ. ex D. Thom.*

5. Audiamus in hâc materiâ ſapientiſſimum Salomonem diſertè loquentem: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrtica; quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam;* id eſt, ex aliorum exemplo, & neglectu didici, quomodò meam excolere deberem. Septuaginta Interpretes transferunt hæc poſtrema verba: *Nouiſſimè ego egi pœnitentiam, reſpexi vt eligerem diſciplinam:* Pagninus autem, & Vatablus ita legunt: *vidi ego, poſui cor meum, vidi, & accepi eruditionem.* Quæ verſiones hunc reddunt ſenſum: Quando animaduerti quàm flocci faceret peccator agriculturam animæ ſuæ, & quòd vinea curæ & induſtriæ eius demandata loco fructuum, virtutum, & bonorum operum vrticas, & ſpinas vitiorum, & peccatorum germinaret, propoſui, & firmiter penes me ſtatui, neceſſarium eſſe, contrarium operari, ad ſalutem conſequendam. Hoc eſt decreui vineam meam excolere, eius culturæ me totum dedicare, & egi pœnitentiam iacturæ temporis, quod in illâ non colendâ neglexi & prodegi. In ſummâ ex negligentiâ pigri ruricolæ, & incuriâ deſidis villici addiſcit prudens vigilantiam, & ſollicitum laborem, in ſignum, quòd nullum detur efficacius medium pertingendi ad ſalutem, quàm contrarium agere ei, quod peccatores facere conſueuerunt.

*Eccleſiaſti. 24.* *LXX. Interpr.* *Pagnin. & vatabl.*

6. Deſcribit Euangelicus Propheta in ſuis

suis vaticinijs pacem, & vnionem dandam fidelibus nouæ legis gratiæ, & inter cætera, quæ de aureo hoc sæculo prædicit, promittit, mundum tantâ pace, & tranquillitate fruiturum, vt etiã maximè bellicosi gladios suos sint in vomeres conflaturi, & lanceas suas in falces, quibus terram excolant. Non erit, inquit, qui arripiat lanceam manu, neque, qui proximo suo irascatur, exulabit omnis ars digladiatoria, neque inuenietur, qui arma manibus contrectet, aut qui bellum meditetur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non leuabit gens contra gentem.* Nulla erit futura seditio, nec gens exurget contra gentem (ô si quis videret hoc vaticinium hisce miseris, calamitosis temporibus rei veritate adimpletum. Tertullianus enucleans hanc Prophetiam ingeniosè premit, quòd Euangelicus vates describens fortunatam perfectionem nouæ legis, contraponat illam legi antiquæ: *Nam vetus lex vltione gladij se vindicabat, & oculum pro oculo eruebat, & vindictam iniuriæ retribuebat; noua autem clementiam designabat, & pristinam feritatem gladiorum, & lancearum ad tranquillitatem conuertebat, & belli pristinam in æmulos legis, & hostis executionem, in pacificos actus arandi, & colendæ terræ reformabat.* Tamquam diceret: quia illa lex erat timoris, omnia bellum & vindictam spirabant, at hæc lex erit amoris, & omnia pacem prædicabunt. Omnes fideles erunt pacifici, & familiares, in oppositionem odiorum, & æmulationum antiquæ legis; & si illi hanc ob causam ad arma conuolabant, quæ sunt contentionum seminaria, hi è contrà non intendent animum, nisi ad pacificos arandi labores, & agriculturam. Et vt plura paucis perstringam, facient contrarium illi, quod ipsi egerunt, vt eorum salus fœliciorem sortiatur fortunam.

Isai 2.

Tertull. contra Iudæos.

7. Componit S. Petrus Chrysologus inhumanitatem diuitis auari, qui nec micas mensæ pauperi Lazaro ante ianuam eius iacenti, & stipem emendicanti dare voluit: *Et nemo illi dabat*, cum beneuolâ illâ pietate mendicantis Lazari, qui cùm, nihil aliud haberet, proprijs carnibus famelicos canes pascebat. *Sed, & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Itaque diues non solùm denegauit pauperi micas cadentes de mensâ suâ; sed insuper veniebant canes, vt eius sanguine pascerentur, vel, quia eos accersebat, vel, quia ipse accedentes admittebat. Inuertitur, inquit, inauditus pietatis ordo: *Nouo modo humanitatis ordo mutatur.* Quî ita? *Fit humana mendicitas, vt cupiditas prodatur inhumana.* Bellè dictum, sed, quod sequitur mirum in modum rem nostram confirmat: *Diues pauperem nec cadentibus de mensâ micis pascit, & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, de carnibus suis, canibus humanus extitit.* Hoc est, ex impiâ crudelitate diuitis, eo, quo potest modo humanitatem addiscit, & eleëmosynam porrigit canibus, & quia, nihil habet, carnibus suis alit bruta animantia, qui non habebat, quibus homines pasceret. Non videntur actiones amborum posse esse magis dispares, & contrariæ. Non potuit magis excrescere inhumanitas, quia homini eiusdem secum naturæ denegat, sibi superflua, & pauperi necessaria, neque pariter maior potuit excogitari humanitas, quæ etiam proprio sanguine & substantiâ suâ brutos canes pascere non dedignatur. Cauete, ne sequamini vestigia peccatorum, quia in hôc tota perfectio Christiana consistit.

Lucæ 16.

D. Petrus Chrysol. serm. 122.

Pul-

8. Pulchrè aduertit gloriosus S. Basilius Magnus, quòd quando Iudas deseruit Collegium Apostolicum: *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas, &c.* Ad mandandum executioni iniquam venditionem Magistri sui, nullus fuerit inter Discipulos, qui ne cogitatione quidem desiderauerit eius consortium deserere, aut à Magistro suo recedere. Imò inde maiori conatu, & affectu eum amabant, & feruentiori desiderio ad virtutem, & perfectionis culmen aspirabant: *Neque Petrus, neque Andreas, Ioannesuè, propter improbitatem Iudæ se à reliquorum Apostolorum choro submouerunt: neque alius de Apostolorum numero quispiam hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominùs Christo obtemperans esset, vllà in re illius vitijs retardatus est: sed contrà potiùs relictâ illius peruersitate, Dominicæ disciplinæ seruientes, ac morigeri, pietatem, virtutemque magno ipsi studio sectabantur.* Non peruertit eos malum exemplum condiscipuli traditoris ad recedendum à Christo, sed potiùs ardentiori studio Christum sequebantur, Imò ipsa Sacrilega impietas Apostatæ eis calcar, & animum addebat, ad celeriori gressu per viam virtutis currendum; Tamquam dicerent: Hoc fecit Iudas, quô sibi ruinam peperit, ergò nos aliam ineamus semitam, vt securi ad salutem pertingamus. Res etenim luce meridianâ clarior est, quòd vt vnus salutem assequatur, sit medium facti, contrarium operari, & diuersum ab eo, quod peccatores agunt.

*Matth. 16.*

*D. Basil. in constitut. monast. c. 2.*

Narrat Plutarchus de Stratonico, quod quodam die pertransiens Prouinciam aliquam sitibundus accesserit ad puteum, ex quo alius aquam hauriebat. Quæsiuit ex eo an aqua illa potabilis esset? Respondit ille, nos ex eâ bibimus. Cui appositè Stratonicus, ergò non est potabilis: *Et ego de illâ ideò non bibam.* addiditque causam, quia intuens faciem eius, vidit illum totum flaccidum, & pallidum. Optimum erat hoc argumentum, quasi diceret: si hæc aqua bona, & salubris foret, meliores pareret effectus, at quia video tales effectus ex illâ prouenientes: ergò ex aliâ bibam, ne similes patiar defectus, & meliori fruar sanitate. Pari prorsùs modo Philosophandum est nobis, circa delicta peccantium, in hisce ingratis agricolis Euangelij adumbratorum, & cauendum est ne eorum vestigia imitemur, sed ceu fideles serui, amantissimo Domino nostro obtemperemus, eique fructus debitos cum fœnore rependamus, tria enim genera bonorum Deo debemus, bona naturæ, bona fortunæ, & bona gratiæ. Quam mihi & vobis, &c. 9.

*Plutarchus in suis Apohthegmat.*

# TRACTATVS IX.

## AD DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

*Erat Iesus eijciens dæmonium.* Luc. 11.

HABEMVS in hoc Euangelio vnum ex maximè prodigiosis miraculis, quæ Christus Dominus noster, in Doctrinæ suæ confirmationem perpetrauit; quo quidem hominem quempiam exemit à potestate dæmonis, qui corpus eius possidebat, & sensuum suorum vsu eum priuauerat, absque spe vllius alterius remedij, præterquam quod hic Dominus conferre ei poterat; prout reipsa euênit: nam non solùm illud egit, cæcitatem eius illuminans, verum etiam surditate eum expediens, ac muta labia dissoluens, nam hæc omnia damna, dæmonis vicinitas, & propinqua commoratio ei aduexerat. Ad hoc tam famosùm, ac portentosum miraculum, calumnijs, Christum Dominum blasphemantes, & potestati dæmonis illud attribuentes, Iudæi responderunt. Probat Saluator id fieri non posse, licet enim (prout Theologi cum sancto Thoma dicunt) inter dæmones, mundo hoc durante, principatus quidam sit, inter quos mandare & præcipere, est magis miserum esse, cum nulla maior sit miseria, quam malè agere: & licet erga inuicem cuncti odio ferantur, tamen longè grauius nos oderunt: adeoque vt nobis malefaciant, conspirant, & mutuis voluntatibus sese conformant. Itaque fieri non potest, inquit Diuinus Exorcista, vt virtus hæc, qua miracula facio, à dæmone procedat; nam ipse agit de inferendo malo ei, cui ego benefacere intendo: ipse hominem hunc, tamquam rem suam, ad eum perdendum, possidebat; ego verò tamquam fortior, eius potestate, ad eum saluandum, liberaui. Denique, omnes cœlestis Magistri rationes fundantur in eo, quod ipse de saluatione nostra, dæmon autem de nostra ruina, & perditione agat. Quidam, inquit sacer Euangelista, viso miraculo obstupuerunt, alij verò signum de cœlo petebant: sed quoniam Christi Domini nostri opera inutulia non remanebant, sed semper fructum aliquem referebant, Spiritus sanctus mulieris cuiusdam animum commouit, vt mille benedictiones in Christum conferens, benè de eo loqueretur, & intrepidè, ac alta voce superbiæ, ac malæ intentioni, peruersæ huic fæci plebis sese opponeret; ac Virginem Dominam nostram summis laudibus efferret, ostendens, miraculum adeò Diuinum, & personam, quæ illud perpetrarat, tam sanctam esse, vt sufficeret ad hoc, vt Mater, quæ suis eum visceribus portauerat, fausta, ac beata existeret. Ad eam, itaque accurramus, & rogemus, vt gratiam nobis ad loquendum impetret, vtque eam deuinciamus, dicamus cum Angelo, *Aue Maria.*

*Erat*

*Erat Iesus eijciens Dæmonium.*

CONSIDERATIO I.

*Quod quoniam hic Dæmon egredi debebat, ad non reuertendum, noluerit eum Christus festinanter eijcere, licet vno instanti id facere potuisset.*

1. PONderauit Sanctus Basilius Seleuciensis sacram Scripturam dicere, quod *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saulem, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Quidam dicere voluerunt, quod naturali musices virtute inimicus recederet; tantam enim cum illa antipathiam habet, vt canente Dauide, Saul liber existeret. Bonus enim ordo quem obseruat musica, illa citharæ Harmonia, chordarum illæ tam suaues voces, inter se omnes conuenientes, & fœderatè, absque eo quod vna aliam interturbet, taliter dæmonem affligebant, vt ea audire non sustinens, Saulem liberum dimiserit: *Recedebat ab eo spiritus malus.* Fieri quidem potest, vt hæc sententia vera sit; verum sanctus Basilius Seleuciensis dicit, hanc dæmonis à Saule expulsionem, virtute Christi factam fuisse à Dauide, cui promissiones Incarnationis Filij Dei, qui de eius stirpe, ex parte sanctissimæ Matris suæ, descendere debebat, factæ fuerant: *Ne mireris, sic cum regno, in dæmonem etiam vires acceperit: nam Christi Pater Dauid fuit, vnaque cum Regia dignitate Dominicæ Incarnationis promissiones accepit.* Vbi verò memoria erit Christi, necessarium erat, vt dæmones euanescerent, atque adeò idem erat, Dauidem sese præsentare, & incipientem canere, ac inimicum ad æqui humitum aufugere: *Vbi enim Christi memoria, dæmonium est pernicies.*

*1. Reg. 16.*

*Basil. Seleuc. orat. 14.*

Supposita huius doctrinæ veritate, quomodo Christus Dominus noster tanto cum otio, ac tanta interposita mora, dæmonem ab hoc homine eijcit (prout aduertit Euangelista) *Erat Iesus eijciens dæmonium,* hanc enim emphasim, & hocce mysterium habet illud, *Erat.* secundum obseruationem sacrorũ Interpretum, præsertim Angelici nostri Doctoris S. Thomę, qui dicit quod, *Significatur eijciendi frequẽtia.* Tanta, obtero, Domine, mora opus habes ad miraculum hoc perficiendum? Nonne tu vtriusque vitæ spiritualis, & corporalis Author es, cui omnes creaturæ obedientiam, & clientelarem fidem, ac subiectionem deferunt? Ita quidem. Quomodo igitur tempus tibi necessarium esse ostendis, vt creaturam aliquam tuam reformes, atque restaures? Nam licet cœcus sit, surdus ac mutus, licet peccator, & à dæmone obsessus, tamen opus tuum est, ac creatura tua, quæ diuinæ tuæ voluntati resistere nequaquam potest. Vnico instanti visum, loquelam, & auditum ei dare potes, & eodem illo momento dæmonio liberare, atque tyrannica eius seruitute eximere, & gratiæ tuæ restituere. Authores, ijque admodum graues fuerunt, qui te vno instanti totum mundum creasse, senserunt. Ita sanctus Augustinus, Procopius, & Caietanus explicant verba illa Ecclesiastici: *Qui viuit in æternum creauit omnia simul;* hoc est, vno instanti, quod fuit primum instans, quod motui cœli principium dedit. Quamquam communior dicendi modus sit, per illud *simul,* intelligere, pariter, eodem plane modo,

2.

*Thom. serm. 2. huius Dominica.*

*Aug. super Gen. ad litt. c. 22. & lib. 11. de ciuit. Dei Procop. Caiet. Eccl. 18.*

do, sola voluntate, & mandato, absque eo quod maiori labore, aut voluntate ei constiterit. Quomodo, igitur firmo, ac lentò gressu miraculum hoc operaris? Et siquidem Dauid, quia figura tui exstitit, vno momento dœmones eijciebat; quomodo tu, qui es ipse figuratus, ad idem longiori tempore vteris?

3. Dicant alij quod sentiunt, ego verò existimo, rationem propter quam Dauid tam facilè dœmonem expulit, fuisse, quia abibat, vt veniret, exibat, vt reuerteretur. Et hac quidem de causa muscæ comparatur (prout aduertunt Sacri Interpretes) super verbo *In Beelzebub*, & Pierius in suis Hieroglyphicis, agens de hoc animali, dicit illud symbolum esse Satanæ, in sui fauorem sanctum Hieronymum allegans. Ratio huius fundatur in eo quod musca sit tam importuna, & humani sanguinis tam auida, vt quantumuis repellatur, mox molestior reuertatur; naturalem enim habet mordendi, & sanguinem eliciendi appetitum, id enim est quod & Homerus quoque dixit: *Et muscæ audaciam, & confidentiam in pectoribus immisit, quæ quamuis depulsa frequenter à corpore humano, appetit mordere, dulcisque illi sanguis hominis.* Eadem prorsus proprietate, inquit sanctus Hieronymus, animarum nostrarum inimicus præditus est, si humano sanguine inescari, & de eo prædâ agere incipiat: nulla tam importuna, & molesta, nec adeò ad repellendum difficilis est musca; centies enim reiectus, & repulsus, toties ad eumdem locum reuertitur. Christus verò Dominus noster taliter eum eijcere debebat, vt amplius non esset reuersurus. Vt hoc facto nos doceret, qua ratione dœmonia, ac peccata ex anima eijcienda sint, non ad tempus, nec vt vadant, & redeant, sed vt semel domo eiecta, ad eam amplius non reuertantur.

Pier. l. 26. Hier. apud Pier.

Homer. Iliad. 17. circa fin.

Summo profectò ingenio aduertit sanctus Ambrosius ad verba illa Sacræ Sponsæ: *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Quid refert, inquit sanctus Mediolanensis, sponsam tunica sua sese spoliasse, ad hoc vt ea sese rursus non induat? Infirma sanè videtur hæc eius ratio, contrarium enim in more positum est, nimirùm vt quilibet sese exuat, & iterum sese induat ea veste quam corpori sui detraxit. Verumtamē respondet hic Sanctus, Sponsam prudenter admodum fuisse locutam, atque ad eam intelligendam, necessarium esse altius cogitatione conscendere: *Exui tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam, & Eua, tunicam corruptelæ, tunicam passionum. Quomodo induam illam? Non requirit vt induat, sed ita significat abiectum, vt iam indumento sibi esse non posset.* Non enim loquitur Dei amica de tunica corporali, sed de tunica culpæ, qua primi nostri parentes, per diuini præcepti transgressionem vestiti fuerunt; & de hac dicit, quod sese illa exuerit, & nesciat quî fieri possit, vt iterum, eâ sese induendi causâ, reuertatur: quasi diceret, moris non esse secundò peccato vestiri, sed eo semel relicto, id pro semper esse debere, & ita, vt numquam amplius eo reuestiamur. Et meritò: si enim cum veteri malæ vitæ tunica me denudauerim, mox, ad eâ rursus induendum, redeam, quid in via perfectionis profecero? Adeò vt vera pœnitentia non solum consistat in eo, quod per strictam, & rigidam mortificationem, veteris hominis tunicâ, prout hoc sacro tempore omnes agitis, vos exuatis, sed necessarium sit continuò firmissimam intentionem habe-

4. Cant. 5.

Ambros. lib. de Isaac, & anim. cap. 6.

habere, numquam amplius, ad eâ ſeſe induendum, nec pro omni re creata Deum offendendum, reuertendi. Hoc enim eſt quod dicebat ſponſa: *Quomodo induar illa?* Nam anima, inquit Ambroſius, quæ ad perfectum pœnitentiæ ſtatum peruenerit, ita ſeſe corporis ſui actibus, & malis, ac infauſtis conſuetudinibus, quibus antea aſſueuerat, denudat, & ſpoliat, vt neſciat quomodo (etiamſi vellet) fieri poſſit, vt, ad ijs ſeſe iterum induendum reuertatur: *Sed ita ſignificat abiectam, vt iam indumento ſibi eſſe non poſſit.* Vera enim morum mutatio, ac pœnitentia conſiſtit in eo, quod dœmonium domo egrediatur, numquam ad eam reuerſurum.

5. Quando Deus ac Dominus noſter mandauit patriarchæ Iacob, vt in Bethel ſacrificium ſibi offerret, quamprimum, inquit ſacer Textus, magna promptitudine, ac animi deuotione obediuit; vtque omnes cultui huic ac venerationi penitus eſſent addicti (quidam enim veri Dei fidem nondum habentes idola ſua conferebant) dixit ac præcepit eis, vt ea à ſeſe abijcerent, ac ei cui iuſtè debebatur, latriæ cul-

Geneſ.35. tum deferrent: *Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt.* Vix hæc dixerat, cum *Dederunt ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea ſupter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem.* Noſtra modo non refert inquirere, quænam eſſent hæc idola; nam de his diuerſæ opiniones exiſtunt. Hugo, & Oleaſter exiſtimarunt, fuiſſe ea quæ Rachel è domo patris ſui abduxit: Doctor vero Angelicus opinatur illa non fuiſſe, nec credibile eſt quod ea tanto tempore aſſeruata fuerint, & quidem à tempore quo hæc cum Labano acciderunt, vſque modò, iam ſeptem anni tranſierant; maximè verò probabile eſt, fuiſſe ea, quæ inter manubias, & ſpolia Sichimitarum collegerant.

Porrò ad moralem huius loci ſenſum tranſeamus, hic enim inſtituto noſtro ſeruit. Quem finem habere potuit Iacob ea ſepeliendo? Non ſuffeciſſet vt illa à ſe amouiſſent, & ea non adoraſſent? Nequaquam. Nam Iacob perpetuæ obliuioni tradere voluit ea, quæ aliàs peccati incentiuum eſſe poterant: *Nota quod noluit Iacob ea fundere, & materiam eorum conflatam retinere, ſed potius omnino reijcere, ſepelire, inquit* Angelicus Magiſter: Quaſi dicat: Noluit Iacob ea fundere, nec in aliam ſupellectilem, quæ eis vſui eſſe poſſet, conuertere, ſed tamquam rem inutilem, ac damnoſam à ſe proijcere, vt taliter amouerentur, vt amplius non redirent, ideòque tamquam cum defunctis cum eis egit: nam quemadmodum his cum viuis nihil negotij eſt, & nulla inter eos communicatio intercedit, ita gens illa nihil amplius de peccato, quod à ſe amouerat, ſcire debebat. Si aurum, & argentum in domo remanſiſſent, facilè omninò fuiſſet alia idola, quæ adoraſſent, efformare: ſed ijs ſemel ſepultis, & tanto locorum interuallo ab illis ſeiunctis, multò difficilius, ac quaſi impoſſibile erat, ad ea adoranda reuerti. Nam idem eſt aliquem defunctum eſſe, & ex hominum memoria deletum. Optima ſanè doctrina, vt qui ſemel peccati occaſionem pœnitentes deſeruerunt, eidem ſeſe rurſus non fidant. Qui ſemel prolapſus eſt, & Dei gratiâ ſeſe erexit, magna promptitudine, & feſtinatione, peccati à ſe commiſſi occaſiones euitare, ac fugere debet; & à piſce diſcere, qui ſi ſemel hamo ſeſe expedierit, nihil facilè ore petit: nam quidquid videat, fraudem veretur: *Qui ſemel eſt læ-* Ouid.2. de pont. Eleg.7.

6. (margin, beside "Porrò ad moralem")

Thom. hic. (margin, beside "Nota quod noluit Iacob")



*ſus*

*sus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis, æra subesse putat.* Adeo vt prudentis sit non morari, & si fieri possit, eò non venire, vbi peccare solemus.

7. Quando filij Israël, grauissimis op- 1. Reg. 7. pressi supplicijs, quibus Deus, Philisthæis, tamquam diuinæ suæ vindictæ instrumento vtens, in eos animaduertebat, commoti oratione quam sanctus Samuel ad eos habuit, sese emendare, idola relinquere, vitam in melius commutare, ad Deum conuerti, eique aspera peracta pœnitentia seruire decreuerunt: prima pœnitẽtium actio quam exhibuerunt, fuit haurire aquã, eamque coram Domino effundere: *Hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini.* Aduertunt sacri Interpretes ad actionem hanc mysterio plenam, & quærunt, quænam fuerit hæc cæremonia quam hi pœnitentes exercuerunt? Quænam sunt hæ aquæ? Vbi eas hauserunt? Quorsum eas effuderunt? Quid Deo accedit, quod aquæ pocula, vel canthari ante eius conspe- Gloss. hic Raban. ctum effundantur? Nolo hic varias explicationes congerere, neque enim Commentatoris officiũ perago, Glossæ, ac Rabani cogitationi nostræ plurimum, fauet, & dicunt, eos in hac conuersionis suæ occasione coram Deo eam ideo effudisse: *Vt sicut aqua effusa non redit, sic nec ipsi redirent ad idololatriam.* Cum enim Propheta veniam, ac misericordiam populo huic impetrare conaretur, vt vera eorum foret correctio, primum quod eis persuasit fuit, vt dœmonium quod semel eijciebant, amplius non reuerteretur; & quemadmodum aqua illa semel in terram effusa pessum abibat, & consumebatur, nec ad poculum seu vas in quo fuerat, reuertebatur, ita illi tali ratione idololatriam à se reijciebant, vt numquam ad eam amplius redirent. Ad hunc euentum allusit fortassis in Threnis suis Propheta Ieremias, quando dixit: *Effunde sicut aqua in conspectu Domini;* Thren. 2 sumpta metaphora à niue, vel pruina, quæ solis radijs ita liquescit, atque dissoluitur, vt nulla eius facies supersit. Ita anima peccato congelata, diuinæ charitatis calore, ita emolliri, ac resolui debet, vt gelu culpæ omnino consumatur: *At verò cor altiori gratiâ perfusum, sicut aqua effunditur, quando liquefactum præ amore Dei, quasi glacies ex calore resoluitur,* dixit hic sanctus Paschasius; in hoc enim pœniten- Pasch. hic. tiæ perfectio consistit, vt quis ea ratione peccatum deserat, vt numquam amplius illius recordetur.

Obseruauit insignis noster Olea- 8. ster, quod cum populus Hebræorum, diuinis legibus sese perpetuo subditum, ac mandatorum Domini mirum in modum obseruantem fore promisit, prout indicant verba illa: *Omnia* Exod. 24 *verba Domini, quæ locutus est, faciemus;* statim subdit sacer Textus: Et *obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas;* in illius nempe veritatis confirmationem, ac fidem. Quærit modò magnus Lusitanus; quam ob causam eo ipso quo promissionibus sese deuinciunt, Deo sacrificium offerant? Et conditè omninò respondet: *Causa* Oleast. hic *fuit, quod paciscentes Deum precarentur, vt non stantes pacto iugularet, admodum victimarum iugulatarum, vel vt ostenderent pecorum occisione, pactum tamdiu duraturum, quamdiu mors illorum, & quemadmodum perpetua erat mors victimarum, ita & fœdus initum.* Adeò vt quemadmodum illa animalia ad vitam iterum non essent reuersura, ita & ipsi ad peccandum minimè reuerterentur; sed perpetuo sanctam eius legem obseruarent: *Et quemadmodum perpetua erat mors victimarum, ita & fœdus*

*fœdus initum.* Hac ratione deſiderat Deus vt ſibi ſeruiamus, vtque peccata ſemel deteſtata, non amplius amentur; & dœmonium, quod ſemel eiecimus, numquam amplius admittamus.

9. Egregia profectò cogitatio quam video ex mente Sancti Gregorij Magni. Conſtat ex hiſtoria Euangelica ſanctum Petrum Apoſtolum naues, & retia reliquiſſe, vt Chriſtum Dominum noſtrum ſequeretur. Interim, ſancto Ioanne teſte, poſt Reſurrectionem Domini. *Dicit ei Simon Petrus: vado piſcari.* Adeò vt Apoſtolus ad retia redierit; quæ iam antea reliquerat. Verumtamen mihi non oſtendes (dicit hic Sanctus,) Matthæum ad telonium, & commercium, quod reliquerat iterum fuiſſe reuerſum. Sed quod Chriſtum ſecutus fuerit, nempe: *Surgens ſecutus eſt eum*; non autem quod ad telonium redierit. Quærit modo hic ſanctus, quare ſanctus Matthæus ad officium quod gerebat, reuerti cauerit, & ſancto Petro artem piſcatoriam exercere permittatur? Reſpondet verò ſanctus Doctor: *Poſt conuerſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediјt: Matthæus verò ad telonij negotium non redit: quæ ergò ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, vt poſt conuerſionem animus non recurrat.* Nullum enim in ordine ad ſaluationem periculum eſt in piſcatione; ideoque ſancto Petro ea permittitur; licitè poteſt, etiamſi conuerſus, ad officium, quod antea exercebat, reuerti; Sed in quæſtoris vectigalium, vel telonarij, multa pericula intercurrunt, & miulle impedimenta, & peccati occaſiones ſunt; ideoque Matthæus tantopere cauet ad eadem officia reuerti; ſemel ea reliquit, vt eorum numquam amplius recordaretur. Qui enim verè ſeſe ad Deum conuertit, ita à peccato ſeſe expedit, perinde ac ſi mortuus, & animal iam iugulatum foret quod numquam eſſet reſuſcitandum.

*Ioan. 20.* *Matth. 9.* *Gregor. hom. 24. in Euang.*

10. Reges Orientis multis regionibus peragratis, cum Tiaris ſuis in Bethlehem perueniunt, veſtes attalicas, & defluentes purpuras reptantes, vt Puerum Deum, Cœli, ac terræ Regem adorarent, eique munera ſua offerrent. Exponunt Chriſto Domino, quomodo venerint, vt Gentilitatis inſignia, & vexilla ei ſubijcerent, & eius clientes, ac ſubditos iure meritoque ſeſe ſubſcriberent; rogant, ſui in protectionem, ac clientelam recipere eos dignetur, totius gentis ſuæ nomine fideiubere ſe; Eccleſiæ Catholicæ clientes, ac feudatarios filios ſe permanſuros. De reditu in regionem ſuam agunt; admonet eos Virgo Mater, aut Angelus aliquis, aut interior Cœli reuelatio, ne Ieroſolymam, vbi Herodes erat, redirent. *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Sanctus Paſchaſius moralem huiuſce euentus ſenſum refert, & quidem inſtituto noſtro admodum accommodatè; *Forma igitur in ſpecie cunctis imprimitur credentibus, quam deuote ad Deum venerint, & poſtquam venerint, ſcilicet, ne redeant ad eum cui abrenuntiauerunt, neque vitiorum repetant calles.* Optima ſane doctrina, omnibus fidelibus propoſita, ex qua diſcunt, quanta deuotione animi Deum quærere, & quo feruore ſeſe ad eum conuertere debeant; taliter enim ei adhærere debent, vt ad mundum, & peccatum cui renuntiauerant, amplius non reuertantur; & nequidem per peccati vias tranſeant, nec oculis ſuis aſpiciant, neque enim ſecuritatem ſibi promittere poſſunt, vbi certo periculo exponuntur. Nec opus eſt denuo faciem conſpiciat, qui ſanguinolentas

*Matth. 2.* *Paſchaſ. hic.*

lentas herodis manus semel effugerit.

II. Contrarium verò, canes, & sues
2.Petr.2. imitari erit, inquit sapienter, & magna verborum proprietate sanctus Apostolus Petrus, loquens de fidelibus, qui dœmonium eijcientes, illud rursus reassumunt, circumstantia procul dubio peccatum vehementer aggrauans:
Bern. serm. 2. de Assumpt. *Contigit eis illud veteris prouerbij: Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Sanctus Bernarbus prouerbium applicat, atque his verbis explicat: *Reuersus ad vomitum canis, odibilis erit multo plus, quam ante: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in eosdem denuò sordes inciderit, vt sus lota in volutabro luti.* Quasi diceret: Quid refert quod canis superfluo cibo, quo stomachum grauauit, sese exoneret, & ab intolerabili quo premebatur pondere sese relaxet, si fame instigatus, vilem, ac fœdum vomitum turpiter resorbeat, & agnoscens cœnum, ac sordidas fæces semel reiectas, remedium, ad quod natura eum incitauit, inutile reddat? Quid prodest porco, quod aqua fluminis sese abluat, & nitidas, ac splendentes setas inde educat, si impuro cœno sese rursus immisceat, & inter brutales delicias, aquas illas, ad quas nitoris causa accurrerat, fœdè cōspurcet? Quid refert, Fideles, quod grauipeccati pondere, quo premebamini, vos subleuetis, si eodem vos rursus oneretis? Cui bono erit, quod, inquietum iræ horrorem pœnitentiæ aqua abluatis, & impuro, & inhonestò, quod in anima gerebatis contagio, vos expediatis, si ad primum oculi intuitum, & in qualibet concupiscentiæ occasione, Sacramenti puritatem reprobetis, & collo tenus vitiorum cœno vos immergatis? Hoc est culpam vestram magis aggrauare, & peccatum turpius reddere: quandoquidem dœmonium in animam rursus admittatis, quod ex eâ eiceratis. Non est hoc quod Christus Dominus nos docuit, tanta mora tantoque temporis spatio illud ex homine quodam eijciens (licet Dauid, eius figura leui manu id perageret) sed quod peccata semel ex anima eiecta, ad eam vltra reuerti non debeant, quemadmodum dœmonium Saulis, quod ipsum deserebat, & reuertebatur, sed prout illud quod Dominus hodie ex hoc homine eiecit, quod exiuit ad non reuertendum, qua de causa tanto otio illud eijcit: *Erat Iesus eijciens.*

---

## *Erat eijciens, &c.*

## Consideratio II.

*Quod non sufficiat semel ex animabus nostris peccata eijcere, sed necesse sit ea semper detestari, vt numquam ad ea commitenda deueniamus.*

Non dicit Sacer Euangelista quod Christus Dominus *fuit*, sed *erat* eijciens dœmonium; nam primum significat id quod fuit, & iam perfectum est, secundum autem id quod fuit, & nondum perfectum est. Quemadmodum sanctus Ioannes de generatione diuini verbi agens, dicit, quod *Erat apud Deum*, & non *Fuit apud Deum.* Eodem modo sanctus Lucas dicit: *Erat Iesus eijciens dœmonium*; non enim obiter hoc egit, sed quamdiu vixit, huic sese rei impendit. Iustificationem peccatoris, & gratiam vnico instanti dat Deus: sed eam custodire, & conseruare omni tempore facit, nec vmquam manum operi subducit; capropter dœmonium semper eijcit, vt disca- I. Ioan.1.

discamus ex animabus nostris peccatum eijcere, & talem præteritorum criminum displicentiam habere, vt in nobis appareat, quod non tantum præteritis temporibus, sed etiam impræsentiarum, & affectu, & opere peccatum relinquamus: *Erat eijciens, &c.*

2. Ponderat S. Ioannes Chrysostomus Spiritum sanctum per Salomonem dicere: *Ne iteres verbum in oratione tua:* (Eccl. 7.) Per verbum autem non reiterandum, intelligit verbum *Peccaui*, quod pœnitentes peccatores Deo proloqui solent: atqueadeò Aureum illud Os dicit Spiritum sanctum hic nobis consulere, non vt sæpius non dicamus: *Peccaui*; sed ne pœnitentes, & iam correcti noua peccata committamus, propter quæ necessario nobis dicendum sit, nos peccasse; atque ita concludit, admodum salutare documentum esse, pro eodem peccato sine intermptione semper dicere, *Peccaui*, eo quod hoc sit præparatum, & armatum esse ad resistendum tentationibus inimici: *Vt cum venerint nouæ suggestiones, ibi repellatur inimicus dicendo: Adhuc doleo peccatum vetustum, quomodo admittam peccatum nouum?* (Chrysost. in Psal. 84.)

3. Cum Moyses ex parte Dei populo dixit, quod cùm eo non ascenderet, cum non comitaretur, nec duceret in terram promissionis propter duritiam, & pertinaciam eius quam conflando vitulo, & idololatriam committendo ostenderat; dicit sacer Textus quod, *Audiens populus sermonem hunc pessimum luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo.* (Exod. 33.) Memoria hæc retinete, & animaduertite, quod paulo post Deus populo dicat: *Iam nunc depone ornatum tuum*, quod & fecit: *Deposuerunt ergo filij Israël ornatum suum.* Magna difficultas hoc loco occurrit. Quomodo enim præcipit Deus, vt populus ornatum deponat, qui iam eo sese exuerat? Scio alios alias responsiones adferre: sed Burgensis ad institutum nostrum est admodum excellens; qui dicit, non præcepisse Deum Israëlitis, vt sese iterum spoliarent, sed significasse, vt quod iam fecerant, approbarent, sibique in illa pœnitentis specie, & demonstratione, contritionem de peccato in Deum commisso significante, complacerent. (Burgens. addit. 3.) Hac scilicet ratione declarantes, quod quantum ad affectum, sese semper spoliarent: *Non inculcari à Deo nouam spoliationem, iam enim se omnes spoliauerant, sed nouam spoliationis præteritæ approbationem.* Vt testarentur tantum sese à nouis peccatis cõmittendis abesse, vt præterita continuo detestarentur, & Satanam continuò eijcerent, atque propellerent.

Mirabilia fuere balnea illa, quæ Propheta Eliseus in Iordanis flumine sumere præcepit Naamo, qui summis erat in delicijs Regis Syriæ, & magnus apud eum, & honoratus. 4. Historia est admodum nota quomodo hic Princeps venerit ad Hominem Dei, vt à lepra, qua infectus erat, eum sanaret. Propheta per discipulum, aut famulum aliquem suum, ei per fenestram dici iussit: *Vade, & lauare septies in Iordane.* (4. Reg. 5.) Lauatoria hæc, aut septenarius eorum numerus (inquit, locum hunc expendens magnus Tertullianus) grande mysterium includunt. (Tertull. lib. 4. cont. Marc. cap. 8.) Duas rationes dat hic doctus Pater; secunda verò instituto nostro inseruit: *Simul, & vt totius Hebdomadis caueret expiationem.* Septem dies continet hebdomada, symbolum præsentis vitæ quam viuimus, in septem illis creationis mundi repræsentatis: singulo autem diei, suum respondet lauatorium, hæc autem significant expiationem à peccatis nostris, quam Chri-

Christus mediante sanguine suo, in animabus nostris facturus erat, eas gratia sua purificans: *Quia vnius Lauacri vis, Christo soli dicabatur.* Modo itaque septem sint balnea, quæ leprosus hic, figura peccatoris, sumat, vt doceamur, quod omni tempore conscientias nostras expurgare debeamus à maculis, quem peccata nostra ei imprimere solent. Non sufficit semel, aut iterum, hoc, aut illo die, curam hanc adhiberi, verum perpetuo, ac tota vita idem præstandum est. Vt significemus quod non tantum præterito, sed & præsenti tempore peccatum à nobis propulsemus.

5. Quando Israelitæ congregati sunt in Masphatæ, & ad Deum sese conuerti decreuerunt, dixit eis Samuel, vt falsos Deos Baalum, & Astaroth quibus huc vsque idololatriæ cultum detulerant, à se proijcerent: *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, &c.* (1. Reg. 7.) Abulensis existimat plerosque se iam idolis expediuisse, eaque à se amouisse; sed aliquos tantum ea adorasse, & ad hos Prophetæ verba directa fuisse. (Abulens. hic.) Dionysius Carthusianus alia via ingreditur, & dicit quod omnes idololatriam abiecerant, ac vero Deo seruiebant; sed quod nihilominus aurum, & argentum simulacrorum suorum in domo sua adhuc detinebant; quodque vt eis occasiones rursus in eadem peccata incidendi adimeret, mandauerit, ne ea amplius apud se detinerent. (Carth. hic.) Bonæ quidem hæ rationes, & Authoribus suis dignæ. Verum ea quam venerabilis Magister meus huius loci Commentator adfert, instituto nostro plurimum fauet: *Addo quamuis fortasse nemo idololatriam coleret, neque idola apud se conseruaret, adhuc nihilominus Samuelem non immeritò præcepisse, vt Deos alienos auferrent, hoc est, vt illas affectiones propensionesque ad cultum idolorum, ex longa idololatrandi consuetudine haustas, & quodammodo iam innatas, penitus abolerent:* (Mendoca in hunc loc.) adeò, vt Samuel iudicauerit, continuam, & vt minus virtualem peccati de quo pœnituerant, displicentiam, & complacentiam abiectionis idolorum, & (Dei misericordiâ) ab idololatria separationis, veræ pœnitentiæ contestationẽ fuisse.

Christus Dominus occasionem dare voluit diuino Præcursori suo, vt 6.
in totius populi præsentia testimoniũ daret, quod Legatis à Ierusalem iussis, iam antea dederat, vtque (nemine interrogante) diceret, quod antea interrogatus dixerat. 7.
Ea de causa ad locum venit vbi Ioannes Baptista baptizabat, magno hominum concursu plenum; & vir Sanctus, Spiritu sancto admonitus, digitum extendit, & à longè Christum Dominum demonstrauit, alta omnino voce, omnibus audientibus dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* (Luc. 15. Ioan. 1.) Christus Dominus noster Agnus vocatur propter innocẽtiã, ac mansuetudinẽ; Agnus verò Dei, quia Pater ad crucifigendum eum tradidit; quod peccata mundi tollat, quia ea in se suscepit, prout sanctus Petrus, & Isaias dicunt, eaque in se recipiens, tollit, & de mundo delet. (1. Pet. 2. Isaia 53.) Aduertit autem modò ingeniosè Theophylactus: *Non autem dixit, qui tollet, sed qui tollit peccata mundi; quasi semper hoc faciente ipso.* (Theoph. in Cat. D. Thom. ad. c. 1. Ioan. Caiet. hic.) Et verò magna ponderatione dignum est, quod Sanctus Ioannes, quasi de re præterita, non dixerit; *Ecce Agnus Dei qui tulit peccata mundi*, sed in præsenti locutus fuerit: *Qui tollit peccata mundi.* Quam autem ob causam hoc modo locutus fuerit magnus Baptista, quærit hic doctus Pater? Et respondet omnino pro-

propriè hoc eum fecisse: *Quotidie enim tollit peccata mundi.* Quod intelligendũ est non solum quia quotidie ea tollit, nouas semper gratias pœnitentibus peccatoribus conferens, sed quia etiamnum ea quæ antea tulit, ad huc semper aufert, hoc est, in gratia sua conseruat eos quibus ea condonauit. Vt doceamur peccata ab animabus nostris auferre, & dœmonium ex eis eijcere, non solum dum pœnitemus,
6. & confitemur, verum etiam quamdiu in eius seruitio, & amore perseueramus.

7. Quam pulchra se mihi hic offert cogitatio docti & acuti nostri Caieta-
Luc. 15. ni! Errorem suum agnoscit filius prodigus, in se reuertitur, domus patris sui recordatur, ad eam redire decernit, sicuti qui pietatem pectoris eius, suauitatem cordis, & quantum apud eum possint, & valeant lachrymæ, cognoscebat. Statuit secum, simulatque eum viderit, dicere ei: *Pater peccaui, &c.* Clementia patris, immodestiam, ac dissolutionem filij superat, eumque vt obedientem recipit; eo quod præteritorum pœnitudo eum talem iam fecisset. Cum autem gratiæ eius sese restitutum vidit pœnitens adolescens, dixit ei quod secum statuerat: *Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* Audite
Caiet. hic. modo subtilitatem Caietani: *Suscepta gratia, exequitur sanctum propositum;* patrique suo maiorem mundi totius peccatorem se confitetur. Iam verò si patri reconciliatus sit, & videat eum sibi iam ignouisse, ad hæc tantis se fauoribus affectum, quorsum adhuc verbis contritionem significantibus vtitur? vel quorsum vlteriores satisfactiones? Inter festos dies lætitiæ plenos, prout sunt quibus ille recipitur, inconueniens videtur hic doloris sensus. Apagite (inquit Caietanus) neque enim secretum comprehenditis: *Suscepta gratia, exequitur sanctum propositum.* Nouit pœnitens adolescens, contritus incedens, quid agat; hac enim ratione pœnitentia eius securior existit. Non sufficit ei antecedens dolor, verum etiam remissione impetrata, doloris sui sensum extendit, & explicat, vt ostendat quam procul absit ab vlteriori peccato committendo, qui se illud commisisse lugere perseuerat.

Ex dictis colligitur, quanti referat, 8.
ad hoc vt saluationis nostræ negotium assecuremus, continuo è nobis peccatum eijcere, & perpetuam eius displicentiam habere; ne si nobis hæc desint, & dœmonium quod è domo eiecimus intromittamus, grauius deinde castigemur. Huic rei admodum opportuna est allegoria sancti Cyrilli Alexandrini ponderantis mirabile illud, supplicium, & exemplum vxoris Lot. Notat hic Sanctus, quod dum in Sodomis habitauit, diuina ira in eam non desænierit: sed cum inde egressa, si non reipsa, vt minus vo- Gen. 19.
luntate eò reuerti voluit; *Respiciens retro versa sit in statuam salis.* Quam ob causam (quærit hic sanctus) eam non puniuit Deus dum in Sodomis habitabat, & eam punit, dum eò reuerti desiderat? Et sapienter respondet, Deum hac ratione nos docere voluisse, grauius puniri eum, qui in peccata reincidit, quam qui primò pec- Cyrill.
cauit: *Inde sumendum esse nobis exem-* l. 5. in
*plum, ne ad deploratas reuertamur pec-* Ioan.
*catorum illecebras.* Confirmat hic san- c. 17.
ctus cogitationem suam authoritate Luc. 17.
S. Lucæ, vbi nobis commendat: *Memores estote vxoris Lot.* Non dicit vt recordemur punitionis Sodomitarum, sed infelicis huius mulieris; illa enim affecti sunt, qui viuebant in peccato; hæc

hæc verò, ea quæ certa quadam ratione; hoc est, quantum ad affectum, in illud reincidit: nam reipsa semel ex Sodomis egressa, continuò quantum ad affectum inde quoque egredi debebat. Et quoniam in hoc defecit, & ad peccatum quod deseruit reuerti voluit, ideò tam seuere punita fuit. Casus hic mores nostros sale condiat, vt alieno periculo sapiamus, & lectionem quam Christus, longa mora, & magno otio dœmonium ex hoc homine eijciens, hodierna die suo exemplo nobis proposuit, addiscamus; vt nos ipsi ad eius imitationē illud ipsum cum peccato agamus, hoc enim est mysterium verbi, *Erat.*

---

*Erat Iesus eijciens.*

## Consideratio III.

*Quod ij dumtaxat qui liberi sunt à Laqueis culpæ, dissoluere possint captiuos peccati.*

1\. Sanctus Pater Augustinus miraculosum hunc successum sibi præsentem habuisse videtur, quando sententiosa, & arguta hæc verba dixit: *Tenet diabolus, liberat Christus; tenet deceptor Euæ, liberat filius Mariæ. Omnes ille per vnum tenere potuit, nec ab eius dominatione liberat, nisi vnus, quem tenere non potuit:* atque ita, si obseruare velimus, quando Christus Dominus in mundum venit, dœmoniaci multi erant: tot enim fuerunt quos sanauit; vt Euangelistæ suis historijs intenti & implicati, & miracula cœcorum, paralyticorum, claudorum, mutilorum & membris luxatorum referentes, dœmoniacis maximè calamum impendant, vt significent eos procul dubio plurimos fuisse. Dœmon enim toti mundo tantopere dominabatur, eiusque imperium tam latè extendebatur, ut non sufficeret ei, quasi vniuersalem animarum omnium hominum per peccata eorum possessionem habere, verum etiam in corporibus eos affligeret, vt se magis absolutum Dominum demonstraret. Permisit autem Deus vt tunc temporis tyrannus illa magis cresceret, quam præteritis, & futuris temporibus, vt intelligeretur, quod veniente Christo in mundum, & captiuos eius liberos dimittente, Monarchia eius corrueret, quam nullus alius ad nihilum redigere posset: hoc enim est quod dixit Isaias: *Spiritus Domini super me, &c. Vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem*; quod de seipso idem Dominus per sanctum Lucam explicauit. Emphasum habet illud, *Super me,* in quem scilicet tyrannus hic iurisdictionem habere non potuit; super me, quem capere non potuit: *Quoniam ipse liberauit me de Laqueo venantium*; super me, in quo non fuit, nec esse potuit peccatum: *Eum qui non nouerat peccatum*; ex qua Doctrina, illa nostræ considerationis infertur: nempe eos solummodò dissoluere posse intricatos strictis laqueis; & validis peccati catenis ligatos, qui eo soluti, & liberi existunt.

*Aug lib. contr. Pelag. & Celest. de pecc. orig. cap 4.*

*Isaiæ 61.* *Luc. 4.* *Psal. 90.* *2. Cor. 5.*

2\. Molesti illi, & importuni amici sancto Iob obtrectarunt, & personam eius grauiter calumniati sunt, temerariè iudicantes, quod ea quæ pateretur mala, digna peccatorum eius pœna forent. Deus prout tam benignus est, ignoscere eis voluit, adeoque eis dixit, vt cum tam grauiter in seruum suum Iob peccassent, eum inuiserent, eumque rogarent, vt pro eis Deum

Deum deprecaretur, & intercederet, vt peccatum commissum eis condonaret: Iob 42. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia, &c.* Venit ad hunc locum sanctus Gregorius Papa, & quærit; quare intercessorem constituat illis Deus eum, quem ipsi offenderant, & quem tot adductis argumentis, peccatorem esse probare conati fuerunt? Expedire videtur, vt alius quispiam mediator fuerit. Verumtamen dicit hic sanctus, Deum id fecisse, vt hac ratione innocentiam Iob comprobaret, & ad ea, quæ ipsi contra virtutem, & sanctitatem eius obiecerant, responderet: Gregor. in præfat. ad lib. mor. c. 3. *In grauibus namque peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non diluit. Mundus ergò ostenditur esse de se, qui emundationem potuit habere pro alijs.*

3. Cum Babylonij ad regiones suas iam læti peruenissent, non tam quia sese in illa iam existere conspicerent, quam quia victores & ex spolijs diuites in eã intrarent, dicebant captiuis Israëlitis; Psal. 136. *Hymnum cantate nobis de canticis Syon:* & ad hoc omnes responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Audit hoc sanctus Chrysosthomus, & responso huic curiosè occinit: Chrysost. hom. 6. in cap. 2. ad Rom. *Quod si*, inquit, *in terra barbara Domini oracula canere fas non erat, quanto minus & id anima barbaræ? Barbara enim est anima, quæ crudelis, immitisque est. Nam si eos, qui captiui sunt, quique extera in regione serui agunt, lex silere iubet: quanto magis eos, qui peccati serui sunt, & exteram vitam viuunt, obscrato mutoque ore esse conuenit?* Quam rationem habuit Chrysosthomus, vt diceret, non conuenire, vt ligati loquantur, & captiui doceant? Ratio fuit, quia cum doctrina quæ animabus proponitur, fit in ordine ad earum libertatem, vtque ex dura peccati seruitute extrahantur, non conuenit vt ipsis persuadeat, & prædicet is, qui & ipse peccati mancipium existit.

Aduertit sanctus Ambrosius Christum Dominum duos ex discipulis suis ad vicum quemdam mittere Ierosolymæ vicinum, vt inde animal ad se adducerent, quo indigebat, vt eques, & triumphabundus eamdem ciuitatem ingrederetur. Et quidem singulari industria animaduertit, Euangelistam dicere, animal illud fuisse ligatum: *Inuenietis pullum asinæ alligatum.* Luc. 19. Mandauit autem Dominus vt illud dissoluerent. Dicit modò magnus Pater: *Erat ligatus pullus cum asina, nec poterat solui, nisi iussu Domini. Soluit eum manus Apostolica, talis actus, talis vita, talis gratia.* Ambr. Quasi diceret: Ligatum & vinctum erat hoc animal, Symbolum peccatoris, talis enim mansit per peccatum: *Comparatus est iumentis insipientibus, &c.* Psal. 48. & solum Domini mandatum eum soluere poterat. Eius nomine, & per eius virtutem eum soluerunt Apostoli quos ea de caussa misit; talis verò gratia, & talis virtus similem effectum operari tantummodo potuit: is enim dumtaxat qui à peccati laqueis liber erat, peccati seruos & captiuos soluere poterat: *Esto talis* (prosequitur hic Sanctus) *vt ligatos possis soluere.* Nobiscum loquitur sanctus Doctor. Si enim alios ex carcere culpæ extrahere desideres, conare primo ab illa liber existere: nam ij dumtaxat qui à delictis liberi sunt, strictis peccati nodis colligatos soluere queunt. 4.

Magnus Baptista loquens de baptismatibus quæ ipse conferebat, & Saluator per sacros suos Apostolos præueniebat, teste sancto Ioanne Euangelista, dixit hæc verba: *Ego vos baptizo in aqua, medius autem vestrum ste-* Ioan. 5. 5.

*tit quem vos nescitis, ipse baptizabit vos Spiritu Sancto, & igne, &c.* Quasi diceret: Vterque baptizamus, ego aqua, ille igne: ego corpora, ille animas; ego hisce torrentibus exteriora mundo, ille verò virtute Spiritus sancti ad interiora pertingit. Reflectit Rupertus Abbas ad hæc verba, & earum occasione curiosè inquirit, quare scilicet Præcursor baptizans, non fuerit instrumentum Spiritus sancti ad gratiam conferendam? Respondet autem ad casum nostrum valdè accommodatè: *Sicut Christus solus de Spiritu sancto conceptus est, ita solus in Spiritu sancto baptizat: nam Ioannes adhuc in vtero, de Spiritu sancto repletus est, sed non de Spiritu sancto conceptus, & idcirco de Spiritu sancto baptizare non potuit.* Hinc per formalissimam consequentiam deduco, quanto immeritò instrumentum gratiæ fuerit, qui præterquam in sua conceptione eam non habuerit, actu etiam eâ caret. Indignum erit occasiones quærere, quas vitare conueniet; eumque qui reipsa captiuus est, conari esse redemptorem.

*Rup. lib. 2. in Matt. c. 3.*

6. Mysterio plena fuit actio illa Christi Domini, cum Scribæ, & Pharisæi pauperem illam mulierem in adulterio deprehensam, ei adduxerunt, vt super hoc casu opinionem suam proferret, & iudicaret qui cum illa, in executione pœnæ à lege latæ, agendum foret: *Ipse inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Quænam hæc (quærit sanctus Pater Ambrosius) forma iudicij, vel quænam iudicis species? Cum Tribunal adscendere deberes, deorsum in terram te declinas? Haud equidem capio. Et siquidem caput inclinas, quorsum, vt litem dirimas, & sententiam feras, illud attollis? *Erigens se,* inquit sacer Euangelista. Ad hoc dubium conditè respondet idem Sanctus: *Inclinat caput Iesus, & quia non habet vbi reclinet caput suum, iterum erexit, quasi dicturus sententiam, & ait: Qui sine peccato est, prior lapidet eam.* Quasi diceret: Caput suum in terram inclinat Redemptor, veluti si quispiam eum interrogasset, an in ipso aliqua ad eam propensio, vel terrenus quispiam affectus foret, vel macula aliqua nitidum illud puritatis, & sanctitatis speculum infecisset, cumque nihil erga eam haberet, nec inueniret vbi caput suum reclinaret, quia nihil terreni habebat, totus cœlestis existens, illud erexit, vt iudicis officium exequeretur, & sententiam super proposita quæstione proferret, & peccatricem, quam falsi illi zelatores accusabant, absolueret: vt exemplo suo doceret quanti referat á captiuitate culpæ liberum esse, ad soluendum eos, qui in ea compediti detinentur.

*Ioan. 8.*

*Ambr. epist. 58. lib. 7.*

7. Docta admodum est responsio quā dat sanctus Athanasius ad quæstionem quam Theologi cum sancto Thoma faciunt, an Christus Dominus noster factus homo, omnes corporales defectus, qui naturæ humanæ per peccatum obuenerunt, assumpserit? ad quam respondet, quod omnes defectus assumpserit, qui fini redemptionis nostræ conueniebant: non autem eos qui imperfectionem aliquam spiritualem, vel defectum corporalem dicunt, & adeoque nullos morbos habuerit. Et merito, inquit Athanasius: *Nō decuit, vt is, qui ad tollendas infirmitates nostras veniebat, ægritudines susciperet.* Ægrè enim ab ægritudine liberare potest qui eam patitur & qui proprijs captiuus detinetur. Quod autē hic Sāctus de corporis infirmitatibus dixit, ego de spiritualibus animæ dico, ideò enim à cōpedibus culpæ Christus nos liberauit, quia ab ijs liber erat; si enim ligatus fuis-

*Athan. lib. de Incarn. antimed.*

*Thom. 3. p. q. 14. a. 4.*

fuiſſet, libertatem nobis non contuliſſet.

8. Cum Angelus ſanctum Apoſtolum Petrum in carcere, in quo iuſſu Regis Herodis detinebatur, viſitauit, dicit ſacer Textus, catenas, ſiue manicas quibus ligabatur, de manibus eius cecidiſſe. Multis ſuper hoc miraculo diſcurrunt ſancti Patres: ſed Boſſius, grauis Author rationem quamdam dedit inſtituto noſtro admodum accommodatam: *Namque manus, quæ nexus peccatorum, & ligamenta iniquitatum, debebant ſoluere; catenis minimè debebant eſſe obnoxiæ*: Solutus namque & liber viuere debet is, qui alios liberaturus eſt. *Boſ.l.1. de ſign. Eccleſ.*

9. Euentum quemdam in actibus Apoſtolorum habemus, ex quo egregiam diſcurſus noſtri probationem eliciemus. Princeps quidam ſacerdotum, nomine Sceua, habebat ſeptem filios; videntes autem poteſtatem quam ſanctus Apoſtolus Paulus ſuper immundos ſpiritus habebat, ad cuius imperium, in virtute ſanctiſſimi nominis Ieſu egrediebantur, etiam & ipſi Exorciſtæ eſſe voluerunt, ac dœmonia, cum mali eſſent, ac peccatores, coniurare cœperunt; & ad dœmonium quoddam deuenientes, dixerunt ei:
*Actor.19.* *Adiuro te per Ieſum, quem Paulus prædicat.* Reſpondit autem inimicus: *Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* Homo verò in quo erat dœmonium peſſimum manus in eos iniecit, eoſque ſemi mortuos, & malè exceptos reliquit. Doctus Lorinus reſponſum hoc ſatanæ expendens, dicit perinde illud fuiſſe, quaſi dixiſſet: *Chriſtum ſcimus, & Paulum nouimus, & in nomine Chriſti, quem Paulus prædicat, adiurati egredimur; vos autem penitus ignoramus*: Verba enim inimicorum Dei, erga nos nihil obtinent, qui enim validis peccati catenis ligatur, eos, qui illis detenti viuunt, ſoluere non poteſt: *Non eſt cadentis alium erigere*, egregiè dixit Plutarchus. Virtus Ieſu, quem Paulus prædicat, nos ex homine iſto eijcit, ſi illa non obſtaret, non effugeret manus noſtras, nec abiret à vinculis & compedibus, quibus detinebatur. Omnia iam dicta mirabiliter probant argumentum tertiæ huius conſiderationis. *Lorin. hic.* *Plutarch. cit. à Mendoca. Reg.c.9. num.27. ſect.2.*

---

*Cum eieciſſet dœmonium, locutus eſt mutus.*

### CONSIDERATIO IV.

*Quod, quia lingua index eſt animæ, vſque ad dœmonij eiectionem, Chriſtus Dominus hominem hunc mutum eſſe voluerit.*

LINGVA pulſus, ſiue arteria eſt animæ, & quemadmodum Medicus infirmi febrim per pulſum cognoſcit; ita quoque per vniuſcuiuſque linguam interiora cordis cognoſcuntur. Magna ſanè prudentia veritatem hanc prolocutus eſt ſanctus Ambroſius: *Bonus Pater familias à primo veſtibulo domus æſtimatur: ita etiam de ſermonibus noſtris mens noſtra perpenditur*; nam (vt Poëta cecinit) *Indicium mentis vox eſt, & ſermo loquentis.* 1. *Ambr.l. 2. de Abraha.c.1.* *Poëta.*

Mirari meritò poſſumus Hetheos cum patriarcha Abraham ad regiones illorum venienti, tam honeſte egiſſe eumque tanto apud illos in pretio fuiſſe; cumque ille non niſi pereginum, & aduenam ſeſe confiteretur, & humiliter eis obſequeretur, ſeſeque tamquam ab eorum ciuilitate & feſtiua exceptione dependentem ſubmitteret; illos 2. *Geneſ.23.*

los tamen, vt hominem sanctum, & principem Dei eum compellasse: *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos.* Quærit Philo Hebræus, quam ob causam tantam apud eos authoritatem obtinuerit Abraham, & quare ipsi tanta reuerentia eum exceperint, deque eo tam magnificè senserint? Respondet autem ad rem nostram admodum accommodatè: *Honorabant quasi suum Principem, suspicientes ingenium augustius humano fastigio; nec enim sermonibus vtebatur vulgaribus, sed diuinitatem quamdam præseferentibus.* Adeò vt per linguam, personam ipsam agnouerint, & æstimarint; scientes tam ritè loqui non posse, nisi qui magnus sanctus fuerit.

*Phil. lib. de nobilit.*

3. Deuteronomij vigesimo septimo locus quidam est (licet aliàs iam expensus) hiuc rei admodum proprius: Moyses per duodecim tribus filiorum Iacob benedicendi, & maledicendi officia ibidem distribuit: sex benedicendi, & rogandi bona, alijs verò sex maledicendi, & rogandi mala obtigerunt. Insignis autem noster Oleaster notauit differentiam quæ in eo fuit, quod illi quibus benedicendi officium obtigit, omnes ex nobilibus, & liberis mulieribus quos habuit Patriarcha, Lia videlicet, & Rachele; quibus verò maledicendi, ex Bala, & Zelpha, ancillis eius, prognati forent. Quasi iam ante nos præmonens, maledicere genti vili, & malè morigeratæ; benedicere verò honesto loco natæ, & virtute præditæ proprium esse: *Quo in loco illud etiam aduertendum est, homines videlicet liberos, & benedictos, electos, ad benedictiones imprecandas. Ex seruis verò natos ad maledicendum*; vt constans sit hæc veritas, quod secundum vitam, & mores vniuscuiusque, ordinariè quoque verba esse soleant.

*Deuteron. 27.*

*Oleast. hic.*

4. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas*; inquit Regius Propheta, id est: Ex ore meo laudes suæ ebullitum, vt sic dicam, egredientur (ita hæc verba explicat noster Paraphrastes Hispanus) Hymnos tibi decantabo, & plurimos versus componam; & significauit Dauid, quod lingua sua nihil aliud sciet, quam Deum laudare, & extollere. Sed audite quid adiunxerit: *Cum docueris me iustificationes tuas.* Sanctus verò Hieronymus legit: *Docebis enim me iustificationes tuas.* Adeò, vt quoniam vita eius legi Dei conformis erit, verba eius ad illius honorem & gloriam dirigentur: *Eructabunt labia mea Hymnum, docebis enim me iustificationes tuas.* Sanctus autem Ambrosius curiosè reflectit ad energiam verbi, *Eructabunt*, quod in nostro idiomate significat aliquid ex intimo corporis, veluti halitum & spiritum, cum impetu ex ore eijcere; & dicit hæc verba: *Non potest quis antea eructare Hymnum, nisi didicerit iustitias Dei, & didicerit ab ipso Domino Deo suo.* Non enim benè loquetur, nisi fuerit iustus; & siquidem verba eius bona sint, ideò est, quia conscientia eius est iustificata; nam quemadmodum halitus olet ea quæ stomachus continet, eodem planè modo, ipsa verba indicant bonum, vel malum quod cor includit.

*Psalm. 118.*

*Episc. Caiet.*

*Hiero. hic.*

*Ambros. serm. 21.*

5. Narrat sanctus Lucas Euangelista, quod dœmonium, videns Christum Dominum ex corpore obsessi, clamare, eumque vt sanctum publicare inceperit: *Scio te, quis sis Sanctus Dei.* Magnus Tertullianus, locum hunc expendens quærit vnde, vel quomodo dœmonium sanctitatem, vel diuinitatem Saluatoris cognouerit? Et respondet, quod nō aliunde, quam ex verbis eius: *At nunc discepto, quomodo eum cognouerit*

*Luc. 4.*

*Tertull. l. 4. cont. Marc. c. 7.*

*uerit dæmon? Quid iam tale ediderat, per quod posset Dei Sanctus intelligi? Tantum quod Synagogam introgressus, & nec sermone operatus est aliquid aduersus Creatorem.* Quasi diceret: Vidit eum intrantem Synagogam, & eius viuendi rationem in laude Dei semper versari, & de nulla alia re, quam gloriam eius, & salutem animarum concernente, loqui: formauit itaque hunc discursum: Qui tam bona verba loquitur, procul dubio sanctus esse debet, qui enim peccator fuerit, tam bene loqui non potest; cum certum sit, vniuscuiusque verba indicem cordis eius esse.

6. Dixerunt Iudæi sancto Petro Apostolo, eum Christi discipulum esse, eumque hoc negare nō posse, eo quod
Matt.26. ex verbis eius eum agnoscerent: *Nam & loquela tua manifestum te facit:* Scio, quosdam Interpretes sentire, ex accentu, & pronuntiatione verborum clarè apparuisse Galilæum eum esse, prout cognoscitur Lusitanus, qui castellanicè loquitur. Verum doctus noster Cardinalis Hugo dicit, quod eum ex modo loquendi non cognouerint, eò quòd Galilæus non esset, sed Hebræus, ex Iudæa oriundus: sed ex discursibus quos proferebat, & ex materijs de quibus loquebatur. Illæ autem quales erant? Quales nimirum Christi discipulum decebant: *Quia Petrus de Deo loquebatur, non quia Galilæus esset: Verius est quod Hebræus esset.* Adeò, vt ex loquela eum cognouerint, mos enim Apostoli Christi multum differt ab eo, quo peccatores loqui solent.

7. Est tam certa hæc veritas, quod scilicet vniuscuiusque verba sint echo vitæ, vt sanctus Ambrosius in medium proferat, quod rem hanc summè exaggeret.
Psal.21. Propheta Dauid Psalmo 21. introducit Christum Dominum, arbori Crucis affixum, Patrem suum Æternum alloquentem, & verba illa proferentem, quibuscum, ea adhuc in ore habens, expirauit: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Hoc est, haud equidem video, Deus meus, vt quid tantopere me dereliqueris; permitte mihi vt rogem te, quam ob causam in tali me occasione dereliqueris, & tantopere moreris fauore, & auxilio tuo mihi subuenire, videris enim ex toto me derelinquere? *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Audit eum sanctus Ambrosius, & miratur Christum Dominum lingua hac, tam indigna personæ suæ loqui. De fide enim est, cum à Deo separari non posse, quandoquidem idem sit cum illo, nec etiam peccata habuisse, cum natura sua sit impeccabilis. Verum hic sanctus, & quidem è voto nostro, dubium hoc dissoluit: *Non capiatur,* inquit, *qui audit, sed intelligat, quod secundum carnem ista dicuntur, quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena sunt: aliena enim sunt à Deo verba delictorum, quia aliena sunt & delicta verborum; sed quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi, vt derelictum me à Patre esse dicam, qui apud Deum semper sum.* Adeò vt ex hoc sancti Ambrosij discursu deducatur, pari passu ambulare, loqui instar peccatoris, & peccatorem esse, nam eo ipso quo Dei filius alienis sese peccatis induit, in sensu iam dicto, peccatoris quoque verba locutus fuit. Aliquid difficultatis habet hæc sancti illius sententia; sed existimo me eam sufficienter explicasse, ad confirmandam doctrinam quam persuadere intendo.

*Ambr. lib. de Incarn. Sacram. ad finem.*

Discursui huic alio quodam sancti Bernardi coronidē imponamus. Vnum 8.

ex signis & indicijs quæ Christus Dominus credentium suorum fidei assignauit, loquendi modus fuit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequitur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis.* Per nouas linguas, non tantum intelligitur donum linguarũ, quod in sacra Scriptura vocatur, *Gratia linguarum*; certum enim est, non omnes fideles per mundum cucurisse, eisque necessarium fuisse scire, aut vti diuersis gentium idiomatibus, sed Christus Dominus solummodò dicere voluit, eos alio modo locuturos. Est hæc sublimis diuini Bernardi cogitatio: *Exinde qui in Christum credunt, linguis loquuntur nouis, cum iam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta parentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ, & ad excusandas excusationes in peccatis.* Quemadmodum enim nouo Baptismate, ex humanis, in diuinos cõmutandi sunt, non prout antea solent loquentur; nouæ in ijs linguæ noua conuersatio, noui mores videbuntur: nam & Spiritus sancti gratiâ noua corda acquirent. Adeò vt quales eorum conscientiæ erunt, talia & verba futura sint.

*Marc.16.* *1.Cor.12.* *Bern. serm.1. de Ascẽs.*

9. Admodum nota est sententia Socratis iuueni cuidam dicta, qui, vt duræ erat ceruicis, & pertinax, silebat, nec verbum vllum proferre volebat: *Loquere adolescens vt te videam.* Videtur quod melius dixisset Philosophus, loqueretur vt eum audiret; nam locutio est obiectum auditus, non autem oculorum: verumtamen prudenter admodum locutus fuit, & prout erat tam sapiens, intelligebat, quod nihil tam claram ingerat personæ alicuius notitiam, quam propria eius verba, cum constans hæc sit veritas, quod prout quisque viuit, ita loquatur: & hæc fuit ratio, quare Christus Dominus noster, ex homine hoc dæmonium prius eiecerit, quam linguam ei dederit, ne tamquam dæmoniacus loqueretur: atque ita sanctus Marcus dicit, quod postquam erat liber, *Loquebatur rectè.*

*Apophteg. verb. Socra.*

---

## *Cum eiecisset dæmonium locutus est mutus.*

### Consideratio V.

*Quod quemadmodum culpa mater est pœnæ, ita peccata quæ committimus filij sunt laborum, & afflictionum, quas patimur.*

1. HOc ipso quo ex hoc obsesso egressus est inimicus, mox oculos habuit ad videndum, aures ad audiendum, & linguam ad loquendum; quamdiu enim hospitem hunc habuisset, his omnibus caruisset. Maximi sanè momenti omnibus fidelibus documentum, quanti referat culpam ex se proijcere, quæ mater est pœnarum, radix ex qua damna omnia & labores nascuntur, qui tolerantur. Profundè omninò super hac materia disseruit Inclytus Martyr sanctus Cyprianus, scribens ad Proconsulem Africæ Gentilem, ostenditque quomodo necessarium omnino sit, vt corporales afflictiones crescant, & temporalia damna augeantur, supposito quod mortales non cessent Deum offendere, & nequaquam à peccando respirent, & requiescant. Mirabilia sunt eius verba: *Breuiatur in dies singulos, & decrescit ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, commercia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in mori-*

*Tertull. lib. de Idol. c.1.* 2. *Psal.87.* *August. hic.* *Cypr. Tract. contr. Demetr.*

*moribus disciplina*, *& cum olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longaua procederet, vix nunc possunt ad centenarium numerum peruenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectutem deficit.* Denique cuncta vbique collapsa sunt, mundus senex & lassatus, Regna euersa, & vastata, Monarchiæ interierunt: *Et miraris in pœnas generis humani, iram Dei crescere, cum crescat quotidie, quod punitur.* Quid enim mirum bona deficere, & supplicia crescere, si vitia abundent, & virtutes deficiant? Tolle causam, si effectum cessare velis; egrediatur dæmonium, & loquetur mutus. Quamdiu enim non euitatur peccatum, necesse est pati: *Post talia crimina, tam exitiosa, tam deuoratoria salutis*; dixit diserte magnus Tertulliann; atque adeò necesse est peccata ex anima exire, vt corpus sit sanum. *Tertull. lib. de Idol. c. 1.*

2. Annotaui versum aliquem Psalmi 87. qui (nisi malè eum intelligam) huic nostro instituto mirum in modum est adaptatus: *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam?* *Psal. 87.* Magnus Pater sanctus Augustinus, verba hæc explicans dicit, Regium Prophetam non quærere, an cadauera quæ sunt in sepulchris, diuinas misericordias deprædicare poterunt, hoc enim non est dubium; sed sublimiorem fuisse eius cogitationem, & de ijs qui secundum animam mortui sunt, & in peccato sepulti, eum loqui: *Anima mortua corpus sepulchrum est*, *August. hic.* quemadmodum Sarcophagus corporis iam defuncti; & licet anima in peccato mortuo, & in corpore sepulta, experiatur misericordias Dei, & auxilia quæ ei præbet, & patientiam qua eius emendationem præstolatur, nihilominus inquit Dauid, quod de misericordia, qua Deus ergà eam vtitur, loqui nesciat. Eo quod idem corpus, quod eam, ne egrediatur, incarceratam detineat, nec sese erigat vnde oppressa iacet, Sarcophagum ori superpositum contineat, ne vllum sanum verbum proferat & non magis quam defunctus, loquatur. Quemadmodum Euangelico huic muto accidit, cum iusto Dei iudicio factum sit, vt linguam non habuerit, qua magnalia & potentias Domini proloqui posset, & corpus vitales actiones non habuerit, quamdiu anima mortua foret. Quamquam postea cum viua fuit, & peccatum ex ea egressum est, locuta fuerit, & in diuinas laudes prorupuerit; signum profectò euidens, quod ex morte animæ, priuatio sensuum prouenire.

3. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egreditur dolor, inquit sanctus Iob. *Iob 5.* Angelicus Doctor sanctus Thomas, sententiosa hæc verba explicans, dicit sancti Viri mentem fuisse, ostendere, quomodo ordinariè omnes, quæ in hoc mundo tolerantur aduersitates, sint pœnæ peccatorum, & illos effectus ex hac causa procedere: *Hoc est ergo quod dicit: Nihil in terra sine causa fit. Videmus enim omnes effectus ex determinatis causis procedere, ex quo quasi concludens, dicit: & de humo non orietur dolor: Et est metaphorica locutio. Quædam enim herbæ sine semine producuntur: de quibus dicitur, quod eas humus sponte profert. Quidquid enim sine causa propria videtur contingere, quasi sine semine, per quandam similitudinem metaphoricè potest dici, quod oritur de humo: dolor autem, id est, aduersitas, non orietur de humo, id est, non est sine causa.* *Thom. comment. in hunc locum.* Inquit Iob, sed causam habet ex qua procedat, nempe hominum peccata. Adeoque manifestus

est error, cogitare, quod ex alijs principijs originem habeant. Dicit quispiam infirmum se esse, eo quod nescio quid egerit, aut quia nimium comederit, aut stomachum refrigeraucrit, aut frigidus eum aër infecerit. Et hæc quidem non est causa, sed peccatum, quod contra Deum commisit, & de quo sese emendare non conatur.

4. Deplorabat Propheta Isaias miserum Reipublicæ suæ statum, & labores ac afflictiones quibus affecta conspiciebatur: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Aduertit sanctus Hieronymus Septuaginta legere: *Populo pleno peccatis.* Plenum peccatis eum nominat, (inquit Magnus Pater sanctus Basilius) eò quòd ad tam sublimen cumulum peruenerint, vt in eo plura contineri non potuerint. Nominauit quoque, *Semen nequam.* hoc est filios Satanæ, vel campum omnis generis malis seminibus, quæ reperiri possunt, consitum: & concludit dicens, quod in bono semper retrorsum abeat, & in malitia progrediatur, & proficiat. Et verò quid inde secutum est? *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Audite Concilium Pistense, ponderans connexionem quam inter peccata, & supplicia fecit Propheta: *Ideò terram nostram in conspectu nostro alieni deuorant, quoniam alienos à Deo Diabolos, effugata gratia Spiritus sancti, in animas nostras recipimus.* Atque ideò Propheta conuenietissime iunxit causam cum effectu; vt cognoscamus dissipationes, & vastationes quas patimur, stipendia esse peccatorum nostrorum: & tum demum viuere nos posse, cum peccare desieremus.

*Isaias 1.* *Hier. hic.* *Concil. Pistens. c. 1.*

Obtulerunt diuino Medico Paralyticum vt eum curaret; dicit verò sanctus Matthæus, Christum Dominum, cœlesti hoc exorcismo, curationem incepisse: *Remittuntur tibi peccata tua.* Domine, & Redemptor animæ meæ, infirmus hic te non rogat, vt ei peccata sua ignoscas, sed vt infirmitates suas cures. Non animæ, sed corporis salutem, non peccatorum veniam, sed membrorum sanitatem intendit. Quomodo igitur vnam rem ipso petente, aliam ei concedis? Sanctus Hieronymus in Commentarijs huius loci huic dubio respondet. *Datur nobis intelligentia propter peccata plerasque euenire corporum debilitates. Et idcirco forsan dimittuntur prius peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.* Gessit se Deus instar sapientis Medici, quem aliquis rogat, vt caput suum sanet, remedium verò brachio applicat, præcipit vt vena ei secetur. Quid ita, mi Domine, rogo vt caput meum sanes, & brachium mihi aperis? Ita quidem. Nam malum vestrum ex nimio sanguine oritur, & necessarium est ad radicem, vnde illud procedit, recurrere. Modo intelligetur quod dixit Arnoldus Carnotensis, dans rationem, propter quam Saluator toto vitæ suæ decursu dolores, nec infirmitates vllas habuerit; nimirum, eum ideò pœnis caruisse, quia nullis in peccatis comprehensus fuit: *Neque enim erat Christus peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum. Vnde ipsi egredienti, nullum exigens tramenti vectigal.* 5.

*Matth.* *Hier. hic.* *Arnol. Tract. de Beata Maria.*

Non miror Hispaniam aliquanto ab hinc tempore plurima hac in parte pati, quando considero iniquitatem qua peccatur, & impudentiam, qua 6.

Deus

Deus offenditur: plurimi anni ſunt, quibus hæc Monarchia tantopere oppreſſa non fuit, nec eius inimici ita elati, & ſuperbientes. Et ſiquidem à ſancto Hieronymo cauſam requiramus,
Hieron. dicet, quod *noſtris peccatis barbari fortes ſunt, noſtris vitijs Romanus fugatur exercitus*. Peccata enim noſtra, inimicorum vires ſunt; vitia noſtra animos nobis adimunt, & ignauos reddunt, nam ſi hæc non forent, ſortes noſtras adeò immutatas non conſpiceremus.

7. Egregia profectò eſt famoſi noſtri Oleaſtri cogitatio! Populus Iſraël, terrã promiſſionis inquirens, peruenit ad Raphidim, vbi aqua ei defuit; videns autem ſiti ſeſe preſſum, murmurare, & conqueri cœpit de duce ſuo Moyſe:
Exod. 17. *Murmurauit populus contra Moyſen, cur eduxiſti nos de Ægypto?* Notat modò Oleaſter ſacrum Textum immediatè ſubiungere, quod Amalec cum valido exercitu venerit, & formata acie, Iſraëlem ad pugnam prouocauerit: *Venit autem Amalec, & pugnauit contra Iſraël in Raphidim.* Quid hoc rei eſt? Quærit magnus hic Doctor: Quis Amalecitas contra Iſraëlem excitauit? Quis in prælia eum commouit? Quid iniuriæ illis intulerat populus Hebræorum, vt in eum iam inſurgeret? Auſcultate reſponſionem, eſt enim quod deſiderari poteſt:
Oleaſt. hic. *Quamprimum populus peccauit, hoſtis affuit peccati vltor.* Non videtis, quod Scriptura dicat, populum contra Deum, aut Moyſen murmuraſſe? Quid igitur admiramini, eam mox adiungere, Amalecitas contra eum arma ſumpſiſſe? Quin potius eadem de cauſa Spiritus ſanctus vnius murmurationi, alterius aduentum adiunxit; vt nos doceret, proprio eum gladio occumbere; Si enim non peccaſſet, tantum audaciæ non ſumpſiſſet inimicus; ſimul-atque enim ac peccauit, omnes manus habent & vires, ad eum inuadendum: Atque adeò nullum aliud ſupereſt remedium, quam vitam in melius commutare, & pœnitentiam de peccatis ſuis agere, vt Deus punientem manum ſuam contineat, & furoris ſui gladium vaginæ imponat.

Deus primum hominem ex paradiſo eiecit, vtque introitum illius cuſtodiret, referente Sacro Texto, ad 8.
oſtium poſuit, *Flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Genef. 3. Quomodo, verò, cum Deus in arma ſua ſibi elegit? Nonne melior fuiſſet chalybs temperatus, inflexibilis, & probatus? Nequaquam, ſed verſatilis, & tremulus, inquit Procopius; nam igneum, quique in vtramque partem ſeſe moueat, gladium ſuum eſſe vult diuina Maieſtas. Et verò quam ob cauſam? *Vt conuerſo homine à vitijs ad virtutem, gladius quoque conuertatur.* Procop. hic. Si enim homo Dei iram non prouocaret, ſed à vitijs ad virtutem ſeſe conuerteret, gladius quoque conuerteretur, & de gladio, qui Paradiſi introitum prohibet, clauis foret, quæ eum aperiret. Suppoſito autem, quod hæc diuina commutatio à noſtra voluntate tantopere dependeat, quod nimirum peccata noſtra ad nos caſtigandos Deum prouocent, noſtra verò correctio diuinam eius iram mitiget, & placet, accurramus ad radicem malorum quæ patimur, vt ea finem habeant, & ceſſent. Peccatum ex anima egrediatur, vt cœci videant, ſurdi audiant, & muti loquantur: *Et cum eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus.*

*Miratæ sunt turbæ: quidam autem ex eis dixerunt; In Beelzebub, &c.*

## CONSIDERATIO VI.

*Quod non sit miseria, & infelicitas quæ maioris doloris causa sit, quam videre quosdam in mortem irruere, vbi alij vitæ occurrunt.*

1. CONSTAT ex sacro Euangelio, Christum Dominũ omnes suos sermones eo direxisse, vt Pharisæorum male affecta, & inuida pectora reduceret, sed quoniam ex diamante conflata erant, in gente humili, ex plebeia fructum fecerunt. Atque ita dicit sanctus Lucas, quod Scribæ, & Pharisæi, ac honoratiores ex circumstantibus auditoribus, miraculum hoc, tamquam opus dœmonis æstimauerint. Turba verò, hoc est, plebeij, admiratæ sunt, miraculum simplicitate cordis obstupescentes (prout dicit noster Cardinalis Caietanus:) *Simplici corde facta pensantes.* Et Eminentissimus Toletus aduertit, quod ratione alterius miraculi, quale hoc fuit, dixerit turba: *Numquam sic apparuit in Israël. At verò in hoc miraculo maius quid conceperunt, dicentes: Num iste est filius Dauid?* Ita notat, & declarat sanctus euangelista Matthæus: atque ille idem dicit, Pharisæos dixisse, quod arte dœmonis Saluator miraculum hoc perpetrauerit; & sanctus Marcus, Scribas hoc affirmasse. Certum autem est vtrosque blasphemias istas in Christum coniecisse, paruulos verò, & humiles, pro viro sancto eum agnoscere, vitæ ac doctrinæ eius affici, & Redemptorem fateri incepisse. Multa sese hic offerunt consideratione digna: verumtamen solummodo considerabo, quantopere dolendum, & sanguineis lachrymis deplorandum sit, quosdam se perdere, dum alij seipsos lucrantur: quodque vni causa est vitæ, alteri occasionem mortis existere.

Caiet. hic.

Tolet. hic annot. 32.

2. Sapientissimè in hac materia, prout in alijs solet, locutus est sanctus Pater Augustinus: *Simul pluit Dominus super segetes, & super spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: & tamen vna est pluuia. Sic verbum Dei omnes compluit; videat quisque qualem radicem habeat: videat quisque qua trahit pluuiam bonam. Si eam trahit vt generet spinas, numquid pluuia Dei accusanda est, antequam veniat ad radicem? dulcis est pluuia illa ducere ad verbum Dei donec veniat ad cor malum.* Quasi dicat: Eo tempore quo Deus pluit super segetes, pluit quoque super spinas, & dumeta: super illas quidem, vt in horreum congregentur, super has verò, vt pabulum ignis fiant; interim vna & eadem est pluuia, quæ tam differentes effectus operatur. Talis autem est verbum Dei, doctrina, & miracula eius; super omnes, instar cœlestis aquæ decidunt; videat quisque qualem radicem habeat, & quo bonas hasce aquas deducat, & vbi cœlestes fauores subsistant. Si loco tritici spinas proferat, an forte pluuiæ culpa hæc est, & ex sese hoc habet antequam ad radicem perueniat? Non profectò, sed cum ex natura sua adeò dulcis sit, propter malam dispositionem quam in subiecto reperit, spinas & tribulos protulit. Hoc ipsum in præsenti euangelio conspicimus; omnes viderunt miraculum dœmonij cœci, surdi, & muti; omnes sublimen Christi Domini sermonem audiuerunt; quidam ei applaudunt, eumque magnificant; alij calumniantur, &

August. lib. de Benedictio. Esau & Iacob.

tur,& blasphemant.illi fructū faciunt, isti verò perdūtur. Hi instar spinarum in ignē mittentur, illi verò in horreum congregabuntur. Res profectò deploranda, quod vnde quidam saluantur, alij condemnentur. Quodque bonis causa est vitæ, peccatoribus mortis occasio existat.

3. Nescio an animaduerteritis ad somnium illud mysterio plenum, quod vidit Pharao. Vidit septem boues, *pulchras, & crassas nimis*, quæ pascebantur iuxta ripam fluminis Nili, & iuxta illas
Genes. 41. alias septem collapsas, *fœdas, confectasque macie*, inquit sacer Textus. Et adiunxit, quod omnes, *Pascebantur in ipsâ amnis ripa in locis virentibus*. Scio somnij huius Interpretem fuisse sanctum Iosephum, eumque declarasse, quod *Septem boues pulchræ, septem vbertatis anni, septem boues tenues atque macilentæ, septem anni venturæ sunt famis*. Non obstante prima hac interpretatione, sacri Interpretes in sensu spirituali somnium hoc varijs modis explicant: atque ita eorum doctrinæ innitentes, moralitatem aliquam ad discursus nostri probationem inde deducere poterimus. Ad hoc verò vti volo doctrina insignis nostri Oleastri, qui in commentario suo litterali, conformiter
Oleast. hic. Pagninus ex Hebr. docto Pagnino ex Hebræo legit: *Pascebantur in prato, vbi gramen, seu herba virens, seu soror.* Hoc est quod omnes essent in eodem prato, & omnes eamdem herbam comederent; id enim significat quod dicitur herbam sororem esse, inquit Oleaster; vt intelligatur, quod licet aliquæ essent pingues, aliæ vero macilentæ, tamen omnes eodem alimento vterentur, & nulla in victu differentia foret: *Propter*
Oleast. cit. *similitudinem inter herbas eiusdem prati, videntur esse sorores.* Deus immortalis: quomodo, cum omnes eumdem habeant pastum, quædam tam crassæ sunt, aliæ verò tam flaccidæ, & macie confectæ? Illud iam dictum est. Clarum enim est disparitatē non à campo, nec pastu, cum totus sit delicatus, & bonus, sed à differentibus animalium complexionibus, quæ in eo pascuntur, prouenire. Optima sanè metaphora, significans id quod inter homines agitur, & fidelibus euenit, cum mensa illa, quæ de Cœlo quotidie eis offertur, verbi scilicet Diuini, & Panis Cœlestis, vnici cibi, & præstantissimi, ac supremi animarum alimenti, à qua aliqui quidem crassi, & pingues, alij verò macilenti recedunt; vnde quidam vtilitatem alij damnum referunt; quidam virtutis augmentum, alij perditionem suam acquirunt; cumque vnus & idem sit cibus, tam distinctos in eis effectus operatur, propter diuersas dispositiones, quibus ad eum recipiendum, accedunt. Ex eodem rore sustentatur apis, & aranea; & experientia nos docet, in benè temperatis visceribus vnius, in suauissimum mel, in malignis autem alterius, in purum venenum conuerti. Defectus non est in cœlesti liquore supernè distillato, sed in malitia subiecti in quod decidit; proteruiæ suæ, & obstinationi incredulitatem suam perfidi Iudæi imputent, quandoquidem, cum quidam ex miraculis, & doctrina Saluatoris compungantur, & fructum referant, ipsi magis indurati, & contumaces, & cum medicina, quæ alios sanat, incurabiles persistant. Nec maior infelicitas esse potest, quam aliquos mortuos concidere, vnde alij viui se erigunt.

Inter plagas illas quas Moyses in Ægypto fecit, quando Deus inimicum 4.
illum populum punire voluit, teste Sacra Scriptura vna fuit conuersio aquæ Exod. 7.
in sanguinem; adeò vt Ægyptij eam bibe-

bibere non potuerint, atque ita siti perierint. Verumtamen non fuit hoc maius miraculum, inquit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ, sed quod eodem tempore quo Ægyptij non bibebant, Hebræi ea potirentur: *Pœnas passi sunt inimici illorum à defectione potus sui. Et in eis, cum abundarent filij Israël, lætati sunt.* Ita locum hunc intelligit doctissimus Lyranus: *Quando hauriebant Hebræi de flumine, statim quod haustum erat, reuertebatur ad naturam potabilis aquæ. Et sic lætabantur filij Israël de diuino beneficio. Nam ex eodem fluuio Ægyptij affligebantur, & filij Israël reficiebantur*; vel quia Ægyptij non bibebant, vel (prout dicit Iosephus) cum viderent Israëlitas eam bibere, sibi persuadebant, quod sanguinis colorem amplius non haberet, dulcedinem & frigiditatem naturæ suæ conseruans: atque ita infirmitates, & ipsissimam mortem ipsis procreauit: *Erat talis Ægyptijs, Hebræis autem dulcis & potabilis exstitebat*; inquit antiquus Historiographus Iosephus; adeò vt Dei inimici, ex eadem re mortem sibi acquisiuerint, ex qua eius serui viuerent; nec maius tormentum esse poterat, quam vnde alij suauitatem, & subleuamen conquirebant, illos summum rigorem experiri. Obuium est in sacris litteris, quod aquæ bonæ gratiæ significent: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Atque ita allegoria locum habere poterit, si dixerimus, fauores, & dona Spiritus sancti esse instar aquarum Nili; turbæ quidem, genti candidæ, & simplici causam vitæ, Scribis verò, & Pharisæis occasionem mortis.

Sapient. 11.

Ioseph. lib. 2. Antiquit. c. 13.

Isaia 54.

5. Peribant fame in terra vbi Propheta Elisæus habitabat; famulo autem, aut discipulo cuidam suo mandauit, vt ollam grandem præpararet, vt Seminario, aut Conuentui suo, qui (prout aduertit sacer Textus) erant filij Prophetarum, apponeret quod comederent. Fecit ille accuratè quod Magister suus sibi mandauerat, implet ollam herbis amaris (erant autem colocynthidæ) existimans salutares & sapidas eas fore. Non debuit sanè bonus herbarius fuisse prædictus cocus, quandoquidem in tanta herbarum syluestrium diuersitate, qualis in campis reperitur, illas elegerit. Cum autem ad comedendum sese accinxerunt, amaræ erant instar aloës, & cuncti ita obstupefacti fuerunt, perinde ac si venenũ sumpsissent; atque adeò, elata voce dixerunt Eliseo: *Mors in olla vir Dei.* Insignis quidam inter antiquos Prædicator, propter eruditionem suam dignus nominari doctus Raulinus, ponderans verba hæc discipulorum Prophetæ, alia quædam adiungit, ex quibus, licet breuibus, insignem discursus nostri probationem eliciemus: *Admirantes dixerunt, mors in olla, non in gladio.* Quasi dicerent, stuporem & admirationem suam prouenisse ex eo, quod gladius vitæ fuerit id, quod eam conseruare solet, quodque mortem in olla repererint, vnde sustentationem, & subleuamen vitæ quæritur. Si filij Prophetarum ad ictum gladij, sagittæ, aut lanceæ se mori sensissent, non esset quod admirarentur, ad hoc enim acies, & cuspides illorum inseruiunt: sed quod in olla, vbi alij vitam inueniunt, ipsi eius finem deprehendant; illud profectò est quod magis affligit, quodque magis sentitur, eosque magis attonitos, & stupefactos reddit. Quod Scribæ, & Pharisæi, in miraculis Christi, eiusque doctrina, condemnationem inueniant, vnde alij plurimum profecerunt; quodque alij deuoti collaudant, ipsi obstinati blasphement; hoc sanè summum infelicitatis genus est, & maxi-

6. Leuit. 6.

Numer. 3.

Raul. serm. 43. tom. 4.

August. q. 5. in Num.

7.

Luc. 2.

maximo doloris sensu deplorandum.

6. Componite cum magno Patre sancto Augustino duo Scripturæ loca. Mandabat Deus in Leuitico, vt quidquid carnes in tabernaculo oblatas tetigisset, sanctificaretur: *Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur.* Adeò vt per solum contactum rei sacræ, sanctitas adhæret. Sistite hic paulisper considerationem, & cum sancto Augustino ad caput tertium Numerorum properate, & inuenietis, quod Deus de iisdem ministerijs, & sacrificijs loquens, dicat: *Externus qui administrandum accesserit, morietur.* Vnde infertur, quod quomodocumque res sacras contingerent, mori deberent. Confert modò sanctus Doctor duo hæc loca, quæ prima fronte contraria sibi videntur, & illarum occasione curiosam questionem mouet; si antea qui eas tetigisset sanctificaretur: quomodo iam si eas attingat, mori debet? Et respondet ad rem nostram accommodatè: *Quia autem sermo erat de Leuitis iam consecratis, modo verò de alienigenis adhuc profanis.* Adeò vt eodem contactu quidam sanctificarentur, alij verò morerentur; quodque aliquibus vitæ, alijs mortis causa existeret. Quis modò non videat, magni doloris materiam hanc esse, quod vnde quidam magnos fauores acquirunt, alij maxime crudelem punitionem experiantur? Deo in hoc ostendente, quod dona sua, ac munera, quibusdam mors, alijs verò vita existant; quidam cum illis saluentur, alij verò miserè condemnentur.

Leuit. 6.

Numer. 3.

August. q. 5. in Num.

7. Cardinalis Victriacus singulari quadam animaduersione reflectit, ad verba illa quæ sanctus Propheta Simeon, Puerum Deum sacris suis brachijs tenens, Deiparæ Virgini dixit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur.* Doctus Cardinalis hæc sancti senis verba arripit, & super illis hac ratione discurrit: *Dominus autem offert gratiam suam, sed sicut quidam Solis splendore illuminantur, alij autem sine culpa solis, qui prauos habent oculos, vitio suo excæcantur; sicut alij medicina curantur, alij autem, abutentes beneficio medicinæ, interimuntur. Sicut eodem cultello panis sciditur, & homines iugulantur. Sic reprobi medicinalem Christi prædicationem, vitio suo sibi conuertunt in mortem: alij autem recuperauerunt sanitatem, quibus positus est Christus in resurrectionem. Prædicti verò ruinam, qui tamquam serpentes, bono odore moriebantur, & de verbis Domini scandalisabantur.* Atque ita iure meritissimo condemnationem consecuti sunt, vnde alij gloriam sibi compararunt. Doctissimus Cardinalis, de his, de quibus in præsenti Euangelio sermo est, hic locutus fuisse videtur.

Luc. 2.

Victr. serm. 3. Domin. infra oct. Natiuit.

8. Animaduersione digna sunt verba illa sancti Apostoli Pauli ad Corinthios, & vt minus apparentem contradictionem præ se ferunt: *Christi bonus odor sumus in his, qui salui fiunt, & in his qui pereunt; alijs quidem odor mortis in mortem; alijs quidem odor vitæ in vitam.* Quid ais (quærit Bertarius Doctor, & Martyr antiquus) Apostole sancte? si suauis & fragrans, quem exhalas, odor, omni ex parte vnicus est, & indiuisibilis; quomodo dicis, quod alijs sit in mortem, alijs verò in vitam? Idem Pater dubium hoc, & quidem non parum in fauorem nostrum dissoluit: *Vnus idemque Christi odor, vitæ, & mortis odor est: mortis improbis vitæ iustis. Non quia diuersus odor sit, sed quia diuersimodè accipiatur.* Prout reipsa videre licet in eo quod præsens Euangelium refert; ex quo

2. Cor. 2.

Bertar. in lib. dub. no. Testam. dub. 71.

quo constat odorem miraculorum Christi Domini quibusdam causam vitæ: Miratæ sunt turbæ; alijs verò mortis occasionem fuisse: *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub.* Quidam dicunt Messiam eum esse, alij autem incantatorem.

9. Sancti Hieronymi ponderatio discursui huic finem imponat. Notat hic sanctus sensibiles illas querelas, vel scrupulosos dolores, quos ostendit Iudas, cum Magdalena, pretiosum illud vnguentum in debitum cultum, & amabile Saluatoris obsequium, effudit: *Vt quid perditio hæc?* Audite verba, egregia enim sunt, & admodum diserta: Perditus *de salute perditionem inuenit.* Nam perditus traditor id, quod certum erat lucrum, perditionem vocat. Et concludit: *Vt in ficu fructifera mortis laqueum nancisceretur.* Quasi diceret; præludia hæc fuerunt, & præsignificauerunt, quod ipse in arbore, vnde alius suaues fructus colliget, maxime infelicem mortem esset inuenturus: atque ita res agitur, vt ipse tristis per viam cœli ad infernum pergat; & in eodem Christi collegio, vbi eius socij de sua gloria securos sese reddiderunt, ipse ruinam suam, & perditionem sibi procurarit. Rogemus Deum vt gratiam suam nobis largiatur, per quam nos saluemus, vnde alij sese condemnant, quodque alijs est causa mortis, nobis vitæ occasio existat: *Quam mihi & vobis, &c.* Amen.

Matt. 26.

---

# TRACTATVS X.

## FERIA IV. POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

*Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Matth. 15.

### SALVTATIO.

DVM Christus noster Dominus in Galilæâ degeret, resoluit consilium status Ierusalem, id est, Scribæ, & Pharisæi; qui se vt illustriores, & sanctiores toto mundo habebant, vt moueretur querela contra discipulos, diuino Domino. Adoriuntur iter, solemni, ac clamorosè consortio; sistunt sese præsenti Domino, idque eo tempore, quo coram magno concursu gentium sermonem habebat: accedunt ad eum, & clamorâ voce, vt circumstantes audiant, sic aiunt: Domine, nos qui tales sumus, ac iter tam longinquum, abundè indicat quanti ponderis sit negotium ad quod venimus. Cur permittis discipulos tuos maiorum nostrorum statuta publicè transgredi, quæ nos tantâ pietate obseruamus? & sunt tam incompositi moribus, vt non lotis manibus manducent? mouebatur

tur tantâ bile Saluator ( cum tamen ipsa mansuetudo, & modestia sit) vt verso ad eos graui, ac seuero vultu responderit: vt quid vos insidiosâ vestrâ intentione præcepta Dei transgredimini? Nonnè Deus honorare parentes sub pœnâ vitæ filijs mandauit? ipsis adesse summâ diligentiâ, suis bonis, laboribus, ac sudoribus? & in effectu tam pio, nulla occupatio, nullaque sufficiens demonstratio reperire est. Cur ergo vos retortâ voluntate, vel vt melius dicam, palliatâ auaritiâ, mandastis ne filius patri, etiam fame pereunti adesset, sed templo? & nomine religionis introducere hanc tyrannidem satagitis? ô Hyppocritæ! benè de vobis sensit, qui ait: hic populus linguâ mihi sacrificat; animâ autem insidias parat; labijs me honorat, corde autem me iniurijs afficit. Hoc dicto: vertit se Dominus ad auditorium & ait: Amici, scitote culpam hanc quam proponunt non esse contra discipulos meos, parum enim refert lotis, vel illotis manibus comedere, quod enim intrat per os non coinquinat hominem, sed quod exit per illud, quantum ad comestionem, eiusque digestionem, brutalia sunt, ad partem inferiorem pertinent, & ex naturâ suâ brutalem, sicque non maculant animam: quod autem egreditur per os, ex corde progreditur; vnde homicidia, furta, blasphemiæ, & omnia peccata oriuntur. Illud est quod vitam maculat, non verò comestio sine lotione, quandoquidem non accedat ad cor, neque gratiæ contradicat, cuius necessitatem habemus, &c. *Aue Maria.*

## *Quare Discipuli tui.*

### CONSIDERATIO I.

*Si culpandum foret in discipulis, non lauare manus, non esset arguenda querela Pharisæorum; quia communiter Prælati sunt complices delictorum in subditis.*

Nisi omnibus meridianâ luce clarius pateret odium, malitia, prauaque Pharisæorum intentio; querela 1. eorum in ratione fundata videretur; cui enim imputandi sunt defectus discipulorum, nisi Magistro, ad quem pertinet eos instruere ac docere? Appositè ingeniosus noster Cardinalis Caietanus animaduertit, quod Deus & Dominus noster cum vellet punire protoparentem viuentium Adamum. primum quod ei imponitur vel de quo condemnatur est, quod audiuerit vocem suæ mulieris: *Quia audisti vocem* Gen. 3. *vxoris tua, & comedisti de ligno, &c.* Quæ quæso Domine culpa foret primo homini, nisi vltra hoc comedisset? in comestione fuit delictum, & non solum ei imputatur comestio, sed & auditus. Non percipitis ait Caietanus; non solum quia comederat punit Deus Adam, sed quia, audiendo dialogum inter Euam & diabolum, qui per serpentem loquebatur, & videndo eam iam deditam ad comedendum ex fructu à Deo prohibito, illam non detinuit, nec reprehendit vti debuit, sui enim muneris erat, ideoque Deus eum puniuit, permittendo eum peccare, in pœnam tepiditatis, & socordiæ quâ vsus est erga eam: *In hoc insinuatur fa-* Caiet. *cilior aditus datus mulieri ad persua-* hic. *dendum viro, qui præsens neglexit ipsam*

*cohibere.* Si Adam non conniuisset, ac dissimulasset, non eo peruenisset audacia Euæ, & sic iure meritò nō solum damnatur eius peccatum particulare, verum etiam culpa mulieris, quam, potens, noluit impedire.

2. Meritò Patriarcha Abraham conquerebatur inurbanitatis, & mali conductus, quo vsus fuerat Abimelech erga se, suosque: tempus præteriit, erroremque agnouit Abimelech, & certior factus sanctitatis Abrahæ, petiit in gratiam eius reduci, instanterque rogauit cum eo confœderari, & vt nulla ætas eorum amicitiam interrumperet: Concessit Patriarcha: ast refert diuinus textus, quod ineundo cum eo pacem, facta sit illi vrgens reprehensio: *Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui eius.* Manum admouit, dixitque ipsi, quod sibi bonum videbatur, & hoc propter puteum quem serui eius abstulerant. Trutinans Oleaster locum hunc, animaduertit seruos Abimelech damnum intulisse, & Dominum reprehensum fuisse, quod primo intuitu omni rationi dissonum videtur, vtrum applicitè nostræ intentioni respondet: *Docentur hîc domini, cognoscere se culpabiles in iis, quæ serui sui malè faciunt, neque seruos ipsos esse increpandos, sed Dominos, qui cum possint, & debeant prohibere non curant. Sic Pharisæi ad Christum: Quare (inquiunt) Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Vera, & mâgni momenti instructio, vt Domini cognoscant, se de malefactis subditorum esse culpandas, neque arguendi sunt subditi, sed ipsi Domini: quandoquidem cum possint impedire non faciant, neque sui muneris recordentur; & ideo Pharisæi querelas quas in discipulos habebant ad Christum detulêre, percipientes defectus discipulorum, Magistro imputandos esse.

Gen. 21. — Oleast. hic.

3. Magna fuit inhumanitas, ac insolentia, quâ Agar famula Abrahæ vtebatur; contrà Dominam suam Saram, & hoc cum eam sterilem, seseque proximam partui summo cum gaudio agnouit. Vidit se sancta vetula à famulâ suâ abiectam & despectam, conqueritur magno cum dolore marito suo: *Dixitque Sarai ad Abraham: iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit despectui me habet.* Malè mecum agis ô Domine! ast mihi imputanda culpa est ancillam meam tibi tradidi, & modo cum se concepisse videt, me despectui habet, nullamque reuerentiam, aut honorem defert; tu vides, & taces, omnemque ei licentiam concedis. Ingenuus noster interpres Oleaster, sequitur sensum Pagnini, in hunc locum; qui sic legit: *Oppressio mea super te,* quasi dicat: tibi curæ sit mea afflictio, nam si tu non esses non ego paterer, neque me tam despectam viderem. Ait modo famosus Lusitanus: *Audiant hæc verba iudices, audiant reges, & qui alios in officio continere tenentur.* Audiant hæc Saræ verba iustitiæ ministri, audiant reges & omnes qui curam aliorum gerunt; in illos enim subditorum defectus irruunt, illique corrigendi, & castigandi sunt, cum penes eos sit continere subditos, & non faciant, neque magis curent, ac si eorum muneris non esset, neque ad illos pertineret sese illis immiscere.

Gen. 16. — Pagnin. hic. — Oleast. hic.

4. Animaduertit magnus Pater S. Augustinus peccatum Idolatriæ quod populus Israël commisit in deserto fabricando, & adorando vitulum; Spiritum sanctum illud attribuere summo sacerdoti Aaron tanquam soli illius

lius autori & inuentori: scrutatur sanctus verba sacrati textus: *Videns Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron.* Vel vt sacer Doctor legit: *Dissipauit enim eos Aaron:* destruxerat enim eos & in nihilum redegerat. Loquitur sacra Pagina de commisso crimine à populo, quando adorando vitulum ei tributum persoluit, hincque moralitatem accommodam excerpit: *Notandum quemadmodum illud totum, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quod eis consenserit ad faciendum, quod malè petiuerant: magis enim dictum est, dissipauit eos Aaron; quoniam cessit eis, quam dissipauerunt se ipsi, qui tantum malum flagitauerunt.* Ponderatione dignum est, quod totum id quod populus fecit, imputatur ipsi Aaroni; quia assensit ipsis iniustè petentibus. Et hæc ratio est, cur non dicatur de ipsis, quod destruxerint se; & de ipso dicitur, qui totalis causa ruinæ populi fuit; quippe grauius peccat superior tacens, dissimulans, vel condescendens cum ipsis in malum, quam ipsi hoc idem facientes: & sic casu quo, non lauare manus, esset culpabile, rectè ordinata erat inuectiua Pharisæorum contra Magistrum.

Exod. 32.

August. q. 146. in exod.

5. Tumultuantur ac ordines transgrediuntur milites populi Dei, vocat Dominus Moysen mandatque ei vt apponat manum, Ducesque eorum luce clarissimâ ac maximâ diei, malæ cruci affligat, vt omnibus sint aspectui: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Noui, mentem esse grauiorum Interpretũ, Deum non mandasse ipsi, vt Principes suspenderet in patibulis; sed vt eos consuleret, quomodo mandaret executioni factum delinquentium; quia incredibile est, quod personæ tam precipuæ tantam maculam inurerent suæ nobilitati, committendo tam enorme facinus. Ast ego modò sententiam contrariam amplectar: id est: quod verè & realiter Duces isti, & Rectores castigati sint, sic inter alios illustrissimus Cardinalis S. Petrus Damianus sentit. Sed immediatè mouet sanctus quæstionem curiosam; & quærit: si populus peccauit; vt quid patiuntur capita? isti sunt delinquentes, & hi patientes? hoc videtur esse, soluere iustum pro peccatore: *Alius est qui peccat; alius qui vapulat?* Audite quæso, meretur responsio: *Vnde hoc? nisi quia culpa subditorum, in præpositorum redundat opprobrium, &c. & quod ab ouibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur.* Non est quod vltra afferri possit, ratio est quia culpæ subditorum redundant in opprobrium ipsos regentium, & diuagatio ouium est negligentia pastoris; & sic cum videris aliquam hâc, illacque errantem, in illum culpam inijcias ad quem custodia eiusque salus pertinet.

Num. 25.

Damian. lib. 4. Epist. 15.

6. Turbatus animo satisque tristis erat Saul, videns à Diuino Oraculo suos suspendi fauores, consulentique illud non responderi: *Et non respondit ei in die illâ.* Non se alicuius culpæ reum inuenit; ideoque omnem adhibet diligentiam inquirendo, quisnam in exercitu suo esset culpabilis comisissetque crimen ne Deus ipsi esset fauorabilis: reducitur culpa in Ionatham, eo quod acumine lanceæ gustasset in campis parum mellis; idque contra legem à patre latam, qui omnes vsque ad acquæsitam contra Philistæos victoriam, ieiunos esse voluerat. Gloriosus Pontifex sanctus Gregorius inuenit latere misterium in punitione, qua Deus castigauit Saülem innocentem, & ignorantem eum qui commiserat,

1. Reg. 4.

Greg. lib. 5. in 1. Reg. c. 14. serat, & opinionem suam ad nostrum propositum apprimè edicit: *Magnus timor prælatis innuitur, filius quidem peccat, & patri eius responsionem negat. Quid in hoc facto significatur? nisi quia peccata subditorum, non solum sibi, sed etiam prælatis nocent.* Timeant, tremantque hoc in casu prælati, discantque vigilare, cautosque alieno periculo cautos fieri: nam si Deus propter culpam filij, aut subditi puniat superiores etiam innocentes & non cooperantes in malo, est, vt nos doceat peccata inferiorum redundare in superiores atque in illis castigari; tamquam ea commisissent, sic pænas luunt. Peccat Ionathas: *Gustans gustaui paululum mellis*, & punitur Saül: *& non respondit ei in die illa.* Committit filius delictum, iram Dei patitur Pater, & sic per consequens, non deberet nobis videri mirum (si non lauare manus discipulorum esset omissio peccaminosa) Scribas & Pharisæos culpasse & reprehendisse Magistrum, quandoquidem eius erat illos instruere, rectamque viuendi methodum docere.

7. Austerè atque seuerè egit Propheta Elisæus, cum famulo suo, seu discipulo Giezi, qui (vt omnibus notum est) simillanter, nomine magistri sui petiit pecunias à Principe Naaman, quas in offectorium secum ferebat, & in gratiam sanitatis quam receperat. Videbatur ipsi, posse decipere vel illudere sanctum virum; ast hic scrutabatur cor ipsius, videns omnia opera eius. Animaduertit modo sanctus Ambrosius, demonstrationes quas fecit Propheta cum famulo suo, castigando eum leprà, & exterminando è domo suâ: *Lepra Naaman adhæreat tibi, &c.* (4. Reg. 5.) Et ait, omnia hæc egisse Prophetam, vt proprio honori suo consuleret; nam si dissimulanter ageret & conniuentèr, indubiè dixissent; non esse culpandum discipulum, sed Magistrum consentientem, itaque ne ei dicant: *Quare discipulus tuus?* Fiat exemplaris punitio, quæ strepitu & rumore suo omnibus innotescat: *Non enim satis est, si lucrum ipse non quæras: familiæ quoque tuæ cohibendæ manus sunt:* (Ambros. lib. 4. in Luc.) Quasi diceret: per hoc docuit omnes principes, prælatos, ac patres familias, quam zelosi debeant esse honoris proprij, famæque familiæ suæ: non enim sufficit, vt mundo satisfiat, ipsos habere manus mundas & bene lotas, verum etiam multum refert vt eas subditi mundas habeant, sub pæna quod quando superiores non aduigilarint, ipsis subditorum imperfectiones imputabuntur.

Vidit aliquando Diogenes iuuenem quemdam intemperanter, & gulosè comedentem; statim (ait Plutarchus) eleuauit manum suam, impegit colaphum Pædagogo seu Magistro ipsius, iudicans iustum, & rationi congruum esse, quod Magister lueret pænas discipuli male morigerati, quandoquidem ad ipsum pertinebat eum in moribus dirigere, ac instruere: *Videns puerum intemperantius comedentem, pædagogo impegit colaphum, ac si discipuli pœnas magister luere debuisset.* (Plutarch. in mor. lib. de docēd. virtut.) Ad omnes qui alios regunt stricta obligatio spectat, vt agant veri Magistri officium, docendo eos non solum ea quæ pertinent ad Christianum virum, verùm etiam quæ ad honoratum spectant; Præcipuè vero quomodo amandus & timendus sit Deus, eiusque diuina præcepta seruanda: quippe quæ lisc umque defectus fuerit ipsis attribuetur, illisque imputabitur, & hoc non solùm secundum hominum opinionem, verùm etiam coram summo Dei tribunali, vbi strictissima tum

8.

pro-

proprij, tum alieni facti, ratio ab ipsis exigetur; & dicetur singulis eorum: *Quare discipuli tui? &c.*

---

*Non enim lauant manus.*

CONSIDERATIO II.

*Sicut Peccator prætendit vanitatem, sic exteriori virtutis specie contentus est, è contra vero Iustus, qui vti prætendit animæ puritatem, flocci facit eandem exteriorem speciem.*

1. OMnem operam, & diligentiam adhibebant Scribæ, & Pharisæi in munditia exteriori corporis, absque eo quod attenderent ad interiorem animæ ornatum: manus erant mundæ, cor autem sordidum, de his sermonem habere videtur consanguineus eorum Philon Hebræus, in libro de Cherub, tanquam eos bene noscens, grauioribus his verbis sic ait: *Corpora quidem abluuntur lauacris, & purificationibus: affectiones vero animi quibus vita sordidatur, nec volunt, nec curant eluere; vt in candidati templa subeant, dant operam, diligenter emaculatis amicti vestibus, mentem vero maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non verentur.* Non aliud satagunt ait Philosophus, quam multiplicare balnea, & lauatoria ad lauandum & mundandum corpus, & non recordantur mundare & omnes turpes affectus quibus anima maculatur auferre. Et cum oppositores seu concurrentes totos se dant ornatui vestium, ita vt nec plica minima incomposita in ijs reperiri sit: animam vero habentes sordidam & omnibus vitijs repletam, non timent temerarij accedere ad sacra, & mundissima altaria, omnem operam impendunt quærendo lauacra exteriora, & ne semel cogitant expurgare cor suum à vitijs & sordibus, nec satisfacere legi suis obligationibus, quærentes eminere sola exteriori virtutis specie.

Philo lib. de Cherub.

2. Iure merito diuersis in occasionibus vocauit illos Christus Dominus noster filios diaboli: *Vos ex patre diabolo estis*, in quantum eum imitabantur, eique similes erant. Magna fuit malitia Satanæ, qui statim in principio suæ creationis, non solum ingratus non agnouit creatorem, neque gratias egit, sed potius elatus contra illum, superba & inani cogitatione voluit ipsi esse similis: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Audiamus Procopium hæc verba discretissima dicentem: *Ad quid super altitudinem nubium, eleuari contendit superbus lucifer? Absit: ad quid igitur, nisi vt quod non erat videretur. Non Dei bonitatem imitari, sed eius similitudinem concupiuit, nec esse Deum sed videri.* Ad quid vult efferri Lucifer? non appetiuit imitari bonitatem Diuinam, sed solum similitudinem eius desiderauit, sola exteriori specie Dei contentus erat, etiamsi interior Diabolus esset, eiusdemque farinæ erant Scribæ & Pharisæi qui non attendentes ad animæ puritatem, solâ extrinsecâ manuum munditiâ contenti erant.

Ioan. 8. Isai. 14. Procop. hic.

3. Locus communis sese offert, in quo singulare quid ex doctrinâ ingeniosissimi Oleastri reperio. Conquerebatur Deus per Prophetam suam Isaiam de peruersâ illa gente: dicitque qualia debeant esse eorum lauatoria, si ei intendat placere: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, &c.* Lauamini & eradicate ex cordibus vestris damnosos affectus; Ac vltimate eos docet sancta exercitia,

Isai. 16.

tia, quibus sese exerceant, vt illi placeant. Trutinat modo famosus Lusitanus illa Dei verba: Lauamini, & mundi estote. Quid enim est aliud esse mundum, quam se lauare? quandoquidem finis lotionis sit munditia. Sic videtur (ait hic Doctor) verum magna interest differentia, & ad hoc notat, quod vbi vulgata nostra legit: *Lauamini, mundi estote.* Hebræus sic habet Textus, *Rachath, Zachach*; & explicans hos terminos, moralisat locum hunc ingeniosum, fundando nostrum discursum. Lauare significat simpliciter mundari. mundos autem esse, est ad instar vitri cristallini puros manere: *Lauate vos non quidem vulgariter, sed ita vt valde mundi sitis: & huic expositioni fauet verborum, quæ hic ponuntur, propria significatio, Rachath, quod priori loco ponitur significat communiter lauare: sequens vero significat lucere quasi vitrum; nam Zechochit ab ea radice est vitrum, vnde ad litteram vertendum esset lauate vos, &c. lucidi estote, seu puri velut vitrum.* Ita vt, secundum fundamentum linguæ Hebraicæ, idem sit mandare Deum populo suo vt lauentur & mundi sint, ac dicere, sitis puri & pellucidi instar vitri aut cristalli: id est, ne munditia sit exterior, nec puritas superficialis, sed similis vitro, quod interius & exterius idem est. Id est vt non ex oculis hominum, verum etiam Dei, peccata nostra auferamus; & non simus sicut Pharisæi, qui parietes corporis adornabant, in animâ vero oriebantur sordes & vitia.

Lect. Hebr.

Oleast. hic.

4. Animaduertit Prædicatorum Princeps sanctus Ioannes Chrysostomus scrupulosas illas superficies Samaritanæ, quibus recusabat loqui saluatori, quia Iudæus erat, & ne macularetur; *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Rectè videris Samaritana (ait Chrisostomus) neque negare potes: *Tale Samaritanorum est ingenium, in scortationibus polluitur, & in baptismantibus purgari se arbitratur. Animam sordibus replent, & corpus videntur abstergere. Sic hæc cum animam scortationibus plenam habeat, de aquarum potu litigat.* Quasi diceret: Talis est industria Samaritanorum, quo obcæcati & offuscati vijs, videntur lauacro, aut corporis baptismo purificari: Ad instar huius peccatricis, quæ obnoxia omni generi peccatorum, & sordium, timebat ne ex contactu viri Hebræi, Sydria eius coinquinaretur, tam parum ipsi sufficiebat in exteriori, ne maculata videretur, vt renueret consentire: neque æstimabat animam immundam, multisque culpis & peccatis obnoxiam, lauabat (ad instar Pharisæorum) manus suas, & non curabat apponere smegma conscientiæ.

Ioan. 4.

Chrysost. tract. 2. in Samarit. to. 6.

Melius esset, si instar iustorum ageret, de interiori cordis munditiâ, totamque se in eâ fundaret; sicut illa Dei sponsa fecit, secundum animaduersionem Ruperti Abbatis, qui sic aduertit; quod illa loquens de perfectione, & pulchritudine sua, dixit consodalibus suis: quod quamuis nigra, esset pulchra, quia erat sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Quare autem non dixit sicut Salomon, sed sicut pelles Salomonis?* Nonnè conuenientius foret (ait Doctus Tuitiensis) quod sponsa se assimilaret Salomoni, quam pellibus eius; quandoquidem ipse erat formosus, & pulcher; pelles vero temporum iniurijs sordidæ, & maculosæ? non, ait Abbas: *Quia formosa pellis Salomonis, sed* 5.

6.

Psal. 17.

Cant. 1.

Rupertus hic.

Euseb. ap. Nouar. lib. 2. sacrorum elect. excurs. 40.

*sed non ipse Salomon formosus fuit, intus enim deformitatem habebat.* Salomon quantum ad exteriorem speciem formosus erat, & quantum ad interiorem deformis, exterior pacibilis, interior infelix: quippe apostatauit à fide, & innumera peccata commisit (ita vt de eius salute litigetur) pelles eius è contrà, erant exteriores turpes, interiores pulchræ: & sic cordatè ait diuina sponsa: Pulchritudo de qua me laudo; non est Salomonis, qui sicut peccator, vt erat, habebat corpus lucidum, & formosum, & anima erat maculosa & fætida, & pelles quamuis exterius essent maculatæ, interius tamen erant formosæ. Hanc pulchritudinem, & hanc munditiam quæro, sicut sponsa Dei puritatem animæ interiorem, & non ornatum exteriorem corporis; nam hoc esset lauare manus, & non quærere puritatem, & animæ munditiam, sicut alius Gentilis ait:

*Introrsum turpem speciosum pelle decora.*

6. Magnam confidentiam monstrat Propheta Rex in Psalmo 17, quam in Domino habebat, & si interrogemus causam, dicet; fuisse puritatem manuum suarum: *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum.* Ast iam ratio dubitandi sese offert. Secundum illud, etiam Scribæ, & Pharisæi poterunt sibi promittere retributionem Dei sicut Dauid, quandoquidem tantâ solicitudine, & diligentiâ de puritate manuum tractent? Hoc non (ait Eusebius) nam id quod addidit Dauid, differentiam dat, inter manuum suarum puritatem, & Iudæorum: *In conspectu* (ait) *oculorum eius.* Quasi diceret: inquit hic Doctor, si quæsiuerim munditiam, non fuit, vt humanis oculis placerem, sed solummodo vt gratus essem diuinis: *Quia illam oculis hominum non ostentabam, vt illis placerem, sed ante oculos summi iudicis meam puritatem exhibere studebam.* Non talis erat Pharisæorum puritas, sed apparens, & adulatrix humani applausus, ideoque à Christo Domino nostro taliter damnata.

*Psal.17.*

*Euseb. ap. Nouar. lib.2. sacrorum elect. excurs.40.*

Assumsit Saluator noster tres discipulos suos, Petrum, Ioannem, & Iacobum in montem excelsum seorsim in quorum conspectu, ac etiam Moysis, & Eliæ, (qui ex alio mundo venerant) transfiguratus est, & explicuit radios suæ gloriæ, qui miraculosè in anima eius detinebantur vt transeunter communicarētur sacrosancto eius corpori: *Transfiguratus est ante eos, &c.* Non legimus quod alicui horū trium, quos secum in testes huius mirabilis actus assumserat, similem fauorem fecerit, nec participes pulchritudinis claritatis, qua Dominus actualiter fruebatur. Quænam (interrogant interpretes) huius causa fuit? manum admouet magnus Abulensis (qui vnus ex mouentibus hanc quæstionem fuit) & respondet fauorabiliter, ad id quod persuadere intendimus: *Non debebat dari claritas, quia illa tunc esset in solo corpore, & non præstaret aliquam beatitudinem animæ, & ita non multum gauderent talem claritatem habendo.* Est grauissima eius ratio, & (nisi me fallat opinio) secundum litteram, magis quam aliæ quas doctores adducunt. Noluit Christum concedere dotem illam claritatis, quâ corpus eius perfundebatur, Apostolis qui erant præsentes, quia hæreret in exteriori, nec vltra corpus sese extenderet, nec ad intimum animæ se penetraret, communicando ei aliquam gloriam, quia non erant sicut Dominus beati. Et 7.

*Matt.7.*

*Abul. q.27.*

certum est, quod hâc gratiâ illis non satisfieret, iusti enim nihili faciunt extrinsecam corporis pulchritudinẽ, si animæ interiori non fruantur. Flocci faciunt claritatem, quæ solum adornat id quod apparet; quæ inuisibiliter adornat spiritum, illam quærunt, illamque prætendunt.

8. Id est quod Apostolus Paulus Galatis persuadebat, quos de negotio suæ salutis instruebat: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Discipuli & amici mei, sumite consilium ab eo qui vos amat & omne vobis bonum desiderat, ne simus cupidi inanis ac vacuæ gloriæ. Inquirit Busæus, auctor grauis & doctus; quid intelligit hîc Apostolus per vacuam & inanem gloriam? & respondet curiosa distinctione: *Quid est gloria inanis? Dicam vobis, gloria quæ ab extrinseco tantum est, gloria vacua, seu inanis est: gloria vero, quia ab intus est, gloria vera, & plena est; vnde de humili quaque anima dicitur: omnis gloria eius ab intus.* Illa gloria quæ in exteriori specie consistit vacua, & inanis est; & illa plena & perfecta, in interiori animæ fundatur. Gloria ergo de quâ Paulus modo loquitur, vt eam euitent, falsa & vacua est, qualis est illa eorum qui cum non sint boni videri tamen tales cupiunt, (sicut Scribæ & Pharisæi) & illam consulit vt prætendant, quam iusti appetunt, nec quærunt sancti videri, gloria plena & vera, quæ radices in animâ posuit. Talis erat illa, benedictæ istius sponsæ, & à Deo suo dilectæ: de qua ait Dauid: *Omnis gloria eius ab intus*, (vel vt transfert Parafrastes noster Hispanus ex Hebræo) *gloriosa filia Regis intrinsecus.* Gloria huius animæ non se ostendit deforis; interius centrum suum occupat, ne similis gloriæ Pharisaicæ videretur, quam sanctus Paulus vocat gloriam phantasticam, seu vacuam, & Christus Dominus noster falsam, & deceptricem; quandoquidem non intendat in alium finem neque scopum, quam hominum applausum, coram quibus prætendunt apparere, cum sint tam vitiosi: solis virtutum exterioritatibus: non enim lauant manus, &c.

*Ad Galat. 5.*

*Busæus in arca medica verbo vana gloria.*

*Psal. 44.*

*Episc. op. Cai.*

---

## *Quare & vos?*

## Consideratio III.

*Qui se proprijs culpis inuolutum videt, ius reprehendendi alienas perdit.*

Mirantur, & iure merito, sancti Patres confidentiam (melius dicam impudentiam) quâ inflati illi Pharisæi accesserunt ad repræhendendum defectus discipulorum Christi; quippe etiamsi veraciter & realiter essent defectus, non deberent sibi præsumere illos notare, quandoquidem ipsi pluribus alijs, & sine comparatione grauioribus implicati erant; solum esse peccatores, aufert ius alias possent habere ad notandas vitas alienas; illi soli licita est censurâ, qui omni culpa expers est. 1.

Peccat primus homo, vult Deus eum punire, & maledicit terræ: *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.* Doctus Alcuinus curiosam hic mouet quæstionem: & sic interrogat; quam ob causam Deus non maledixerit aquis, sicut fecit terræ? Si aquæ non peccauerint, neque etiam terra? ergo si propter hominem castigetur illa, puniantur & hę propter eumdem. Id est quod primo intuitu sese 2.

*Gen. 3.*

3.

*Leuitic. ...*

*Vitria. serm. 3. Domin. 4. post Pascha.*

sese representat, sed causa efficiens huius fuit: quod. *Terra maledicitur, non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauit, non de aquis bibit; & in aquis erat peccatum abluendum, de fructu terræ contractum.* Peccauit homo comedendo ex fructibus terræ, & non bibendo ex aquis maris, & per illas mundandum, atque delendum erat peccatum contractum ex fructibus terræ: voluit Deus castigare mundum per aquas, sumens illas tamquam instrumentum vindictæ suę, & postea eas causam instrumentalem nostræ redēptionis facturus erat, portæ cœli & primi Sacramenti legis gratiæ: ergo id quod culpas auferre debet, & maledictionem peccati ex mundo exterminare iniustum esset quod illa incurreret, vel speciem eorum haberet.

3. Vitriacus Cardinalis celebrem leprosi scrutatur ceremoniam, cui mandabat lex, vt incederet discooperto capite, & ore occluso: *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum.* (*Leuitic. 13.*) Et quamuis sciam rationem litteralem fuisse, ne fætido suo halitu circumstantes inficeret, ast Doctor locum hunc allegoricè ad nostrum intentum explicat: & ait: quod mystica huius erat significatio: *Qui spirituali leprâ laborat, docere non præsumat; cuius enim vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur.* (*Vitria. serm. 3. Domin. 4 post Pascha.*) Quod ille qui peccati leprâ infirmatur, non præsumat docere, nec prætendat mederi eis qui per culpam infirmi sunt, quia ipse indiget medicina. Certum enim est quod doctrinæ, & instructiones illius non imprimantur cuius vita ob malitiam vilipenditur; curet primo lepram, propriamque vitam reformet, qui voluerit explicare os suum ad corrigendum culpas alienas, & tamdiu ac hoc non fecerit sit contectum; si enim in hoc statu loqui voluerit, plus damni, quam vtilitatis faciet.

Prohibuit Dominus Deus noster 4.
Regi Dauid ædificationem templi, & nullum fuit medium vt permitteretur ei, illud posse fabricare. Et si inquirere velimus huius rei causam, inueniemus fuisse, quia bellicosus fuerat, multumque inimicorum sanguinem in bello effuderat. Sic ipsi inquit Deus: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo.* (*1. Paralip. 22.*) Fateor rationem hanc non carere difficultate; quid enim refert, non effundere sanguinem, ad ædificandum templum Deo? Et illum effudisse, quale inconueniens est in hunc effectum? Respondet doctè (vt semper) sanctus Gregorius Magnus in suis moralibus: *Dei autem templum ædificat, qui instituendis, atque corrigendis proximorum mentibus vacat. Templum quippè Dei nos sumus, qui ad verã vitam ex eius habitatione construimur, Paulo attestãte qui ait primo Corinthiorum tertio: Templum Dei sanctum, quod estis vos; sed vir sanguinum templum Deo ædificare prohibetur, qui quia actu, actibus carnalibus incumbit, necesse est, vt instruere spiritualium mentes proximorum erubescat.* (*Gregor. lib. 7. moral. cap. 16.*) Neque vult Deus, neque permittit vt talis ædificet domum sanctissimo suo nomini: *Non poteris ædificare domum nomini meo.*

Fortasse illa fuit ratio, quare ipse 5.
Dauid in hora mortis suæ, imposuit filio suo Salomoni, vt Ioab vitâ priuaret: *Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab, filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, &c. Faciet ergo iuxta sapientiam tuam, &* (*3. Reg. 2.*)

*non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Benè nosti, fili mi, crimen Ioab contra me commissum, proditoriè occidendo duos tam insignes duces, vt fuère Abner, & Amasa: tuæ prudentiæ punitionē committo, promeritamque ei mortem dabis. Disputant hic doctores quâ de causâ Dauid ipsū in vitâ suâ non castigauerit, sciens ipsum promeruisse: & iam tali modo accumulet factum, vt mandet filio, quatenus quærat occasionem ipsum occidendi, ne delictum tam atrox impunè euadat? Et responsio est communis, dissimulauit Rex Dauid cum illo, quia sicut senserat mortem illorum duorum subditorum, non solum vt Rex, verum etiam vt persona particularis, timebat vt homo, aliquam interuentionem iræ in executione vindictæ. Ideo illam suspendit, & illam filio suo Salomoni commisit. Sic sentit sanctus Petrus Damianus: *Vbi notandum, quam laudabilis huius viri fuerit, & admiranda discretio, quia quamdiu potuit irasci, noluit vindicari.* Ast postquam desijt materia iræ, & furoris, ne deesset iustitiæ, conscientiam suam exonerat, & successori mandat, vt faciat talem demonstrationem, qualem casus meretur: *Deficiente vero iam omnis furoris & iræ materiâ, ne preteriret omnium iustitiam, vltionis exercuit disciplinam.* Sed ego per aliam viam ingrediar (etsi singularis videatur) cum licentiâ sancti Cardinalis: & sic aio, quod ratio fuerit, cur Dauid non ausus fuit occidere Ioab, ob homicidia commissa, quia considerabat quod simile delictum commiserat, quandoquidem occiderat Vriam: & quia in eandem culpam inciderat, non habebat animum castigandi suum subditum, potuissent eum animosè ei dicere: *Quare & tu?* quare & tu mi Rex fuisti homicida? nullum habes ius me castigandi, quippe eodem crimine culparis. Ergo ne hoc accideret, reliquit Dauid mandatum filio suo pacificio Salomoni, vt castigaret Ioab; non enim esset audax loqui contra Salomonem qui in illâ materiâ non deliquerat.

Damian. opusc. 18. Con. cler. intemper. cap. 4.

6\. Sanctus Samuel iam senex existens, deliberauit renunciare regimini, seseque recolligere ad commendandum se Deo, & totum se dandum studio salutis suæ. Conuocauit ad id populum deditque ei satisfactionem annorum quibus rexerat. Ecce me, ait: iam successorem habeo, accidite ad deponendum si quid habetis; potestne aliquis vestrum hodie dicere quod sciui recipere? *Si de manu cuiusquam munus accepi?* declarate, iudicet Deus, castiget Rex seuerè; *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius.* Tandem eos omnes testes fecit, iustorum eius actuum, & omnes vnanimiter confessi sunt, eum fuisse mundissimum, & à nemine aliquid accepisse, nec vexasse nec alicui oneri fuisse: *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quidpiam.* Tam citò ac eorum audierat opinionem, vertit folium, & in eos validâ reprehensione insurgit, notando eos ingratitudinis, & quod male responderint misericordiæ, & fauoribus quibus Deus ipsos donauerat: *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersus vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.* Quid est hoc (ait gloriosus sanctus Gregorius Magnus) eodem tempore quo Samuel seipsum iustificat, alios condemnat, quod citra rationem videtur? è contrà certè, ait sanctus (vt prudens qui erat) supposuit primum, ad faciendum secundum: *Ordo summa rationis est, vt qui bona agere non curat*

1\. Reg. 12.

Greg. lib. 5. expos. Tom. 1. *curat.* Mala in alijs nequaquam reprehendat. *Sanctus ergo vir prius mala se vitasse cautè asseruit, deinde ad reprehensionem aliorum prosilijt.* Quasi non ausus notare alienas culpas; donec monstrasset se in nulla comprehensibilem.

7. Pulcherrima ad hoc propositum est allegoria Cardinalis Vitriaci, explicando hæc verba Ieremiæ: *Ascende libanum, & clama, & in Basan da vocem tuam.* (Iere. 22.) Vel Deus hîc alloquitur per Prophetam Ministros Euangelij, vel omnes illos ad quos pertinet alios corrigere, & instruere, mandat eis, vt ascendant montem libani, & dent vocem in Basan. O! quam bene mandatum, ait doctus Cardinalis: *Prius enim quam clamemus prædicando, ascendere debemus libanum, candorem, scilicet bonæ famæ, & virtutum: in Basan da vocem tuam, arguendo scilicet peccatores, qui in confusione sunt peccatorum: Basan enim confusio interpretatur.* (Vitria. serm. 1. Dom. 5. post oct. Pent.) Sic velle reprehendere Basan, absque eo quod ascendamus libanum, est esse scribam, vel Pharisæum, qui carentes candore bonæ famæ, & virtutum, dedignabantur, & reprehendebant alienas culpas.

8. Considerat sanctus Cromatius magnam anxietatem, quam recepit sanctus Ioannes Baptista videns iuxta pedes suos Saluatorem suum: prostratus in terra dicebat: Domine, ego sum qui necessitatem habeo per vestras manus baptisari: *Ego à te debeo baptisari.* (Matt. 3.) Semel me baptisasti in vtero matris meæ, & lauasti animam meam, laua modo iterum defectus meos, quod non seruiuerim tibi sicut poteram, & sicut debebam. Procul dubio (ait sanctus) magna fuit renitentia Ioannis, hoc indicat illud verbum: *Prohibebat eum.* Per præteritum imperfectum, quod continuationem significat, prohibebat eum, & non desinebat. Quærit modo doctus Pater, quale motiuum habuerit Baptista, ad ita resistendum? & respondet: *Sed Ioannes Deum suum per Spiritum sanctum recognoscens, cuius nec calceamenta quidem dignum se fuisse portare, professus implere quod iubebatur excusat: quia non credebat ei necessarium Baptismum esse, quem sciret ad hoc venisse, vt Baptismo suo mundi peccata deleret*; (Cromat. Aquil. Tom. 2. Biblioth. vet. Patr.) ac si diceret! Considerabat sanctus Ioannes testimonium quod inspirante Spiritu sancto de Domino dederat, dicens, quod esset agnus qui aufferret peccatâ mundi; & intelligebat quod cùm descendisset de cœlo ad sanandum terræ infirmos, non indigeret medicina, non enim sanitas illi poterat deesse, qui eam omnibus dabat, nec ei necessarium erat Baptisma, qui ideo venerat vt baptismate suo mundaret, ac deleret mundi peccata. Pulcherrima consequentia! Non est obnoxius peccatis, qui venit vt peccata deleat, non enim ea deleret, si iis obnoxius foret: & sic in vanum laborat qui prætendit culpas alienas corrigere, nisi sit totus ab illis liber, neque ius habet eas notandi, si aliquali modo sit ipse culpandus, sub pænâ quod similis videbitur Philosopho Corduensi, de quo sanctus Augustinus sic ait: *Colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* (S. Aug. lib. de ciuit. Dei cap. 10.) Nil amplius potuisset fecisse si Scriba, vel Pharisæus fuisset. Generatio tam mala, & peruersa, quæ non videns trabem in proprijs oculis, minimum quid in alienis arguebat, & cum deberet occludere os ad instar leprosorum, audebat id contra gentem sanctam aperire.

Memini me aliquid legisse in sancto Isidoro, quod coronidem huic discur- 9.

 sui

sui imponet. Refert sanctus de Lacedæmonijs, qui pro certo habebant sermones nihil aliud esse quam actionum vmbras, & per consequens determinarunt stabilitâ lege, quod malè viuenti, non permitteretur enunciatio sententiæ, etiam iustæ: verba sunt sancti:

Isid. lib. 5. epist. 132. *Apud Lacedæmonios qui sermones actionum vmbras esse non immeritò definierunt, ei qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat.* Indignum iudicabant, quod aliquis verbo quid dixisset; quod opere non firmabat. Apothegma hoc adducit Doctor, in confirmationem doctrinæ, quam hâc in Consideratione stabiliuimus; id est, quod is qui voluerit calumniari aliquod vitium, debet se liberum ab eo sentire, neque minimum quid mali debet habere, qui bonum vult persuadere. Ideo tanta fuit insolentia Scribarum, & Pharisæorum, cum ipsi publici Diuinæ legis transgressores, culparint Christi discipulos quod transgrederentur traditiones seniorum: *Quare Discipuli tui?* & sic meruit, querela illa tam male fundata, hanc seueram interrogationem. *Quare & vos?*

---

*Quare & vos?*

## Consideratio IV.

*Obmutescere ad iniustam calumniam, est referre ad manus Dei causam, eiusque curæ committere defendendam.*

1. SIlent Discipuli, ac se tamquam non intelligentes habent calumniam, quam ipsis Pharisæi imposuerant, quia Dominum nouerunt suæ causæ tutorem, quando iniuste periclitatur fama & reputatio.

Incipit Psal. 108. per verba (secundum meum intellectum) executorialia, quibus Dauid agit coram Diuina Majestate: *Deus laudem meam ne tacueris; quoniam os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* Psa. 108. Loquere Domine in meum fauorem; lauda me, honori mihi est, quod loquaris in meam defensionem. Quasi diceret: scire debes quod peccatores, & dolosi ausi sunt mihi contradicere, animaduerto causalem, *Quoniam*: ideonè Propheta sancte laudem à Deo poscis? maximè. Exequatur, tenetur enim defendere calumniam, iusto per malitiam humanam illatam. Dicit vt in se defensionem sumat, stet pro suo honore, quia sunt qui eum offuscare prætendunt, & vt verum dicam, quod Deus te laudet, est vt tuas partes agat teque defendat, solus vilissimus quidam, absque vlla ratione sufficit ad te diffamandum, & inhonorandum. Intendunt Scribæ, & Pharisæi offuscare discipulos Christi, aiunt, ipsos non seruare consuetudines antecessorum, neque lauare manus quando comedunt. Statim Dominus in eorum defensionem exurgit, monstratque discipulos suos non esse culpandos, eosque iniustè accusari; quia lauare, vel non lauare manus, parum refert coram Deo. Fideles, Diuinæ Majestati vos committere in supremis vestris afflictionibus si securè honore vestro potiri velitis.

2. Notissimus est locus, quem refert sacra pagina de sancto Iosepho, quomodo Princeps, Domina eius mulier Putifaris, iniecerit in eum oculos lasciuos, eumque sollicitauerit verbis obscænis, ad offendendū Deum adulterando: *Iniecit Domina sua oculos suos* Gen. 39. in

*in Ioseph, &c.* Id est, quod Domina sua, tempore non debito iniecerit oculos suos in Ioseph, neque hic destitit, ast insuper eum falso apud maritum suum accusauit, & ait quod fuerit tam insolens, & audax, quod existens mancipium eam sollicitarit. Primo intuitu maritus credidit, eumque carceri mancipauit, & ibi sanctus iuuenis inter homicidas, & latrones morabatur. Trutinat modo Doctissimus noster Oleaster, patientiam, quâ Ioseph absque vllo obloquio hoc ferebat. Et cum rationem de se reddere debebat & narrare causam cur in carcere tenebatur, taliter hoc fecit, significans innocentiam suam; neminem condemnauit, quandoquidem (vt notat gloriosus sanctus Ioannes Chrysostomus) passiuè, & non actiuè locutus fuerit, quod furtim abstulerint eum ex terra Hebræorum, quodque absque eius culpâ eum in carcere detinebant; absque declaratione personarum que hoc fecerunt: *Furtim sublatus sum de terrâ Hebræorum, & hic innocens in carcere missus sum: non sustulerunt, sed miserunt. Hoc vnum curat, vt non alios condemnet, sed vt pro seipso dicat:* Discretè aureum os locutum est. Notat modo insignis noster Oleaster, quanti valoris fuerit sancto iuueni tollerantia, & silentium, Quandoquidem in ipso carcere Deus tales ipsi fauores præstiterit, vt inuenerit tantam gratiam apud Prætorem, quod commiserit ei omne suum posse, feceritque Dominum carceris: *Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodiâ tenebantur; & quidquid fiebat sub ipso erat. Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat:* Et inde eum euexit in statum, quem postea habuit in Ægypto, ordinando illud ita Deus, vt clare possimus videre, quantam curam habebat ipsius, qui sine causâ offenditur, & curam suam Deo committit, silens, & potens in defensionem suam insurgere. Certum enim est ipsum Dominum manum apponere, taliterque causas disponere, vt afflictorum honor mundus, famaque lucida permaneat: *Solent qui nimium innocentes sunt tacere, & malunt se reos æstimari, quam causam suam defendere, quia Deum nouerunt suæ causæ defensorem.* Non est quod loquantur hi, qui iniustè patiuntur, nec fatigare se defendendo suum ius, sed tacere, & sufferre; quia ad Deum pertinet curare suam defensionem, sicut cum hoc sancto iuuene fecit.

*Chrysost. hom. 63. in Gen.*

*Oleast. hic.*

Murmurabat populus ille rebellis, & capitosus contra Moysen, & Aaron, & ait sacer Textus, quod statim serui Dei videntes multitudinem turbatam, recesserint in Tabernaculum Domini, & tam cito ac intus erant, descendit nubes de cœlo, quæ ipsos cooperuit, apparuitque gloria Dei: *Murmurauit populus contra Moysen, & Aaron, fugerunt ad Tabernaculum fœderis: quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Ponderat modo Origines, connexionem quam facit sacer Textus harum rerum, calumniarum populi maledicentis, & murmurantis contra Moysen, & Aaron; & nubis cooperientis Tabernaculum, ad quod sese receperunt afflicti, & offensi. Et nota quod non legatur, ante hunc successum, quod acciderit miraculosus ille casus, quod descenderit nubes in defensionem, & auxilium duorum fratrum: *Non legimus antea, quia obtexerit nubes Tabernaculum, & apparuerit Maiestas Domini, & receperit intra nubem Moysen, & Aaron, nisi nunc, cum insurrexit in eos populus.* 3.

*Num. 16.*

*Orig. homil. 9. in num.*

*Disca-*

*Discamus ex hoc quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter sanctus Spiritus infundatur. Tunc enim maxime gratia Dei adest, cùm hominum sæuitia concitatur, &c.* Discamus hinc (ait magnus Pater) spiritualem prouentum, quem ex persecutionibus excerpunt, illi qui patiuntur, singulares fauores quos Deus tribuit tolerantibus, quandoquidem vltra auxilium, & defensionem, eos suo Diuino spiritu adimplet. Vt hæc veritas plus stabiliatur; numquam promptior est Dei gratia, in fauorem, & defensionem, nisi quando homines patiuntur (& hoc absque aliquâ causâ) & quando nos persequuntur, & potentes respondere silemus.

4. Quando Reges Chananæorum intenderunt bellum contra Gabaonitas, qui sese sub tutelâ Iosuè dederant, mandat ei Deus vt in arenam descendat, ac Gabaonitas defendat, & ipsi aderit tempore conflictus, eosque in nihilum rediget. Et sic accidit, quia aggrediens eos Iosue cum populo suo, adfuit è cœlo Deus in valle Gabaon, mittens permagnos è nubibus grandines, & fulmina, & attonite horrendis tonitruis perierunt: *Iosue 10.* *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis; quam quos gladio percusserunt filij Israël*; Et paulò post cum iam nox instaret, mandauit Generosus Dux ne sol se moueret, vt melius victoriâ ab inimicis reportaretur. Inquirit Rupertus Abbas cur Dominus Deus noster tantam potentiam dederit Iosue, non solum per auxilia ordinaria, verum etiam permiraculosa? & respondet Dominum hoc fecisse vt staret pro honore Iosue, de quo iam malè opinabantur: sicut erat tam bellicosus, & tot exercitus destruxerat, Ciuitates in nihilum redegerat, Duces supplicio afflierat, Reges subiecerat, & multa alia huiusmodi; murmurabatur de ipso quod esset crudelis, sanguinarius, imo quod amplius Tirannum eum dixerunt. Dicit ergo Deus, importat deprauatam eorum intentionem refutare, & ora maledicentium occludere; & monstrare per miracula, quod, deuastationes quas facit Iosue, non eas malo animo faciat, sed quia ego ipsi mandaui: & sic vt seruus mihi obedit exequendo voluntatem meam. Excellentissima sunt verba docti Abbatis: *Parum erat apud homines, tantum victorem, qui ne mortuis parceret, sed mortuorum quoque colla pedibus calcari præciperet, mortuosque patibulis affigeret de crudelitate excusari præcepto legis: nisi etiam defenderetur nouo, & inaudito Dei miraculo.* *Rupert. Com. in Iosu. c. 21.* Inuidia calumniabatur eum tamquam vindicem & crudelem; quamuis leges eum excusabant; quandoquidem per eas Deus mandabat, ne inimicis suis parceret (vt constat ex hîc notatis locis) quæ aduersarij ignorare poterant, propterea addidit noua miracula; vt visis his maneret Iosue iustificatus, melioremque de ipso opinionem haberent. *Exod. 23. Exod. 24. Deut. 7. Deut. 23. Deut. 25.* Sic nouit Deus agere pro honore suorum, quando videt eum periclitari.

5. Non ignoratur falsum illud testimonium quod socordes illi, & lasciui Senes edixerunt, contra innocentem, & castam Susannam, deponentes coram iudice, contra honorem eius; nec ipsa patientia quam habebat sancta Matrona videns se damnatam vt lapidaretur, nisi animaduerteret eam silere, iudicaret eam conuictam. Aduertit sacer Textus, quod nil aliud facie-

faciebat, nisi oculos lachrymis plenos in cœlum eleuare, vbi tota eius fiducia consistebat. *Quæ flens, suspexit ad cœlum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Quid quæso Deus hoc in casu efficit? ipso tempore quo ducebatur ad supplicium, eloquentem efficit linguam vnius pueri Danielis, vt persuadendo opinionem suam populo concitato, ipsum doceat cautelam Lasciuorum antiquorum, & innocentiam condemnatæ: *Cumq; duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel, &c.* Quæ ergo fuit causa (interrogat Cardinalis Vitriacus) cur cœlum se monstrarit tam sollicitum pro vitâ, & honore Susannæ? Respondet benè ad nostrum intentum, quod fuerit singularis prouidentia Diuinæ Maiestatis, quâ vtitur pro ijs, quos iniustè persequuntur, nec satagunt sese defendere, confidentes certissimè in tutelâ Diuini fauoris: *Dominus autem Susannam de presbyteris vindicauit, ideò quod ipsa gloriam suam non quærens eos accusare noluit, nec se vindicando defendit. Non dixit: isti me de stupro interpellauerunt: sed tantum in cœlum suspiciens, & Domino causam suam commendans, ait: Deus tu scis quod contra me falsum testimonium dixerunt:* Grauissima doctrina pro omnibus illis, qui qualicumque modo iniustè patiuntur, & silent; quia per eandem rationem tradunt in manibus Dei suam causam, curæque ipsius committunt causæ defensionem.

Deut. 13. — Vitriac. serm. 3. Dom. in Pass.

6. Particularis ita, & apposita est explicatio, quam dedit Gilibertus Abbas, super illa verba sponsæ, tam diuersimodè explicata: *Surge Aquilo, & veni Auster, & persla hortum meum.* Apage hinc Aquilo (sic enim interpretantur Theodoretus, & alij) & veni Auster, suauiterque amænum hortum meum persla. Hæc est communior omnium huius loci intelligentia. Ast Gilibertus aliâ progreditur viâ, & ait: quod noluerit sponsa dicere Aquiloni, vt aufugeret, sed vt vna veniret, Quasi diceret: veni Aquilo, & statim veniet Auster: hoc est: *Surge Aquilo, & veni Auster.* Quæ quæso inter hos ventos connexio, quæque dependentia Austri, ab Aquilone, cum inter se sint venti contrarij? Audite responsum supereminens: *Ergo surgat Aquilo, sæuiat quantum libet, fremat, dummodo occasionem, & quasi vim præstet flatibus Austri, fortè vbi abundauit Aquilo, superabundauit & Auster.* Insurgat, & veniat contra me Boreas ventus asperrimus & insipidissimus murmurationum, & calumniarum inimicorum meorum, tolerabo eas taliter, cumque tantâ patientiâ, vt vocent blandum Zephirum, & fauorabilem; id est vt sint dispositio quatenus Spiritus sanctus mihi adsit suâ protectione, meque suis fauoribus adimpleat: quia tolerantia iustorum patientium, coniuncta est cœlo defendenti.

Cant. 4. — Theodor. hic. — Gilibert. serm. 38. in Cant.

7. Confidenter solos justos eloqui decet: ast graue silentium, in medio falsæ accusationis, supremum maiestatis est. Ponderat Gloriosus sanctus Ambrosius admirabile silentium Christi Domini nostri coram tribunali Præsidis: vt, videns Pilatus testimonia quæ contra eum ferebantur, & patientiam quâ ea auscultabat, dixerit vt attenderet ad ea quæ dicebant, & redderet rationem sui: *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?* & eam ob causam sursum se Dominus simulabat: *& non respondit ei ad vllum verbum.* Quid est hoc? ait sanctus Antistes Mediolanensis: tacet Salvator

Matt. 27.

uator noster quando accusatur? non intelligo; quia tacere quando aliquis circumuenitur, signum alicuius consensus videtur. Dicemusnè ergo, filium Dei tacendo conuictum fuisse? nullo modo: Quid quæso dicemus? Quid? Quòd sileat innocentia quando accusatur, quia nouit Deum sui defensorem: *Christus tacet, qui defensione non indiget: est enim pater qui quærit gloriam eius, innocentiamq́; tuetur.* Non eget Christus defensione, quia ad æternum suum Patrem spectat, qui eius vt proprium honorem æstimat, defensorque eius innocentię est. Quod si tanto zelo agat pro honore ministrorum, quanto maiori aget pro honore filij? Dicant Iudæi quodcumque voluerint, liberrimeque ad libitum loquantur; ad omnia Dominus obmutescit; non solum vt ostendat quis, qualisuè sit, (maximum enim testimonium fundatæ sanctitatis, est silere quando accusatur) verum etiam, quia non indiget defensione, qui nouit, se; patiendo, & silendo, habere ipsum Deum defensorem.

Ambr. serm. 49. de accus. Christi. apud Pilat.

3. Coronidem huic discursui imponit, id quod accidit sancto Apostolo Paulo, refecturque in libro Actuum Apostolorũ. Instabant aduersarij Apostoli destruere bonam famam, & nomen, & hoc vi calumniarum, & oblocutionum. Nullum non lapidem mouebant omneque medium intentabant, vt in sacrâ paginâ curiosis videre est. Die quodam consilium solemne inierunt in prætorio publico, claustroque pleno, in quo omnes regentes reperiebantur, mandauitque Festus citari Paulum: *Cum venisset Agrippa, & Bernice cum multo apparatu, & ingressi essent in auditorio, cum Tribunis, & viris principalibus Ciuitatis, iubente Fausto adductus est Paulus*; ad quid tantus concursus, tantumque Auditoriũ? Inquirit sanctus Pater Ioannes Chrysostomus; forsan ad videndum culpandum? non certè (ait sanctus) sed Deus ita ordinat, vt restituatur Paulo fama, quæ iniustè ab eo ablata est, & vt sciatur, malum quod de eo spargitur esse mendacium: vita enim eius tam iusta, tamque inculpata persona, ita vt proprij inimici confiteantur de eo non esse quid digni punitionis: *Vide quale Auditorium congregetur Paulo. Vide quomodo quidem illos accusat, hunc autem absoluit.* Vel, si non, attendite ad ea quæ dixit Agrippa circumstantibus: *Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse, propter quod perduxi eum ad vos.* Nihil contra Paulum probatur, & in eo de quo accusatur innocens est. Itaque quia Apostolus male apud illos audiebat, aliquique suorum eius honorem labefactabant, ita Dominus noster ordinauit, vt coram tam illustri populo ab omni calumniâ sanctitas eius remaneret. Vt permaneat constans veritas in hoc discursu edocta, nimirum pati, & silere in iniustâ calumniâ, esse transferre in manus Dei causam nostram eumque obligare ad nostram defensionem. Sileant Discipuli, quando Scribæ & Pharisæi ipsis contradicunt, notando eos de transgressione constitutionum: quasi in Christum lapidem mouerent, sic ipse sentiet, itatimque exurgens, & factus in illos Leo dicet, gens mala & peruersa: *Quare & vos, &c.* Vt quid vos propter traditiones vestras legem Dei frangitis & nihili facitis?

Act. 25.

Chrysost. hom. 51. in Act.

Quare

*Quare & vos?*

CONSIDERATIO V.

*Pluris æstimat Christus iniurias feriis suis illatas, quam offensas contra suam Diuinam Majestatem commissas.*

1. MAgnâ consideratione digna est ira Saluatoris contra Scribas, & Pharisæos; & duritia & rigor quo illos tractat, vocando illos transgressores Diuinæ legis, & obseruatores superstitionum antecessorum suorum. Si totam eius vitam inuestigemus, inueniemus fuisse agnum mansuetum, & columbam sine felle; quando eum plenis Buccis vocabant dæmoniacum, solummodò respondit summâ cum mansuetudine: *Ego dæmonium non habeo.* Ioan. 8. Ast hodie videmus eum altâ & iracundâ voce reprehendentem asperrimè Scribas, & Pharisæos. Et casus est quia veniebant incitati contra Discipulos suos, & immediatè non calumniabantur Christum, & sic animosè exurgit in eorum defensionem & adinstar Leonis sese pro ipsis opponit: ad ostendendum quod pluris æstimet iniurias, quæ suis inferuntur, quam offensas quæ in ipsum committuntur.

2. Obtulerunt ambo fratres Abel & Cain sacrificium Deo, quorum vnum fuit gratum oculis diuinis, & aliud à suprema maiestate despectum. Gen. 4. Communis sanctorum ratio est, quod Abel pastor obtulerit Deo primos, & optimos agnos gregis sui: Cain vero Arator obtulit fructus terræ, ast non ex primis, & optimis, neque cum tantâ festinatione qua debebat; vt notat Philon Hebræus, sanctus Ambrosius, (Phil. & Ambr. lib. de Cain, & Abel.) & alij cum illis in quo Cain grauissimè Deum offendit. Dissimulabat interea temporis Dominus, & videns eum inuidiosè machinari mortem fratris sui Abel, dixit ei: Vide Cain quid agas, opponet se peccatum illud contra te in iudicium, & resistet omnibus, quæ in remedium à Deo petieris: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit; vel vt transferunt septuaginta interpretes: peccasti, quiesce*; (Gen. 4. 70. interpret.) id est, peccasti, cessa, noli progredi, neque addas peccatum peccato, & hoc tacitè fuit ei dicere, noli occidere fratrem tuum, quia non bene tibi succedet. Nulla fuit ex monitis Domini in illo impressio; priuat fratrem vitâ, venit & inquirit Deus; negat ipse culpam, castigaturque instar impænitentis peruersi, & tenor sententiæ sequens fuit: *Nunc igitur maledictus eris super terrã.* Pœna æquiualens illi quam tulit serpens, quia fuit instrumentum, cuius medio diabolus introduxit mortalitatem in mundum. Et iure merito, quia etiam traditor ille fraudulenter occidit fratrem suum optimum; vt hic bene notat gloriosus Chrysostomus: *Quia fermè eadem agit quæ serpens, & quasi organum seruiuit diaboli sententiæ, & sicut ille mortalitatem introduxit, sit & hic deceptum fratrem, & in campum ductum, armatâ in illum manu occidit. Et propterea sicut illi dixit: Maledictus tu inter omnes bestias terræ, sic & huic qui eadem quæ ille operatus fuit.* (Chrys. hom. 19.) Dòmine (dicit modo Chrysostomus) incomprehensibilia sunt iudicia vestra! Peccat Cain grauiter contra vestram Diuinam Maiestatem & illi ignoscis; & iam cum homicidium committit tam rigurosè eum castigas? è contrà videtur debuisse fieri, quia quando malè & indebitè offerebat, debebas eum castigare,

gare, & modo poteras ei ignoscere. Illud non, ait aureum os; quia prima culpa commissa directè contra Deum fuit, & secunda contra seruum suum Abel; & Dominus qui potuit dissimulare non castigando culpam in se commissam, noluit hanc impunè dimittere; vt intelligamus, quod pluris faciat offensas in suos commissas, quam quæ contra seipsum fiunt: *Vide quomodo Deus, quando in ipsum peccauit Cain, peccatum non vulgare dimisit: quando autem in fratrem armauit dexteram, maledictionem tulit, & increpauit; sic nunc & nos faciamus, & imitemur Dominum Deum nostrum.* Satagemus nos modo idem facere, & dimittere proprias iniurias, & vindicare offensas Domini, quandoquidem suo exemplo nos idem doceat.

Chrys. hom. 26. in Gen.

3. Audite denuo alium Chrysostomi conceptum. Conbinat sanctus duo loca Scripturæ sacræ; vnum veteris, alium testamenti noui. Quando Ieroboam extendit manum suam ad mandandum ministris suis, vt caperent vnum ex Prophetis, ait sacra pagina, statim eam arefactam, & absque motione, vt mortuam hæsisse: *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se.* Hic attendite. Famulus summi sacerdotis colaphum Christo impingit: *Dedit alapam Iesu dicens, &c.* Et non castigat eum: satellites sine numero addiderunt: *Et colaphis eum cæciderunt*; neque vindictam ab illis sumit. Componit modo Chrysostomus hos duos successus, & in consideratione eorum quasi attonitus hæret. Est nè possibile, ait, quod qui olim erat tam iustus vindex modo sit tam benignus; & quod vindicta illa mutata sit in tam raram patientiam! quæ huius rei causa? alij per aliam viam incedunt; Chrysostomus ad nostram intentionem: *Vide benignitatem, quo pacto quæ seruorum sunt vendicet; quæ vero sua sunt prætermittit: quando seruus iniuriam passurus erat, regem puniuit: quando alapis ipse cædebatur, nihil mali ei, qui alapas impingebat, inferebat.* Causam agens serui, monstrauit se seuerum, castigando eum qui volebat iniuriam inferre, in causâ verò propria patientissimè dissimulauit cum illis, qui eum tam grauibus iniurijs afficiebant: ibi seuerè exequitur, hîc vtitur misericordiâ; vt verum fatear, confirmando ea quæ dicimus, pluris pendit injurias, quæ suis fiunt, quam offensas propriæ suæ personæ factas.

3. Reg. 13. — Ioan. 18. — Matt. 26. — Chrys.

4. Confirmationes duæ, meo videri, pulcherrimæ, referuntur à docto Commentatore libri Iudicum, huius veritatis, eæque ex doctrina gloriosi Chrysostomi excerptæ: ambæ in combinatione huius considerationis erunt; quamuis diuisæ, incorporatæ. Comparatur Deus Dominus noster Regi, qui determinauit sumere computum à seruis suis. Primus qui adfuit vt rationem redderet, fuit, qui prostratus ad pedes eius, fatebatur se debere decem millia talentorum: debitum tam inæquale suis diuitijs, & bonis hæreditarijs, quod esset ei impossibile ijs satisfacere: *Oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta*; & quamuis debitum erat grande, & minor eius sufficientia, promisit se soluturum modo expectarent: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; Vltimatè misertus est Dominus serui sui, & non solum eum liberauit, verum omnia ei dimisit: *Misertus est Dominus serui illius, & dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Exiens inuenit socium qui debebat ei paruum debitum, & insiliens in eum, quasi suffocabat: Solue quod mihi debes: *Egressus*

Matt. 18.

*Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens: Redde quod debes.* Multi ex aulicis crudelitatem hanc viderunt, & contriſtati de ingratitudine vnius & de iniuriâ quæ alteri fiebat, retulerunt id tamquam quid noui Regi ſuo: *Videntes autem ſerui eius, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, & narrauerunt Domino ſuo, quæ facta ſunt.* Iratus eſt Rex, & mandauit vt carceri manciparetur, & vſque ad vltimum nummum debiti ſolueret: *Iratus Dominus eius, tradidit illum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.* Inquirit modo ſanctus Ioannes Chryſoſtomus; cur Dominus qui initio ſe tam benignum monſtrauit, modo tam ſeuerè procedat? & ſuppoſito quod voluerit ſeuerus eſſe, cur non mutauerit ſortes, & in principio monſtrarit ſe ſeuerum, cùm debitum eſſet grande, & in ſecundo clementem, cum debitum reſpectiuè eſſet parvum? Ad nutum noſtrum reſpondet ſanctus: *Vt diſcas facilius ipſum, quod in ſe peccatur, quam quod aduerſus alios, remittere ſolere.* Quaſi maius eſſet peccatum contra alios, quam contra ſeipſum.

*Chryſ. apud Villaroel in Iud. c. 9. v. 47. aph. 2. n. 6.*

5. Audite ſingularem conſiderationem (niſi alius prius animaduerterit) Ait Chriſtus Redemptor noſter, per ſanctum Lucam, quòd homo quidam præparauerit cænam magnã, & ad eam vocauerit multos, & quando ipſi omnia videbantur parata, iuſſit vocari omnes inuitatos; omnes ſeſe excuſarunt, vnus vt adeſſet emptioni villæ, alter ne abeſſet à probatione bouum quos emerat, & finaliter alter vt aſſiſteret nuptijs ſuis. Excuſationes iſtæ Patrem familias concitauerunt: & ne conuiuium fruſtraneum eſſet, mandauit ſeruis ſuis, vt compellerent volentes, & nolentes ad conuiuium, promittendo eis, quod nullus ex vocatis cænam guſtaret: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabunt cænam meam.* Duplicate hîc folium. Aliam parabolam docet Dominus per ſanctum Matthæum, Regis vnius qui vocauit multos ad nuptias filij ſui (quamuis interpretes diſputent haſce parabolas eſſe vnas) tamen ſancto Auguſtino, ſancto Gregorio, & ſancto Thomæ videntur diuerſæ: idque modo proſequor: fundamentum horum ſanctorum Doctorum eſt: quia hîc Rex dicitur, ibi homo, hîc nuptiæ, ibi conuiuium, hîc refectio, ibi cæna, hîc multi ſerui, ibi vnus, hîc bis exeunt, illic ſemel, hîc flocci faciunt ire ad nuptias, illic ſeſe excuſant; hic vitâ priuarunt ſeruos, & Rex miſit qui audaces caſtigarent, hic vltimate Rex intrauit ad viſendum inuitatos, & inueniens quemdam abſque veſte nuptiali, mandauit eum incarcerari; quod illic non accidit. Replicate modo folium, & mecum diligenter attendite; quia primos inuitatos, qui ſe excuſarunt, caſtigauit Dominus, priuatione menſæ ſuæ; quod pro eis non videtur pęna, cum fuerit eorum deſiderio ſatisfacere; & ſecundos mandauit vitâ priuari per milites ſuos, eorumque ciuitates quas inhabitabant ignibus ſuccendi: *Rex autem iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitates eorum ſuccendit.* Cur ergo hi tam ſeuerè caſtigati; illi vero tam blandè dimiſſi? Ratio eſt, quia iniuria quam primi fecerunt, immediatè contra Dominum ipſos inuitantem commiſſa eſt, ideo non afflixit eos maiori pænâ, quam priuatione menſæ ſuæ, quod ipſi quaſi deſiderabant. Secundi malè egerunt cum ſeruis ſuis, furoremque

*Matt. 18. — Luca 14. — Luca 14. — Aug. lib. 2. de conſenſ. Euang. c. 76. Greg. hom. 38. in euang. Thom. in comm. — Matt. 22.*

remque suum in eos executi sunt, & sic non inuenit eos dignos aliquâ misericordiâ, sed omni crudeli vindictâ; & propterea occisi sunt, ac ciuitates eorum in cineres redactæ. Et hoc ad stabiliendum hanc veritatem, quod Deus magis sentiat damnum Iusto illatum, quam offensas contra Maiestatem suam immediatè commissas.

6. Ostendit nobis sanctus Matthæus Christum Dominum nostrum Prædicantem de virtute Matrimonij docebatque obligationem qua tenebatur mariti cohabitandi cum mulieribus. Et sic sese res habet (ait Dominus) quod ille qui dimiserit vxorem, absque eo quod fuerit illi infidelis & adultera, erit causa quod ipsa aberret à lege matrimoniali: *Omnis qui dimiserit vxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.* Si recurramus ad sanctum Apostolum Paulum, inueniemus textum, qui videtur oppositus doctrinæ saluatoris: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittit illam.* Quid est hoc ô Deus, & Domine animæ meæ! potestnè adulteram dimittere maritus, & infidelem in domo suâ detinere si ipsa voluerit? non intelligo. Ast ego, ait Chrysostomus: *Si in te peccauerit, abscinde, si in me detineas in matrimonio.* Est quasi dicat Deus; si peccauerit in te, ad libitum potes eam dimittere, teque ab ea seiungere, sed si peccauerit in me, non propterea eam reijcies, sed ipsi cohabitabis. Ita vt illa quæ contra maritum peccarit, per repudium poterit castigari, & illa quæ in Deum peccabit, ad misericordiam admittetur. Ad probandum Deum magis turbari nostris iniurijs, quam proprijs.

*Matt. 5.*

*1. ad Corinth. 7.*

*Chrys. apud Villaroel loco cit.*

7. Agens sanctus Hilarius de conuersione boni Latronis, extraneum quid & singulare dicit, quod nusquam reperi; quia ipse sentit Latronem conuersum fuisse ad Christum, fecisseque solemnem illam confessionem; quia gratia Diuina cor eius accendit, per gemitum quem Christus edidit, quando manus eius clauis affigebantur cruci: hæc pretiosa sunt eius verba: *Latro enim rogat, vt sui in regno suo meminerit, & credo eum ad hanc beatæ confessionis fidem, auditus transeunte palmas clauo gemitus accendit, & Regnum Christi per dolorem infirmitatis, in Christi corpore didicit.* Digna mihi visa est, hæc sancti Pictauiensis animaduersio, consideratione, & sic eam considerate perpendendo, desideraui inquirere causam, cur extremam illam anxietatem Redemptor noster monstrarit, & non gemuerit quando eum quinque mille & amplius, cum omni crudelitate, flagris afflixerunt, nec quando caput, & tempora iuncis marinis acutissimis perforarunt, nec in vllo alio tormento, solum in hoc tristem hanc demonstrationem exhibuit: de quo sese offert (saluâ licentiâ contemplatiuorum) pientissima responsio; & ea est; nam sicut Christus, vt verus filius Dei, habebat in manibus vniuersum mundum: *Quia in manu eius sunt omnes fines terræ.* Et etiam erant animæ sanctorum. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt*; Sentiebat per clauationem manum, mundum, & iustos qui in eo degebant, affligi. Vnde ad nostrum propositum peroptimè ait, sanctus Leo Papa: *Elementa clauos Crucis Christi senserunt*: Elementa signa doloris dederunt, & tremuit terra, rupesque inter se quasi certarunt, & Sol, & Luna perdidêre lucem, omniaque ad extremum redacta sunt; quia cuspis claui quæ Christi manum perforauit, etiam omnia quæ in eâ erant

*Hilar. lib. 10. de Trin.*

*Psal. 97.*

*Sap. 3.*

*S. Leo de pass. Domini.*

erant terebrauit: & hoc erat quod Dominus sensit, & per hunc dolorem tristem illum gemitum edidit, qui (vt accensus amore) inflammauit & succendit ingenium Latronis, quo se conuertit. Vt si quis dicat, quod ille qui vt agnus mansuetus in omnibus fatigationibus semper siluit, absque eo quod inter tot dira flagra semel suspiraret, nec inter tot acutissimas spinas semel in gemitus erumperet; quia tormenta illa, solum ipsum affligebant; ast cum iam per clavum lædunt ipsas creaturas, quæ in manu eius erant, ingemiscit in signum, quod maiori ipsas amore prosequatur, plurisque faciat earum vitam quam propriam. Et sic intelligit esse Deum, & Dominum vniuersalem omnium, & quandoquidem doleat de lapidibus maiori iure dolebit de ipso, & propterea ad ipsum dicit: *Domine memento mei.*

8. Iter faciebat Paulus ex Ierusalem Damascum, cum sanctionibus, & decretis ministrorum iustitiæ, quibus ipsi committebatur apprehendere omnes Catholicos inuenibiles. Adfuit Christus Dominus noster è cœlo, & eijciendo eum ex equo obcæcauit & dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* *Act. 9.* Loquela inaudita! ait sanctus Laurentius Iustinianus. Quomodo, Domine ais, quod Saulus te persequatur, si gloriosus sis in cœlo, & triumphans sedens ad dexteram Patris vestri æterni, & Saulus hæreat in terris? sed quando in terris vixisti omnia patientissimè pertulisti, contradictiones, scommata, & omnes offensas tibi illatas, ad instar agni siluisti non edens vocem, neque verbum loquens: *Tamquam agnus ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum.* *Isaia 52.* Vt quid modo tam sensibilis, & afflictus, aiens quod Paulus te persequatur, & affligat? Audite Responsum sancti, quod maximè intentui nostro conuenit: *Affligebatur in singulis, afficiebatur pro omnibus.* *Laurent. Iustin. de triumph. agone. c. 19.* Non mireris Dominum conqueri ex cœlo vbi moratur, quandoquidem in terris se tam patientem monstrauit: quia hîc in terris patebatur in se ipso, & ibi patitur in suis, sicut est caput huius corporis mystici, caput cæterorum membrorum mala sentit. Verum est, quod Christus immortalis, & impassibilis, non poterat mori, neque pati; Ast sicut tantum amat suos, amor quasi cogebat eum tantum sentire eorum afflictionem, quod in proprio corpore patitur, non conqueritur, tolerat, & tacet, & solum quia sui patiuntur signa tristitiæ ostendit.

Modo intelligetur ratio cur Dominus tam seuerè reprehenderit discipulos, antequam ascenderet in cœlum, quia non crediderant ijs qui viderant eum resurrexisse: *Exprobrauit incredulitatem eorum, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* 9. *Marc. 16.* Inquiro, nonnè, diuinus Dominus idem ipsis dixerat, & quidem expressis verbis, quando ascendebant Ierosolymam; quod tertiâ die esset resurrecturus? *Et tertia die resurget.* *Matt. 20.* Certissimum est. Cur ergo non dicit sanctus Marcus, quod reprehensio discipulis facta, fuerit, quia non crediderunt verbis Domini; sed quia non crediderunt Mariæ Magdalenæ, & Discipulis venientibus ex Emaus? nonnè certiora dicta Christi; quam cuiuscumque alterius? procul dubio; sed quid sentiam, dicam: non fidere ipsi, erat iniuria sibi illata, & non assentiri dictis aliorum, erat illos parui facere; & plus sensit Saluator despectum, qui suis inferebatur, quam diffidentiam quam de seipso habebant, quia certum est quod

quod pluris faciat iniurias suis illatas quam offensas in se commissas; ideo silet quando eum iniurijs affligunt, & loquitur quando Discipulos offendunt: *Quare & vos. &c.*

---

*Nam Deus dixit : honora Patrem, & matrem.*

### Consideratio VI.

*Quamuis non per legem Diuinam, saltem per naturalem arctissimè obligantur filij ad succurrendum necessitatibus parentum.*

1. DVcti lucro Scribæ, & Pharisæi, docebant doctrinam omnimodè contrariam, illi, quam à Deo receperant: quia in libro Exodi, & Deuteronomij mandauit Diuina Maiestas, vt honore, & auxilio adessent parentibus, primo ipsis adhærendo, quam Altari; illi vero lucro, & auaritiâ victi, dicebant: licere parentibus auferre, vt in templo offeratur, quia offerendo bona sua Deo, non obligabantur amplius succurrere necessitatibus parentum; & sic prætendebant auaritiam palliatam depingere; quandoquidem non solum erat falsa doctrina contra legem Diuinam, sed etiam repugnans legi naturali: quippe vti Aristoteles docet, quamuis ordinariè patres plus ament filios, quam amentur ab illis; maiori tamen, & naturaliori obligatione tenentur filij, ad amandum Parentes. Ratio est, quia maior amor debetur ei qui maiori beneficio obstringit: certum autem est, quod nemo ab aliquo maius aliquid accipere possit, quam essentiam, & educationem. Itaque, si hæcce pignora filijs suis parentes committant, maiorem iure meritò reciprocum amorem expectant, sub pœna grauius delinquendi, nisi obligationibus suis responderint: quandoquidem Deus filios ideò sustentet, vt parentum suorum necessitatibus succurrere conentur.

*Exod. 20. Deutr. 5. Arist. Ethic. 4. Cap. 23.*

2. Cum Ioseph fratribus suis se aperuit, ac notum fecit, postquàm suauiter admodum, ac summo amore eos excepisset, multa eis commisit quæ patri suo deferrent, & cum ijsdem nuntium ei remisit, quod Oleastro nostro dignum animaduersione visum est: *Festinate, & ascendite ad patrem meũ, & dicite ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph, Deus fecit me Dominum vniuersæ terræ Ægypti; descende ad me, ne moreris.* Non bene mihi sonant hæc verba (inquit insignis hic Doctor) superbiam enim olere videntur; quodque Ioseph patri suo significare voluit est, vt vadat instar Ægyptiorum, ei se subditum ac clientem professurus, &, quemadmodum prædixerat, eum adoraturus. Hoc est quod prima fronte quispiam sibi imaginari potuisset: verum hisce scrupulis nos eximit Scriptura, eo quod, qualis intentio eius fuerit, clarè nos doceat; nimirum patris sui necessitatibus succurrere, totique familiæ, ac domui prouidere, atque adeò ei dicit: *Et habitabis in terra Gessem, eris que iuxta me,* nihilque tibi deerit. Audite modò Oleastrum: *Non gratia iactandi se, sed consolandi senem patrem, hæc verba protulit Ioseph.* Prosequitur vero: *Vbi discant filij, qualiter tractare, & alere debeant parentes senio confectos. Et considera solicitudinem, quam gerit erga patris domum, vt non tam filius, quam pater paternæ domus videatur.* Gen. 45.

3. Huius beneficij oblitus non erat Iacob, quando filijs suis, Patriarchis, & fun- Gen. 48.

& fundatoribus populi Dei benedictiones impertitus est; peruenit ad Ioseph, benedictionibus eum replet, earumque rationem (bonorum Interpretum iudicio) assignat hæc verba: *Inde Pastor egressus est lapis Israël.* Mariana ex Hebræo: *Inde egressus est pascens lapidem Israël.* Id est: Omnes illæ benedictiones Iosepho obueniunt, quia fuit aliquando in illa Tribu, qui victum dedit lapidi Israël; hoc est fundamento populi illius, qui est Iacob; prout declarauit Saà eruditus Lusitanus: *Pastor scilicet pauit patrem, & fratres: lapis, id est firmamentum sustentans in fame.* Et hac de causa tanta ei bona precabatur Iacob, vt omnem suam felicitatem, Iosephi filij sui felicitatibus comparatam, disparere, eisque nullatenus conferri, velit; In hunc sensum interpretatur idem Author verba illa Iacobi: *Benedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius. Confortatæ, id est, ampliores, quasi dicat, maior est benedictio, qua te benedico, quam ea, qua sum à patribus meis benedictus.* Huc usque sequimur translationem Marianæ. Prosequamur modò Vulgatæ innixi: *Inde Pastor egressus est, lapis Israël.* Israël autem est Iacob. Quare autem Ioseph vocatur lapis Israelis? Quia, vti diximus, tempore famis eum sustentauit: *Idest firmamentum sustentans in fame.* Et quidam Hebræi (quòd moderni Commentatores referunt) adiungunt, quod *Lapis*, in Hebræo sit, *Abben.* Harum duarum syllabarum, prima, *Ab*, significat patrem, & secunda, *Ben*, significat filium, quia pater & filius est patris sui. Fortassis huc allusit quoque insignis noster Hebraizans Oleaster, quando eum & filium vocauit, & patrem patris sui: filium quidem per naturam, patrem verò per pietatem: *Vt non tam filius, quam pater paternæ domus videatur.* Et pro coronide loci huius notat Theodoretus; quod licet Ioseph, vti omnibus notum est, fuerit quoque Ægypti Pastor; tamen Scriptura dicat, quod solum Israëlem sustentauerit, & hinc omnia ei bona, ac amplæ benedictiones obuenerint. Filium enim parenti suo opem ferre, eumque sustẽtare tam illustre est opus, vt alia quæcumque, licet in se bona, ei comparari minimè possint: *Hanc prouidentiam consecutus est, recipiens mercedem obsequij sui erga parentes; licet enim in suis, & in Ægyptios magnificus fuerit, omnes pauerit; tamen illius in parentes & fratres, & semen Israël pietas palmam retulit, & esca suis egentibus exhibita, illum in gloriosum Israëlis pastoris titulum euexit*; inquit Theodoretus.

Mariana hic. — Sà hic. — Theod. q. 96. in Genes.

4. Duo loca ad hoc institutum in Cardinali Vitriaco annotaui, non omninò contemnenda. Prodeat autem primus. Notat grauis hic Author, quartam plagam, quam Deus Ægyptijs immisit, fuisse muscas: *Et venit musca grauissima in domo Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis*; Et curiosè aduertit, Dauidem de hisce insectilibus loquentem, dicere, fuisse cœnomyiam, hoc est muscam caninam, acriter pungentem, donec sanguinem eliciat: *Quarta plaga fuit cœnomyia, scilicet musca canina valde pungens, & vsque ad sanguinem mordens.* Moraliter modò hanc pœnam explicat Doctus Cardinalis, & deprehendit, supplicio affectis eam admodum esse proportionatam, & Deum efficere voluisse, vt instar canum in rabiem verterentur, adeoque eis pœnam inflixisse, peccato eorum conuenientem. Audite modo eius verba:

Exod. 8. — Victr. serm. 1. Dom. in Pass.

verba: *Et quoniam canes cœci nascuntur, & parentes non agnoscunt, qui mores caninos imitantur, & parentibus suis honorem, & reuerentiam, & auxilium non impendunt, hanc plagam incurrunt, & quartum transgrediuntur mandatum, quod est: Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quia verò Ægyptij inter alia vitia, quibus obnoxij erant, fuit patres suos non venerari, nec eis in suis necessitatibus subuenire, ideò muscis caninis eos punit Deus, vt pœna peccato illorum correspondeat. *Hæc plaga non tangit populum Dei, &c.* Hoc est veros Fideles, eò quòd quartum præceptũ, ad imitationem Christi Saluatoris nostri, parentes suos honorando, eisque vita, ac bonis suis succurrendo, obseruare soleant.

7. Christum Dominum sacræ Litteræ Agnum vocant, Agnum eum expetijt Isaias: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Agnum eum dixit Præcursor suus Ioannes: *Ecce Agnus Dei.* Agnum eum vidit sanctus Ioannes in Apocalypsi: *Vidi Agnum stantem.* Notæ admodum sunt rationes quas sacri Interpretes adducunt; paulo amplius nos docet doctus Victriacus: *Agnus etiam dicitur Christus, balat autem Agnus, matrem agnoscit, vnde ab agnoscendo dicitur Agnus: & Christus Patrem cognouit obedientia, factus obediens illi vsque ad mortem: Matrem autem agnouit cura, vnde illam de cruce commendauit electo, dilectoque Discipulo; Discipulos autem agnouit diligentia, pro quibus orauit.* Adeò vt omnes agnouerit ad eos honorandum, eisque benefaciendum. Patrem, Matrem, Discipulos. *Vnde* (concludit doctus Cardinalis) *in celebratione Missæ dicitur ter Agnus Dei:* quod idem est ac si diceretur: *Agnus Dei, qui cognouisti Patrem obedientia. Agnus Dei, qui agnouisti Matrem cura. Agnus Dei, qui agnouisti Discipulos diligentia, miserere nobis,* eò quod tam malè obligationibus nostris respondeamus, & exemplum tuum imitemur, honorem parentibus nostris deferendo, eis benefaciendo, & de necessarijs eis prouidendo, in adimpletionem eius, quod diuinæ tuæ leges nobis præcipiunt.

Isaiæ 6. Ioan. 1. Apoc. 5. Victr. serm. 1. Dom. in Albis. Psal. 4.

6. Plenus est mundus induratis, & crudelibus filijs, Absaloni admodum similibus, quique meritò timere debent suppliciorum eius participes fieri, quandoquidem malitiæ eius imitatores existant. Aduertit autem sacer Textus, quod *Cum adhuc palpitaret hærens in quercu, occurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Deo ita permittente, in pœnam irreuerentiæ in patrem suum Dauidem commissæ, inquit sapienter Rabbi Kimchi, nam *Decem concubinas patris sui constuprauerat, igitur decem armigeri eum percutiunt.* Neque verò supplicium eius hîc substitit: sed & ipsa eius sepultura, delicti eius pœna fuit, prout obseruauit doctissimus Lyranus: *Comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* Nempe *Secundum legem Deuteronomij 21. vbi præcipitur filius contumax à populo lapidari. Iste autem non solum erat contumax, sed etiam manifeste persequebatur patrem, & ideo non solum erat dignus à gladio perimi, sed etiam à populo lapidari.* Filio tam malo, qui præterquam debitum honorem, & reuerentiam tam bono parenti non exhibeat, cum insuper vita, ac Regno priuare molitur, diuina, & humana omnia iura infringens, grauissimum supplicium in præsenti, indicatiuum eius, quod in altera vita æternum obtinet, irrogetur.

2. Reg. 18. Rabbi Kimchi. Lyran. hîc. Eugub. hic. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 16. 1. Reg. 21.

7. Degenerauit infelix hic iuvenis à virtutibus paternis, qui si patris sui vesti-

vestigijs inhæsisset, vitam suam tam infelici fine non clausisset. Audite eum in Psalmo quarto: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Mirabilem fecit,* Legit sanctus Hieronymus, & alij cum eo, id est; excelsum, & sublimem eum fecit, & nomen eius per totum orbem celebre, ac famosum reddidit. Verbum Hebræum, quod est loco vocis *Sanctum*, & *Chasid*, & vt notat doctus Eugubinus, propriè significat hominem misericordem, beneficum, ac liberalem, & curiosè aduertit, ab hoc nomine prouenire *Chasida*, quod Ciconiam significat, *Hinc vocatur Hebraicè Chasida Ciconia, quod benefica erga parentes*; quos iam senes (prout curiosi id fusè in sancto Ambrosio videre possunt) tenerrimo affectu tantopere alunt, & fouent. Modò verò intelligetur, quid Propheta dicere velit: *Mirabilem fecit Deus Chasid*, eum scilicet, qui instar Ciconiæ misericors est, & dulci, ac amabili affectu de parentum suorum sustentatione solicitus est. Et quidem si hæc in particulari de eodem Dauide, cui deus tam sublimia beneficia, propter amorem, & venerationem, quæ parentibus suis exhibuit, intelligere voluerimus, multa veritatis huius exempla in diuinis Litteris repeiemus. Verum sufficiat illud adeò notabile, & singulare, cum ad bellum procedens, eos ad Regem Moab adduxit, eique illos commendauit, petijtque vt in sui tutelam eos reciperet, donec sciret quid Deus de se disponeret: *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.* Ex dictis constat quantoperè Deus sese obligatum sentiat, & fauere, ac honorare conetur filios illos, qui parentes suos honorant, ijsque fauent.

Psal. 4.

6.

Eugub. hic.

Ambr. lib. 5. Hexamer. c. 16.

1. Reg. 22.

7.

8. Inter Discipulos quos Saluator elegit, fuerunt duo, filij Zebedæi Iacobus & Ioannes; & sanctus Matthæus Euangelista aduertit, quod cum Christus Dominus eos vocauit, essent in naui cum patre suo, reficientes retia sua: *Et procedens inde, vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos.* Reflexit autem sanctus Ioannes Chrysostomus, Euangelistam notare, quod Christus eos vocauerit eo tempore, quo cum patre suo erant, an fortè id fecerit ad promptam eorum obedientiam, in relinquendo patre, & Redemptore sequendo, exaggerandam? Non fuit illa ratio, inquit ille sanctus, sed quia, prout pater, cum infantes & pueri essent eos educauerat; illi modò cum iam senem factum sustentabant; & quoniam Dominus eos tam bene occupatos vidit, iudicauit eos collegio suo idoneos esse, & tunc eos vocat, cum tam sancto, ac pio operi intentos videt: *Nec sanè parua hæc sunt documenta virtutis, facilem omnem tolerare pauperiem, de iustis laboribus viuere, mutua sibi charitate connecti, secum habere inopem patrem, atque in eius obsequio laborare.* Vidit Christus in duobus sanctorum hominum vultibus, quod cum pauperes essent, & ex labore suo viuerent tam patienter hæc ferant, & pauperem suum patrem secum habeant, & suo cum sudore sustentent: illi itaque apti sunt, vt Principes sint Ecclesiæ meæ, inquit, & præcipuas cœli sedes occupent; charitas & reuerentia paterna antecedat, quandoquidem tantis honoribus augeantur.

Matth. 4.

Chrysost. hom. 14. in Matt.

Plato, licet Gentilium more locutus, tamen in parentibus diuinitatem quamdam stabilire velle videtur; dixit enim, vt filius, qui tam felix est, vt in 9.

Plato l. 2. de legib.

domo sua patrem, vel matrem habeat, cuius cultui & venerationi impendere se possit, foris aliam deitatem, & familiæ suæ maiorem defensionem, aut validius munimentum non quærat. Agit hic Philosophus, de Deorum cultu, ac insignem distinctionem adhibet. Quidam, inquit, in seipsis, quia visibiles sunt, alij verò, qui non videntur, in imaginibus suis adorantur: *Cuius ergo pater, aut mater, vel horum parentes senio confecti, quasi thesaurus quidam domi existunt, is putet numquam aliud sibi tale simulachrum, magisque efficax domui sua affuturum, si rectè, vt decet, ab eo colitur.* Reuerentia, & amor parentibus exhibitus, magis extolli non potest, quam si dicatur, eorum consortium esse patrocinium maximè securum, & filium, sua erga eos beneficentia, maximos sibi honores ac fauores polliceri posse, perinde ac is qui Deum secum habet, cuius præsentia bonorum omnium causa existit.

10. Supposita itaque hac doctrina, filij omnes, quantum potuerint, parentes suos honorare, eorum defectibus subuenire, & necessitatibus succurrere studeant; ne si contrarium fecerint, pro eorum filijs non habeantur. Apposite ad hanc rem facit, quod Bernardinus de Bustis, de muliere quadam maritum suum odio habente refert, eam scilicet ei dixisse, quod ex tribus, quos habebat, filijs, vnus tantum ipsius foret: maritus morti appropinquauit, testamentum suum condidit, & eum, qui se eius filium esse probasset, heredem instituit: coram Principe litem instituerunt, qui patrem exhumari, eumque palo alligari precepit, vtque omnes tres in eum sagittas emitterent, & is qui maiori dexteritate cor eius transfixisset, filius & heres eius declararetur: duo primi eiaculati sunt, tertius verò, *Acrum in manu accipiens in semetipso contremuit, & omnia eius membra dissoluta sunt.* Et arcum à se abijciens dixit, se potius hereditatem repudiare velle, quam defuncti patris sui cor culnerare. Rex ei sententiam adiudicauit eumque verum & legitimum filium ac heredem esse pronuntiauit: *Qui parentis sui mortui misertus est.* Secundum hæc, Scribæ, & Pharisæi non erant veri parentum suorum filij, cum tam immisericordes sese illis exhiberent, vt videntes eos perire non tamen succurrerent. Duritiem eorum confundit paterna pietas, quæ etiam in Gentilibus reperta fuit, propter quam toto terrarum orbe tantoperè celebrantur. Quemadmodum Æneas, qui in angustijs, quales fuerunt incendium Troyanum, parentis sui Anchisis oblitus non fuit, sed eo onustus, flammas, & vincentium Græcorum arma perrupit, donec eum saluum in tuto collocauit, prout cecinit Poëta Latinus.

*Bernard. de Bustis in suo rosario.*

*Virg. Aeneid. 5*

11. De famosa quadam muliere refert quoque Valerius Maximus, quod cum senem quoque patrem haberet, Cimona vocatum, carceri traditum, capitali crimine damnatum, fame rabidum, illa verò facultatem impetrauit eum inuisendi, & iam vltimæ senectutis velut infantē pectori suo admotum, lacte suo quotidie aluit. Ex his exemplis clare patet, quam crudelia, & sine misericordia fuerint Iudæorum corda, cum auaritiæ suæ palliandæ causa, dicerent, maioris meriti esse Deo in Templo suo bona offerre, quā ea in parentum sustentationem expendere; quod, prout Christus Dominus dixit, manifeste aduersabatur ei, quod Deus in Lege mandauerat; nimirū ut filij honorēt parentes, eis assistant, eos alant, si longâ super terrā vita frui velint, & postmodum æterna in gloria, &c. *Amen.*

*Valer. Max. lib. 5. c. 4.*

# TRACTATVS XI.

## AD QVARTVM DIEM VENERIS QVADRAGESIMÆ.

*Mulier, da mihi bibere,* Ioan. 4.

TRACTAT Euangelium de mirabili Samaritanæ conuersione, omnibus Fidelibus adeò nota, vt eius explicatio necessaria non sit; adeoque summatim tantummodò referam id quod continet. Secessit (inquit sacer Euangelista Ioannes capite 4. Historiæ suæ Euangelicæ) ab Ierusalem Saluator, corpus suum Pharisæorum furori furtim subducens; & quoniam magni referebat, transibat per Samariam in Galilæam; momentum rei, erat huius peccatricis, quam conuersurus erat, saluatio, nec non & aliorum, cui feminæ illius conuersio occasionem datura erat. Veniens itaque ad fontem seu puteum Samariæ, sedit iuxta eum, vtpote de via oppidò fessus, sole exustus, ac siti oppressus; & quidem hunc in modum eum nobis exhibet Euangelista; quamquam tamen multò magis eum exureret amor, qui diuino eius pectore concludebatur, quam solis ardor, & sitis, quam patiebatur, eum affligeret. Aberant tunc temporis Discipuli, quos Christus Dominus, in ciuitatem miserat, vt necessarium suæ refectioni cibum conquirerent. Interea temporis mulier quædam de Samaria, ex fonte aquam haustura, aduenit. Christus Dominus verò cum ea collocutus est, sibique aquam ad bibendum porrigeret, petijt: illa autem religione se duci ostendit, eo quod Iudæi non coüterentur Samaritanis, nihilque cum eis haberent commercij; denique inter eos longa habita fuit sermocinatio, cumque illa haustum aquæ ei denegaret, non obstantibus promissionibus de alia multò excellentiori, & viua, & qua sumpta non amplius sitiret, ad salutis viam eam perduxit. Curauit eam diuinus Medicus saluo eius honore, quoniam Discipulos suos adesse noluit, dum malum statum, in quo erat, ipsi aperuit. Mox, vt vidit, quod Christus Dominus totum vitæ suæ ordinem retulit, & intima cordis sui detexit, atque discreuit, vt Prophetam eum agnouit, & ad pauca verba eum Messiam esse credidit. Illa (relicta hydria, & fune) ad ciuitatem cucurrit vt de tam diuite inuentione nuntia referret, & incolas omnes vocaret, vt ad ipsum venirent: veniunt illi, & credunt. Denique peccatrix conuersa, conuersionis totius ciuitatis instrumentum fuit. Potens est enim diuina manus, vt mulierem perditam Apostolam faciat, ac insuper gloriosam Martyrem in defensionem Fidei, quam hodie, diuina adiuta gratia, professa est. *Aue Maria.*

*Mulier da mihi bibere.*

## CONSIDERATIO I.

*Quod Deus nos rogare soleat, vt se obliget ad nobis dandum; ne videatur gratiam facere, & liberalitatem exercere, sed soluere debita, & obligationibus satisfacere.*

1. QVi Christum Dominum nostrum cum muliere hac, idque rogando, differere incipientem audiuerit, iudicabit medium hoc ad eam conuertendam parum conueniens esse; eò quòd Dominus magis de commodo suo, quam illius remedio agere videatur. Verumtamen mox declarauit qualis esset sua intentio, quandoquidem post pauca, æternę vitæ aquam ei obtulerit: nihilominus scitu dignum est, quare eam primus rogauerit, & dando non inceperit. Ratio est (dum alia, eaque melior sese non offert) quod Deus petere soleat, vt sese obliget; ne gratiam facere, sed debita soluere, & obligationibus, aut de suo promittendo, aut de nostro recipiendo contractis, satisfacere videatur.

2. Modò intelligo tam benè fundatam confidentiam, quæ alias iudicari posset, temeraria præsumptio sanctæ Gorgoniæ, sororis sancti Patris Gregorij Nazianzeni, de qua sanctus ille dicit, quod cum in Ecclesia Deum rogaret, vt pristinam sanitatem sibi restitueret: *Pia & præclara quadam impudentia, apud Deum efferebatur, minitantem se non prius altare dimissuram, quam esset nacta sanitatem.* (Naziãz. orat. 11.) Quasi Deus ex iustitia ei facere deberet, quod ipsum rogabat. Reflectamus porrò ad verba illa: *Minitantem se*; quæ sunt magni momenti, & discursus nostri probationem continent quam inquirimus. Dicit hanc sanctam minis egisse. Haud equidem capio. Quid enim? Deum lacessis, eique minitaris dum eum reipsa precaris, & supplicas? Quis hic tam peregrinus petendi modus? Significat (nisi mea coniectura me fallat) quod docere intendimus. Differentia inter eum qui mutuo petit, & eum qui debita reposcit, est, quod is qui mutuo petit, humilis, obsequiosus, & quasi verecundus accedat; quia nouit non iustitiam, sed fauorem sese exposcere; qui autem sibi solui petit, erecta ceruice, & audacter accedat, eò quod bona sua petat, & quod suum est reposcat; & siquidem videat sibi negari, ad prouocationes, & minas tum procedat, causæ tuæ iustitia communitas. Iam verò quemadmodum Deus Fidelibus suis fidem fecit, se eis in necessitatibus suis succursurum: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* (Psal. 90.) *Petite, & accipietis*; (Ioan. 16.) certa quadam ratione obstrictus mansit, & consequenter, homo actionem habuit ad eum rogandum, iudicans, iustum esse, vt sibi subueniatur: atque ita Gorgonia quando petebat, blandè minabatur, suauiter persistebat; sentiens, esse quasi rigidum ius, & strictam obligationem, vt Deus sibi concederet, quod postulabat. Fortassis existimabat hæc sancta, se hac ratione ei abblandituram, & petitionis suæ expeditionem melius assecuraturam; quandoquidem genium eius pernosceret, qui gaudet intelligi, magnalia quæ facit, non tam dona, & munera liberalitatis suæ, quam fideiussionum, & oppignerationum suarum satisfactiones esse: atque ita bene fundatum est quod dicitur, Christum Dominum à Samaritana potum petijsse,

vt recipiendo sese obligaret; adeò vt beneficium quod Dominus ipsi impenderet, videretur reciprocum illi, quod recepisset.

3. Mandat Deus amico suo Abraham: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, ibi offeres eum in holocaustũ super vnum montium quem dixero tibi.* Obediuit accuratè sanctus senex, & mox strauit asinum suum, lignis eum onerauit, vocauit puerum, secum eum duxit, ad montem, quem Deus ei monstrauerat, peruenit, Altare ibidem ædificauit, manus & pedes filio ligauit, oculos velauit, gladium eduxit, brachium eleuauit vt ictum daret, & exequeretur ea quæ Deus ipsi mandauerat; cùm ecce tibi Angelus de cœlo eum detinuit, & clamauit dicens: *Abraham, Abraham, ne extendas manum, &c.* Quid hoc rei est, quærit sanctus Ioannes Chrysostomus? Quidnam Deus hoc in casu intendit? Quid? Respondent multi, toti mundo palam facere, quis sit servus suus Abraham, tam purus, & sincerus sui amator, & tam promptè diuinis suis mandatis obediens, vt sancta quadam cholera animatus senex, filio suo, perinde ac si inimicus fuisset, ictum inflixisset, nisi Deus aliter disposuisset: cumque omnes tantis eum fauoribus præuentum, ac diuitijs auctum conspicient, intelligant obsequiorum, ac meritorum pretio id eum consecutum fuisse. Hic est communis sacrorum Interpretum dicendi modus. Sed modò sancti Archiepiscopi Antiocheni opinionem sequi debemus: *Nam quoniam hominibus quadam magna erat danda gratia, volens non quasi ex gratia, sed velut ex debito illud facere, persuasit primum homini, vt filium suum traderet pro præcepto Dei; vt nihil magnum videatur facere filium suum tradendo, siquidem homo ante ipsum hoc fecerit, vt hoc ex gratia facere non existimaretur, sed debito recompensaret.* Quasi dixisset Deus: Sciat mundus, quod si Filius meus moriatur, si vita priuent heredem gloriæ, primogenitum æternitatis meæ, quem sicut meipsum amo: *Filius meus dilectus.* Fuerit quoque alius pater tanti animi, & tantæ fortitudinis, vt amore mei, vita quoque priuauerit filium suum, vnigenitum viscerum suorum, vnicum bonorum suorum heredem, quem adamabat: *Quem diligis Isaac*; atque ita vnum aliud valet; & siquidem debeat, obligationem habet soluendi, fecit Deus quod debebat, factus homo pro hominibus moriendo.

Gen. 22.

Chrysost. hom. 25. in cap. 11. ad Hebr. cit. à Bened. Ferdin. ad hunc locũ Genes.

Modo intelligo verba illa eiusdem sancti, in homilia quam facit de Natiuitate Saluatoris: *In stercore nascitur Dominus, vbi Iob sedebat.* Quam, obsecro, connexionem habet, Christum Dominum immundo loco nasci, quia in alio simili fuerit sanctus Iob? Dicam, nisi mea opinio aberret. Fuit Iob princeps, Rex, magnus Dominus, & cum esset talis, propter amorem Dei, tam vilis, & abiectus, prout omnes norunt, immundo sterquilinio factus est. Nemo itaque miretur, æternitatis Principem, Regem, ac Dominum cœli, & terræ, propter amorem hominum in alio quoque tam indecenti loco existere; soluit enim quod eis debet, & modo pro eis facit, quod alius Monarcha longè ante pro ipso fecit. 4.

Chrys. hom. de Natiu. Dom.

Mysterijs admodum plena est parabola illa, quam prædicauit Saluator, relata per sanctum Lucam. Scitote, inquit, quod homo quidam descenderit ab Ierusalem in Iericho, & inciderit in latrones, quibus non suffecit 5.

Luc. 10.

cum

eum spoliasse, & denudasse, verum etiam læsum, & vulneratum, prout vulgata nostra legit, *Semiuiuum*, vel prout textus Græcus, *Semimortuum*, reliquerunt. Fortè fortuna sacerdos quidam eadem via descendit eoque attentè conspecto, præterijt: descendit & Leuita, qui similiter pertransijt. Samaritanus autem quidam Gentilis descendit, cumque ad miserabilem casum reflecteret, commota, & emollita sunt viscera eius, & ad vulneratum accedens, concretum, & putridum sanguinem vino abluit, & vulnera oleo inunxit, quod virtutem habet dolorem mitigandi, & vniendi, & carnem diuisam, & separatam confortandi, & alligatis vulneribus ad primo obuium diuersorium eum perduxit, ac eo die cum eo commoratus est, de omnibus necessarijs ei prospiciens: ac altero die discedens, pecunias hospiti reliquit, vt eum curaret, præmonens ac asseuerans, quod si plus erogasset, in reditu suo ei persolueret. Animum hic aduertite, nam vltima hæc clausula, instituto nostro seruit. Sanctus Pater Gregorius Nazianzenus, Origenes, sanctus Basilius, sanctus Ioannes Chrysosthomus, sanctus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Theophylactus, Bernardus, & alij, allegoricè hanc Saluatoris parabolam explicantes, existimant, hominem hunc, qui ab Ierusalem in Iericho descendit, fuisse Adam primæuum parentem nostrum, in quo tamquam in principio totum humanum genus continebatur. Descendit autem ab Ierusalem, quæ erat in monte, in Iericho, quæ erat in valle situata, cumque Ierusalem significet visionem pacis, & Iericho Lunam, cui, propter inconstantiam, & mutabilitates suas stultus comparatur: *Stultus vt Luna mutatur*; est a felici gratiæ, ad miserabilem peccati statum descendere. Latrones in quorum manus incidit, sunt dæmones, qui non solùm gratia eum spoliauerunt, verum etiam naturam vulnerauerunt, eò quod culpa tanto eum damno affectum, & tantopere corruptum reliquerit, vt non videatur ex toto viuus, nec ex toto mortuus, sed semiuiuus, vel semimortuus. Viuus, quia miseriam suam agnoscit, & perfecti arbitrij libertate fruitur: mortuus, quia ex sepultura, non nisi ad imperium potentis vocis Saluatoris, erigere sese potest. Sacerdos, & Leuita qui de longè transierunt, fuit tota Lex vetus, quæ hominem vt ante vulneratum reliquit, eò quòd vires non habuerit ad eum sanandum. Samaritanus est Christus Dominus noster, (licet enim Samaritanus non fuerit, eum tamen iniuriandi causa hoc nomine compellauerunt: *Samaritanus es tu*) qui propria pietate, ac misericordia sua motus in mundum veniens, miseri vulnerati plagas vino, id est sanguine suo, oleo, id est clementia sua sanauit, & imponens eum super iumentum suum, quæ est sanctissima eius humanitas, in Ecclesiæ Hospitium duxit, vbi sancto Petro, tamquam vicario suo, potestatem, & authoritatem dedit, dispensandi, & erogandi diuitias sanguinis sui; addens, se, si quid vltra merita & suffragia sanctorum supererogauerit, omnia persoluturum.

*Lect. Græc.* — *Nazianz. orat. 4. de Theol. Chrysost. hom. propria sup. Luc. & hom. de anathem. Ambr. hic Hieronym. epist. ad Fabiol. August. serm. 27. de verbis Dom. & lib. 2. q. 69. in Euang. Gregor. l. 2. mor. cap. 21.* — *Theoph. in Comment. Bernard. serm. 1. de Annunt. Eccle. 27.*

6\. Hoc vltimum reseruauimus, cum sancto Ambrosio ponderandum, qui reflectit, quod Samaritanus. *Protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Fateor, Christum Dominum in hac cura prouidè omninò processisse; verumtamen ignoro qualiter de liberalitate

valitate sua sentiat; si enim sciebat quanti tandem curatio illa constare debebat, quamobrem illud vnà non dedit? Parci animi est, beneficia per partes conferre; verùm Saluator nec inuitè, nec illubenter quidquam dare solet, nec ei bona deerant, vt simul & semel omnia daret, vt fideiussorem adhibere debuerit, & solutionis terminos prolongare. Quid igitur hic dicemus? Quid? Id quod magnus Mediolanensis, breuibus quidem, sed mirabilibus verbis dixit: *Reddes ergo quod debes: beati, quibus est debitor!* (*Ambr. cit.*) Id est, quod non dederit omnia simul, vt deberet. Si Christus Dominus, quando nullo alio titulo, quàm solius misericordiæ suæ obligabatur, omnes expensas à principio dedisset, dictum fuisset, liberalem eum esse, quandoquidem dedisset, quod non debebat: sed dando medietatem in principio, & spondendo se reliqua postmodum daturum, iam ratione contractûs obligabatur dare quod promisit. Itaque omnes expensas simul non soluit, vt eas deberet, & quia mauult videri debita soluere, quàm vt intelligatur liberalitatem exercere, ideoque petit, vt se obliget: *Da mihi bibere.*

7. Idem Dominus docens nos formare petitionem, quam ad Æternum Patrem dirigere deberemus, iussit, vt diceremus: *Panem da nobis*, & in solo illo verbo non subsistens, adiunxit, *nostrum: Panem nostrum da nobis*; (*Luc. 11.*) vnde insignis difficultas resultat, quomodo vocemus nostrum, quod est ipsius? Panem, & omne alimentum Dei esse, nemo est qui dubitare possit, nisi infidelis, aut stultus fuerit. Constat id ex mille sacræ Scripturæ locis; verùm sufficit ille tam clarus Ezechielis: (*Ezech. 16.*) *Et panem meum quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis.* Exprobat ciuitati Ierusalem enormitatem peccati idololatriæ, qua abominabilibus idolis, ea quæ ab ipso acceperat, offerebat. Hoc loco Deus panem meum, vocat, vnde videtur, nobis dicendum esse: Panem vestrum quotidianum da nobis hodie. Ad hanc difficultatem variè respondet sacer Interpres sanctus Gregorius Magnus, dicens, quòd eum nostrum vocemus, nihilominus rogemus illũ nobis dari, eò quod eum recipiendo nostrum faciamus, licet Dei sit eum nobis dare; Dei est propter donum, noster verò propter acceptionem. Deducit hoc sanctus Doctor ex eo quod scriptum est in libro Iob: *Et reddet Deus homini iustitiam suam.* (*Iob. 23.*) Nostram iustitiam dicit, non quæ nobis ex nobis ipsis prouenit, & propria est, sed quæ ex diuina liberalitate nostra fit. Ita est in præsenti proposito; da nobis panem, qui licet vester, & tibi proprius sit, quantum ad dominium, noster tamen fit, quantum ad vsum; Dei est per proprietatem, noster autem per donationem. Hæc est magis communis explicatio, inquit modernus Commentator Iob: *Illa simplicior Gregorij expositio, vt reddere iustitiam suam homini, nihil sit aliud, quàm conferre homini iustificationis gratiam, quæ, vt ait Glossa, quamuis sit Dei dantis, est etiam hominis recipientis. Sicut, inquit Gregorius, oramus panem nostrum dari nobis, ita enim noster est, vt detur nobis diuino beneficio.* (*Greg. apud Pined. hic. Gloss. hic.*) Cardinalis Toletus alia via ingreditur, & dicit: *Panis noster dicitur ad differentiam eorum quæ sunt in cœlo, qui non hoc pane vtuntur: aut etiam quia panis hominum cibus proprius est; nõ enim propter alia animalia panis est confectus, sed propter solum hominem.* (*Tolet. hic.*) Omnes hæ ratio-

rationes insignes sunt, & litteræ admodum conformes. Verùm illa docti cuiusdam nostri temporis Episcopi, mirum in modum accomodata mihi videtur: *Panem nostrum quotidianum da nobis, dicimus: & quia dat, veluti si solùm nostrum vocat, quod confert.* dat enim panem veluti debiti solutionem, & non instar doni; atque etiam ea de causa præcipit vt illū à se petamus: nam hoc ipso quo nostris postulationibus obligatur, facit vt id quod suæ erat misericordiæ, iustitia nostra sit: & hæc est ratio, quare panem, quem petimus, nostrum vocemus: *Panem nostrum.*

Villar. commēt. in Iud. c. 6. v. 14. in Commēt.

8. Quærit Christus Dominus noster à Discipulis suis, qualem de se opinionem habeant? *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.* Retulit Christus: *Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Magnus ille Pater sanctus Augustinus audit hoc responsum Saluatoris, illudque cum sancti Petri confessione componens, dicit hæc verba: *Respondit Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui. Tūc ei Dominus ait: Et ego dico tibi: tamquam diceret, Quia tu dixisti: Tu es Christus Filius Dei viui, ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* atque adeò, dicto tuo responsum hoc debes. Quid dicis Domine mi, & Redemptor animæ meæ? Dona quæ sancto Petro confers, debiti obsequij satisfactionem vocas, eiusdemque confessioni Ecclesiæ claues, & Pontificatum deberi dicis? Haud equidem comprehendo. De Deo enim dicere, quod Deus sit, non videtur materia meriti, atque adeò non habent rationē doni quantumuis magna ei promittas; ita quidem; verùm talis est conditio Christi Domini, inquit Augustinus, vt eo quod de iustitia ipsi debetur, obligetur perinde ac si gratia foret quæ ei fieret; & propterea quando munera & gratias Petro confert, dicit se soluere quod debet; perinde ac si fauores, quos ei promittit, non liberalitates ipsius, sed debiti ac obligationum solutiones, & repignerationes forent; hoc est: *Quia tu dixisti: Tu es Christus Filius Dei viui. ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Gratiam tibi non facio, sed quod debeo, soluo.

Matth. 16.

August. serm. 13. de Verb. Domini.

Christus Dominus in horto Gethsemani æternum suum Patrem rogat, vt si fieri possit, à rigida eum morte liberet. In hunc modum omnes sancti Patres intelligunt verba illa: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Diuinus Pater eum non audiuit. Reflectit autem sanctus Paschasius ad conditionem, quam petitioni suæ Saluator apposuit: *Si possibile est.* Et respondet hic sanctus: Domine, Deus meus, fieri non potest, quod petis, quia rem impossibilem petis. Et vnde, quæso, hæc impossibilitas orta est? Respondet autem hic Sanctus: *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei.* Difficilia sanè verba. Quod Sanctus ille dicat, impossibilitatem de bonitate procedere, capio quidem; clara enim, & constans veritas est, Deum pro homine pati, & mori, immensæ bonitatis, & magnæ misericordiæ actū fuisse. *Per suam misericordiam saluos nos fecit,* inquit Paulus. Verùm quomodo esse potest actus iustitiæ? Si Christus per misericordiam patitur, quomodo dicit Paschasius, eum ex iustitia mori? Audite responsionem; nam & meretur. *Et ideò quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat ne nos bonitate sua, suaq; iustitia, & misericordia saluaret.* 9.

Matth. 26.

Pasch. lib. 12. in Matth.

Ad Tit.

*saluaret, quos crearat.* Nam licet verum sit, quod ab vna parte liberalitatis eius fuerit, nos redimere; ab alia tamen iustitiæ fuit, nos saluare, eò quod à Patre mandatum acceptauerit, & sese ad moriendum pro hominibus obligauerit, nō tantùm ab æterno in quantū Deus: *Deus meus volui*; sed etiam in tempore in quantum homo, cùm instituens Sacramentum corporis, & sanguinis sui, in eadem consecratione se moriturum promiserit, & sanguinem suum se effusurum spoponderit: *Quod pro vobis datur: qui pro vobis fundetur.* Igitur iam ipsa mors, non tātùm est opus misericordiæ, verùm etiam iustitiæ, cùm ipse personam suam, & fidem oppignerando, sibi ipsi obligationem imposuerit: adeo vt amor Christi effecerit, vt fuerit iustitia, quod erat misericordia, ne moriendo, instar generosi alicuius non tam liberalitatem exercere, quàm instar obligati debita persoluere videretur: atque ita concludit Paschasius, petitioni locum non esse, nec fieri posse quod prætendit, propter regulam illam, qua dicitur; promissa, debita esse. *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei.*

Luc. 22.

Pasch. lib. 12. in Matth.

10. Modò intelligitur quàm sapienter dixerit sanctus Ambrosius, ponderans Christum Dominum cruci affixum dixisse, *Sitio*; & blandis verbis, quemadmodum hodie à Samaritana, haustū aquæ petijsse. Notat modò dissertissimus Doctor, paulò postquàm Dominus potum expetijt, copiosissimum fontem aquæ, & sanguinis ex latere eius profluxisse. *Et continuò exiuit sanguis, & aqua.* Quid hoc est Domine, & Redemptor mi? Quomodo te tam sitientem exhibes, vt aquam exposcas, si de sacro pectore tuo aquarum venæ prorumpant, & profluant? *Tunc itaque sitiebat*, inquit Ambrosius, *quando de latere suo restinctura sitim omnium viua aquæ fluenta fundebat.* Quasi diceret: Tam copiosè aquam effundendo, cùm ea se indigere monstraret, dedit intelligi, quod licet aquam petierit, non fuerit quia ea caruerit, sed quia se obligare voluerit, & ostendere, quod aqua, quæ eo mortuo, de latere suo profluxit, fuerit illa, qua homines eo viuente in siti ei succurrerant; & quod sanguis, & aqua, quam eis in Baptismo, & Sacramento dabat, (*Exiuit sanguis, & aqua*;) erat illa, quam ab eis acceperat, atque ita soluebat quod ex iustitia eis debebat.

Ioan. 19.

Ambr. supra Psal. 61.

Nescio an docti & curiosi reflexerint ad verba, quibus Apostolus Paulus loquitur de præmio, quod in æterna beatitudine à Deo se accepturum expectat: *De reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Quasi dicat: Tātam in Deo fiduciam habeo, quod me saluabit, vt coronâ, quam Dominus, qui iustus est iudex, mihi redditurus est, iam insignitum, & coronatum me considerem; hæc enim est significatio verbi *Reddet.* Apparet, inquit Angelicus noster Doctor sanctus Thomas, Apostolum contrarium dicere debuisse; nempe, Deum coronam misericordiæ ei daturum, non autem ex iustitia redditurum. Nam, vt ipsemet docet, vita æterna est donum Dei, & gratia eius; & alio loco dicit, totum quod hîc toleratur, non esse dignum gloriâ, quam speramus: *Sed contra, quia vita æterna ex gratia datur*, Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et cap. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Ergo* (concludit sanctus Doctor) *non ex iustitia.* Audite responsionem Angelici Magistri, ipso dignam: *Corona iustitiæ est, quæ datur* ex

11. 2. ad Timoth. 4.

Rom. 6. Rom. 8. S. Thom. in. com. lect. 2.

*ex iustitia, quia datur iustis secundùm opera iusta.* Illa enim Deo offerre, & diuinam Maiestatem eius illa acceptare, idem est ac se hac ratione obligare, & fideiubere ad illa remunerandum. Atque ita bene dicit Paulus, quod Dominus reddet coronam iustitiæ; nam Deus gloriã ei tribuẽns, videtur ei soluere quod debet. & eandem vim habet verbum, *Reddet*; nam Deus, cùm præmium, quod opera meruerunt, tribuit, Domino, quod suum est, reddit. Hinc autem facilè intelligitur ratio, quare Christus à Samaritana aquam ex fonte petierit, cùm gratiam suam ei dare intendebat: voluit enim hac ratione se obligare; vt intelligatur, quod cùm bona sua cõmunicat, non tam gratiam præstet, quàm debita soluat, & obligationibus satisfaciat. *Da mihi bibere.*

---

*Quomodo tu Iudæus cùm sis, &c.*

CONSIDERATIO II.

*Quod perditis & profligatis hominibus admodum proprium sit, propriam conscientiam negligere, & alienæ valdè scrupulosum sese ostendere.*

1. TAntus scrupulus Samaritanæ cum Saluatore colloqui, eique potum porrigere? Ratio, quam sacri Interpretes communiter adferunt, est, quod (prout illa ipsa dixit) lex, & in more positum esset Iudæis; cum Samaritanis nullatenus agere, & Samaritanis cum Iudæis, licet emere, & vendere, licitum foret: atque ita discipuli ad ciuitatem iuerant, vt cibos emerent; & quemadmodum leges humanæ semper magis timentur, & obseruantur à peccatore, quàm diuinæ, timuit hæc mulier pœnam terrestrem, non timendo cœlestem; quandoquidem in peccato suo tam securè conquiesceret. Bene quidem, verùm hodie alia nobis incedendum est via, quæ licet minus trita, tamen multum doctrinæ continet. Atque adeò dico, quod illa admirata Christum Dominum sibi loqui, quem statim ex moribus Iudæum esse agnouit, quasi irridens & exprobans locuta fuit, veluti (docti cuiusdam est cõparatio) veluti cùm perdita quædam mulier, si Religiosus quispiam verbum aliquod, quantumuis honestũ, ei dicat, respondet: Quid mihi de Fratre illo dicis? etiam & ipse loqui vult? Ita modò viso Iudæo scrupulosa est, quia conuersari desiderat. Adeo vt scandalizaretur, eo quod Christus sibi loqueretur; & nullus ei iniectus est scrupulus, eò quod meretrix esset. Proprietas perditæ, & profligatæ gentis, alienæ conscientiæ scrupulo teneri, & propriã negligere; videre festucam in oculis proximorum suorum, & in proprijs trabem non considerare. Pro maiori autem discursûs huius fundamento, suppono doctrinam Chrysostomi satis notam, quod si in alloquio peccatum aliquod fuisset, *Christum cauere oportebat*; ipse Iudæus esset reus, quia Iudæi omne cum Samaritanis commercium refugiebant; hi enim illorum cognationem sat magno honori sibi ducebant: & nihilominus alienam culpeculam notare, & corrigere audet, cùm tamen adeò graues defectus in anima sua contineret; & habebat oculos ad videndum culpas quæ ipsam non concernebant, non autem eas quæ ad ipsam pertinebant. *Chrysost. hic.*

Optimè ad hanc rem facit moralis philosophia sancti Basilij Magni in Hexameron. Dicit hic magnus Doctor quosdam homines oculis, alios 2.

verò

verò Deo admodũ similes esse. Sententia hęc nõ adeò facilis intellectu foret, nisi hic Sanctus suiipsius interpres fuisset: *Oculi*, inquit, *omnia exteriora cùm videant, se ipsos tantùm non vident; sed ipsa mens etiam nostra, peracutè perspiciens alienos errores, tarda est, & cunctatior ad proprios defectus suos cognoscendos; at verò viri suæ salutis amatores, non oculorum, sed Dei, qui semper seipsum intuetur, similitudinem gerunt.* numquam enim à se oculos suos auertunt, nec se alienæ vitæ censurandæ impendunt.

Basil. hom. 9. in Hexamer.

3. Ad classem eorum qui similes sunt oculis, ex sententia S. Gregorij Magni, pertinet Dina, filia Iacob. Egreditur hæc puella ex domo patris sui, ducta curiositate vicinas regiones perlustrandi, & sciendi quid in illis contineretur; eo autem tempore exiuit, quo sat nota infortunia, quæque sacra Scriptura refert, ei acciderunt: *Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidisset Sichem filius Hemor, adamauit eam, rapuit, & dormiuit cum ea, vi opprimens virginem.* Audite modò magni Doctoris verba: *Dina vt videat mulieres alienæ regionis, egreditur, quando vnaquæque anima, sua studia negligens, & actiones alienas curans, extra proprium ordinem vagatur.* Adeò vt Dina figura fuerit illarum animarum, quæ sui oblitæ, alienis actionibus notandis sese impendunt. Bruno Signiniensis discursum hunc admodum subtiliter prosecutus est, aduertens, sacram Scripturam non dicere, quod *Egressa est Dina filia* Iacob, sed *Liæ: Egressa est Dina filia Liæ*; cùm tamen eam nobis indicare & notam facere debuisset per filiam Iacob, cùm ipse magis notus esset omnibus, quàm eius vxor Lia: nec dici potest eam hoc fecisse, vt distingueret inter filios Liæ & Rachelis; quia Rachel nullam filiam habuit, nec Lia aliam quàm Dinam: atque adeò simulatque audiretur nominari Dina, intelligeretur quod illa esset filia, quam Iacob habuit ex Lia. Audite docti Episcopi responsionem: *Dum sic Dina cæcutiens, & ad sua non attendens, alienos mores inquirit, non Iacob, sed Liæ filia dicitur, quam lippis fuisse oculis sacra Scriptura testatur.* Quasi dicat: Non sine magno mysterio Spiritus sanctus Dinam, filiam Liæ vocat, quæ lippis fuit oculis, & distorto visu; quasi docens, ex matre sine oculis, non nisi cæcam filiam nasci posse; cæcam dico, ad seipsam videndam, & proprios defectus cognoscendos, & consequenter ad sese occupandam in aliorum curiosè inspiciendis, & notandis.

Gen. 34.

Chrysost. hic.

Gregor. 3. p. Curæ Pastor.

2.

Brun. Signin. hic.

4. Sacræ Sponsæ in faciem exprobrabant sodales eius, nigram eam esse, & deformem, licet amatam, & magnis fauoribus à Sponso suo præuentam; illa autem respondet eis: *Nigra sum, sed formosa.* Locus hic diuersas habet interpretationes. Modò ad rem facit quædam diligentis cuiusdam moderni interpretis (quem reuereor, vt ille, quique eum imitantur, discant Doctrinæ Sanctorum & sacrorum Interpretum debitum honorem deferre) qui fundatus in doctrina sanctorum Patrum, dicit sponsam esse Ecclesiam, quæ fundata est in Gentilitate; filias verò Sion quæ eam calumniantur, esse Iudæos, qui eam persequi non desistunt: *Illa quidem admittit verum esse quod affirmant, sed dum suum extenuat crimen, eas ingeniosè pungit. Fateor, ait, me commune Numen, Solem nimirum adorasse; indecens quidem hoc & vituperabile, sed ferendum vtcumque. vestra si cum insania conferatur meus error:* quid

Cant. 1.

Sherlog. ant. 5. sect. 4.

*quid enim coluistis? Certè vitulinũ occiput, atqui præceptores habuisti in paucis clarissimos, quibus excelsum, & immortale Numen arcana aperuerat: quotidie ante ora vestra stupendi casus, insolita ostenta: præposuistis dominatori potentissimo Ægyptiorum infandas spurcasq; deitates, & qualia tandem idola?* Cumque tãto minus sit (vestro cõparatum) peccatum meum, non habetis oculos ad vos cognoscendos, & habetis eos vt me denigretis, & iniuriâ afficiatis, dicentes me nigram esse, & tantummodo idoneam vt mancipium efficiar. Hos ego tales ijs comparo, qui bono sunt visu vt eminus prospiciant, cominus autem sine perspicillis nec legere, nec videre possunt: quæ philosophia à paucis intelligitur. Tales profectò sunt peccatores, perspicaces habent oculos vt leuiores aliorum defectus videant, myopes autem sunt, vt ea, quæ per ostium in domum suam

Theodor. serm. 4. transeant, recognoscant. Theodoretus ad hoc propositum adducit de Thalete Milesio, quod cùm stellas aspiciens incederet, in fossam inciderit, & mulier quædam ei dixerit: Nõ vides ea quæ ante, & iuxta te sunt, & videre vis ea quæ in cœlo sunt, & tam longè dissita? Peccatrix Samaritana, non vides quod propè te est, statum adeò periculosum peccati in quo viuis? oblita es defectuũ tuorũ, & eos Diuino Soli imponere vis? *Quomodo tu?* Sed quid mirum (si quempiam sese cognoscere, difficillimum sit quod in mundo reperitur) filios peccati sese ignorare, & suiipsorum obliuisci?

5\. Mysterio plena fuit lex illa Leuitici, qua mandabat Deus, vt aues, quas offerre deberent, occiderent, *retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere facerent sanguinem super crepidinem altaris.* Et doctissimus Abulensis hîc obseruauit, quod confractio colli, vt sanguis decurreret, ferro non fieret, quia nequidem ad alas confringendas illud afferri volebat Deus: *Confringet ascellas eius, & non secabit, nec ferro diuidet eam*; sed aue suspensa vngue pelliculam perfringebant, & eam iugulabant. Rodulphus Flauiacensis; ponderans cęremoniam de retorquendo collo (*Retorto ad collum capite*;) rationẽ quamdam dat, rei nostræ admodũ accommodatam: *Vt quasi corpus suum respicere videatur*; cùm enim auis erecto & eleuato collo, ac superba incedit, nihil magis à visu eius remotum est, quàm proprium ipsius corpus; in reliquas enim aues, quæ cum ipsa gradiuntur, eum detorquet; collum autem retorquendo efficitur, vt oculos suos reflectat, & corpus suum conspiciat. Superbi, & inflati peccatores nihil magis à seipsis remotum habent, quàm seipsos; toti sunt in aliorum defectibus considerandis, proprios non attendentes. Qui verò instar auium Deo in diuino eius Altari sese offerre debẽt, retorquere ad collũ caput debent, inflectere, & inclinare cristam, & à reliquis oculos auertentes, in seipsos eos refigere, plurimos suos defectus, ac peccata agnoscentes. Quamdiu Christus Samaritanæ collum non retorsit, & vitam ac mores suos non dixit, non est recordata eius quod erat; ac sui oblita, transgressæ legis Saluatorem insimulauit.

Leuit. 1. — Abul. hic. — Rodulph. hic.

Rem aliquam notaui in sumptuosa illa Templi Fabrica, quod Salomon Rex ædificauit, & meo quidem iudicio animaduersione dignam. Dicitur enim; *Fecit in Templo fenestras obliquas.* Hoc est, prout in Thesauro suo doctus noster Pagninus declarat, *fenestras intrinsecus apertas, & extrinsecus angustas.* Liceat mihi, Fideles, ad rem 6.

3\. Reg. 6. — Pagnin. in Thes.

nostram

nostram huius loci allegoriam formare. Si ad sanctum Apostolum Paulum recurramus, reperiemus eum dicere, vnumquemque nostrûm esse Templum Dei, in quo ille quiescit, & morari solet: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* vt nos obstringat ad cum omni prudentia, ac circumspectione, & animæ puritate viuendum. Quin Sixtus Pythagoricus, licet Gentilis, veritatem hanc cognouit: *Homo*, inquit, *Dei hospitium, Deus vero eius hospes.* Supposita autem hac doctrina, mysterium architecturæ fenestrarum modò intelligetur. Significauit Spiritus sanctus, qui spiritualis animæ fabricę Architectus est, desiderare Deum in nobis, vt lux fenestrarum, qui sunt oculi, ad interiora animæ, ac voluntatis nostræ imperfectiones, quæ in ea sunt cognoscendo, conijciatur: exteriùs autem, ad alienos defectus intuendos, esse debemus cum fenestris admodum angustis, instar illius qui per vela tenuiter cancellata prospicere solet. Non est hoc quod mundani agunt, nec quod peccatrix hæc fecit; sed potius quanto plura de alijs sciebat, & eorum famæ detrahere volebat, tanto magis suiipsius erat ignara. Samaritanam ego Lanisæ comparabam, de qua fabulosæ antiquorum fictiones commemorant, quòd *oculos in vase habens clausos, domi cæcutiebat; cùm autem è domo exibat, tunc illis vtebatur.* Ita hæc peccatrix, de liminibus versus interiora animæ suæ, talpa erat cæca, quæ ne litteram quidem videbat; verùm quantum ad exteriora, hoc est, ad censurandum Christum, eiusque vitam, & idem foret de reliquis, se totam oculos fecit.

1.Cor.3.

Sixt. Phil.

7. Verumenimverò quantum ab his differunt iusti, quique salutem suam intendunt! de quibus magnus Basilius citatus dixit, illos Deo esse persimiles. Audite Ruperti Abbatis animaduersionem; est enim admodum amœna. Sacra illa animalia, quæ sanctus Ioannes Euangelista vidit, *ante retro, & intus plena erant oculis.* Quod habeant oculos antè, bene quidem, vt securè incedant: quod eosdem habeant retrò, transire etiam potest, ad euitanda pericula quæ accidere possunt. Sed oculos intus, vt quid, vel ad quid? superflui sanè primâ fronte esse videntur. Omnibus hisce oculis indigebant (inquit doctus Tuitiensis;) iustos enim, & amicos Dei significabant, qui toti facti sunt Argi quidam, & omni ex parte obiecti oculis, eosque omnes adhibent, vt ea, quæ intus in se ipsis sunt, videant: *& intus.* nullos verò vt alios intueantur, impendũt. Egregia sunt eius verba: *Pleni sunt oculis viri iusti, retrò videntes quales ex se fuerint; antè, cogitando quales tunc facti sunt per gratiam: intus autem attendunt ad suam propriam originem*, & vilitatem conditionis suæ, in qua multa reperiunt quæ videant, & quæ ponderent, quæ emendent, & poliant.

Apoc.4.

8. Prudens & ingeniosa mihi visa est cogitatio docti cuiusdam moderni, explicantis (quamquam ad aliud institutum) clausulam illam Sermonis de Beatitudinibus, quem in monte prædicauit Saluator: *Beati* (inquit) *qui esuriunt & Sitiũt iustitiam*, id est, virtutẽ: ita enim verbum *Iustitiam*, explicant Chrysostomus, & alij. Ponderat ingeniosus hic Auctor, quod *nemo alijs esurit, alijs nemo sitit, sed sibi esurit, sitit sibi potum aut cibum. Sic virtutes esuriendæ, & sitiendæ sunt, tibi esuri, tibi sanctitatem siti.* Non sequebatur hanc formulam aquatrix Samariæ, imò verò contrarium, cùm tantummodo alijs esuriret, & sitiret, & præcipuè Saluatori; quando-

Matth.5.

Chrysost. hic.

Cel. com. in Iudith c.9. vers. 3. §.16.

quandoquidem eum ita reformatum volebat, vt ne quidem secum loquendo, legem infringeret: præstitisset magis vt esurisset & situisset sibi, & profanam vitam suam reformasset, & diuinorum mandatorum magis obseruans fuisset, & seipsam considerasset, & cognouisset; cumque vita eius tot peccatis esset obnoxia, aliorum vitas zelare, ac censurare non præsumpsisset.

9. Certum est vnã ex magni momenti rebus ad perfectionem Christianam esse, vt vnusquisq; sibi, & ijs quæ personã suã concernunt attendat; & vt talem eam nos docuit, & commendauit nobis Cœlestis Magister: *Attendite vobis,* inquit ille per sanctum Lucam. (Luc. 17.) Audit eum S. Petrus Chrysologus, & super duobus hisce verbis disertè discurrit: (Chrysol. serm. 39) *Ille attendit sibi, qui non alienis actibus, importunus, imprudens, curiosus intendit: Attendite, inquit, vobis; vagus oculus, lasciuus intuitus, improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas, alienos currit, & decurrit ad lapsus: sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum suorũ nescius, alienorum est accusator, & testis: suum tepidus ad reatũ, ad alterius & innocentis flammatur, & excandescit examen; & ne multis, sicut dixit Dominus: Oculus in se trabem non videns, videt in alio festucam.* De Samaritana locutus fuisse videtur S. Archiepiscopus Rauennas, atque adeò facilè est hunc locum ei accommodare.

10. Plurimum itaque refert, quemque sibi attendere, & in hac re, Samaritanæ, propriæ tam oblitæ quantum de aliena obligatione sollicitæ, gressibus non insistere. Non considerauit vitreũ tectum se habere: si enim hoc aduertisset, fortassis in vicini sui tectum lapides non proiecisset. Sale cõdita fuit reprehensio illa, quam Xenophon cuidam dedit in foro existenti, & publicè alienas res diuinanti; cuique, interea dum huic rei vacaret, furati sunt fures, & abstulerunt quidquid domi suæ habebat. Sciuit hoc Philosophus, eiq; (Xenoph. Philosop.) iocosa & faceta hæc verba dixit: *Heus stulte, cùm alienarum prædictiones profiterere, cur tuas negligebas?* Turpe sanè vitium, & fœda stultitia, ad seipsum nõ reflectere, & aliorum curam gerere: fures non videre qui animam auferant, & diuite virtutum supellectile spoliant, & alienæ vitæ zelosum esse; denique instar Samaritanæ audere actiones Christi notare, non considerando, peccatorum sentinam se esse. *Quomodo tu, &c.*

---

## *Quomodo tu Iudæus, &c.*

## CONSIDERATIO III.

*Quod hæc mulier in speciem tam scrupulosa, & in moribus tam perfecta, effigies sit multorum peccatorum, qui cùm reipsa mali sint, volunt exterius boni videri.*

VVlnus hoc est, quo per peccata nostra mundus plenus est, quodque sua ætate gloriosus Pater sanctus Bernardus lugebat; considerans enim hic sanctus, Christum Dominum nostrum, cùm esset Deus, se nobis ita occultasse & depressisse, vt peccator reputari, & instar vnius illorum circumcidi voluerit, legi isti minimè subiectus, dicit hæc verba: (Bern. ser. 1. de Circ.) *Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari; nos & esse volumus & nolumus æstimari.* Error profectò vnde multæ animæ pereunt, quemque, vt videtur, à primo nostro parente Adamo hæreditauimus.

Deus

Genes.3. Deus & Dominus noster à tristi Adamo quærit: *Adam vbi es?* Sed quid? Tu Domine eum non vides? Nónne oculis tuis profundissimæ abyssus, & maximè reconditi sinus maris, ac etiam secretissima cordium patent? *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, & nihil est inuisibile in conspectu eius*, dixit Apostolus vester. Ita quidem. Sed amore eum voluit (inquit S. Ambrosius) summæ infelicitatis, & miserandi status ad quem culpâ suâ deuenerat, priuans se bonis gratiæ quæ possidebat, & propterea tam acriter eum reprehendit: *Quid est ergo: Adam vbi es? Non in quo, sed in quibus est: non ergo interrogatio est, sed increpatio.* Verùm mea nunc ponderatio procedit. Nónne Adam pœnitentis habitu iam erat indutus? *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* hoc enim propter asperitatem suam, significabant folia ficus, prout notat sanctus Irenæus: *Per succinctorium quod sibi Adamus circumdedit, ipso facto ostendit suam pœnitentiam, folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent.* Quomodo igitur sanctus Ambrosius dicit, quod Deus eum reprehenderit, quandoquidem à peccatore amplius non velit, quàm contritionem de peccato suo? Declarat se hic sanctus per verba quæ adiungit: *Quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antè quærebas?* Quamquam enim pœnitentis speciem exterius exhiberet; tamen abscondendo se, interius se peccatorem esse monstrabat, quia peccatum suum Deo occultare voluit: atque ita fit, vt reprehensio, quam Deus ei dedit, fuerit, quia duas res tam oppositas, quales sunt pœnitentiæ species, & delicti sui occultatio, compingere voluit; & vt clariùs dicamus, quia occultè peccator existens, bonus videri voluit.

Ad Heb. 4.

Ambr. lib. de Parad. c. 14.

Iren. lib. 3. c. 37.

2. Propheta Samuel Sauli peccatum suum obiecit, quo mandato Dei rebellis fuerat; quandoquidem, cùm ei mandasset, vt iret contra Amalecitas, eosque ac pecorum greges gladio perimeret; ipse tamen Regi, ac optimis gregibus ouium, & armentorum pepercerit, sibiq; meliores oues, ac pinguiora armenta reseruauerit. Cùm autem de hisce Propheta eum accusaret, excusare se cœpit, bonâ suâ intentione se iuuans, & asseuerans se in omnibus quæ fecerat, non nisi Dei obsequium intendisse. Replicuit ei Propheta: conuictum se vidit Saul, culpam suam confessus est, dicit se inobediendo grauiter peccasse. Verumtamen verba, quibus hoc egit, considerate: *Peccaui, sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël.* Considerat eum gloriosus sanctus Bernardus extra gratiam Dei, in statu peccati mortalis, & impœnitentem; eò quòd ipsum *Peccaui* tantummodo oris, non autem cordis fuerit, & de honore suo, vtque ab hominibus æstimaretur, plurimum sollicitum; & eius verba audiēs, hæc alia ei dicit: *Ad quid tibi hæc honoratio miser?* si extra Dei gratiam constitutus sis? Si inimicus sis Dei, quid refert te ab hominibus bonum æstimari? Verùm prauos peccatorum gressus sequeris, qui cùm mali sint, exterius iusti apparere volunt. Idem, licet pluribus verbis, dixit sanctus Gregorius Magnus: *Saul obedire Deo refugiens, perdere Regnum timens, quid aliud nobis, quàm superborum mores insinuat, qui cùm praualent, videri parui haud peccatores vitant; cùm coguntur, humilitatis virtutem simulant.*

1. Reg. 15.

Greg. hic.

Et quidem hoc semen in mundo tam est antiquum, vt tempore legis naturæ

naturæ de eo conquestus fuerit Deus; prout etiam æstimabat eos qui ab hac peste liberi erant. Ponderatione dignum est, quod in tanta hominum multitudine, non inuenerit Deus alium iustum, quàm Patriarcham Noë, eo tempore quo ipse viuebat. Insignis noster Oleaster (prout alio loco ponderamus) in hunc sensum explicat verba illa, quæ Deus ei dixit: *Te vidi iustum coram me*: inter omnes scilicet homines: *Perpende, quanta sit illius sæculi malitia, quando in toto orbe vnica domus, quæ iustitiam coleret, inueniebatur*, inquit Oleaster. Sed cum insigni Abulense ad vltima illa verba reflectamus: *Coram me*, inquit Dominus. Verùm quænam hæc Noë excellentia? An non omnes iusti id sunt ante Deum? Quomodo igitur pro singulari eius laude hoc dicitur? Dissoluit hoc dubium hic Doctor: *Coram me, id est, aliqui alij licet viderentur iusti in exteriori apparentia, tamen coram me non erant iusti, quia præcordia plena dolo*. Parum curabant boni esse, & omnem conatum adhibebant, vt tales viderentur.

Genes.6. Oleast. hic. Abul. hic.

4\. Quàm diuersa via ingrediuntur serui Dei, per Noë significati! Notum est omnibus, quid castæ & innocenti Susannæ acciderit, quomodo falso lasciuorum ac profligatorum illorum senum testimonio morti adiudicata fuerit. Consuluit Deus honori eius, eamque saluam eduxit. Infinitas gratias, pro beneficio ei præstito, populus reddidit: ac publicis acclamationibus & triumphis innocētiam eius celebrarunt, & honestati ac puritati eius applauserūt. Notat verò sacer Historiographus, quod *Helchias, & vxor eius, laudauerūt Deū pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius, & cognatis omnibus, quia non esset inuenta in ea res turpis*. Audite modò summum Scripturarum interpretem gloriosum S. Hieronymum. *Dignè quasi sancti laudant Deum, non quia liberata est de manu Presbyterorum (hoc enim nō satis laudabile est, nec magni discriminis, si non esset liberata;) sed quia non esset inuenta in ea res turpis*. Quasi dicat: Susannæ parentes proculdubio sancti erant, quia non exteriorem honorem mundi, sed interiorem animæ puritatem æstimauerunt. Duo in Susanna concurrerunt: Primum lapidari, & apud omnes notos infamari; alterum de adulterio conuictam non fuisse, nec Deum offendisse: primum erat in ordine ad iudicium humanum; alterum in ordine ad iustitiam Dei; vnū ad oculos humanos, alterum verò ad diuinos; illius autem obliuiscuntur, propter hoc verò Deum laudant. Nam prout erant iusti, non tam curabant vt benè, vel malè apud homines audiret, quàm vt à Deo fauore ac beneficio affectā viderent. Non sunt instar malorū, qui cùm reipsa tales sint, exteriùs boni videri volūt; sed interiùs boni esse conantur, quamquam exteriùs (sine causa) tales non habeantur.

Dan.9. Hier. hic. Theoph. hic.

6\. Misit Deus Prophetam Ionam, vt prædicaret in Niniue: fugere decreuit, atque euadere, propter rationem, quam postmodum expendemus. Vt intentionem suam executioni mandaret, inuenit nauem quæ ibat in Tharsis, & hanc bonam occasionem ratus, *dedit naulum eius, & descendit in eam*. Exorta est subitò horribilis tempestas, in summo perditionis periculo sese deprehenderunt, & Ionas, inquit sacer textus, *dormiebat sopore graui*. Hîc obsecro animaduertite. In mari eum conijciunt, serenum factum est cœlū, vndæ trāquillæ, sedata tēpestas; liberat Deus Ionam; sapientior factus itineri se commisit, peruenit in Niniue, prædicat,

Ion.1. 6. Luc.19.

dicat, conuertuntur, pœnitentiam de peccatis suis agunt, comminato supplicio manum Deus subducit, & furoris sui gladium in vaginam recondit. Ionas ad orationem se componit, & dicit: *Et nũc Domine tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.* Quid hoc est, Propheta sancte? inquit Theophylactus, viator, & naufragium patiens, securus somnum tuum dormis, cùm tamen grauiter peccaueris, & Deo inobediens exstiteris, & mortem nõ desideras: iam verò, cùm à periculis, in quibus paulò antè fuisti, te liberum cõspicis, & missionem tuã perfecisti, rogas Deum vt vitam tibi adimat? Hoccinè est quod tibi iam conuenit? Haud equidem capio. Verùm, & meo quidem iudicio intentionem eius assequor, inquit citatus Auctor: *Mœrore afficitur Ionas, quia periculum erat, ne ipse mẽdax putaretur, quiq; seu præstigiator aliquis frustrà turbauerit, non ex ore Domini locutus.* (Theoph. hic.) quasi diceret: Cùm Ionas esset in peccato, non affligebatur, quia soli Deo illud cognitum erat; iam verò cùm prædicationis suæ effectum videt, timet ne mendacem existiment, vel impostorem esse dicant, qui falsis nouis timorem incussurus venerit, non autem quia Deus ei mandauerit; magisque sensit Propheta inter homines fidem amisisse, quàm Deum grauiter offendisse; erat, procul dubio, de numero eorum, qui licet sint mali, tamen boni videri volunt, & desiderant.

6. Vsurarius quidam erat nomine Zachæus, inquit sanctus Lucas, qui magno desiderio tenebatur videndi Christum Redemptorem nostrum; erat autem pusillus staturâ, vtque eum videre posset, ascẽdit in arborem; Christus verò hoc videns, dixit ei: *Zachæe festinans descende.* Quid necesse est Domine? *Si bene ascenderat, quare ei dicitur, Descende?* Scio sacros Interpretes diuersas rationes adferre; sed S. Petri Chrysologi (licet ad aliud institutum iam prædicata) ad rem nostram omnibus alijs præstat: *Antè Zachæus ascendit arborem, quàm crucem Dominator ascenderet; hinc est quod dicitur ei: Festinans descende.* quasi diceret ingeniosus hic sanctus: Hæc arbor symbolum erat crucis, & Zachæus ei insistens, crucifixi figuram referebat, ideoque Christus ei mandat, vt descendat. Nihilominus remanet dubium; Nónne nos omnes docet, & hortatur Saluator: *Si quis vult venire post me, &c. tollat crucem suam, & sequatur me?* Quare igitur non patitur Publicanum hunc, crucifixum agere? Audite; nam & tacenti respondet hic Sanctus: *Descende ergo vt deponas tanta fraudis onera, &c. atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas.* Quasi dicat: Non conuenit vt crucem subeat, & crucifixus videatur, qui talis non est, quantũ ad res temporales, & lucra ac commoda vitæ huius: relinque fraudes, & vsuras, scholam Christi ingredere, & verus discipulus eius sis, imitare virtutes eius, & totis viribus, crucifixi vitam degens, ad Christianam perfectionem aspirare contende; & tum demum tibi permittam, vt crucem conscendas, & quod reuerà es, appareas. Nam in cruce positum esse, & ostendere ac simulare sanctum te esse, & mortificati vitam agere, & interim vsurarij, & Publicani exercere, hoc quidem in mundo fieri solet; verùm in domo Dei non permittitur.

(Luc. 19. — Chrysol. — Luc. 9.)

In parabola illa Regis, qui multos 7.
inuitauit ad nuptias filij sui, dicitur, Matth. 22.
quod cùm omnes mensæ accumberent, intrauerit in cœnaculum ipse Chrysost. hic.
Rex, vt videret discumbentes, vt Deus

qui est ipse Rex, de quo parabola loquitur, vel in Ecclesia sua, vti S. Chrysostomus dicit, virtutem vniuscuiusque probaret, & examinaret, an quisq; dignus sit loco, quē obtinet; vel, pro-
Hieron. hic. vt sanctus Hieronymus dicit, cùm ad iudicium veniet, daturus vnicuique præmium, aut supplicium quod meretur; inter inuitatos verò inuenit hominem indebitè vestitum, & dicit ei: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem*? vel quia moris erat certo genere vestitûs in nuptijs vti, prout notat magnus Pater sanctus Augustinus, vel quia ordinarium est pretiosioribus, quàm ordinariè soleat, vestibus tunc indui. Interim reipsa in carcerem eum coniecit: *Mittite in tenebras exteriores.* Veniamus porrò ad rem cuius nostra interest, vt cum ea discursui nostro coronidem imponamus. Si Rex mandauerit, vt pauperes, ac debiles, cœci, & claudi intrarent, quid mirum sine veste nuptiali vnū, & plures reperiri? quin potiùs miraculi instar est, aliquē cum veste nuptiali nuptijs interesse, cùm ornatus talium laceræ vestes esse soleant. Per vestem nuptialem omnes Ecclesiæ Doctores communiter intelligūt charitatem. Quemadmodum enim rationi cōsentaneum est, vt inuitatus ad nuptias, vestitum adducat tali loco dignum; ita æquum quoque est, vt qui per fidem ad Ecclesiam venit, opera & vitam exerceat dignam religioni quam profitetur. Subtiliter modò aduertit Sanctus Am-
Ambros. serm. 14. brosius: Hic homo nónne antea incompositus erat, impurus, & p... cator? Ita sanè. Quare igitur Rex in eum tunc non animaduertit, & in carcerem eum conijci præcepit? Respondet sanctus Doctor, quod licet tunc esset malus; iam tamen in consortio iustorum sanctitatem simulans, peior, & intolerabilior erat, ac maiori pœnā dignus; quia cùm esset malus, charitate nimirū destitutus; tamen ratione loci in quo erat, apparebat bonus, & omnibus talem se esse indicabat: *Ligatus in tenebras expellitur, non solùm quod peccator esset, sed quia cùm peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicauit.* In ipso, quemadmodum & in Samaritana, peccatores nobis exhibentur, qui cùm reipsa mali sint, exterius boni apparere volunt, quæ suprema est malitia: *Quomodo tu Iudæus, &c.*

---

*Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet iterum, &c. Domine da mihi hanc aquam.*

## Consideratio IV.

*Quod vt Deus gratiæ suæ thesauros liberaliter nobis tribuat, & voluntatem nostram suauiter sibi acquirat, inclinationis nostræ habitu sese induat.*

Sancti Ioannis Chrysostomi Concionatorum Patris est hic discur- 1.
sus, qui considerans Christum Dominum nostrum Samaritanæ aquam offerentem, & non qualemcumque, sed aquam viuam, de qua qui biberit, non sitiet in æternum; quærit: *Cur tam* Chrysost. hic.
*multa dixit Dominus de aqua, & fonte?* Et respondet: *Quia nulla poterat esse conuenientior disputatio cum muliere, circa aquam & puteum satagente.* Illa enim aquam haustura ad fontem veniebat, idque in more positum habebat, & fortasse, tamquam pauper, hac ratione sese sustentabat. Quid igitur egit Saluator? sermonem & colloquium mulieris genio accommodauit, vt tanto faciliùs ei persuaderet, quod vellet; eius nimirum conuer-

uersionem, & errantis vitæ correctionem. Eapropter bona gratiæ nomine aquæ ei exhibuit, vt si vellet, proprio commodo allecta, ea desideraret, & expeteret, prout reipsa euenit: *Domine da mihi hanc aquam.*

2. Mandauit Deus Gedeoni, vt Ducem populi sui ageret, cumque generoso ac forti huic Duci negotium graue videretur, noluit leuiter credere: *Da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me.* Iud. 6. Licet enim excessus videatur, cum Deo contendere, ab eoq; experimentum aliquod in probationem expetere; annuere tamen noluit nisi eius assecurationem haberet. Credo equidem, (ait ipse Angelo nuntium deferenti) sed cum Deo haud graue sit; *ponā hoc vellus in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël. Et factum est ita.* Verùm hoc mihi non sufficit, inquit Gedeon, sed volo vt hac nocte contrarium fiat. Sit prout volueris, inquit Angelus. Gloriosus sanctus Hieronymus, locum hunc expendens, quærit, quare hæc potiùs, quam alia signa petierit, & elegerit Gedeon, vt de felici successu, quem ex parte Dei ei promiserat Angelus, certum se redderet; & quare Deus, signum quod petebat, ei quoque concesserit; quandoquidem alia mirabiliora, quæque potentiam, & maiestatem eius magis indicarent, dare potuerit, vt ei, quod vellet, persuaderet? Et respondet, Deum hac ratione melius quàm vllâ aliâ, potuisse consequi quod intendebat, eò quòd signa Gedeonis ingenio, & exercitio agriculturæ, cui deditus erat, & ministerio de quo agebat, proportionata forent; cùm certum sit, quod aqua, oues, area & vellus, libri sint quibus studet agricola, & ad quæ sua inclinatione fertur: *Conuenientissimè Gedeon petijt, & Deus in his rebus signum exhibuit; quoniam hæc sunt quæ tractat agricola, aream, vellus, pluuias conuenientes, aut disconuenientes segetibus.* Hieron. hic. Voluit Deus gratiam suam dare Gedeoni, & ad populum suum regendum, vincēdum & triumphos de inimicis referendum, vires & animos addere; expediebat eum disponere, & idoneum facere ad recipienda dona quæ in eum conferre volebat: fieri hoc debet Gedeone verbis Angeli consentiente, & diuinis promissionibus fidem præbente. Deus itaque signa ei dedit, ex agro, & agricultura desumpta, vsui & negotiationi eius accommodata; illa enim via suis eum fauoribus capacem reddet. Non videtis quomodo Deus moribus, & inclinationibus nostris sese accommodet, vt maiori suauitate ei seruiamus, & cælestia sua dona, & suprema beneficia nobis communicet?

Chrysost. hic.

3. Insignis noster Oleaster promissiones illas expendit, quas sanctus Propheta Moyses, iam moriturus, ex parte Dei ijs fecit qui legem eius custodirent. *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias & custodias omnia mandata eius. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedicta horrea tua: emittet Dominus benedictionem super cellaria tua.* Deut. 28. Quid hoc est Deus, & Domine vitæ meæ? vt populus tuus legem tuam accuratè obseruet, bonorum temporalium abundantiam ei promittis? haud equidem comprehendo. Quod tu Domine intendis, nónne est vt tibi seruiat, & te amet, & opera gratiæ tuæ digna, & vitæ æternæ meritoria efficiat? Ita quidē. Illa itaq; est quā conuenienter ei promittere deberes; illud enim præmium est, quod similibus operibus dare soles, non autem bona terrena. Haud equidem intelligitis, inquit Olea-

Oleaster hic. Oleaster: *Nouit ipse figmentum nostrum, allicit nos his temporalibus, vt per ea nos ad æterna manuducat.* Sciebat Deus populi huius infirmitatem, & quantopere diuitijs, ac temporalibus rebus vitæ huius esset affixus; errore ac defectu suo illum ducit, & ingenio ac inclinationi illius sese accommodat, bona cœli promissionibus bonorum terrestrium obuelans, vt eo hac esca irretito ac sustentato, cœli bona ei melius communicare possit. Videte vt leges Dei custodiatis, & sancti sitis: ipse enim bonis & diuitijs vos replebit; adeò vt non sit quod vltrà desideretis. Hoc est quod ipsa verba sonant: verùm Dei intentio est, bona gratiæ hac via ad domos eorum deducere. O quàm bonam aquam, si eam velis, tibi dabo, inquit Samaritanæ, quæ aquam quærebat, & eam hauriendo viuebat, vt illo medio eam conuerteret, & cœlestibus aquis eam repleret, aquis indeficientibus vitæ æternæ.

4. Quàm obsequiosè, & instanter vrsit Moyses Hobab, filium Raguelis Madianitæ, cognatum suum! *Proficiscimur* Num. 10. *ad locum, quem Dominus daturus est nobis: noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.* Quid hoc est? inquit famosus Oleaster, quomodo Moyses tantas conditiones, quæque tam benè ei conueniunt, Hobab cognato suo offert? Dicit eum versatum in situ, natura, & semitis regionis, ducem, ac præfectum suum eum creat, fatetur eius fauore se indigere, promittit meliora omnia eorum quæ Deus suis promiserat: *Cumq; nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit, ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. Putásne huius* Oleast. hic. *viri opera indiguisse qui columnam nubis & ignis, & Deum ipsum ductorem habebat? Minimè gentium.* Quæ igitur ratio eum permouit, vt tanta, eaque summa ciuilitate cum ipso ageret? *Quia timebat ne à populo fidelium discedens, facilè ad Paganismum reduceretur, eius ope indigere monstrauit.* Intelligebat namque Moyses hominis illius salutem in eo consistere, vt à sui, & reliquorum Fidelium consortio non seiungeretur; eò quòd simulatque se relinqueret, (vel amore patriæ obstrictus, vel bonorum, quæ in illa possidebat, cupiditate ductus,) ad idololatriam iterum reuerteretur: vtque tantum inconueniens euitaret, iudicabat suaue medium fore ad ei persuadendum, ne recederet, errore suo eum ducere, & præsumptioni eius se conformando, honores ei offerre, eiusque cupiditati sese accommodando, diuitias promittere, vt hoc medio, inter veri Dei cultores viuens, talis quoque & ipse foret & instar illorum eum crederet, & adoraret; adeò, vt sanctus vir conditioni eius se adaptás, cœlum in domum eius intrauerit. Hæc omnia licet clariùs, dixit Rupertus Rup. de Abbas, & verba eius sunt admodum Tripit. diserta: *Prouidens vir elato auditori* & operib. eius *colloquens, solatium petijt vt daret: Ducem* c. 28. *requirebat in via, vt dux ei fieret ad vitam.*

5. Submittebat Deus ingrato populo suo Angelorum panem, è cœlo suauissimum illud Manna eis depluebat, cibum Aulicorum suorum manibus præparatum & conditum, tam deliciosum & sapidum, vt in eo quod quisque appeteret, degustaret: *Panem* Psal. 77. *de cœlo manducauit homo, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Magnus Pater sanctus Augustinus, per cœlestem hunc cibum, diuinum verbum, spirituale animarum nostrarum alimentum, intelligit:

git: *Istud Manna prout vult quisque, talem saporem sapit.* idque probat hic sanctus, eò quòd Christus Dominus cœcis, qui sanitatem ab eo poscebant, respondit: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* quoniam talem dulcedinem in verbis eius sentire poterant, qualis foret dispositio quam attulissent; prosequitur sanctus his verbis: *Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, & tota deuotione suscipias, fiet, tibi ipsum verbum quodcumque desideras; verbi gratia, si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies,* Psalm. 50. *Si lætaris, prosperè cumulat tibi gaudia, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti,* Psalm. 31. *Si iracundus es, mitigat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos,* Psalm. 102. *Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem,* Psalm. 112. *Sic ergo Manna verbi Dei, reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris;* ita nimirum Deo infinitâ bonitate suâ ordinante, vt nos mutuò saltem propter bona quæ nobis promittit ad illud cōseruādum nos animemus; quamquam principalis finis, quem in eo habet, sit, vt omnes, mediante diuinorum suorum mandatorum obseruatione, saluemur.

*Sapient. 16.* *Matt. 9.* *August. ser. 91. de temp.* *Psal. 50.* *Psal. 31.* *Psal. 101.* *Psal. 112.*

6. Quàm nauseabundum se ostendit Deus, super multitudine sacrificiorum boum, & ouium, quæ illi populus suus offerebat: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum; dicit Dominus? Plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinē vitulorum, & agnorū & hircorum nolui.* Quid hoc est Deus, & Domine mi? Quomodo abhorres sacrificia, quæ tibi offerri præcepisti? *Quia populus, qui longa per tempora vitam in Ægypto transegerat, dæmonibus sacrificare didicerat, permisit Deus sacrificia, vt illum ab hoc nefando dæmonum cultu vendicaret;* dixit prudenter doctus Theodoretus. Desiderabat enim Deus populum suum reducere, & ad verum cultum attrahere; sed quoniam eo tempore quo in Ægypto degit, Gentilium idolis sacrificare didicerat, modò (quamuis in sui iniuriam) sacrificia permittit, vt videat, an moribus eorum se accommodans, eos faciliùs ad se attrahere possit: vt cum saluet, cum inclinationibus eius dissimulat eiq; dicit, vt sibi sacrificet, supposito quod isti rei assuefactus sit, vt eum hac ratione de voluntate sua certiorem reddere, & fauores ac gratias suas ei melius communicare possit.

*Isaiæ 1.* *Theodor. q. in Leuit.*

7. Prædicauit Christus Dominus per sanctum Lucam: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Magna, & grata hæc noua auaris, & cupidis, inquit sanctus Petrus Chrysologus: verùm difficultas quædam huic sancto Doctori se offert. Vsque modò, Christe IESV prædicasti, & persuasisti diuitiarum, & rerum temporalium contemptum, vt de cœlo securos reddas; modò verò thesauros facere, pecunias corradere, & asseruare doces? Minimè sanè te intelligo. Verumtamen ad doctrinam hanc sanctus ille reflectit, & sententiosa hæc verba profert: *Ecce auaritiam docet, qui cœperat persuadere contemptum.* Amor Dei incitare debuisset homines, vt terrena omnia à se penitus abijcerent: iam verò cùm tā cupidi sint & auari, & thesaurizare aueant, volo vt bonorum cœli auidi sint, vt ibidem thesauros suos reponentes, etiam amor, & affectus illos sequantur. *O Domine, adeò imputribiles in cœlo sacculos vis parari, vt qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem*

*Luc. 12.* *Chrysol. serm. 27.*

*tem sacculos suos.* Cùm enim homines gaudijs, honoribus, & diuitijs se tam facilè abduci sinant; per hæc ipsa media eos ad cœlum deducere voluit Deus, eosque obstringere vt ibidem affectum, & amorem suum defigant, cùm hæc omnia ibidem multò meliora futura sint: gaudium quidem: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*; honores: *Honorificabit eum Pater meus*; diuitijs; *Facite vobis sacculos.*

Ioan. 16.

Ioan. 17.

8. Admodum nota est omnibus parabola illa, quam Saluator docuit de homine diuite, qui peregrè proficiscens, seruis suis bona sua tradidit, vni quidem decem talenta, alij verò duo, alij verò vnum: duo primi cum suis negotiati sunt, & talenta sua duplicarunt; qui verò vnum accepit, profectum nullum fecit, nec quidquam diligentiæ adhibuit, vt aliud cum illo lucraretur. Post multum verò temporis venit Dominus, Christus scilicet Redēptor noster, à seruis suis, de bonis eis concreditis, rationē exacturus (hoc est in iudicio vniuersali, prout aliqui volunt, vel in particulari, prout alij dicunt) omissis particularibus circumstantijs, quæ ad rem nostram non faciunt, mandauit Dominus, vt à seruo, qui cum talento suo negotiatus non fuerat, illud auferrent, & darēt illi, qui decem habebat: *Tollite itaque ab eo talentum, & dāte ei qui habet decem talēta.* Hoc eueniet (secundùm communem sanctorum Patrum sententiā) in iudicio vniuersali, cùm Dominus ab vnoquoque strictam negotiationis rationē exiget, & iustos æternâ gloriâ beabit. Verùm occurrit hîc subtiliter, vt solet, doctissimus noster Caietanus, & Domini verba expendit: *Tollite ab eo talentum & date ei qui habet centū talēta.* Quorsum Domine? Iam enim non est locus negotiationi, iam non est tempus laboris; cum vita enim merendi forum desijt. Verum quidem est, inquit ingeniosus Cardinalis; tamen, *Tollite non quoad vsum, quia non est amplius tempus meriti, sed quoad gaudium.* adeò, vt in die illa Beatis magna vis pecuniæ danda sit. Et verò cui rei ipsis seruiet, aut cui impēdent? quandoquidē iustis nihil tum deerit, in possessione gloriæ, & bonorum omnium aggregatione? Propterea quoq; non datur ad vsum, sed ad gaudium; adeò vt ad beatitudinis oblectamentum significandum, dicat tantum esse eius gaudium, ac si pecunias iusti reciperent, nomen hoc gloriæ attribuens: *Facite vobis sacculos, date ei talentū.* vt cùm homo tam amicus, & auidus sit pecuniarum, si velit, commodo ac lucro allectus, ad laborem se excitet vt præmium consequatur, & reipsa auarus & cupidus sit: nam vt talis, propter cœli bona, vtpote excellentiora, & maioris præmij, seipsū cōsumet, & perdet. Et meritò; hominē enim natura sua cupidum, desiderium quod habet acquirendi, & coaseruandi diuitias, licet multo labore ei constet, ad eas ambiendas, & conquirendas perducet: atque ita quod necessitas remedij ab illis obtinere non poterit, thesauri cupiditas facilè reddet. Condescendamus itaq; (inquit Deus) infirmitati eius, vt ad salutem faciliùs eum perducere possimus.

Matth. 25.

Caiet. hîc.

Cùm beatus Angelus felici illa nascentis Saluatoris nocte, læta nuntia pastoribus detulit, sancto Luca teste, dixit hæc verba: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.* cumque cœlestis Legatus dictorum suorum veritatem probare eis vellet, signa adiunxit, & dixit: *Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, &* 9.

*positum*

*poſitum in præſepio.* Subſiſte Angele ſupreme, vt quid hominibus illis non dicis: *Inuenietis ſapientiam Patris, aulam regiam Dei, Angelorum plenam, & theſaurum diuinitatis abſconditũ?* quærit Landulphus Carthuſianus, ſed infantem tenerum, qui ſimplicitatem denotat, reclinatum in præſepio, humilitatis ſymbolum, pannis inuolutum, ſpecimen paupertatis? Hæccinè ſigna ſunt ad cognoſcēdum Deũ? Audite reſponſionem contemplatiui huius Doctoris, quæ egregiè diſcurſum noſtrum confirmat: *Ideò ſic locutus eſt Angelus, quia paſtores erant ſimplices, humiles, & pauperes; vnde ne timerent accedere, aut dubitarent credere, datum deſuper illis eſt ſignum, ſuis moribus conforme, infantia ſcilicet, humilitatis, & paupertatis;* vt hac ratione tãto facilius diuinum infantem inuenirent, eumque pro Saluatore ſuo agnoſcerent. Ex omnibus iam dictis abundè probatur noſtrum aſſumptum, Deum ſcilicet noſtris inclinationibus ſeſe accommodare, vt tanto facilius voluntates noſtras ſibi conciliet, & gratiæ ſuæ theſauros nobis communicet; quocirca cum Samaritana, quæ aquam quærebat, de eadem agit: *Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c. Domine da mihi hanc aquam.*

---

*Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus.*

### Consideratio V.

*Quod grauiora, & maiori pœna digna ſint peccata illorum, qui cùm multo tempore in ſtatu gratiæ vixerint, in ſtatum peccati ſeſe præcipitant.*

1. TAnto aquæ illius deſiderio Saluatoris verba Samaritanam affecerunt, vt theſauri, qui ſub nomine hoc latebat, licet ignara, anxia tamen, & ſolicita dixerit: *Domine, da mihi hanc aquam,* credens (vt apparet) tantæ virtutis eam eſſe, quam Chriſtus promittebat, vt eam à labore eundi, & ad fontem veniendi liberaret. Si velis (inquit Chriſtus) de aqua hac, voca virum tuum: *Domine, virum non habeo.* Scio equidem; quinque enim viros habuiſti, & quem modò habes, non eſt tuus vir. Quaſi diceret: Sat magnum fuit infortunium tuum, cùm poſtquam tot annis in Dei ſeruitio vixeris, & petiori vitæ tuæ parte coniugata fueris, eò tandem deueneris, vt dæmoni ſeruias, & publicè meretricium exerceas. Neque enim maius malum eſſe poteſt, quàm vt cùm quis bonus fuerit, via perfectionis excidat, & alijs admodum malis peior exiſtat.

Videtur hoc mulieri huic Samaritanæ hæreditarium fuiſſe: & ne ſine fundamento loqui videar, Sacras Litteras adeamus, in illis enim hoc reperiemus. *Duas gentes* (inquit Spiritus ſanctus capite penultimo Eccleſiaſtici) *odit anima mea, tertia autem non eſt gens, quam oderim.* Scio bonos interpretes explicare, tertiam hanc gentem, non eſſe, quam Deus oderit. Optima, meo iudicio, loci illius intelligentia, eſt doctiſſimi Lyrani: *Tertia non eſt gens alia aliqua quam oderim, tantum quàm ipſam.* Id eſt, duas gentes odit anima mea, verùm vna gens eſt, quam tantoperè odi, vt nulla res in mundo ſit quæ ei aſſimiletur. Tota difficultas huius loci conſiſtit in probando, quænam ſit tertia hæc gens, quam Deus tam incomparabiliter odit. Sacræ Scripturæ interpretes in diuerſas vias abeunt: ſed inter omnes Lyranus appoſitè ad litteram, & confor-

Eccli. 50.

conformiter ad institutum nostrum, dicit, duas gentes quas Deus oderit, esse populum Seir, & Philisthæos; illã verò quam supra omnes oderit, esse Sichimitas, vel Samaritanos. Fundat explicationẽ suam in eadem Scriptura sacra, quę immediatè adiungit: *Qui sedent in Monte Seir, & Philistini, stultus populus, qui habitat in Sichimis.* Occurrit autem modò ratio dubitandi; quod Deus duas has gentes oderit, non est quod miremur; quandoquidem ex Sacra Historia clarè constet, eas Iudæis semper admodum fuisse contrarias; verùm quam ob causam tanto odio habet Samaritanos? quamquam enim idololatriâ peccarent, tamen infideles propendebant, & verum Deum, ac Dominum Israël cognoscebant. Et quidẽ ea de causa, dixit ingeniosissimus Lyranus; nam si reflectatur, Samaritani fuerunt populus à Rege Syriæ missus ad colonias transferendas in Samariam, cum expresso eius mandato, vt ibidem iuxta ritus Israëlitarum, & conformis diuinis legibus viuerẽt. Eos enim qui eâ ratione non viuebant, Dei permissu Leones in frusta discerpebant, nec ibidem habitare permittebant, qui Dominum non adorabant. Quemadmodum verò multi Iudaismum receperunt, ac in principio sanctè vixerunt, postea autem præuaricati sunt, & peiores effecti, vt in idololatriam inciderint, iram Domini incurrerunt, & eorum reincidentiam videns, tantopere eos fastidiuit, ijsque iratus fuit, vt de se fateatur, quod in superlatiuo eos oderit: non solùm, quia cùm eius se obsequio consecrassent, retrocesserunt; quod Deus ægrè admodum fert & acriter sentit; sed quoniam cùm boni fuerint, eâ postmodum ratione se in peccata præcipitarunt, vt populo Seir, & Philisthæis, qui semper mali fuerunt, peiores exstiterint. Audiantur Lyrani verba: *Samaritani ideò dicuntur magis odiosi, quàm alij, quia cùm Dominum colerent, Dijs quoque suis seruiebant.* Lyran. hic.

3. Exod. 32.

Non miror, quod mulieri huic Euangelicæ idem acciderit; quandoquidem esset Samaritana, & postquam maiorem vitæ suæ partẽ in statu matrimoniali, & Dei seruitio transegisset, sese peruerterit, & ad tantam malitiam deuenerit, vt peccati occasionem domi habuerit: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus.* Et hoc est quod in mundo accidere solet, vt si ij, qui boni fuerunt, aberrent, ordinariè sint maximi peccatores.

Sacræ Paginæ peccata hominum tempore Noë commissa referunt, & dicunt, ea tam iniqua ac enormia fuisse, vt Deum ad eos delendos coegerint. Sciamus (inquit sanctus Ioannes Chrysostomus) quinam fuerint delinquentes: *Videntes filij Dei* (qui erant filij Seth, gens bona, & virtuti dedita) *filias hominum.* Ipsum videre duntaxat (inquit sanctus ille Doctor) non fuit absoluta causa; hoc enim est res naturalis, sed videre curiosè nimiâ & superfluâ solicitudine, ex lasciuo pectore, & profana voluntate ortum ducente; & hocce tantorum, ac tam grauium peccatorum principium Spiritus sanctus designat. Quod autem cum eodem Sancto animaduerto, est, hosce peccatores à sacra Scriptura filios Dei appellari: videntur potiùs filij dæmonis vocandi, cùm ipse peccati auctor, & parens sit; verùm Os illud aureum dicit, Scripturam iure merito eis hoc nomen indidisse, ad eorum malitiam magis exaggerandam; quandoquidem postquam boni, & amici Dei, & tanti Dei serui filij fuissent, vt hereditate sanctitatem possidere viderentur,

2. Genes. 6. Chrysost. in Psal. 4. Chrysost. hom. in illud Isaiæ: Vidi Dominum. Chrysost. in Psal. 4. cit. Caiet. hic.

derentur, adeo deprauati sint, vt ad summum malitiæ pertigerint, tanto viliores & abiectiores facti, quanto antea sublimiores exstiterant: *Dei filios vocauit eos, qui ex bonis viris nati fuerant, & Dei honorem perceperant; deinde mutati erant, & euaserant deteriores, & suum honorem perdiderant.*

Israëlitæ acriter, & seriò instituerunt
3. Exod.32. Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Conflatur idolum, formatur vitulus, omnes eum adorant, applaudunt sibi de successu, & ratione secundæ suæ fortunæ quasi lætum ac festum diem agentes, inuicem dicebant: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Notat modò eminentissimus vndequaque Caietanus noster, quemadmodum summo Sacerdoti rerum sacrarum ministerium incumbebat, Scripturam dicere Aaronem altare ædificasse, & proclamari mandasse: *Cras solemnitas Domini est.* & summo manè exsurgentes, holocausta & hostias pacificas obtulisse. Inquirit modò subtilis Caietanus, quodnã peccatum maius fuerit, an populi, qui idolum petijt, illudque adorauit, an verò Aaronis, qui præterquam quod fecerit quæ populus expetijt, alias illas demonstrationes fecit, nemine eum vrgente? Et respondet, alteri comparari non posse, & peccatum Aaronis multò grauius fuisse; non tantùm quia illa quæ iniustè populus exposcebat, permisit (ad hoc enim magna ei vis illata fuit, & ad tantas angustias se redactum vidit, vt aliquam saltem excusationem habere videatur) quàm quod ipsemet propriâ voluntate ductus nemine rogante, & postulante multò plura fecerit: *Non meretur,* inquit Caietanus: *tanta blasphemia Aaron excusationem; insaniuit enim & ipse multò magis quàm alij: nam alij (ex Hebræo constat,) nomina cõmunia Dei, idolo tribuerunt: ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen Tetragrammaton attribuit idolo, nullo ad hoc instigante, & quod peius est, voce publica.* (Caiet. hic.) Quis dixisset, hominem religiosam & sanctam vitam degentem, tam turpiter delicturum, cæterosque in peccatis antecessurum? Verùm non est quod quispiam miretur: nam quoniam absolutè bonus, quin potiùs omnibus melior erat, & vita eius manifestè virtute magis prędita, necesse erat, vt semel cadens, grauius quàm alij sese præcipitaret, & in malitia alijs antecelleret.

Reflexit doctus Lyranus ad modum 4.
quo amicus ille sancti Iob, Eliphaz nomine, qui alijs sapientior, & magis intelligens sibi videbatur, eum arguebat, & peccatum eius exaggerabat: *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremẽtia confortasti.* (Iob.4.) Et hoc quidem benè, inquit Lyranus, sed videte quo sermone immediatè pòst ei loquatur: *Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua & perfectio viarum tuarum?* Quid hoc est amice bone? ait Lyranus, à laudibus Sancti incepisti, & virtutum, ac perfectionum eius panegyrim confecisti, & mox ei dicis eum deteriorem omninò factum, adeò vt nec signum, aut vestigium antiquæ virtutis supersit? Malè profectò obligationibus boni, ac veri amici qui in aduersitatibus cognoscitur, respondes. Verùm si affligere, ac pungere eum intendis, vt quid ei fauere, ac honorificè de eo loqui incipis, si mox eum cõtemnere, ac auctoritatem eius labefactare velis? Audite responsionem; est enim attentione digna: *Vt ostendat impatientiam Iobi esse turpiorem, primùm inducit præcedentem eius de patientia doctrinam: nam turpe est* (Lyran.)

 *Doctori,*

*Doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Exaggerare voluit Eliphas quàm grauiter deliquisset sanctus hic vir, in calamitatibus quas patiebatur impatientem se exhibens, & diuinæ voluntati se non conformans; ideoque patientiam, quam antea demonstrauerat, & reliquas eius virtutes prius commemorauit, vt peccata præsentia, præteritis virtutibus comparata, grauiora apparerent. Quasi diceret: Quid mirum te tam grauiter prolapsum esse, si aliàs virtuti tantopere deditus fueris? Certum quidem est, iudicium Eliphas erroneum fuisse, cùm Spiritus sanctus declaret, sanctum Iobum in omnibus quæ dixit, & fecit, nullum peccatum admisisse. Verùm discursus qui in hoc facto erroneus fuit, in alijs maximè verus est; & siquidē Eliphas de illis philosophatus fuisset, verissima sanè, ac bene fundata fuisset eius cogitatio, & iure merito vt absurda, & peregrina declarasset peccata illorum, qui cùm aliquanto tēpore, benè, & laudabiliter vixissēt, grauius postmodū, quā ij, qui numquā boni fuerunt, prolapsi sunt; iuxta antiquum prouerbium Nazianzeni, tantopere celebratum; *Iudas hodie, qui heri Eliam moribus exprimebat; Caiphas hodie, qui heri Ioannem moribus exprimebat:* tam graues enim esse solent ruinæ illorum, qui in excelso virtutis culmine constiterunt. *Nazian. orat. 3. de pace.*

5. Cùm filius prodigus à clementissimi sui parentis domo abesset, omni vitiorum, ac peccatorum generi deditus, facta est fames valida in regione illa, cumque absq; teruncio esset, & fame pressum se deprehenderet, durum sibi videretur mendicare, seruire coactus atque in eo quoque infelix fuit: nam in hominem inciuilem & siluestrem incidit, qui non dignatus in ipsa ciuitate alicui operi eum impendere, *misit illum in villam suam, vt pasceret porcos*; *Luc. 15.* officium quamquam generaliter vilissimum, multò magis tamen inter Iudæos; nam cùm animalia illa vetita forent, horrori ipsis erant. Miseria effecit, vt homo nobilis, comedendi causâ, tam vili se traderet seruituti; ibi tristis iuuenis omnibus nota patiebatur. Sed ad rem veniamus, cuius nostra interest. Sanctus Petrus Chrysologus subtiliter, vt solet, animaduertit, quomodo in tam profundam vitiorum abyssum sese coniecerit? & resoluit sanctus Doctor, quia in domo patris sui, quæ erat virtutum schola, quamdiu in illa fuit, prout colligitur, numquam ab eius obedientia se subduxit; ita enim alius frater de se dicit: *Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præterini.* Ideò laxatis habenis, & magis quàm alij peccatores, peccauit; nam crudeli domino suffecit, quòd illi essent porci; illum verò eorum principem effecit: *Et misit illum in villam suā vt pasceret porcos.* adeò, vt, secundùm doctrinam Chrysologi, in domo patris bonum fuisse, circumstantia fuerit grauioris delicti, & occasio vt non solùm peccator, sed peccatorum dux, & antesignanus factus fuerit: *Quod autem mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est, homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminū faciat & magistros.* *Chrysol. serm. 2.* Timeant bene viuentes à virtutis via deuiare, certum habentes, quod si vel semel ab ea recesserint, maior sine dubio sit futura eorum perditio.

Resuscitauit Christus Dominus filiam Archisynagogi, iam mortuam; 6.
& filium viduæ Naim, qui iam efferebatur, & nihil fecit eorum, quæ sanctus Ioannes in resurrectione Lazari eum fecisse animaduertit; dicit enim, quod *Marc. 5. Luc. 7.*

quod *infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum.* non quod paſſio, & triſtitia illa, quemadmodum in nobis, violenta fuerit, ſed voluntaria pœna, quam Dominus pro libitu ſuo patiebatur: deniquefleuit, vocem extulit, ſuſpexit in cœlum, Æternum Patrem orauit: actiones omnes, quæ magna ſignificant Sacramenta, quamquam Sacri Doctores in earũ explicatione diuerſas ingrediantur vias. Sequamur modo eos qui dicunt, rationẽ eſſe potuiſſe, quia de Lazaro nobis conſtat, quod Chriſti Domini amicus fuerat: *Lazarus amicus noſter dormit*, inquit ipſemet Dominus; de alijs verò, quos reſuſcitauit, neſcimus eos amicos ipſi fuiſſe; ſaltẽ taciti eos præterierũt ſacri Euangeliſtæ: atque adeò figura fuerunt hominum libertinorum, qui paſſionibus ſuis obſecuti, de Saluatoris amicitia non egerunt; Lazarus verò ſymbolum eorum, qui aliquo tempore amici eius fuerunt, poſtmodum autem amicitia eius exciderunt, ac in profundo vitiorum, & peccatorũ ſeſe ſubmerſerũt. In hunc ſenſum intelligi poteſt magnus Origenes, cuius ſunt verba ſequentia: *Sed notemus neceſſe eſt, aliquos etiam nunc Lazaros eſſe, qui poſt contractam cum* IESV *amicitiam infirmati ſunt, & periêre. Qui etiam in monumento, & in mortuorum loco, manſerunt cum mortuis mortui, & poſtea oratione* IESV, *qui illos è monumento ad prodeundum foras, voce ſua magna vocauit, viuificati.* adeò vt iudicet Origenes, difficilius eſſe à ſpirituali morte animæ reſuſcitare eos, qui amici Domini fuerunt, quàm eos qui cum ipſo nunquam amicitiam contraxerunt. Verumtamen contrarium dicendum videtur; eò quòd maior ſeſe offerat difficultas in curatione eius, qui longâ infirmitate detinetur, quàm eius, qui recenter decumbit; quod ſi ita ſit, vt quid tanta defatigatione, & diligentia opus eſt, vt Lazarus reuiuiſcat? Quorſum? Ratio profectò clara eſt. Multo tempore in gratia Dei fuit, ſingularis eius fuit amicus: cùm autem officio ſuo defuit, & amicitia interijt, non tantùm, prout alij, quoad culpam mortuus fuit, verùm etiam fœtuit, & quatuor iam diebus ſepultus fuit; hoc eſt, peccatis, ac vitijs, plus omnibus alijs, ſubmerſus.

Orig. tract. 28. in Ioan.

7\. Modò intelligetur ratio, propter quam Chriſtus Dominus per ſanctum Ioannem Epiſcopo illi Laodicenſi dixerit, malle ſe eum frigidum, quàm tepidum in ſui amore conſpicere: *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, &c.* Apoc 3. Sed quid? nónne præſtat aliquid eum caloris habere, quàm congelatum eſſe? Nónne melius eſt, vel vnum charitatis & amoris Dei gradum habere, quàm omnino eo carere? Quomodo ergo dicis, te potiùs congelatum, quàm tepidum; & abſque vlla charitate, quam cum aliqua eius ſpecie, & ad eam propenſione eum velle? Scio communiorem modum huic difficultati reſpondendi, eſſe, quod ex eo quod quiſpiam Deum non amet, nihil omninò honori, & auctoritati eius decedat; plurimum verò ex eo, quod parum eum amet; qui enim omninò eum non amat, indicat, ſe eum non noſſe; tantùm enim bonum, cognitum eſſe non poteſt, niſi ametur: adeoque, quod aliquis Deum non cognoſcat, nullum in diuina eius Maieſtate defectũ arguit, ſed tantùm hominis illius miſeriam & cæcitatem; quemadmodum quod cæcus Solem non videat, non infert defectum luminis in formoſo hoc planeta, ſed in eo qui oculis caret; verùm qui Deum parum amat, hoc eſt, frigidè, ſignificat, ſe cum

pro Domino cognoscere, cui qualicũque amore satisfieri potest, & ex parte sua imperfectionem in Deum ponit; eapropter amare frigidè, semper est iniuria amati. Vnde Eusebius Emissenus dixit: *Non vult* Deus, *in opere suo tepidum, despicit fastidiosum.* Quin & inglorium, ac indignum foret Deo, multum amanti, si contentus foret eo, qui se parum amat; adeoque is dumtaxat bonus est amator, qui feruidè diligit. Disertè dictum!

8. Verumtamen nouam modò explicationem loco huic dare debemus, & quoniam alienis plumis me vestire non soleo, dico, eius auctorem esse famosum Lusitanum Commentatorem Apocalypseos, sequentem sanctum Gregorium Magnum, qui dicit, *duplicem esse tepidum, vnum qui à frigore pergit ad calorem, alterum qui à calore ad frigus regreditur : atque hoc loco posteriorem accipiendum esse, eumq́; ex eo vocari deteriorem frigido : quoniam, vt ait, frigus ante teporem sub spe est, tepor autem post frigus in desperationẽ.* Quemadmodum si vas aquæ frigidæ ad ignem ponatur, illa paulatim intepescit, & incalescit, donec omnino efferuescat; si verò ab igne remoueatur, calor ille sese remittit, donec aqua tepida sit; ita de calore animæ qui charitas est, philosophandum nobis est: Sunt animæ quædam in Dei amore tepidæ, quæ in virtute incipientes, & tyrones, progrediuntur donec inardescant; & siquidem de his loquamur, clarum est melius esse tepidum esse, & vel vnum solum charitatis gradũ habere, quàm frigidum esse, & omni calore destitutum. Sunt verò aliæ, quæ postquam in Dei amore efferbuerunt, retrorsum abierunt, & paulatim refrixerunt, donec omnino intepuerũt: & de his loquitur Deus (inquit Gregorius) & cum eo citatus Auctor, cùm dicit: *Vtinam frigidus esses, aut calidus*; hoc est, minus malum foret non incepisse eum amare, quàm post aliquanti temporis amorem, acquisita perdere, & ad amoris tyrocinium reuerti. Ratio huius Sancti, est discursûs nostri fundamentum, & munimen: *Quoniam frigus ante teporem sub spe est, tepor autem post frigus in desperationem.* Quasi diceret: Qui numquam bonus fuit, nec Deum amare cœpit, eique seruire, licet malus sit, tamen conuersionis spem non amisit; ille verò, qui iam conuersus, in charitate flaccescit, & teporem in amore ostendit, in tantæ miseriæ statu consistit, & in peccato suo tantopere conquiescit, vt emendationis spem, de qua alij peccatores viuere solent, à se penitus abijcere videatur; atque ita necessarium est, vt in talium conuersione speciale miraculum faciat Deus, quemadmodum infelicis huius peccatricis cõuersione fecit; quæ postquam bona fuerat, tam mala effecta est; ideoque Saluator tam exoticam ac peregrinam duxit eius culpam, quoniam cùm maiorem vitæ partem in statu matrimonij honestè transegisset, lasciua tandem meretrix facta est. *Quinque enim viros habuisti, &c.*

*Vieg. in Apoc. 3. commẽt. 3. sect. 1.*

---

*Domine, vt video, Propheta es tu.*

## CONSIDERATIO VI.

*Quod iustorum conditio sit, non scandalizari peccatis proximi ad eum contemnendum, sed ad illis compatiendum, vt ei succurrant.*

QVi, peregrinus cùm sit, animi mei secreta mihi reuelat, Propheta est; qui cognoscens quis sim, pec- 1.

peccatis meis, non scandalizatur, sed ijs compatitur, mihique mederi desiderat, sanctus, procul dubio, esse debet. Prudenter sanè, licet ignorans, hæc mulier disseruit; quādoquidem agnouit proprietatem iustorum esse, de proximi sui peccatis non scandalizari, sed ijsdem compati.

Nota sunt ex sacris Litteris peccata Regis Saul, nec opus ea referre: agit Deus de eo castigando, & regno priuando; reuelatur id Samueli, & exin-
1. Reg. 15. de *lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominū pœnitebat, quod cōstituisset eum Regem*, inquit sacra Scriptura, & summâ commiseratione ductus Deum rogabat, vt ei ignosceret, & in pristinum
Bern. ser. 12. in Cant. statum eum restitueret. Sanctus Bernardus animaduertit, quod cùm Saul ingratus fuisset, & beneficijs à Samuele acceptis malè respondisset, eumque offendisset, tātùm abfuerit, vt eo scandalizaretur, & de eo apud Deum querelas deponeret, vt etiam commiserationis lachrymas effuderit: *Samuel lugebat Saul, qui se quærebat occidere, & ad ignem charitatis incalescente pectore, liquefactus intus adeps, foris emanabat per oculos.* Multum profectò fuit, quod Samuel inimico suo Sauli non tantùm ignouerit, verumetiam tam misericordem sese exhibuerit, vt pro eo Deum supplicauerit, vt in gratiam eum recipere, peccata eius condonare, & in Regni possessione eum conseruare dignaretur. Verumtamen, si iustus, & sanctus fuerit, quid mirum, quod in Saule peccatore, ad eum contemnendum, scandalizatus non fuerit, videns quoque quod eum afflixisset & tamquam iustus ei subueniendi
1. causâ, misertus fuerit? Nam etsi (supposito diuino decreto) lachrymæ eius non essent futuræ efficaces, inquit Bernardus, pietatem tamen redolebant: *Non cessabat compassio, fundens lachrymas, & si non profuturas, pias tamen.* Bern. ser. in festo Magdal.

2. Sciebat diuinâ reuelatione Ezechiel, graues pœnas, quas populo Israëlitico illaturus erat Deus; suauis, & dulcis erat hic sanctus, & teneræ conditionis, nec animos habuit, vt in tanta ruina, ac destructione audire loqui posset; adeoque in illa tam tristia verba prorupit: *Heu, heu, heu, Domine Deus! ergóne disperdes omnes reliquias Israël?* Quid hoc est, Propheta sancte? quærit sanctus Ioannes Chrysostomus, audiens eum tam lugubrem lamentationem præferentem? Quid, sancte mi, tam acriter sentis, vel quorsum te adeo afflictum ostendis, cùm à partibus Dei standum tibi fuisset, & sententiam, à diuina eius iustitia in tam graues peccatores latam, approbare debuisses? An fortè tribulationes illæ domum vestram pertransibunt? Num rigor ille ad te deueniet? Num grauia hæc supplicia te contingent? Non sanè. Vt quid igitur illum doloris sensum exprimis? Dicam, inquit aureum illud Os: Ezechiel iustus erat, adeoque necessariò misericors: *Ezechiel cùm iustus esset, sciretq́; Israëlitas iniquissimos esse ex omnibus, videns tamen illos iugulari, & corruere, hoc idem passus est.* Sciebat equidem Seruus Dei, quàm praui, atque peruersi homines essent Hebræi, quodque supplicia, quæ Deus eis minabatur, abundè promeruissent: verùm erat sanctus, & vt talis peccatorum miserebatur, ideoq; eos Deo reconciliatos videre desiderat, vtque diuina Maiestas sententiam suam reuocet, ac furoris sui gladium in vaginam recondat.

Tam proprium est iustis, peccatorum misereri, vt idem Chrysostomus notauerit, quod quia quidam misericors 3.

ricors non fuit, cum Deus è mũdo sustulerit, & noluerit vt inter homines viueret; fuit is sanctus Elias, de quo Sacra Scriptura refert: *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum.* Visus est sancto Archiepiscopo Eliæ raptus consideratu dignus, ac super eo egregium sanè, & accommodatum discursum format, in quo Deum hoc modo cum Propheta loquentē introducit: *Qui peccatores ob zeli nimietatem ferre non potes, ascende quasi in cœlum: nam si diu tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod à te omnino plectitur, aboleretur; transi in cœlos, impeccabiles contuberniones postmodum habiturus es.* Illi enim soli tecum commorantes, securi esse poterunt; peccatoribus enim numquam ignoscere potuisti: neque hoc est, quod ego à seruis meis requiro, sed vt proximorum suorum delinquentium plurimũ misereantur, & peccatoribus compatiantur; nam hoc signaculum est vnde iusti cognoscũtur. Et quoniã Christus Dominus noster per antonomasiã est iustus Dei: *Prope est iustus meus,* cuius iustitiam omnes iusti participant; ideò in pietate, & misericordia erga peccatores tam eximius fuit, vt etiam hæc mulier aquam hauriens hanc veritatem breui agnouerit.

1. Mach. 2.

4. Refert Scriptura sacra, quod licet Dauid plurimum diligeret vitam filij sui primogeniti, quem ex Bethsabee suscepit, prout ostendit ex ieiunio, & intimis precibus pro illo fusis, tamen cùm eum mortuum intellexit, cilicium, quo erat indutus, abiecerit, & mensam ad hilariter comedendum sterni præceperit: *Nunc autem,* inquit, *quia mortuus est, quare ieiunem? Nunquid potero reuocare eum amplius?* Verùm cùm ei renuntiatum est de obitu Absalonis, grauiter conquestus est, dicens: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Quid hoc est? quærit sanctus Ambrosius, fierine potest, vt magis sentiat Dauid mortem filij perduellis, quàm innocentis? Non est bene ordinatus hic amor, neque Dauid dolorem suum rectè impendit: & quidem quantum apparet, ita sese res habere videtur; verumtamen sinite sanctum Regem agere; iusti enim ac serui Dei partes adimplet, nempe peccatoribus condolere ac compati: *Quia illum pro scelere, hunc verò pro innocentia, credidit esse victurum.* magis enim defleuit Absalonem propter malum statum, in quo obierat, quàm propter vitam quam perdiderat: magis sensit vitam animæ quam ille in vanum acceperat, quàm corporis, quam vterque subierat. Idem dixit sanctus Hieronymus: *Scribitur Dauid iustè fleuisse filium parricidam, qui alium paruulum, quia sciebat non peccasse, non fleuit.* Tantum abfuit, vt Dauid de morte Absalonis iurati inimici sui, qui armatã manu eum persequebatur, & ad necem conquirebat, ac Regno priuare moliebatur, lætatus fuerit, vt etiam propter eam plurimum affectus fuerit, & commiseratione ductus, ei remedium adferre desiderans, sanguineis lachrymis deplorauerit.

2. Reg. 12. — Ambr. orat. de obitu Valent. Imp. post med. — Hieron. Epist. 25. ad Paul.

5. De se ipso loquebatur diuinus Pastor, cùm parabolam proposuit eius, qui perdiderat ouem vnam, & reliquit nonaginta nouem in deserto, & iuit ad eam quæ perierat, donec eam inuenit; & eã inuentã, venit ad pastorum casas, gaudij sui eos participes reddēs. Notat Ruricius antiquus Doctor, quanti æstimet Deus peccatorem conuersum; quãdoquidem *imponat* (eum) *super humeros suos*; quemadmodum aquila pullum suum alis suis imponit, vt volare eum doceat: *Expandit alas suas,*

*suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Profectò res est quam maximi facit, & summo in pretio habet. Verùm non hoc est quod ad rem nostrã facit, sed quod doctissimus ille Pater adiungit: *Ipse est bonus Pastor, qui ouem perditam ad caules dominicas mauult proprijs humeris reportare sollicitus, quàm stimulis vrgentibus reuocare districtus.* Videte qualiter cum erranti oue se gerat verus Pastor, blanditias, quibus eam aggreditur, amorem, quem exhibet; vngulas pedum ouiculæ ori suo appositas ferebat. Non malè eam excepit, nec fustibus adegit, vt reuerteretur, sed proprio sudore, ac labore ad gregem suauiter reduxit. Dixerat Salomon: *Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei.* Græcus dicit: *Pro corruptione.* Sed nondum viderat cœlestem hunc Pastorem ouicula sua oneratum, & Samaritanam conuertentem; quos si vidisset, credo equidem, quod non solùm dixisset: *Non despicias nec ei improperes.* sed adiunxisset, Æstimate eum, ei blandimini, honorem deferte: est enim delicię Dei; qui licet omnibus sit suauissimus, tamen misericordiæ, quas peccatoribus exhibet, omnia reliqua eius opera longè superant; vt à diuina eius Maiestate discamus, proximorum nostrorum peccatis non scandalizari, ad eos contemnendos; sed ipsis compati, vt succurratur.

*Ruric. Episc. lib. 2. Epist. 22.*

*Ecclesi. 8. Lect. Græc.*

6. Quàm appositè ad hanc rem venit insignis cogitatio S. Petri Chrysologi! Notat hic Sanctus, quemadmodum Euangelium delicias, ac blanditias, quas filio prodigo pater eius exhibuit, extollat; quomodo *cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum,* quomodo eum vestierit, ac festiuum diem egerit. Quænam hæc res tam peregrina? quærit sanctus Episcopus Rauennas? Quænam hæc beneuolentiæ signa, quæ pater tam indigno filio exhibet, qui tam diuersimodè eum offenderat? Quid amplius ei facere potuisset, si in gratia eius perseuerasset, & instar veri filij eius, sese gessisset? Non intelligitis (inquit hic Sanctus) modũ hunc, quo pater ad prodigum, & nequam filium reducẽdum vtitur. Obseruat Deus, vt vel perditissimum peccatorem saluum faciat: *Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella.* Id est, sic pater errantem emendat filium. Quomodo autem sic? Sic, cùm etiam extra gratiã eius foret; cùm longè esset, eum quærit, osculatur, amplectitur, non castigat, non flagellat; & cuncta fuêre impressio, ac exhibitio misericordiarum, quibus Deus erga peccatorem vtitur, & quas nos Christiani imitari debemus.

*Luc. 15.*

*Chrysol. serm. 3 de duobus filijs.*

7. Prædiues ille auarus, qui in pœnam criminum suorum in vltricibus inferni flammis ardebat, à Patriarcha Abraham, mendicum Lazarum in sinu eius conspiciens, cum ad se mitti petijt, vt extremum digiti sui, in fontium illorum, qui sibi obijciebantur, aquas intingeret, eumque extremitati linguæ suæ ardenti, ac conflagranti imponeret. Respondit ei Sanctus senex: *Fili, recordare, quia recipisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala.* Ponderat sanctus Ioannes Chrysostomus vrbanitatem, ac ciuilitatem Abrahami; filium eum nominat; (scio quidem Euthymiũ dixisse, quod eum ita vocauerit, quia pater erat Iudæorum, ex quorum prosapia diues erat;) sed sequamur cogitationem Chrysostomi, qui notat, Abrahamum maiori mansuetudine ac suauitate respondere nõ potuisse: *Non dixit: Inhumane, crudelis, sceleratissime,* cùm

*Luc. 16.*

*Euthym. hic.*

*Chrysost. hom. 2. de Lazaro.*

*cùm tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis, misericordiæ, veniæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dicit? Fili recipisti bona in vita tua.* Duris verbis eum non excepit, nec summam temeritatem eius, in petenda misericordia, post tam immisericordem crudelitatẽ, exprobrat, sed filium vocat, nomen paternum amorem indicans. Sed quomodo homini tam iniquo termini illi tantæ ciuilitatis? tanto peccatori tam moderata & composita verba? Ita quidem, dicit ille Sanctus: *Animæ deiectæ non addas perturbationem, satis est illi cruciatus suus, vt ne illius calamitatibus insultemus*; præstat infortunij eius commiseratione duci, vt, si fieri possit, ei succurratur.

8. Quàm pulchro cum primitiuis fidelibus vsus est modo S. Apostolus Paulus, ad eos reducẽdos cum peccauerãt! *Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Sed mox stylum moderauit, & blandus, ac misericors adiecit: *Estote sicut ego, & ego sicut vos.* Quid sibi vult S. Paulus? quærit gloriosus Eulogius Episcopus Alexandrinus. Si ipse sanctus sit, & illi peccatores, quomodo dicit vt omnes vnũ sint? Haud equidẽ capio. Verumtamen iam apprehendo. Sanctus Paulus proximi sui malis tantopere compatitur, vt pietas eodem ipsum colore vestierit: *O summam Apostoli commiserationem! Quæ tantùm se dimittit, quantum peccatores ceciderant, vt demissione lapsos, ad proprium statum reduceret.* Iis ipse non offenditur, vt eos repudiet, & reijciat; quin potiùs compatitur, vt eos reducat, instar veri Discipuli Christi Domini, in quo clarissimum habemus huius veritatis argumentum; prout apparet ex plurimis, quibus ei peccatricis huius iustificatio constitit, laboribus eius, desiderijs, defatigationibus, sudoribus, idque duntaxat, vt perditam animam lucraretur, eamque à morte peccati, ad vitam gratiæ transferret, &c. Amen.

*Ad Galat. 4.*

*Eulog. lib. 2. contr. Nouatian.*

---

# TRACTATVS XII.

## AD QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

*Subijt ergo in montem Iesus.* Ioan. 6.

SEcessit Christus Dominus noster ad secretiora deserti, Discipulis eius comitantibus, quem & magna hominum turba insecuta fuit: quidam propter miracula, quæ circa infirmos operabatur, alij verò deuotionis causâ, alij denique curiositate ducti, qua omnes doctrinam eius excipiebant, cuius tanta erat vis, vt homines illos à domibus suis abesse fecerit, & nec famis meminerint, nec de ea conquesti fuerint. Subleuauit,

uauit oculos Dominus, & de multitudine hac sese insequente adiuuanda, illique succurrendum egit; adeo, vt ex eo quod illam videret, affectus illi opitulandi originem duxerit, amore eius eamdem illam necessitatem præueniente. Deus enim magnam semper solicitudinem & curam gerit eorum, qui sui obliuiscuntur, & verè, ac sincerè eius sese seruitio impendunt. Consuluit hac in re Dominus Philippum, fidem eius explorandi, gratiâ & ab eo quæsiuit, vnde emere possent panes ad tantam multitudinem reficiendam. Difficultatem rei isti obiecit Apostolus, eò quòd in loco illo, & occasione præsenti, modus, aut medium ad hoc non suppeteret, similiter & Andreas, dicens, quinque panes, & duos pisces. qui in comitatu illo erant, non sufficere, & nihil fore pro tam numeroso hominum concursu. Verumtamen Andreæ pusillanimitatem, & Philippi difficultatem breui reprehendit Dominus. Iubet discumbere quinque millia, & amplius inuitatorum, qui eum inter fœni cumulos insequebantur; accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, benedixit, & Deo gratias egit, eò quòd haberet quæ illis apponeret, & occasio ferret indigentibus subueniendi: nam eos videre plurimum refert ad eis succurrendum; neq; enim vllum speculũ adeò chalybeum est, quod oculos aliquos flentes videns, eos in ploratu non comitetur. Comederunt omnes ex quinque panibus, & duobus piscibus, & saturati sunt. Cumque panis iste è manibus Dei proueniat, non mirum omnes conuiuas contentos fuisse: sola enim Dei fercula desiderijs nostris satisfacere possunt. Aduertit autem Euangelista duodecim cophinos fragmentorum superfuisse:

Eu log. lib. 2. contr. Nouatian.

mensa verò mundi adeò famelica est, vt cùm quidquid habet dederit, nunquam tamen alicui satisfaciat: & siquidem Christus Dominus liberalis fuit pro necessarijs, prouidum tamen sese ostendit in reliquijs asseruandis & profusionibus euitandis. Homines illi adeò portentosum miraculum & rem tam peregrinam conspicientes, eum Messiam, & Prophetam suum inclamauerunt. Christus Dominus, qui corda eorum perlegebat, cognoscens, quod eum in regem suum assumerent, subduxit sese, & ab ijs in montem secessit; verumtamen nũquam abscondit se ab eis, qui ex corde eum quærũt, vt gratiam eius implorent. Itaque eum rogemus, vt per intercessionem serenissimæ Virginis eam nobis communicare dignetur. *Aue Maria.*

---

*Subijt ergo in montem Iesus.*

CONSIDERATIO I.

*Quod fuerit vnum & idem, Christum in montem conscendere, & videre vt multitudini hominum subueniret. Vtilis instructio superioribus, quibus vnum & idem esse debet, regiminis sui virgam in manibus tenere, & eas, vt subditis suis succurrant, aperire.*

1\. QVando considero Christum Dominum, qui bonum nostrum est, in montem toties sese recipientem, eumque in eo video modò prædicantem, modò orantem, modò ijs qui eum insequebantur, conuiuia instruentem, modò se transfigurantem, modò morientem, eum semper bono ac commodo nostro intentum, ac occupatum inuenio: & (meo quidem iudicio) Superioribus, ac

ac Prælatis significatum voluit, quod vita ipsorum semper in mōte esse debeat, qui locus est, vnde eos, quorū rationem habent, quiq; curæ suæ cōmissi sunt, intueri, eisque de necessarijs ad vitæ conseruationem, & sustentationem, prouidere debent. Ideò enim in summitate montis, hoc est, in vertice honoris, & dignitatis à Deo constituti sunt, vt benefici existentes, ratione misericordiæ, quidam quasi Dij in terris forent.

*Philo Hebr. lib. de Iud.* Philo Alexandrinus, in libro, quem de Iudice inscribit, plurimum approbat Philosophi cuiusdam antiqui sententiam, quam ipse omninò veram esse dicit: *Vera est prisci cuiusdam sententia, nunquam homines propiùs ad Dei similitudinem accedere, quàm cùm sunt benefici.* Ac si dixerit: Tantopere Deo placet, benignos, & misericordes erga proximos nos esse, nosque eorum miserijs, ac tribulationibus condolere, & compati, vt cùm Diuina Maiestas omnibus necessitatibus per se ipsam succurrere potuerit, noluerit tamen, vt pietati nostræ locū daret, vel (vt melius dicam) vt misericordiæ suæ attributum nobiscum partiretur, ad nos exaltandos, & docendum, quod per viam illam commiserationis, celeriter admodum ad Dei similitudinem quispiam conscendat: & licet doctrina hæc in omnibus fidelibus, qui sancto illi operi sese impendunt, verificari possit, singulariùs tamē in illis qui iam in monte cōsistunt, & in altioribus locis ac munijs, quæ occupant, misericordiæ operibus illis annexis, sese impendentes, Dei vices gerunt, eumque repræsentant; hac enim ratione viuæ quædam imagines sunt ipsius Dei.

2. Egregius (nisi mea me coniectura fallat) est locus ille, quem iam dicam. Mittit Deus Moysen vt legatum suum ad Pharaonem, dicitque ei: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* *Exod. 7.* Locus hic varias habet explicationes, & singularis est illa magni nostri Lusitani *Pagn. hic.* Oleastri, qui sequitur lectionem Hebræam nostri Sanctes Pagnini, qui dicit: *Oleast. hic.* *Vide, dedi te pro Deo ipsi Pharaoni.* Cui excellenter occinit insignis hic Doctor: *Id est, in tua potestate situm erit, facere omnia, quæ Deus illi facere potest.* Verumtamē difficultatem suam habent hæc verba. Quænam sunt hæc quæ Deus Pharaoni facere potest, quæ & Moyses potest? An fortè rigidis plagis in eum animaduertere? Hoc sanè est quod Moyses ei facere potuit, sed propterea non potuit vocari Deus; nam Deus ipsis etiam Magis Pharaonis facultatem dedit easdem plagas efficiendi: cùm enim Deus aquas Nili in sanguinem conuertit, *fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Fecit Moyses plagam ranarum, *fecerunt & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq; ranas super omnem terram Ægypti;* & nihil horum suffecit, vt malefici se Deos Pharaonis dicerent. Quam igitur ob causam solus Moyses Deus eius nominatur, & potestas eius quasi diuina, differt à potestate maleficorum? prout aduertit Oleaster. Ratio fuit, quia Magi non potuerunt nisi plagas multiplicare, nec habuerunt virtutem eas auferendi: Moyses verò æqualiter eam habebat & ad eas efficiendas, & cohibendas; ad puniendum, & manum à supplicio subducendam. Clariùs, ad benefaciendū, & diuinam iram mitigandam. Hæc itaq; ratio est, propter quam dicit Deus, quod cōstituat eum Deum Pharaonis, quia officium eius esse debet, subleuare pœnas, & afflictiones, & afflictis, ac patien-

patientibus misericordiam exhibere; hoc est facere Moysen Deum Pharaonis: *In tua potestate situm erit facere omnia, quæ Deus illi facere potest.* Exod. 7.

3. Modò intelligetur locus ille Ecclesiastici, prima fronte difficilis: Spiritus sanctus aliquorum sanctorum, & Patriarcharum veteris legis panegyricum instituit, & ad laudes Iosephi deueniens, dicit hoc modo: *Ioseph qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi.* Aduerte ad verbum, *qui natus est homo.* Quis homo est in mundo, qui non nascitur homo? Omnes quotquot sunt, tales nati sunt. Quare igitur singulariter dicitur de Iosepho, quod natus sit homo? Vt huic dubio respondeatur, recurrendum nobis est ad alium sacræ Scripturæ locum. Vnus fratrum Iosephi, in reditu ex Ægypto, in via saccum aperuit, in quo emptum triticum deferebat, ac pecuniam, quam pro eo dederat, in eodem deprehendit: *Contemplatus pecuniam in ore sacculi.* ille verò reliquos fratres suos mox conuocauit; Aspicite, inquit, *Reddita est mihi pecunia; & habetur in sacculo.* At illi eam cōspexerunt, & obstupefacti nouitate rei tam peregrinæ, consuluerunt mutuò, ac inter se decreuerunt, & iudicarunt, Deum sibi hoc beneficium præstitisse, & pecuniam reddidisse: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Retulerunt pretium tritici ad Iosephum Regis Vicarium, & illi ipsi, præsente dispensatore domûs, idipsum confessi sunt, ac ille eis respondit: *Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus Patris vestri, dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Animaduertite quod Deus hoc non fecerit, sed Ioseph. Licet enim instinctus de cœlo venerit, executio tamen fuit Iosephi, & hic est homo, quem vt talem sacra Scriptura declarauit, quando dixit: *Et Ioseph, qui natus est homo.* Itaque non dicatis, quod Deus, sed Vicarius Regis Ægypti pecuniam reddiderit. Ecce, vt omnes vno ore locuti fuerint, & eamdem veritatem explicarint, inquit Glossa Interlinealis: *Non mentitur sapiens dispensator, quia de pecunia verba Dei dicit.* Viderunt quod Ioseph tam beneuolum, ac benignum se illis exhibuit, quod gratis necessariam sustentationem, ac victum dedit: itaque non dicant, Iosephum hoc fecisse, sed Deum; eò quòd actio illa non sit humana, & omnis creatæ actionis sphæram excedat, & imaginem habeat diuinæ. Modò intelligitur ratio, propter quam Spiritus sanctus aduerterit, quod Ioseph natus sit homo; nimirum, quoniam sanctus ille futurus esset misericors, & misericordiæ virtus eum diuinum redderet, & Deus nominandus foret, consultò dictum fuit, quod natus sit homo; ne supposito quod in quantum misericors, & benignus Deus esse videatur, in eo mundus decipiatur, sibique persuadeat quod reipsa Deus sit qualis esse videtur, eò quòd in arctissima necessitate sit *firmamentum gentis, stabilimentum populi.*

Pagn. hic. Oleast. hic. Eccli. 49. Genes. 42. Gen. 43. Gloss. Interl.

Creauit Deus primum hominem, vt esset Dominus, ac rector mundi, eaque de causa ad imaginē, & similitudinem suam eum fecit: *Faciamus,* inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit, &c.* Disputant sacri Interpretes, in quo consistat proportio, quæ est inter Creatorem, & creaturam rationalem? Et quidem diuersæ sunt ea de re opiniones, quas doctus quidā modernus refert, in quo curiosi eas videre poterunt. Noster insignis Oleaster censet, similitudinem constitisse in eo, quod, quemadmodum Deus est Dominus, effecerit, vt homo etiam 4.

Genes. 1. Cornel. à Lap com. in hunc locum.

Dominus foret. In Pꝛōptuario nostro Deiparæ Virginis, verba eius retulimus, quæ, vt Auctore suo digna, iam suppono; & alia Theodoreti modò adiungo, vt ex vtrorumq; conferentia, probationem discursus mei, quam inquiro, deducam: *Quemadmodum Deus* Theod. q. 20. *longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei: iustus & sanctus est Dominus, condolens, & misericors. Igitur qui amat iustitiam & sanctitatem, & peragit atque obseruat præceptum istud Saluatoris (Estote misericordes, quẽadmodum Pater vester misericors est) est imago Dei per omnia*; cumque talis homo, instar Adami, Dominus, Princeps, & Prælatus fuerit, concurrentibus in eo duabus rationibus, quas Theodoretus, & Oleaster docet, tum vel maximè magis perfecta, ac completa imago erit; non tantùm Dei, in quantum Deus, sed Dei, in quantum homo; hoc est Christi Domini in montem subeuntis, sese insequentibus, cùm eos indigere videt, subuenientis.

5. Psal. 71. Regius Propheta *Psalmo* 71. agit de felici tempore legis Gratiæ, & de magnis bonis, quæ Diuinum Verbum Incarnatum mundo esset allaturum. Ac in particulari de pace loquens, dicit, eam tam vniuersalem fore, vt montes eam hominibus oblaturi sint: *Suscipiant montes pacem populo*. In sensu Episc. Cancer. litterali Paraphrastis nostri Hispani, idem est ac si diceret: Participent quoque ipsi montes generalem pacem, eaque ad ipsos extendatur, vbi propter prauos, atque peruersos, qui eò se recipiūt, & syluestres feras, quæ per eos transeunt, exigua viatoribus securitas esse solet. Transeant omnes absque timore quod è montibus quidquam proueniet, quod damnum aliquod inferre poterit. Hoc est quod littera sonat; pergamus ad sensum moralem, qui ad rem nostram maximè facit. Doctus Agellius explicans verba Agell. hic. hæc Prophetæ: *Suscipiant montes pacem populo*; dicit sequentia: *Pacis nomine, copia, & effluentia rerum appellatur: montium appellatione Regna, maiora, Regesq; potentiores rectè intelligimus: collum verò submissiora Imperia, & humiliores Principes.* Iam verò, Prophetam dicere, *suscepturos montes pacem populo*, significat, quod bona, quæ à Deo recipiunt, sibi retinere non debeant; quandoquidem Deus ipsis solis ea non tribuat, sed vt alijs ea communicent, & sint Vicarij quidam in terra Dij, & quemadmodum montes, quas è cœlo aquas recipiunt, eas per valles distribuunt; ita illi bona ac diuitias à Deo acceptas, non ipsi soli omnes imbibere, sed inter pauperes diffundere, ac inter egenos partiri debent; hoc est: *Suscipiant montes pacem populo, &c.* ad imitationem Christi Domini nostri, qui hodierna die ex monte, suo nos exemplo idipsum docet.

Reflectite mecum ad rem aliquam 6. à sacris Interpretibus parum animaduersam. Sacer Historiographus in præsenti Euangelio referens vnum ex Discipulis diuino Magistro dixisse, quod in comitatu quidā esset, qui haberet quinque panes, dicit, eum qui hoc consilij suggessit, fuisse Andream fratrem Petri: *Dicit ei vnus ex Discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est* Ioan. 6. *puer vnus hic, qui habet quinque panes, &c.* Inueni mysterium in eo, quod sanctus Ioannes hac occasione sanctū Andream vocet fratrem Petri; & quidem videtur mihi, in hoc miraculo non casu mentionem fieri Principis Apostolorum: nam aliàs, vti capite duodecimo, solus Andreas nominatur: *Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus*, nullâ Ioan. 12. factâ

factâ mentione Petri. Clarum profectò argumentum, quod hoc miraculum aliquam cum ipſo relationem habeat; eaque eſt, quod Deus Petrum Principem mundi creauerit, ideoque ad eum particulariter dirigebatur, & ad eius inſtructionem ordinatum erat hoc miraculum, in quo hominibus in neceſſitate conſtitutis de victu prouidebatur; & ne videatur quod hoc ſit in aëre fingere, ac in ſanctorum Patrum doctrina, cui ſemper innitimur, ſine fundamento loqui,

7. Audite ſanctum Proclum, qui audiens eum conſulentem ac offerentem in monte Thabor: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*, oſtendens quantum differat Elias à Chriſto, ei dicit hoc modo: *O Petre diſcipulorum caput, quid humili intellectu res diuinas infamas, & tria tabernacula te excitaturum in deſerto dicis? Elias precatus, farinam viduæ multiplicauit, eiuſdemq; filium à mortuis ſuſcitauit:* Iesvs *verò poſtquam à piſcatione te euocauit, quinque chiliadas ſatiauit, & ad inferos vſque penetrauit, omnes qui captiui inibi tenebantur, eduxit.* Notate verba illa, *poſtquam à piſcatione te euocauit, &c.* Elias enim nõ expectauit & diſtulit, ſed eo tempore quo potuit, multiplicauit farinam; ſed Dominus Iesvs famelicos non ſatiauit quando potuit, ſed vt id faceret, expectauit donec Petrum in ſuo conſortio haberet. Tum demum conuiuium inſtruxit, ac peccato vinctos & compeditos libertati reſtituit. Quænam autem fuerit ratio, quod Chriſtus Dominus panes non multiplicauerit, antequam Petrus Scholæ eius nomen ſuum dediſſet, non declarat hic Sanctus, licet idipſum ſubindicet. Quoniam Dominus Petrum orbis vniuerſi caput creauerat, boni principis regulam ac formam ei dare, & veri Prælati normam eum docere voluit; idque non tantùm è tyrannide Satanæ homines redimens, ſed ſe ſequentibus de victu largiſſimè prouidens. Quaſi diceret: Quandoquidem ſucceſſor meus futurus ſis, & vices meas, quantum ad dignitatem Pontificalem, in terris gerebis, obligaris vt me in charitate quoque imiteris, & tum demum Vicarius meus, & vera mei imago eris, quando ouibus meis pabulum ſupererit: præſens miraculum de panibus ad Chriſti Vicarium relationem dicebat, ideoque hac occaſione eius fit memoria, & dicit Euangeliſta, quod Andreas eſſet frater Petri: *Andreas frater Simonis Petri.*

*Proclus ſerm. de Transfig.*

Ex dictis clarè colligitur obligatio, quam omnes habent in dignitate conſtituti, vt ſint eleëmoſynarij, & benigni erga proximos egentes, vt eâ ratione (eo quo dici modo poteſt) per participationem Dij quidam ſint. 8.
Nam quoniam ſanctus Paulus eiuſque ſocij tam accuratè, ac tanta circumſpectione (melius dixero ſolicitudine) huic ſancto operi ſeſe impenderunt, in eoque ſeſe eximios reddiderunt, in deitatis iura tranſire meruerunt. Sanctus Apoſtolus prolixè refert ea, quæ ipſe, ac reliqui condiſcipuli pro Dei gloria, & honore patiebantur: & inter alias iniurias, quæ ſibi ac reliquis inferuntur, dicit: *Blaſphemamur, &c.* Si examinauerimus quid ſit blaſphemia, deprehendemus quod ſecundùm doctrinam Angelici Doctoris, *Blaſphemia vitium ad infidelitatem eatenus ſpectat, quatenus per illam homo corde, vel ore ſecundùm intellectum, vel affectum Deo tribuit, quæ ei non conueniunt.* Suppoſita hac doctrina, ſi blaſphemia naturâ ſuâ, principaliter Deum petat, eiuſque ſcopus ſit ipſa diuinitas; quomodo

*1. Cor. 4.*

*Thom. 3. p q. 13. a. 1.*

modo dicit sanctus Paulus; Ego socijque mei *blasphemamur?* Vt huic dubio satisfiat, ad sanctum Hieronymum recurrendum nobis est, & insigni eius ponderatione vtendum. Notat magnus Pater licet cōperiamus ipsos sacros Apostolos reliqua ministeria, quæ occurrebāt, videlicet baptizare, venerabile Sacramentum sanguinis distribuere, & in Altari deseruire, alijs iniunxisse, vt prædicationi Euangelij, quam Dominus eis iniunxerat, se totos impenderent, illosque ea de causa Diaconos illos, viros egregios elegisse, inter quos præcipuus fuit inclytus Protomartyr sanctus Stephanus: eos tamen nulla ratione adduci potuisse, vt alijs curam, ac ministerium pauperum committerent. Ita sanctus Paulus Galatis declarauit, exponens eis exercitia, quibus se impendebat, & quomodo cum socio suo sancto Barnaba secundò Hierusalem proficiscēs, vbi erat sanctus Petrus, & alij Apostoli, ab illis magna charitate, & humanitate exceptus fuerit, sibique prima loca detulerint. Hoc significāt verba illa: *Mihi & Barnabæ dextras dederunt societatis.* Et diuidentes loca, in quibus essent prædicaturi, decreuerunt Apostoli, vt ipsimet tunc temporis manerent in Iudæa Hebræis prædicantes; ipse verò & sanctus Barnabas gentilibus prædicatum irent: ea tamen conditione, vt vbicumque locorum essent, pauperum curam haberent: *Vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem: tantum vt pauperum memores essemus.* Tunc enim, prout declarat sanctus Chrysostomus, & Angelicus Doctor S. Thomas, in Hierusalem multi erant fideles, qui amore Christi, Euangelicam paupertatem professi erant & possessiones suas vendiderant, & pretium in pauperum subsidium Apostolis dederant. Porrò horum voluntariè pauperum curam gerebant Apostoli, & eleëmosynas eis conquirebant, quibus se alerent, & vitam transigere possent. Hanc verò obligationem numquam intermisit Paulus, eiusque socius, etiam absentes. Et adiungit Doctor Gentium: *Quod quidem solicitus sum hoc ipsum facere. Ob pauperum refrigeria laborabat Paulus & Bernabas in Ecclesijs Gentium, vt collectæ fierent, &c. Et hanc ipsam oblationem non per alios, sed per se deferre festinant illis.* Concludit autem sanctus Hieronymus: Tam benigni ac misericordes erant hi sancti? Itaque dum eis maledicunt, non dicatur quod eis detrahant, sed quod eos blasphement: nam quoniam misericordia cum pauperibus, ipsos in Deos conuertit, iam non tamquam hominibus detrahunt, sed tamquam Deos blasphemant: *Blasphemamur.*

*Hieron. Epist. 150 ad Hedib. q. 1.* — *Act. 6.* — *Ad Gal. 2.* — *Chrysost. hic. S. Thom. com. in 2. ad Gal.* — *Hieron. Epist. cit.*

9. Et ne videatur, quod soli magni, & in dignitate constituti, qui misericordes sunt, Dijs assimulētur; pro conclusione discursus huius omnes illos fideles, qui sese in charitatis operibus, ac proximorum suorum necessitatibus subueniendis exercent, Deo quàm simillimos esse, demonstrabo: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Sanctus Paschasius, explicans hoc consilium, documentum, vel præceptum Saluatoris, admodum ingeniosa quædam verba protulit: ac si diceret: *Ad hoc misereminі proximis, ad quod, & in quibus miseretur Pater; scilicet, vt bonitas redundet in cunctis;* adeò vt misericordem esse, inquit sanctus Abbas, sit redundantia misericordiæ Dei, qui ex peculiari amore, & singulari sua gratia, vult, vt virtus hæc per benignos, & misericordes decurrat; quandoquidem eius misericordia, licet (prout paulò antè diximus)

*Luc 6.*

mus ) per ſeipſam, & nulla alia perſona mediante, omnibus totius mundi neceſſitatibus ſubuenire potuiſſet, tamen ſeſe reprimat, atque contineat, nobis, tamquam inſtrumentis ſuis, vtens ad ſuccurrendum. Totum hoc, inquit Paſchaſius, eo ſolo fine, vt miſericordia humana in operibus pietatis, ad diuinam quamproximè accedat, & hac ratione ad tam excelſum ſanctitatis gradum homo eleuetur, & tam diuinus fiat, vt, etiam in hac præſenti vita, imago quædam, ac perfecta eius ſimilitudo eſſe videatur. Quod ſi verò liberale cœlum omnibus fidelibus benignis, & miſericordibus fauorem hunc tribuat; quanto maiori ratione de ijs, qui in montem conſcenderunt, Principibus, Superioribus, Prælatis, qui ſancto huic operi, pauperum nimirum neceſſitatibus ſuccurrendis, ſeſe impendunt, dicemus, quod appareant, & ſimiles ſint Deo, ac Chriſto Domino noſtro, qui vt montem conſcendit, & numeroſam multitudinem ſe ſequentem conſpexit, mox de eius neceſſitati ſubueniendo tractare cœpit: *Subijt ergo, &c. Vnde ememus panes.*

---

## *Cùm ſubleuaſſet oculos.*

### CONSIDERATIO II.

*Quod tanta fuerit modeſtia, quam Redemptor mundi in aſpiciendo habuit, vt cùm ſemel oculos ſubleuauit, illud pro re peregrina Euangelium annotet.*

1. SI quatuor Euangeliſtarum ſacræ Hiſtoriæ perlegantur, deprehendetur, Chriſtum Dominum noſtrum, toto vitæ ſuæ decurſu, quatuor duntaxat vicibus oculos ſubleuaſſe; primùm in monte, quando Diſcipulis ſuis Beatitudines prædicauit; ſecundò in reſurrectione Lazari; tertiò in Cœna, quando corpus ſuum conſecrauit; quartò hîc ad multitudinem hominum intuendam, & poſtmodum panem diſtribuendum. Deus bone! oculi impeccabiles, ita compoſiti, vt numquam, niſi diuina ordinatione moueantur? Ita quidem; quia non fuit actio in Chriſto, quæ non fuerit noſtra inſtructio: atque ita, ſi oculi eius ita compoſiti ſint, non eſt quia ipſi neceſſarium fuit, ſed quia noſtra refert, magna circumſpectione, & prudentia in aſpiciendo vti, eoſque ſemper compoſitos gerere, vt tanto melius omnes eum offendendi occaſiones euitemus. Totum hoc dixiſſe videtur doctus & antiquus Pater Theophylactus hiſce verbis: *Vt diſcamus, quod non ſolitus ſit hinc & inde vagari oculis, ſed compoſitus & attentus ſedere; vtpotè docens Diſcipulos ſuos diuiniora quadam*; atque ita conuenit magnam ipſorum rationem habere, quia malorum noſtrorum auctores eſſe ſolent.

Mundi peccata tempore Noë tam magna, & enormia fuerunt, vt Deum ad mundum delendum compulerint. Obſeruat noſter magnus Luſitanus Oleaſter, quod Sacer Hiſtoriographus hoc referens, cauſam illorum peccatorum deſignet, quæ fuit, videre, Geneſ. 6. & conſpicere; non quomodocumque, ſed cum curioſitate, ſpecioſas mulieres, & laſciuis cogitationibus, & inhoneſtis ac profanis cupiditatibus, quæ à tali viſu procedunt, locum dare; *Cumq; vidiſſent filij Dei* (qui erant filij Seth) *filias hominum, quod eſſent pulchræ*: cauſa non fuit ipſa pulchritudo; nam hæc donum eſt Dei: nec ipſum videre ſimpliciter; illud enim res eſt naturalis; ſed cõſpicere nimia cum ſolicitudine, &

&cura, ex sensuali animo, ac deprauata voluntate originem trahente. Hoccè principium tantorum, ac tam grauium peccatorum, inquit Oleaster, designat Spiritus S. idque in hominibus virtuti adeò deditis, quales erant filij Seth, quos pro eorum sanctitate, filios Dei vocat, vt, etiam perfectissimi, magnam oculorum, ac visus rationem habeant, & omnes hinc intelligamus, quod, quantumuis filius Dei, quantumuis Angelus, & in virtute sublimatus quis fuerit, si se fidat mulieribus, & magna cum circumspectione inter illas non versetur, miserabiliter prorsus offensurus, ac prolapsurus sit. *Audiant hoc Sancti, qui sibi ipsis fidentes, inter medios fœminarum choros, se securos esse arbitrantur. Nunquid sanctior tu filijs Dei, quos ex fœminarum pulchritudine offensos, hîc Scriptura commemorat?* Oleaster hîc.

2. Iam aliàs (si bene memini) ad aliud institutum ponderauimus locum illum Scripturæ, qui agit de Dina, infelici illa Iacobi filia; quæ refert, quomodo illa, non obtentâ à parentibus suis, nec à fratribus veniâ, eo tempore quo minimè debuisset, domo egressa sit, & iuerit ad ciuitatem Sichem, *vt videret, mulieres regionis illius.* Gen 34. Magno profectò malo, ac damno ipsi fuit, domo egredi, vt videret, & frequentaret lasciuientē iuuentutē, prout hisce calamitosis temporibus, ob peccata nostra vsus obtinuit. Inquirere hîc solent Interpretes, quidnam Dina in illis videre voluerit? Et respondent communiter, quod mores, habitum, & cultum, quo ille vtebantur. In hoc non subsisto, quia non est quod ad rem meam facit. Reflecto ad translationem magni Patris sancti Augustini, qui, vbi Vulgata nostra dicit, *vt videret*, transfert ille, conformiter fortassis ad Septuaginta, quorum Versionem sæpiùs sequitur, *vt condisceret*; hoc est, quod egressa sit Dina, vt disceret sese velare, & comere, & assuefieri moribus, ac institutis, quibus illæ puellæ vtebantur; adeò, vt si duas lectiones, Vulgatæ, & Augustini componamus, clarè deducamus, quod in hac occasione, videre, & discere, sit vnum & idem; quandoquidem vbi vna Versio dicit, quod egressa sit *vt videret*, altera trāsferat, *vt condisceret.* animaduertite an fidendum sit oculis, cùm videre ineptias, & vanitates, idem sit quod eas condiscere. Neque res hîc substitit: notum enim ėst infortunium quod ei accidit cum Principe Sichemitarum, occasione cuius sanctus Bernardus dixit: *Etsi otiosa vides, tamen non otiosa videris.* Præstitisset profectò, Dina, te oculos ad videndum non habuisse: nam si curiositate ducta, non deuenisses ad videndum ea, quorum tua non intererat; cum tui dedecore, & iniuria canitiei tam honesti patris, in honore maculata, ac in puritate violata, & læsa non fuisses. August. q. 140. in Genes. Bern. de Grad. humilit.

3. *Descendit Samson*, inquit sacer Textus, *cum patre suo, & matre in Thamnatha: cumq; venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus Leonis sæuus & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit Leonem quasi hœdum*; & Adiungit autem Scriptura sacra: *Et hoc patri & matri noluit indicare.* Doctus Martyr Bertarius hæc vltima verba legens, intricatur, & sapienter aduertit: *Quomodo fieri poterit, vt eius pater, & mater, ad filium cum Leone decertantem non aduerterēt? Nunquid Leo pulex, aut culex erat, qua digitis comprimitur, & necatur?* Difficultatem habet dubitatio. Verùm doctè eam resoluit Abulensis Bertarium referens, atque adeò dicit, Iud. 14. Bertar. dub. 54. in vet. testam. Abul. hic.

cit, quod cùm Samſon Leonem occidit, iam à parentum ſuorum conſortio ſeceſſerat: nam ſimulatque ad locum vinearũ peruenit, aliam viam ingreſſus eſt, & per ſyluam tranſijt, vbi Leoni occurrit; & digreſſionis huius cauſam inquirens, reſpondet, cùm eſſet tempus vuarum, & Samſon Nazaræus, nocui lex eas comedere prohibebat, noluit cum parẽtibus per vineas tranſire, ne racemos videret, & eos comedendi periculo ſeſe exponeret: *Tutius iudicauit*, inquit Bertarius, *venire ad Leonis congreſſum, quàm ſe in occaſionem frangendæ legis, deſiderio ſaltem, inijcere:* ſi enim vuas vidiſſet, eas concupiſcere potuiſſet; ſi eas concupiſſet, facile fuiſſet eas comedere; ſi comediſſet, peccatum commiſiſſet, diuinum mandatum tranſgrediendo; bonum itaque remedium non aſpicere, ad non comedendum, non videre ad non peccandum.

4. Quàm egregius adoleſcens Dauid, & animoſus paſtor! Optima profectò virium & animorum eius probatio ſit, quod de eo ſacra Scriptura refert: 1.Reg.17. *Paſcebat*, inquit ille de ſeipſo ad Saulem, *ſeruus tuus gregem, & veniebat Leo, & Vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebatur eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum, &c.* Eccle.47 Et Spiritus ſanctus de ipſo dicit: *Cum Leonibus luſit quaſi cum agnis.* Bene quidem probatæ ſunt vires & animi Dauidis; ſed videte vnde inimicus intrauerit ad vincendum eum, qui inuinci- 2.Reg.11 cibilis videbatur: *Vidit mulierem ſe lauantem ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde, &c. Miſſis itaque Dauid nuntijs, tulit eam.* Videre enim, concupiſcere fuit; adeò, vt qui Leonum vngues viuus euaſit, propriorum oculorum ſuorum vi ſpiritualiter mortuus fuerit. Audite modò ſanctũ Gregorium Magnum euentum hunc conſiderantem: *Fugienda eſt, & cauenda occaſio, alioq́; ſunt oculi auertendi, quia intueri non conuenit, quod concupiſcere non licet.* Gregor. hic. Nam contrarium facere, eſt inimico arma dare, quibus nos impugnet: ſi enim Dauid oculos ſuos ei non conceſſiſſet, numquam ille auſus fuiſſet eum aggredi, neque eò deueniſſet, vt ipſum in præcipitium deturbaſſet: *Ipſis iuſti oculis vſus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij præcipitium deturbauit*, inquit ſanctus Baſilius Seleucienſis. Baſil. Seleuc. orat. 17.

Modò intelligetur ratio, propter 5. quam idem Dauid, peccati pœnitens, à lachrymis non ceſſauerit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Pſal. 118. Sed quid? An Dauid alijs corporis ſui partibus Deũ non offendit? Ita ſanè. Vt quid igitur in oculos præcipuè animaduertit? Videtur quod quemadmodum oculi damnorum eius cauſa extiterunt, ita quoque pro reliquis membris peccati pœnam luant. Hoc videntur indicare verba Genebrardi: *Quia peccaui oculis, & oculorum concupiſcentia, per oculos ſatiſfeci coptosè lachrymando.* Genebr. hic. Luant oculi quod quoquo modo defuerint in obſeruantia legis veſtræ; fuerunt enim excitatores, & ſuggeſtores turpitudinum, adulteriorum, & inordinatarum concupiſcentiarum, duces tyrannidis animæ, latrones qui bona eius abſtulerũt, portus quò vanitates cordis mei appulerunt, feneſtræ denique vnde vitæ meæ domum conſcenderunt, & inuaſerunt.

S. Ioannes Chryſoſtomus diſcurſum 6. hũc fusè proſequitur, in homilia quadam de Patriarcha Ioſeph, atque inter alia ſacræ Scripturæ loca quæ ibidem expendit, reflectit ad verba illa ſancti Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis,* Iob 31. vt

*vt ne cogitarem quidem de virgine.* Quasi dicat Sanctus vir: Cum oculis meis fœdus iniui, atque inter me, & illos conuentum est, quod non videbunt, nisi quod iustum, & æquum fuerit; quodque omnibus illis quæ turpium cogitationum occasio esse possent, cataractas occludere debeant, perinde ac si reipsa cæci forent, cùm certum sit, quod conformiter ad ea quæ ipsi vident, cogitationes quoque cordis existant. Audit eum sanctus Chrysostomus, & ex hisce eius verbis perturbatur. Fierine potest, vt ille, quem Satanas timebat, proprios suos oculos vereatur? & puellæ faciem intueri non audeat, qui inferni horror existebat? Ita quidem, inquit Aureum Os: *Iob diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut Leo viribus fidens: virgine autem visa, non stetit, neque moratus est in contuenda pulchritudine:* quia intelligebat in illa mora certam suam ruinam consistere. Gessit se Iob (inquit noster doctus & sanctus Episcopus Barbastrensis) instar dextri venatoris cum falcone. Falco est auis admodum cupida, quæ ad omnia quæ videt, seipsam iaculatur & vibrat, quamque omnia quæ ante ipsam sunt mouent. Vt eam quietam detineant, capitium ei inijciunt, quo oculos ei obuelant, ne videat id ad quod sese impellere non debet, illudque adimunt, quando videndus est grex auium, quas insequi debet. Cor nostrum falco est auidus & cupidus, qui omnia quæ videt appetit, & ad omnia sese impellit. Quid autem facit Iob? *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Falconi huic capitium inijcit, ne videat, nisi aues, quas insequi debet; quidnam scilicet ad subsidium pauperis, protectionem afflicti, honorem, & obsequium Dei necessarium sit, ad imitationem Domini, qui suo exẽplo, hoc est, tam rarò oculos subleuando, hanc maximi momenti doctrinam nobis proposuit, quâ in opus deductâ, nullâ aliâ oculi nostri opus habent.

*Chrysost. hom. de Patr. Ioseph. tom. 1.*

*Barbast. hom. 26. §. 2.*

7. Possumus quoque à Matre doctrinam percipere, quam nos Filius eius docuit, eò quòd ambo (vt sanctus Thomas dicit) in omnibus adeò sint conformes. Intrat sanctus Angelus Gabriel, supremæ Virgini Incarnationem diuini Verbi in purissimis eius visceribus annuntiaturus. Turbatur illustrissima Domina, & quamquam sancti Patres varias huiusce turbationis, vel timoris causas assignent; qui optimè censent, dicunt, magnitudinem, & excellentiam legationis hunc effectum produxisse; nil enim personam humilem adeò turbat, quàm honores, & laudes, inæquales omninò cogitationi, aut præsumptioni, quam de se habet, ei attribuere. Ad quod modò reflecto, est, quod Euangelista dicat, Virginem verba Angeli audientem turbatam fuisse: *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius;* & non dicat, eam in visione Angeli turbatam fuisse. Non est hæc mea cogitatio, sed venerabilis mei Magistri, docti illius Commentatoris in libros Regum: *Cur, quæso, non dicitur, Cùm vidisset, turbata est in visione eius?* Et respondet ad nostrum institutum admodum accommodatè: *Fortasse quod ita oculos habuerit modestos, ac demissos, vt ingredientem Angelum non viderit.* Temperantia, ac modestia Saluatoris nostri admodum similis; talis enim fuit quam in aspiciendo semper habuit, vt cùm semel oculos subleuauerit, ad nostram doctrinam, & instructionem, in æterna memoria remaneat: *Cùm subleuasset oculos, &c.*

*Bernard. hom. 3.*

*Mend. in lib. 1. Reg. c. 6. n. 13. in Expos. litt.*

*Vnde ememus panes.*

CONSIDERATIO III.

*Quod quamuis Christus Philippum consulat, eius tamen opinionem non sequatur, ad instruendum Principes, vt tali ratione ministris suis faueant, vt ipsosmet Principes gubernare non audeant.*

1. QVàm multos Reges, & Dominos immeritò mundus vocat; cum titulo Domini indignus sit, qui per alium sese regi permittit! Et quidem ratio est admodum clara; nam nomen, *Rex*, significat eum qui regit, & imperat, facta autem sunt eius qui regitur, & cui imperatur: atq; ita nomen non est conforme operibus, & appellatiuum moribus non conuenit. Nescio profectò quem condemnem magis, an familiares, quos priuatos vocant, qui limites suos excedunt, & plus quàm ipsis imponitur sibi, assumunt; an verò Principes ipsos, qui tam malè secum agunt, & animum tam abiectum habent, vt sese regi sinant ab ijs, qui ipsis inseruire deberent.

Cùm Moyses populo dixit plurimum se munere regiminis grauari, nec humeros se habere ad tam graue onus sustentandum, vtque illi personas optimè de Republica meritas sibi proponerent, vt digniores ex ijs eligeret, qui sibi assisterent, & quasi vicarij rectores populi forent, sacra Scriptura teste, dixit hæc verba: *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in Tribubus vestris, vt ponam vobis eos Principes.* Noster doctus Pagninus ex Hebræo transfert: *Ponam eos capita vestra.* Iam verò Oleaster ingeniosissimè animaduertit, Rectores populi Israël capita vocari, & nominis illius rationem assignat: *Vocat Hebraismus Principes capita, quoniam quemadmodum capitis est cætera membra corporis gubernare, ita & Principis, subditos suos, qui sunt veluti membra in humano corpore.* Caput subinde pedibus indiget, vt iudicium suum exequatur; pedes tamen ad eius mandatum semper se mouere debent; adeò vt capitis sit præcipere, pedum verò obedire; & si quidem hic ordo inuerteretur, esset præposterè incedere, & regimen pedum ad caput transferre. Idem erit, quando euenit, vt cliens Principi dominari voluerit, & subditus Prælato imperare. Quod hic subinde subditum consulat, rationi admodum consentaneum est; ideo enim Principibus permittitur Consiliarios suos habere: sed iudicium eorum exquirere, & omnibus quæ ipsi arbitrati fuerint subscribere, intolerabilis stultitia foret.

Bernard. hom. 3.

Mend. in lib. 1. Reg. c. 6. n. 13. in Expos. litt.

Deuter. 1.

Pagnin. ex Hebr.

Oleaster hic.

Grauida erat Thamar, nurus Patriarchæ Iudæ, & duos filios vtero suo gerebat; aduenit hora partus: doloribus eius incipientibus, vnus, cui nomen Zara, manum protulit, & videbatur generosior futurus, atque adeò obstetrix signo eum mox distinxit, in manu eius coccinum ligans, & dicens: *Iste egreditur prior*; vel prout est in Hebræo: *Iste egressus est prior.* Doloribus autem matris increscentibus, manum hic retraxit, & sese abscondit, & alter nomine Phares, qui infirmior videbatur, mox egressus est: *Manum retrahente, egressus est alter,* qui primogenituram, & Regnum sibi obtinuit. Quærunt sacri Interpretes, quare Zara primogenituram amiserit, si fecerit quod potuit, vt prior nasceretur quàm Phares? Præsertim, cùm in natiuitate 2.

Genes. 38.

Iacob, & Esau, videamus quod idem acciderit, & in ventre matris suæ Rebeccæ duo fratres pugnauerint, & quod Iacob detinuerit Esau ne prior nasceretur, & quamquam Esau prior natus fuerit, Iacob tamen primogenitus patris sui fuit, successor, & dominus tam illustris familiæ, nec ei obfuit quod iunior fuerit. Quænam igitur ratio fuerit, cur Zara Principatum amiserit? Temeritas quædam esse videtur, diuina iudicia perscrutari velle. Verumtamen dum euentus huius causam inuestigo, existimo quod manum proferre, vt ea ligaretur, cum ad regimen inhabilem effecerit: *Protulit manum.* vel prout ex Hebræo Pagninus noster legit: *Dedit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum.* Hîc malum omne fuit: si enim vi eam arripuissent, ideò fortassis ius suum non amisisset; sed voluntariè se capi permisit, & hac ratione insufficientiam suam ad imperandum indicauit. Princeps enim permittere non debet ab aliquo se ligari, solutas manus habere debet ad operandum, prout sibi videbitur conuenire; nec se ita subijcere debet, vt tandem eum regant, qui ei obedire debent. Sanctus Bernardus in huius doctrinæ confirmationem adducit, quod Regi illi accidit, cui, cùm sagittâ læsus esset, dictum fuit, vt se ligari permitteret, vt tãto securiùs ei mederentur, eò quòd minimus motus quẽ fecisset, mortem ipsi adferre posset. Respondit autem: *Non decet vinciri Regem; libera sit Regis, & semper salua potestas.* Indignas Principe iudicans vel ipsas repræsentationes regalis libertatis imperio clientum subiectæ; atque adeo melius esse censuit pati, quàm ligari.

*Bern. tract. de Pass. Dom. c. 4.*

3. Est quæstio curiosa, atque inter Scripturæ Interpretes admodũ agitata, quænam fuerit ratio, propter quam Deus Ionatham, filium Saulis successione regni priuauerit. Sufficiebat profectò, quod pater eius pœnã subierit, quã eius delicta promerebantur; quare filius eius simul cum ipso quoque obijt, si non sciamus peccata quæ cõmiserit? Quin potius pinus erat aurata, mille illustribus, & amabilibus perfectionibus cumulatus, quem Regem, & Dominum Israëlis appellabant; & nihilominus quærit Deus pastorem de Bethlehem, Dauidem adolescentem, vt sceptrum, & coronam populi sui ei conferat? Magnum profectò mysterium! Sacri Doctores diuersas ineunt vias: sequemur modò opinionem sancti Gregorij Thaumaturgi: instituto enim nostro mirè quadrat. Notat hic Sanctus modum, & stylum quo sacra Scriptura refert puram illam, ac sinceram amicitiam, quam Dauid, & Ionathas inter se contraxerant: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Quin & amicitia eò tandem deuenit, vt vestimentis & ornatu, quibus indutus erat Ionathas, sese exuerit, & dederit ea Dauidi, *vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum.* Dicit modò sanctus Gregorius Ionatham hac actione declarasse, se non habere genium regis, & quodammodo Dauidi sceptrum cessisse: *Vincula inferre præstantioris erat, non inferioris; agglutinari autem deterioris; ita quidem, vt vinculis expedire se quodammodo non posset.* Aduertendum est quod Ionathas Dauidem requisiuerit, eiusque amicitiam ambierit, affectus sui laqueis, & vinculis constrictus, Dauid verò eum cepit, & libertatis eius dominum se effecit: qua quidem ratione Ionathas visus est confiteri pusillanimitatem suam, & generosam supe-

*1. Reg. 18.*

*Gregor. Thaum. in orat. ad Orig.*

ſuperioritatem quam in Dauide agnoſcebat, certa denuntiatio, eum ſuper ſe regnare. Et amplius dico, quod donatio, quam fecit ei Ionathas gladij, qui eſt inſigne poteſtatis regalis, præſagium fuerit, eum regem non futurum: qui enim ſe capi permittit, & auctoritatem ſuam conſeruare neſcit, non habet delineationem ſeu ſpeciem Principis, neque neceſſaria requiſita ad mundum.

4. *Ierem. 51* Deplorabat Ieremias iniquitatem magnam, quam videbat in terra: *Iniquitas in terra*, inquit ille capite 51. ſacri ſui vaticinij. Quæ, obſecro, iniquitas hæc, ploratu adeò digna? Perinde enim, ac ſi nulla alia in mundo fuiſſet, huius duntaxat meminit Propheta. Suntnè fortaſſis homicidia, adulteria, latrocinia quæ in eo ſunt? Nequaquã. Suntnè vſuræ, periuria, falſa teſtimonia? Nec illa. Suntnè odia, cupiditates, ambitiones? Minimè. Quænam igitur eſt hæc iniquitas, quam adeò lugens deplorat Ieremias? *Dominatorem ſuper dominatorem*. Explicat doctus Martinus Delrio: *Delrio in Thren. c. 5. v. 8.* *Hoc eſt, Rex in Regni administratione priuato ſubditus, priuatus verò Regi præpoſitus.* Dicit iniquitatem hanc eſſe ſupremam, propter multas alias, quæ ex illa procedere ſolent, admodum probatas in triſtibus illis Regnis, in quibus magna hæc infelicitas haberi ſolet. Vtinam eam in Hiſpania noſtra non videamus, nec ad illa tam calamitoſa tempora deueniamus, vt cum veritate dicere poſſimus, quod Ammianus Marcellinus, de Euſebio Cõſtantij Imperatoris familiari verba faciens, de quo dicit hæc verba *Apud quem, ſi vera dici debent, plura Conſtantius potuit.* *Ammia. apud Velaſq. in c. 1 ad Philip. v. 13. ann. 6.* Hoc eſt, quod Imperator vteretur familiari ſuo Euſebio, & cum ipſo multa negotia determinaret, eò quòd non eſſet ipſe ſuus, ſed Euſebij familiaris ſui. Aduerto Hiſtoricum dicere: *ſi vera dici debent.* Videtur non fuiſſe tempus dicendarum veritatum. Multa hîc dici poſſent, verùm non conuenit doctrinam hanc applicare, ſed diſcurſum noſtrum proſequi, & oſtendere, quanti referat Principes Catholicos manus habere diſſolutas, & liberum arbitrium, ne ab inferioribus ſuis ſe regi ſinant, in eo quod contra iuſtitiam & rationem fuerit; ſed eos intra limites ſemper contineant; ita ſubalternatos, vt ſciant quod pedes eorum ſint, & ipſi illorum capita.

Noti ſunt magni illi fauores à Saluatore ſancto Petro Apoſtolo exhibiti, quemadmodum Eccleſiæ Tiaram ei promiſerit, & mox ei mandauerit, vt pro duobus tributum Cæſari perſolueret, reliquis Diſcipulis eum præferens. 5. *Matth. 16. & 17.* Poſtmodum verò accidit, vt paulò pòſt dixerit ei Dominus, quod mortem crucis obiturus eſſet; ſanctus verò Apoſtolus Petrus ſe ei oppoſuerit, eumque reprehenderit, quaſi efficere volens, vt verbum retractaret: *Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Propter quod Dominus aſperè eum reprehendit, inimicum ſuum eum vocans, & hominem qui parum admodum de ſupremis Redemptionis myſterijs comprehenderet: *Vade poſt me, Satana: ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Audit eum Victor Antiochenus, & hoc modo verba eius explicat; *Vict. Antioch. apud Marc. c. 8.* *Hoc eſt, Sequere me, neque voluntati meæ, qua ſponte cruci me ſubmitto, in poſterum aduerſare.* Quaſi diceret: Petre, licet te tantopere ſublimatum videas, & tantis à me fauoribus præuentum, caue cum tanta familiaritate prolabaris: ſequere tu me, non autem

autem ego te; cumque videris, quod ad rem aliquam faciendam me determinauerim, ne mihi contradicere audeas: cumque iam dicam quod mori velim, tacere, & obedire conuenit, non autem vt discipulus Magistrum docere velit, & seruus Domino suo imperare.

6. Modò intelligetur ratio, propter quam Christus Dominus eundem sanctum Petrum reprehenderit, quando in horto, cum ministris Satanæ venirent, vt eum caperent: *Extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Et meritò, inquit magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus, Dominus eum reprehendit; nam absque dubio aliquod peccati genus habuit. Verùm occurrit ratio dubitandi, si diuinus Magister mandauit eis, vt, *qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*; quomodo modò eum accusat, quod gladium eximat? Ad quid sunt gladij, nisi ad defensionem? Quæ autem iustior esse posset, quàm hæc præsens? Respondet gloriosus sanctus: *Quia Dominus iusserat, vt ferrum Discipuli eius ferrent, sed non iusserat, vt ferirent.* Sanctus Petrus autem tamquam dominus gladio, & potestate sibi data vti voluit, prout sibi videbatur, non autem prout Dominus sibi mandauerat; nec iussa eius expectauit, sed absque eius imperio inimicum aggressus est; licet enim Christus Dominus gladium emi præceperit, non tamen præcepit, vt illo feriret: atque adeò faciendo contra id quod sibi imperatum fuerat, mandatum excessit, & plus quàm debebat, potestatem ampliauit; semper enim familiarium actiones secundùm voluntatem Principis, eiusque imperium dirigi debent; contrarium enim est iniquitas, quam vidit Propheta Ieremias, seruum nempe maiorem esse domino suo.

Matth. 26.

Luc. 22.

Aug. l. 22. contr. Faust. c. 70.

Contentum me reddidit moderni cuiusdam Commentatoris animaduersio, ponderantis id quod aduertit sanctus Euangelista Lucas in Historia Actuum Apostolorum, agens de aduentu Spiritus sancti. *Apparuerunt*, inquit, Discipulis simul congregatis, *dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Euentus mysterio plenus, inquit hic doctus; & verò quid nam significabat? *Super caput Apostolici Præsulis tantùm sit Spiritus sancti lingua.* Dictum bene: sunt enim quidam subditi, qui lingua sua, plus quàm superiores sui, imperantes; super capita eorum sedent, priuilegium soli Deo concessum, insolenter vsurpantes: verùm non sunt hi Prælati Apostolici, nec tales Principes Christiani: qui enim reuerà tales sunt, Dominum dominantium Christum Saluatorem nostrum & Magistrum imitantur, qui ita Discipulis & inferioribus suis fauet, eosque consulit, vt semper ipse sit qui gubernet. 7.

Act. 2.

Cel. in Iudith. c. 2. v. 2. §. 4.

1.

Agesilaus, Lacedæmoniorum Rex, Lisandrum familiarem suum habuit. Cognouit ille à Principe suo se amari, & hoc ipsum cognoscere (quemadmodum multis) magno ipsi damno fuit. Tantum enim ipsi fidit, vt maius dominium vsurpauerit, quàm Rex vellet; qui prout sapiens & circũspectus erat, satis prudens medium excogitauit. Itaque Lisandrum vocauit, inquit Plutarchus, eique in domo sua officium commisit, superbiæ; & præsumptioni eius longè inferius: *Quam rem vehementer ille dolens: Belle, inquit, Agesilae, nosti amicos extenuare tuos.* Respondit Rex: *Noui; sed eos, qui me maiores esse volunt.* Hoc fecit Rex Gentilis; quanto ma- 8.

Plut. in Agesil.

to maiori ratione Principes Catholici id facere debent, cùm tam bonum exemplar habeant, in quod oculos cōijciant, quale est Christus Dominus noster, qui licet Philippum consuluerit, eius tamen opinionem non est secutus; ad nos docendum, quod seruus non magis imperare debeat, quam suus dominus, & herus.

---

### *Saturati sunt.*

### Consideratio IV.

*Quod vt Christianus perfectè adimpleat præceptum charitatis, eleemosynas suas facultatibus suis conformare debeat.*

1. NOn dicit sacer Euangelista quod solùm comederint, sed quod comederint vsque ad satietatem, ac tantum, vt conuiuæ non amplius voluerint, aut desiderarint; vt suo nos exemplo Saluator noster modum doceret, quo charitatis opera à nobis obeunda sunt. Neq; enim ad perfectè obeunda misericordiæ opera, & satisfaciendum obligationi hominis Christiani sufficit, nos quoquo modo pauperi benefacere; verùm, si per facultates liceat, debemus plenariè necessitatem, ac miseriam eius subleuare: nam si non fecerimus quod possumus, & quantum pauperi necessarium fuerit, perinde erit ac si nihil fecissemus. Sapienter admodum in hac materia locutus est magnus ille Pater S. Augustinus, cùm ait: *Vnusquisque quantum præualet, tantū porriget: qui habet aurum, det aurum: qui argentum, argentum; qui verò non habet pecuniam, cum bono animo det pauperibus buccellam.* Adeò, vt omnes ac singuli, proximo suo in miseria constituto, quantum facultates permittunt, subuenire teneantur, atque ea quæ in pauperes expendunt, annuis reditibus, & prouentibus conformare; alioquin enim nec agent, quod debent, nec Redemptorem nostrum imitabuntur.

*Augustin. de rect. Cath. conuersat.*

Sanctus Petrus Damianus Cardinalis considerat, atque expendit methodum illam ac legem sancti ac senioris Tobiæ filio suo datam, qua eundem docuit, qualiter deberet esse misericors: *Quomodo potueris ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Notandum, inquit sanctus Petrus Damiani, duo esse quæ hîc filium suum, ac in illo nos omnes doceat sanctus ille senex, ac apprimè doctus in materia, ac exercitio charitatis: Primum, vt eleēmosynæ sint secundùm mensuram diuitiarum cuiusque, & quisque proximo suo benefaciat, quantum à Deo sibi datæ facultates patiuntur: Alterum, vt quantumuis parum quis habeat, ideò tamen benefacere non intermittat, verùm etiam modicum illud inter pauperes libenter dispertiatur: *Vbi etiam discretionis modum ponit, & authenticam procul dubio regulam, in qualibet possessionis, atque substantiæ quātitate præfigit. Ait enim: Quomodo potueris, ita esto misericors.* Adeo vt puritas, ac perfectio charitatis non consistat in proximo aliqua ratione benefaciendo, sed tantum quantum ipsi opus fuerit, & vt minus, quantum facultates nostræ patiuntur. 2.

*Damian. opusc. 9. de eleēmos. c. 3.*

Creauit Deus terram, & eâ creatâ, tot, tantisque, vt ita dicam, pensionibus, tributis, ac oneribus impositis eam grauauit, vt admirationi sit singula consideranti. Iubet producat herbas, plantas, arbores: *Germinet terra herbam* 3.

*Genes. 1.*

*herbam virentem, lignumq́; faciens fructum.* Nec satis insuper mandat, vt illa tamquam pium refugium, seu benignus hospes, hominibus, atque omnis generis animalibus, magnis ac paruis, receptaculum & domicilium præparet. Ad hæc conuenientia, ac necessaria alimẽta tam diuersis hospitibus subministret. Igitur, vt famosus noster Lusitanus Oleaster ait, soli terrę tanta onera, tot vectigalia, ac tribuat? quî sufferre poterit tot solicitudinũ ac obligationũ pondus? Non alia certè de causa, quàm quia his omnibus ferendis sufficientẽ habet potestatem, ac virtutem, & Deus vult, vt quantum fieri potest, sese communicet, idque ad confusionem eorum Christianorum, qui cùm pauperibus multa elargiri possunt, pauca distribuunt: *Sunt qui cùm multa præstare possint, paucis exhibitis contenti sunt, quos hæc sententia redarguit. Non sat fuit terræ, producere ex se herbam, sed quidquid producere potuit, ad nostram produxit vtilitatem, herbam paruam, & grandem, arbores, & ligna fructuosa, & infructuosa.* Idem fecerunt aquæ, atque indies faciunt illa cœli luminaria, vt ibidem diligens ille, & grauis Auctor aduertit, & curioso lectori in eo videre licet. Concludit autem his verbis sequentibus: *Quid tu solus homo thesaurizas, ignorans cui congregabis ea? Et si plura præstare potes, cur contentus es, cùm parua, aut nulla effundis?* Si terra, aqua, ac cœlestes illæ stellæ tam liberales sint, vt eis non sufficiat vno tantùm, sed pluribus modis sese hominibus communicare gestiant, Tu, ô homo, qualis eris? vt quid deterioris conditionis eris, quàm creaturæ insensibiles, ac ratione destitutæ? vt quid thesaurizas, ac diuitias tuas conseruas, ignorans quis ijs fruiturus sit? Et si quidem ad multa largiendum diuitiæ tibi supersint, vt quid paucis, aut nihil omnino datis acquiescis? Profectò non hoc est quod Deus præcipit, nec elementa hoc te docent; verumtamen vt des, cùm possis, necessaria pauperi; alioquin quidquid egeris, pro nihilo reputabitur.

*Oleast. hic.*

4. Regius Propheta Dauid *Psalmo* 129. hominibus persuadere nititur fiduciam, quam in Deum habere debent, & in ipso solo spes omnes suas collocare: *Quia,* inquit, *apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Rationem à se dictorum hîc assignat Dauid, & cur homo in Deo solo, nec vlla alia in re sperare debeat: nempe, quia in ipso solo, & cum ipso in ipsius domicilio, potestate, ac manu (quæ omnia significant verba hæc, *Apud Dominum*, vti obseruat magnus noster Hispanus Paraphrastes) pietas est, ac misericordia: *& copiosa apud eum redemptio.* Copiosam verò illam redemptionem, quæ multo maior est, quàm peccatis hominum necessaria sit, solus ille, nec alius quispiam facere potest. Sola enim, ac vnica sanguinis gutta, mille mundis redimendis sufficiebat, atque vnius solius amore, totum sanguinem effudit. *Prorsus copiosa,* inquit sanctus Petrus Damiani, *non stricta; quia largiter vnda sanguinis de corpore Christi per quinque partes emanauit; sufficeret ad redemptionem orbis vel vna pretiosissima sanguinis gutta, sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat;* vtque ex magna illa Dei misericordia, qualis redemptio nostra fuit, discamus misericordes fieri, non aliqua tantùm ratione necessitatibus pauperum prouidendo, verùm magnam, ac superabundantem misericordiam, ac charita-

*Psal. 129*

*Episc. Carcer.*

*Damian. serm. 47. qui est primus de exalt. S. Crucis.*

ritatem eis exhibendo.

5. Considerat magnus ille Oleaster legem Dei, ac Domini nostri populo suo impositam, ac in terra promissionis obseruandam: *Si vnus de fratribus tuis qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eum pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.* Deut. 15. Sed quid? Non sufficiet si aliqualem eleemosynam pauperi dedero, sed necesse est, vt ab omni eum miseria liberem? Nequaquam intelligitis, inquit Oleaster: non mandat hoc Deus, in solius meriti tui, verùm etiam honoris, ac gloriæ tuæ augmentum: *Non vult Dominus te fore parcum in distribuendo, & subueniendo fratribus tuis, quod etiam gloriæ tuæ expedire videtur, ne alius dicat, se defectibus tuis potius, quàm proximi subuenisse.* Et quidem ratio est clara: si enim, cùm possis necessitati proximi tui totaliter subuenire, idipsum non feceris, alius quispiam qui ei succurrerit, meritò dicere poterit, se non tam paupertati eius remedium attulisse, quàm defectus à te commissos suppleuisse. Cùm enim liberali manu ei subuenire potueris, id minimè fecisti, atque hoc contra leges perfectæ charitatis, quæ iubent, ac mandant, vt quisque ad proximum iuuandum faciat quod possit, & non contentus parum aliquid dedisse, quantum illi necessarium fuerit largiatur.

6. Ad hoc institutum notaui quandoque insignem considerationem sancti Augustini. De Lazaro illo mendico dixit Christus Dominus noster, quod *cupiebat saturari de micis, quæ cadebãt de mensa diuitis.* Luc. 16. Videtur autem Magnus ille Doctor opinari, quod Lazarus ex diuitis illius domo, eleemosynam aliquam, licet exiguam habuerit: *Numquid enim fratres charissimi, si pauper ille ante ianuam iacens, sufficientem panem acciperet, diceretur de illo, Quia cupiebat saturari?* Aug. ser. 19. de verb. Apost. adeò, vt, quantum ego quidem capio, sanctus ille, diuitis culpam non ponat in eo, quod nihil dederit, sed quod non dederit quidquid Lazaro necessarium fuit. Atque ex ipso Euangelij sacro Textu cõiectura hæc elici potest; dicit enim quod *iacebat ad ianuã*, quod non diceretur, si vno tantùm, aut altero die, & non pluribus diebus ad ianuam iacere solitus fuisset; adeò vt nemo plateas pertransiret, quin eumdem singulis horis ibidem reperiret: cumque per plures dies ibidem moraretur, clarum omnino videtur, aliquid saltem ei datum fuisse; nimirum frustula quædam panis, & analecta, seu mensæ reliquias quasdam subinde recipiebat, quibus se, licet ægrè, & cum solita semper fame, & dolore sustentabat, cùm non haberet sufficientia quibus naturæ suæ faceret satis. Adeoque non dicit Augustinus, quòd diues ille non dederit panem, sed quod non dederit *sufficientem panem*; & dicit, quod Euangelium non aliam damnationis eius causam assignet, quàm solam eius inhumanitatem, qua, cùm tanta sibi superessent, pauperi tamen necessaria non dedit. Notatu digna sunt Augustini verba: *Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec congruè dignèq; pascebat, mortuus est, & sepultus in inferno.* vt nos præmoneat, quod si non fecerimus, quantum potuerimus, legem boni, ac veri Christiani, prout oportet, non adimpleamus.

Mandabat olim Deus in Deuteronomio populo suo, vt ex omnibus 7.

 fructi-

fructibus, quos in messe colligeret, certam quamdam partem reseruaret Leuitis, peregrinis, pupillis, & viduis, vt scilicet haberent quod comederent, & quo saturari possent: *Venietq; Leuites, qui aliam non habet partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus, ac vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur; vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus operibus manuum tuarum, quæ feceris.* Famosus noster Oleaster aduertit ad verbum *saturabuntur*; ac super eo ad mores nostros formandos, ait: *Non vult te parcè tua in pauperes distribuere, sed tam abundè, vt inde non solùm nutriantur, sed etiam saturentur pauperes. Quid ergo facitis, qui tam parcè in pauperes effunditis, vt ex eis vix viuere liceat, quantò magis saturari? Audi Apostolum: Qui parcè, inquit, seminat, parcè & metet.* Imò quod amplius est, addo, & dico, quod nihil omninò metet Christianus ille, qui aliquid tantùm mendico dederit, si, cùm dare possit, necessaria negauerit; nam, vt Christus dicit, cælestibus benedictionibus indignum se facit.

Deut. 14.

Oleast. hic.

8. Christus Dominus Redemptor noster per sanctum Matthæum dixit, quod virgines fatuæ acceptis lampadibus, *non sumpserunt oleum secum.* Sanctus Saluianus acutè admodum hîc stringit, clausulam hanc examinans, in qua nonnullam difficultatem deprehendit, ac videns eas afflictas, eò quòd lampades earum extinguerentur: *Lampades nostræ extinguntur*; dicit hæc verba: *Cùm ipsæ, vt legimus, extinguendas fortè lampades suas reformidauerint, habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui.* Quomodo itaque dicit Saluator; quod *non sumpserunt oleum secum?* Eò quòd, minus sumere quàm necessarium fuerit, perinde sit ac nihil sumere. Hoc est quod sanctus Saluianus tacitè dicere voluit: *Habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui.* Ex omnibus hoc discursu adductis, clarè colligitur veritas doctrinæ, quam titulus ei præfixus includit; nimirum, quod ad hoc vt Christianus perfectè adimpleat præceptum charitatis, non sufficiat quoquo modo pauperibus benefacere, sed quod eleëmosynæ ac misericordiæ opera debeant esse secundùm facultates, & bona cuiusque; atque hoc exemplo suo nos Christus docuit numerosæ huic multitudini penuriam patienti dando quod comederet vsque ad satietatem. *Et saturati sunt.*

Matth. 25. Saluian l. 2. ad Eccles.

---

*Colligite, quæ superauerunt, fragmenta, &c.*

## CONSIDERATIO V.

*Quod cùm natura paucis indigeat vt sese sustentet, soleat Deus dare quod sufficit, vt necessitati succurrat, non autem superflua ad ostentationem fouendam.*

FInito conuiuio, mandauit Christus Dominus, reliquias colligi, 1.
ne deperderentur; licet videatur quod parum perijsset, duodecim panum cophinis deperditis, & consequenter quod nimia fuerit prouidentia Christi; Certum tamen est, quod omnis eius actio, nostra sit instructio, & toto vitæ suæ decursu nihil egerit, aut dixerit, quod ad nostram doctrinam directum non fuerit: atque adeò tali ratione eis necessaria dedit ad necessitati succurrendum, vt superflua dare noluerit, ne profusionis causa foret, vtque

vtque grauia mala euitaret quæ vanitas secum trahere solet. Liberalis esse voluit naturæ Auctor, non prodigus; primum enim fecit, vt necessitati nostræ subueniret; secundum verò si fecisset, ostentationem nostram fouere visus esset: quodque hîc Dominus maximè à nobis desiderat, est, vt non secundùm vanam mundi opinionem, sed conformiter ad naturæ leges viuamus, cui proprium est paucis esse contentam. Quapropter sapienter admodum dixit Philo Alexan-
Philo l.2. Allegor. drinus, quod *protegitur vita cibo, potuq;, sicut corpus vestimento.* Hæc verba facem mihi præbuerunt ad alia quædam Christi Domini apud S. Matthæū intelligenda, quibus auditoribus persuadebat: *Ne solliciti sitis animæ vestræ*
Matth.6 *quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Scio equidem verborum illorum scopum fuisse, vt humano pectori persuaderet Saluator, quod semper ab eo requisiuit, id est, vt cœlum pro primario ac principali suo, terram verò pro accessorio haberet, vtque illud intentionum, desideriorum, cogitationum, ac spei nostræ finis foret. Hæc est communis Sacrorum Interpretum explicatio. Aduerto autem cœlestem Magistrum, vt tempe-
1. rantiam, ac moderationem nobis persuadeat, coniungere victum, & amictum, quæ duæ res sunt, quibus ad mortalis huius vitæ conseruationem omnes indigemus. Cumque Philonis Hebræi sentētia vtor, intelligo, Christum Dominum duabus hisce rebus mensuram, & modum imponere, idem esse ac dicere, vt vnâ vtamur sicut aliâ; hoc est, cibo sicut vestimento, & quemadmodum corpus vestimento tegitur, ita venter cibo sustentetur: *Protegitur vita cibo potuq;, sicut corpus vestimento.* Quasi diceret, vt necessarijs contenti, superflua euitemus. Ita capio verba Philosophi, *Protegitur, &c.* Vestitus ad iustam mensuram abscindi debet; ne, si longior fuerit, per terram repat; sin verò angustior, rumpatur, & rimas agat. Homo prudens iustè æstimare debet, quid expendere possit, quidque sibi necessarium fuerit, ne excessus faciat, vtque à debitis, quorum vanitas causa esse solet, sese liberet.

Doctissimus noster Oleaster obser- 2.
uauit Deum Moysi mandare, vt lucernas, quæ in Tabernaculo Domini, ad debitum diuinæ Maiestatis eius cultum esse deberent, summus Sacerdos Aaron ita disponeret, vt à vespere vs-
que ad manè accensæ forent: *ponetq;* Leuit.24.
*eas Aaron à vespere, vsque ad manè coram Domino.* Numquid, Domine, conuenientius fuisset, vt lampades hæ de die quoque arsissent, & Sanctuarium tuum omni tempore illuminatum fuisset? Nequaquam. Quid igitur ea re nobis indicare, & docere voluisti? Dicam, inquit magnus Lusitanus: *Pru-* Oleast.
*dentiam in expendendo docet locus iste.* hic.
*Poterat enim præcipere, vt die noctuq; lucerna arderet, sed quid in luce lucerna opus est?* Fuisset sanè absque vlla necessitate oleum perdere. Luxum, inquit Deus, & superfluitates in domo mea nolo, vt homines à me modū discant, quem in domibus suis regendis tenere debeant, non vtendo superfluis, sed tantummodo ad sui conseruationem necessarijs.

Spiritus sanctus capite 31. *Prouer-* 3.
*biorum* animam iusti, mulieri prudenti & forti magnæ domus suæ gubenatrici comparat; de eaque dicit,
quod *facta est quasi nauis institoris de* Prouerb.
*longè portans panem suum.* Doctus Ian- 31.
senius verba hæc explicans, dicit se- Ianssen.
quentia: *In eo igitur constituitur mu-* hic.

*lieris laus, quod manuali opera, etiam peregrinas opes, & non solùm quæ domi nascuntur, inferat in domum mariti: non tamen ad luxum, sed ad necessitatem, quæ nomine panis significatur.* Notum enim est nomine panis significari ea, quæ ad vitæ humanæ sustentationem, ad conseruationem præcisè sunt necessaria.

4. De primis illis, post diluuium, mundi fundatoribus dicit sacra Scriptura,

Genes. 11. quod *cùm proficiscerentur de Oriente, inuenerint campum in terra Sennaar, & habitauerint ibi.* Gloriosus S. Ioannes Chrysostomus multa deprehendit, in hac loci mutatione annotanda. Fierinè potest, inquit sanctus ille Doctor, vt tam pauci homines in Oriente contineri non potuerint? Quid opus erat peregrinari, & nouas per mūdum terras conquirere, in quibus viuerent? Noluerunt, inquit aureum illud Os, diuinæ voluntati sese conformare, nec intra terminos, sibi à Deo constitutos, se cōtinere:

Chrysost. hom. 30. in Gen. *Vide quomodo humanum genus non potest subsistere intra suos limites, sed amplius concupiscens, maiora intra se appetit. Atque hoc est, quod potissimè humanum genus perdidit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere,* de qua diximus, eam facilè, & paucis contentam esse; contrà quàm solet ipsa vanitas, quæ solo impossibili sibi satisfacit. Arbor liberalis non vocatur, cùm ventus omnes eius fructus decerpit, & deijcit, nec homo talis dici debet, cùm vanitas omnia eius bona absumit; ægrè enim vocari poterit virtus illa, quam ordinariè tanta vitia comitantur.

5. Recordabimini (credo) parabolæ

Matth. 18. Regis illius, qui, cùm oblatus sibi esset famulus quidam suus, qui debebat sex milliones (ad hanc enim summam adscendunt decem millia talenta, secundùm computum regni Castellæ; quamquam tamen postea totam hanc summam ei dimiserit, benignitas profectò tam liberalis, vt de alio Rege numquam similis audita fuerit) & *non haberet vnde redderet, iussit eum venumdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Aduertit magnus noster Oleaster ad seueram, & rigidam hanc executionem, & quærit: *Quare existimas vxorem simul & filios cum eo vendi, nisi quia magna debita vxoris & filiorum gratiâ contraxerit? Non enim timuit aliena rapere, vt vxorem & filios pompose indueret, & ornaret.* Quoniam verò tanti debiti causa fuerunt, iure merito & ipsi puniuntur.

Quàm longè aliter in œconomia domus suæ sese gessit sancta illa virgo, 6.

& Domina Martha, de qua sacer Euāgelista dicit, quod dum soror eius Maria verbum Dei audiret, licet hera & domina domus, culinæ intenderit, & aliquid quod comederent, præparare inceperit. Hoc enim mihi significare videtur: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Et siquidem sacros Interpretes interrogaueritis, quam ob causam tam grauis mulier istis ministerijs sese impenderet? diuersimodè respondebunt. Inter omnes instituto nostro admodum accommodatè locutus est doctus quidam nostri temporis; qui dicit, rationem, propter quam ipsa per se in propria persona ministrauerit, fuisse, quia non haberet famulos, & ancillas, qui hisce ministerijs sese impenderent, & necessarijs intenderent. Ideoq; postmodum de sorore sua conquerens, quod se non adiuuaret, dicit, eam considerare debuisse, quod esset sola: *Soror mea reliquit me solam ministrare.* Et si quidem denuo interrogetis, inquit, quomodo mulier mediocriter, & aliquid amplius quam

(Luc. 10. — Angel. Salm. disc. 6. de Assumpt. §. 7.)

quam mediocriter diues, esset sine famulis, & famulabus? Respondeo, quod ab omni ostentatione, & vanitate mundi se expediret, vt tanto plus ex bonis sibi superesset, quo eleëmosynarum vi cœleste regnum lucrari posset. *Quomodo enim octoginta & nouem pauperes hospitio excipere posset, si à superfluis non abstineret?* Tot enim inter Discipulos, & Apostolos Christus ordinariè secum adducebat; idq; non semel, sed sæpiùs. Nunquid clarum est, quod si domus eius ad ostentationem ornata fuisset, in eoque reditus quos habebat prodegisset, nihil in eleëmosynas superfuisset? Ne itaq; necessarijs aliquid deesset, à superuacaneis abstinuit. Necessarijs enim intendi non potest, nisi superflua euitentur.

7. Christus Dominus Discipulos suos, atque in illis orare nos docens, dixit eis, vt quotidie ab æterno Patre suo panem peterent: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* quasi certò supponentes, quod ipse diem nobis immittens, necessaria quoque ad eum transigendum subministrabit, & efficiet vt ea de causa exoriatur sol, cœlum nubibus obtegatur, ac stellis suis prætexatur, & radijs lucis terra fertilis reddatur, & ad hunc effectum ipsum cœlum in gyrum circumducat. Notat verò S. Ioannes Chrysostomus, quod non dixerit vt peteremus panes, sed panem: *Si tu in vnum conuiuium tantùm expendas, quantum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia, hominibus centum, aut tibi ipsi centum diebus, iam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum.* Prudenter animaduersum! atque adeo, idem fuit, præcipere nobis, vt quotidianam sustentationem peteremus, ac dicere vt mediocri victu contenti essemus, & nullos excessus faceremus, qui multorum malorum causa esse solent.

*Matth. 6.*

*Chrysost. hom. 16. in Matt.*

8. Vt autem ad rem nostram veniamus, visum est mihi hîc referre quod Dionysius Kaarnæus de Platone refert: *Plato generosum conspicatus adolescentem, patrimonio per ebrietatem consumpto, ad fores Pandochij panem edentem, & aquam bibentem: Si, inquit, moderate prandisses, numquam sic cœnares.* Idem sanè multis Christianis dicere possumus, à quibus vanitas aufert quæ habent, adeoque ad statum deueniũt, in quo non nisi extremam paupertatem patiuntur: quodque dolendum est magis, nulla charitatis opera exercent, & nesciunt quid sit pauperi benefacere. Et quidem aliqui dicent, & iurati affirmabunt, se non posse: & verum dicunt; nam si, verbi gratia, duo millia ducatorum ex annuis reditibus recipiant, & tria millia, & amplius in rem familiarem expendant, quid eis in eleëmosynas superesse potest? Vanitate abducti plura quàm habeant expendunt, atque ita ne teruncius eis superest, quem in charitatis opera expendant; atque adeo propter peccata nostra illis confusionibus, & ineptijs mundus plenus est. Neitaque ad similes angustias vos vmquam redactos conspiciatis, nec Christianæ charitatis obligationi desitis, suo vos exemplo cœlestis Magister docet, vt omnes parcè viuatis, & in vestro viuendi modo eam moderationẽ adhibeatis, quã ipsa natura exigit, quæ necessarijs cõtenta est, nec superflua requirit. Hoc est, quod cum Deo loquẽs, magnus Augustinus dicebat: *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Si enim plus quàm necesse fuerit medicamentorum sumpseris, iam illa non prosunt, sed sanitati nocent: ita quoque alimenta si nimia sint, nocent:

*Kaar. in suo Heliotrop. serm. de morte.*

*Aug. l. 10. Confess. c. 131.*

bonum

bonum illorum in moderatione consistit; atque idem est quod Christus, qui bonum nostrum est, nos docet, præcipiens conuiuij fragmenta, ac reliquias colligi, & asseruari, quando conuiuis satisfactum fuit, & saturati fuerunt. *Colligite.*

---

*Impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.*

## CONSIDERATIO VI.

*Quod eleëmosyna vsura sit in diuinis, cùm non sit eleëmosynarius, qui sortem lucro non duplicet.*

1. QVærunt sancti Patres, quem finem intenderit Christus præcipiens fragmenta colligi? Melior opinio, vt mihi videtur, est gloriosi sancti Cyrilli Alexandrini, cuius sunt sequentia verba: *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur: Quanto plura dabis liberaliter, atque misericorditer, tanto tibi plura largius confluent.* Hoc enim miraculo Christus Dominus probauit, distributum panem crescere, nec esse fructum similem, nec semen tam abundans, nec artem aut negotiationem tanti fœnoris, & lucri, qualis eleëmosynæ, & pietatis; adeò, vt quanto erga pauperes liberaliores fuerimus, tanto ditiores effectos, & plura lucratos nos fuisse deprehenderimus. *Cyrill. l. 3. in Ioan. c. 18.*

Quàm bene veritatem hanc agnouit Patriarcha Abraham? (inquit grauissimus noster Interpres Oleaster) ideoque ad peregrinorum pauperum venationem excurrit, & cùm tres illos à longè venientes conspexit, veritus ne felicem illam occasionem amitteret, ad eos accurrit, & in illis Deum considerans, sedulò institit, & ad pedes eorum prostratus, dixit illis: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* *Gen. 18.* Quid dicis, Patriarcha sancte? Quid muneris in te cōferunt? aut quid fauoris, & gratiæ ab illis recipis? Tu ille es qui eam in peregrinos hos confers, pedes eorum lauans, optimo gregis tui vitulo, & primario domus vestræ pane eos reficiens. Non capis, inquit Oleaster: *Docet nos non gratiam facere pauperi, eum hospitio recipiendo, sed maiorem recipere, si se ille recipi à nobis permittat.* *Oleast. hic.* Tam certi enim sunt eleëmosynæ fructus in domo nostra, quanti non solùm spirituales, sed etiam corporales, in benigni Patriarchæ domo fuerunt; atque ita benè dicit, quod fauorem, & gratiam sibi exhibeant, modicum quod eis offert, volentes accipere, certus existens de magno fœnore quod eleëmosynarium comitatur.

2. S. Ioannes Chrysostomus ad mores nostros formandos explicat quod Moyses refert, Lot scilicet à patruo suo Abrahamo discessisse, & Dominum ei apparuisse, ac terram Promissionis promisisse: *Dixit Dominus ad Abraham, postquam diuisus est ab eo Lot: Leua oculos tuos, & vide, &c. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo.* *Genes. 13.* Notate, inquit Chrysostomus, quod quoniam sanctus vir vnam terræ partem nepoti suo dedit, dedit & ipsi Deus tantam quantam oculis suis conspicere potuit. Supponit hic sanctus, Abrahamum anteà dixisse Lot: *Si ad sinistram ieris ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Audite modò verba Chrysostomi; mirè enim ad rem nostram faciunt: *Vt discamus, quod Deus remunerauerit eum pro ijs, quæ in Lot collocauerat, hæc addidit: Dixitq; Dominus ad Abraham, postquam* *Chrysost. hic.*

*quam diuisus est Lot, quasi manifestè dicens: Partem terræ cessisti: ecce ego totam tibi terram polliceor. Vidisti quantis cessit, & quanta est assecutus?* Et verò quidnam ad nostram instructionem inde deducit Chrysostomus? *Hîc erudiamur, vt magna in dandis eleëmosynis largitate vtamur quo datis paruis, adipiscamur magna.* Haud equidem asseuerare possem, an quod Abrahamus fecit Lot, vera eleëmosyna fuerit; neq; enim de paupertate eius nobis constat: certum autem est, Sanctum velle quod saltem aliquam eius speciem, & Abraham eleëmosynarij exhibuerint: & consequenter secundam lectionem in materia charitatis nos docet, & dicit, quàm vtilis, & quanti lucri sit negotiatio, proximis indigentibus benefacere; quandoquidem pro duobus terræ iugeris quæ Abrahamus nepoti suo Lot dedit, amplæ omninò, ac latè extensæ terræ dominum eum Deus effecit.

3. Tota regio fame peribat, homines & iumenta moriebantur. Vocat Deus Eliam, eique dicit: Ne solicitus sis; neque enim tibi deerit quo vitam 3. Reg. 17. transfigas: *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, ibi præcepi mulieri viduæ, vt pascat te.* Abijt Propheta, cumque venisset ad portam ciuitatis, vidit mulierem colligentem ligna, vt ignem construeret. vocat eam, eique dicit: Siti pereo: nónne placeret tibi paululum aquæ mihi porrigere, vt bibam? Ita sanè, inquit illa, vado, vt vrnam aquæ tibi deferam. *Expecta,* inquit ille; *Affer mihi, obsecro, & buccellam panis.* Quę respōdit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Cui ille: Fac mihi inde subcinericium panē seu placentulam aliquam, & affer ad me. Vix illa quę Propheta petierat, fecit, cùm Deus multa bona in domum eius immisit; atque adeo eius nomine illi dixit: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque in diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Finis principio conuenire non videtur. Neque enim video, inquit Oleaster, quod Elias quidquam ei deferat, quin potiùs modicum quod in domo sua habet, vt ipsa & filius eius comedant, ab ea exigit. Ita quidem; sed illa hinc ditata fuit, & bonis augeri cœpit. *Quia enim Dominus volebat viduam Sarephtanam ditare, Eliam ad eam misit, quasi ab ea panis eleëmosynam accepturus; cùm reuera potius domum eius intrasset, vt copiam farinæ, & olei ei prouideret;* adeo vt cùm reliquus populus, atque etiam ipsa Regum palatia fame perirent, domus eius farinæ, ac olei fons facta esset; vt palàm fiat quàm diues, & vtilis sit negotiatio charitatis. *Oleast. ad cap. Genes. 18. ad mores.*

Abraham maximè fidelem sibi famulum in Mesopotamiam mittebat, 4. Genes. 24 vt filio suo Isaaco sponsam quæreret dignam quæ in bonis domus suæ succederet. Itineri se commisit Eliezer cum multis camelis oneratis cistis, plenis monilibus, & omni pretiosa supellectile: Deum in consilium adhibet, eique rei euentum committit, cœlitus inspiratus resoluit, & decernit, quod puellam, in qua maiores charitatis perfectiones deprehendet, in sponsam Domini eligere debeat. Me, inquit, iuxta fontem aquæ constituam & puella quæ aduenerit, & me petēte: *Inclina hydriam tuam vt bibam; responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum; ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac;* eique hos thesauros, & diuitias offeram, & in vxorem Isaaco deducam. Hæc omnia sicuti co-

gitauerat, acciderunt, & formosa Rebecca electa fuit. Dicit modò sacer Textus: *Postquam autem biberunt Cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclos decem.* Theodoretus mysterium aliquod deprehendit in eo, quod hæc potius monilia, quàm alia ei obtulerit, & admirandis quibusdam verbis rationem eius reddit: *Aures quidem, vtpotè quæ hospitum petitiones facilè excipiebant, auro exornat: similiter & manus, vtpotè & animæ magnanimitati pulchræ seruientes, eodem vestit. Plus dici non potest.* Itaque partes illæ peculiariter auro adornatæ fuerunt, quæ in exercitio charitatis sese impenderunt: in quo clarè patet, quàm certum in hac vita lucrum habeat eleëmosynarius, cùm parum aquæ, quod pauperi elargitur, diuitibus thesauris Deus remuneretur.

Theodoret ser. 8. de Prouid.

5. Attribuit Deus satanæ potestatem ac iurisdictionem in bona sancti Iob, & ad potestatem, quam habebat astutus, & calumniator inimicus, sagacem, ac dolosam solertiam adhibuit; vt eo, quo illum bonis esset spoliaturus modo, ad desperationem eum quoque adigeret. Fingit famulum aliquem accurrere, qui tristia hæc noua ei deferat: *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio.* Vix iste triste nuntium hoc absoluerat, cùm mox alius intrauit, eique dixit: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues puerosq; consumpsit.* Aduertit autem sacer Textus, quod *in omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Multas istius rei rationes proferunt sancti Patres; modò verò illam sancti Ioannis Chrysostomi sequamur, qui hoc attribuit viuæ fidei, qua Sanctus hic credebat, Deum omnia meliorata sibi redditurum, cumque secum hunc discursum formasse, dicit: *Si ego solus indutus essem, iustè dolerem: si autem pauperes induebantur, numquid poterit Deus pauperes despicere? Noui quoniã in sacrificiũ suscepit, reddet centuplum; non enim ex iniquitate parta sunt iumenta; neque enim per auaritiam oues acquisiui. Ex velleribus ouiũ mearum calefacti sunt humeri pauperum, os viduæ benedixit mihi. Noui quid facit Dominus, nunc veluti sacrificium meam accipit substantiam, eamdem mihi augebit cum additamento virtutis.* Ita namque assecurata sunt homini benigno, & misericordi ea quæ in pauperes ipse distribuerit, vt ille numquam in pauperibus Deo quidquam elargitus fuerit, quin magnum emolumentum inde retulerit: certum enim est, bona fortunæ, & temporalia, eo modo, prout benignus, & misericors ea pauperibus in eleëmosynam distribuerit, multiplicari, & augeri: quemadmodum reipsa in sancto Iob videmus, cui Dominus omnia bona duplicata reddidit.

Iob 1.

Chrysost. hom. 3. patient. S. Iob.

Anton. serm. de Virg.

6. Reflexi ad quædam verba Apostoli, in Epistola ad Philippenses scripta, in quibus benè intellectis, insignem assumpti nostri probationem deprehendemus: *Gauisus sum in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis.* Angelicus Doctor sanctus Thomas, hæc verba explicans, per flores, misericordiæ opera intelligit: *Bona opera,* inquit, *sunt opera misericordiæ, & dicuntur flores, quia sicut ex flore fructus prouenit, ita ex eis fructus beatæ vitæ percipitur. Quando ergo opus bonum intermittitur, & postea resumitur, dicitur reflorere. Philippenses autem aliquãdo prouiderant Apostolo, & iterum nunc prouide-*

Ad Philipp. 4.

Thom. lect. 2.

*prouiderunt; ideò dicit eos refloruisse.* Hic est litteralis horum verborum sensus secundùm Angelicum Doctorem, quem sacri Interpretes communiter sequuntur. Verùm magnus noster Lusitanus S. Antonius de Padua, ad aliam facem hæc verba considerat, & dicit, sanctum Paulum gaudere, quia videt Philippenses in bonis, ac diuitijs suis refloruisse, & diuites esse, provt antè fuerāt. Verumtamē vrget ratio dubitandi; si sanctus Apostolus Paulus, tantus vt erat perfectionis Magister, docuerit Philippēses renuntiationem bonorum temporaliū, eaq; in pauperes distribuerēt, vtque & ipsi pauperes essent, quomodo nunc dicit: *Gauisus sum in Domino vehemēter. Quoniam tandē aliquando refloruistis?* Et respondet hic Sanctus ad rem nostrā admodum accōmodatè: *Gauisus vehemēter, quia refloruistis, scilicet, eleëmosynas dando.* Neque enim cogitare quisquam debet, Apostolum gauisum fuisse, eò quod Discipulos, ac spirituales suos filios diuites conspexit; cùm sciret paupertatem ad salutem magis conducere; sed quoniam per eleëmosynas, ipso cœlo sanctâ vsurâ eos remunerante, diuitias suas auxerant, suo
6. exemplo reliquos Fideles ad sanctum eleëmosynæ exercitium excitantes, cùm adeò incomparabiliter magis crescerent bona, quæ in pauperes distribuebant. Reflectit hic Sanctus ad verbum, *Refloruistis.* quod est metaphoricum, sed magnam emphasim habens. *Eleëmosynæ,* inquit, *ramis arborum similes sunt; sicut enim arbor, ramis superfluis præcisis, melius fructificat: sic ei, qui de proprio eleëmosynas facit, Dominus residuum multiplicat magis.* Prout Philippensibus accidit, quorum causâ sanctus Paulus tantopere gaudebat. Atque idem omnibus Fidelibus, eos imitantibus, eueniet; nam charitatis lucra sunt admodum ampla, & in immensum excrescunt.

*Anton. serm. 1. de Virg.*

7. Regius Propheta Dauid *Psalmo* 36. virum benignum, ac misericordem laudibus offert, & de eo dicit: *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Id est, iustus, qui omni tempore beneficus est, & liberalis, securus esse potest, se in hac vita relinquere eum, qui de filiorum, ac posterorum suorum sustentatione curam gerat. Graues Interpretes reflectunt ad verbum *Commodat*, & dicunt, illud non significare simpliciter iustum dare, sed dare ad lucrum, vel ad vsuram. Audite verba Theodoreti: *Qui enim miseretur pauperi, fœneratur Deo, vt idem sit misericordia & vsura.* prout apparet in præsenti miraculo, vbi Discipuli, postquàm toti isti hominum multitudini quinque solummodò panes distribuissent, duodecim reliquiarum cophinos collegerunt, maiore existente accepto, quàm dato.

*Psal. 36.*

*Theodoret. in Caten.*

8. Comes quidam ac familiaris Alexandri, nomine Perdiccas, vidit aliquando magna esse dona, ac munera, quæ magnus hic Monarcha in subditos, ac clientes suos conferebat, quod ille pro animi sui parcitate ferens iniquius, prout Patritius Senensis refert, dixit ei: *Quid tibi relinquis, ô bone Rex, si omnia prodigis?* Ad quæ ille respondit: *Spem mihi reseruo.* Quæ citatus Auctor explicans, dicit: *Putabat siquidem Rex nihil ei deesse posse, qui per virtutis officium benignus esset, & per virtutem omnia se assecuturum speraret.* Hoc significare voluit Alexander, quando dixit, quod spem sibi reseruaret. Idem profectò, maiori securitate dicere potest, ac debet benignus eleëmosynarius, quia omnia pauperibus elargitur; nempe

*Patrit. lib. 5 c. 6.*

bona quæ sibi reseruat, esse spem, quam sua misericordia ei promittit; ingens profectò pecuniarum cumulus, ac certa sors maximè aucti, & exerescentis fœnoris. Cùm igitur tam copiosi sint misericordiæ fructus, & tanta sit charitatis vsura, conamini vos totos sancto eius exercitio impendere, & in hac quidem vita magnum bonorum temporalium, & ante omnia spiritualium auctarium habebitis, pignus æternorum, quæ degustantur in gloria; quam mihi, &c. Amen.

---

# TRACTATVS XIII.

## AD QVINTVM DIEM

## MERCVRII QVADRAGESIMÆ.

*Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.* Ioan. 9.

SAnctus Euangelista de magno illo miraculo agit, quod Christus Dominus noster fecit, homini à natiuitate sua cæco, in oculis corporis atque etiam animæ, visum restituens. Egressus Templo, vbi malè exceptus, & peius habitus fuit (quandoquidem Pharisæi non solo inciuili responso, sed etiam arreptis lapidibus indomabilem terribilis rabiei suæ furorem demonstrauerint) cæcum hunc vidit, & in eum oculos suos coniecit, vt ei, non tam personæ eius consulere, quàm necessitati in qua erat, subuenire volens benefaceret; priuilegium profectò paupertatis quod Deus eam derelictam intueri velit. Qui in peccato existit, ita constitutus est, vt Christum videre non possit, prout hic cæcus erat, cùm Saluator præterijt; quandoquidem vt nos sanet, oculos suos in nos conijcere debeat. Discipuli diuinum Magistrum interrogauerūt, an hic homo ob peccata sua, an verò parentum suorum cæcus natus fuerit? Ad quod Dominus respondit, nec peccata eius, nec parentum suorum cæcitatis illius causam exstitisse, neque eam peccatorum ipsorum pœnam fuisse, sed Deum se in operibus suis gloriosum, ac verè magnum ostendere voluisse; non quod Deus eum cæcum fecerit, vt in ipso gloriam suam manifestaret; sed quod cùm cæcus esset, occasionem dederit manifestationi diuinæ magnificētiæ, diuino Sole ostendente, virtutē luminis sui non excæcare, sed illuminare. Christus autem ex terræ puluere, & sacri oris sui saliua collyrium confecit, quo cæci oculos liniuit; quo quidem facto ostendit, se luteæ illius statuæ reformatorem esse, cùm prima oculorum formatio ex luto fuerit. Dominus verò ad natatoriam Siloë eum dimisit, obedientiæ eius occasionem præbens. Fecit ille, ac perfectum visum obtinuit; & quamquam Pharisæi miraculum

lum obscurare, & eius Auctorem ignorare voluerint; cæcus tamen gratus perstitit, ac Christum Dominum visûs sui Auctorem perseueranter confessus est, ac magnâ constantiâ vt personam, quæ virtute Dei miracula illa perpetraret, publicauit: at illi mox extra Synagogam eum eiecerunt, in quo tamen & ipse felix fuit: non enim exigua felicitas est, palam pro Deo pati. Postmodum verò Dominus ei obuiàm factus est, seq; Filium Dei esse indicauit, & in anima quoque illuminatus fuit. Die igitur quo Deus suâ gratiâ cæcum hunc illuminat, eique ad se cognoscendum, fidei oculos attribuit, qui corporalibus eum iam videbat, sperare meritò possumus, quod & nos cœlesti suâ gratiâ illuminabit, præcipuè si Matrem gratiæ supplicauerimus, &c. *Aue Maria.*

---

*Præteriens Iesus vidit hominem cæcum.*

CONSIDERATIO I.

*Quod oculi Christi Domini, vt cæco huic visum darent, eum insecuti fuerint, vt in proximi necessitatibus oculos habeamus, non solùm vt eas intueamur, sed etiam manus, vt eis succurramus.*

1. Oleast sup.cap. 18.Gen. OBseruauit doctissimus Lusitanus Oleaster, quod præteriens Saluator cæcum hunc viderit, eique misertus fuerit; vos autem intuentes pertrãseatis, & miseriæ pauperis nullâ commiseratione ducamini, ac sæpè etiam videre desinatis, & caput ac oculos obuertatis: *Ille prætereundo videt; nos videndo pauperes, præterimus ne videamus.* Non hoc est quod suo nos exemplo Deus noster docet.

*Respiciam super vos, & augebo vos,* 2.
inquit in Leuitico populo suo Deus. Leuit.26.
Sanctus Cyrillus Alexandrinus verba hæc audit, eisque instar commentarij sequentia adiungit: *Tamquam si Sol respiciat segetem, & afferat fructum.* Cyrill. lib.16. in Leuit. non autem quemadmodum florentes iam campos aspicit, cuius flores breui marcescunt, & intereunt, sed segetem ipsam, vt magis excrescat, & copiosior demum messis sit; mirabiles enim hos effectus producere solent, vbi diuini oculi intendunt, & defiguntur.

Et si quidem ante incarnationem hæc fecerint, indolem, ac genium non mutarunt, postquam vili naturæ nostræ centone induti sunt: non enim miserum intuentur, duntaxat, sed videndo quoque eius miseriæ miserentur. Insignis est, quam dicere instituo, S. Hieronymi cogitatio. Christus Dominus noster perambulabat Ierichò, & inter innumerabilem hominum multitudinem quæ eò concurrerat, vidit Zachæum, qui arborem conscenderat, vt Christum transeuntem commodè videre posset. Aduertit autem Sacer Euangelista, quod *cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc.19. S. Hieronymus verò animaduertit, Christum Dominum in hominem adeò vilem & abiectum sacros suos oculos conieciffe, ac super eo disertissimè discurrit: *Latentem in arbore, quasi in peccatorum tenebris vmbratum, solicitè vt ouem perditam requirit aspectu.* Hieron. Epist. de duobus filijs. Verba difficilia sunt intellectu; nam ouem perditam magno cum labore diuinus Pastor quæsiuit, eamque defatigatam inueniens, humeris suis imposuit, ne amplius fatigaretur, vel ne ite-

rum errabunda reuerteretur. Zachæo verò nihil horum egit: nam vbi sunt humeri ad eum ferendum, ne se incedendo fatiget, aut ne ad se perdendum reuertatur? Haud equidem intelligitis. Non videtis quod oculis ipsum quæsierit? Omnia autem illa bona solo intuitu in eum contulit. Neque enim eius oculi minus possunt, quàm humeri; & quemadmodum hi ouem sustinent ne cadat, ita illi Zachæum (ac in eo omnes qui instar illius adeò felices sunt) à perditionis præcipitio præseruant; atque adeò sufficit, vt oculis suis eos intueatur, vt omnibus succurratur, & remedium adhibeatur; adeò, vt simulatque Christus Dominus oculos dat, cor & animum quoque tribuat; atque ita idem est ipsum videre, quod vtilitatem adferre.

3. Quantopere à Deo suo plurimi Christiani differunt, quos iure merito dupliciter crudeles vocare possumus; primò, quia miserum non aspiciunt; secundò quia eum non videntes, eius non miserentur. Hæc omnia Sacræ Litteræ confirmant. Moyses de terra eiusque primis principijs loquens, dicit: *Terra autem erat inanis, & vacua.* Gen. 1. Septuaginta Interpretes, & cum eo sanctus Augustinus transferunt: *Terra autem erat inuisibilis.* 70. Interp. Aug ser. 133. de temp. Verùm quam connexionem inter se habent vacuam, & inuisibilem esse? Non enim bene sequi videtur, eam non videri quia vacua erat? Non intelligitis: non enim scio lectiones quæ melius compingantur, nec versiones quæ pulchriùs coniungantur, quàm terra vacua, & inuisibilis. Nam in mundo, mox vt quispiam vacuus est, non est vt in eum oculi conijciantur; & idem est pauperem esse, & egenum, quod non videri, nec agnosci; ipsi quoque oculi negantur tristi, & afflicto, & licet quandoque ei impendantur, semper tamen cor negatur, effectus immisericordissimæ crudelitatis.

Cum docto Cardinali Toleto parabolam illam expendite, quam Salvator mundi proposuit de Sacerdote, & Leuita, qui in via occurrentes ei quem latrones, cùm ab Ierusalem descenderet in Iericho, vulneratum, ac semimortuum reliquerunt. 4. *Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præteryt. Similiter & Leuita cùm esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit, &c.* Luc. 10. Componit autem citatus Auctor crudelitatē illorū, cum huius pietate; & de Sacerdote quidem dicit hæc verba: *Sacerdos vidit: si enim non vidisset, culpa non esset;* de Leuita verò: *Vidit illum, & pertransiuit;* de Samaritano autem: *Non solo cordis affectu, sed etiam operis beneficio, misericordem se exhibuit Samaritanus.* Tolet. commēt. in hunc locum. Notate verò, eos qui magis ad pietatem obligabantur, eam minus perfecisse. si miserum illum non vidissent, culpam non habuissent; sed eum videre, & misericordiæ viscera claudere, easque denegare, summa crudelitas est. Quàm longè aliter Samaritanus, Christi Domini nostri figura, prout aliàs ostendimus, qui vt eum vidit, eius misertus est, eique subuenit. Sed quid? Homines immisericordes esse possunt, & crudeles, sed non Deus, quoniam oculi, & viscera eius sunt ipsa misericordia, & pietas.

Et verò quam paucos sui imitatores habet Saluator, cùm tamen Sacerdotem, & Leuitam innumeri sequantur!

tur! Magno doloris sensu conquerebatur sanctus Iob, amicos, ac consanguineos suos eum deseruisse, cùm ex prospero statu quo fruebatur, cum decidisse conspexerunt. Et dicit: *Nunc venistis: & modò videntes plagam meam timetis.* Quis timor hic fuit? quærit doctissimus Lyranus. Eratnè fortassis metus & anxietas, ne idem sibi accideret? Haud equidem credo. Quid igitur timebant, tam triste ac lugubre spectaculum aspicientes? Dicam quod sentio: Timebant, *ne aliquid à Iob pro subleuatione sua peteretur.* atque adeò eo timore correpti, abierunt, eumque reliquerunt: *Recesserunt à me.* Animaduertite hîc, & ad caput 42. digrediamur, & videbitis quomodo omnes eum quærãt, & festiuè excipiãt: *Venerunt autem ad illũ, &c.* Quid hoc rei est? quærit Doctus noster Cardinalis Georgius. heri omnes ab eo recesserunt, eumque deseruerunt, modò verò ciuiles, ac humanos se illi exhibent, eumque comitantur? Non videtis quid Sacer Textus dicat: *Addidit Dominus omnia quæ fuerant Iob, duplicia.* Viderunt duplicatum quæstum, & augmentum potestatis eius; iacturæ eius tempestatem trãsijsse, & calamitatibus ademptis serenatum cœlum; atque ita omnes, qui *videntes plagam eius*, & infortunia, eum deseruerant, & misericordiæ viscera ei denegarant, modò, nouam ei felicitatem congratulaturi, reuertuntur; quia norunt, quod suâ pietate, & fauore non amplius indigeat. Si enim tempestas illa perseuerasset, & egestas eum pressisset, ne vel oculos quidem ei dedissent, præterquam quod & ipsum cor, & affectum denegassent. Omnia hæc dixit Doctus Cardinalis: *Addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & vniuersi qui nouerant eum prius: & si permansisset in paupertate, nec vnus vix eorum requisisset, vel ad eum venisset.*

Iob 6. Iob 42. Th. Geor. in Psal. 9.

Admodum opportuna huc venit animaduersio S. Ioannis Chrysostomi, licet aliàs ponderata. Obseruat hic Sanctus Christum Dominum in Parabola illa diuitis auari dicere, quod mendicus Lazarus *jacebat ad ianuam eius.* Quid mysterij habebat hæc commoratio, aut quid locus hic conducebat, vt eum ad misericordiam prouocaret? nónne suffecisset vt alijs in locis eum deprehenderet, aut alicubi in platea ei occurreret? Nequaquam, inquit aureum Os: *Iacebat ad ianuam, ne diues diceret: Non vidi, nemo mihi nuntiauit: videbat eum exiens, & reuertens.* Ita solet Deus peccatorem insequi, eumque, aut emendatum, aut sine excusatione relinquere: atque idem plurimis faciet, qui tyranni huius vestigia sequuntur, qui fratris sui necessitatem oculis suis intuentes, crudeliter ei cor, & affectum negant, nec vllâ eius miseratione ducuntur, vt ei subueniant; indigni profectò nomine Christiani, cùm exemplum pietatis, quod nobis omnibus Redemptor dedit, non imitentur. 6.

Luc. 16. Chrysost. hic.

Existimo & hisce quoque calamitosis temporibus, rigidum, ac durum illud supplicium obuenire, quod olim Deus per Isaiam populo suo minatus est: *Claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Explicat autem doctus Vatablus: *Principes vestros, qui prouidere debent incõmoda, obruit ignorantia.* Nescio an hęc plaga nostræ quoq; Hispaniæ superuenerit. Verumtamen certum est, durissimum esse supplicium, Deum Primatum intellectum obfuscare, ne videant 7.

Isaiæ 29. Vatab. hic.

mala quæ sui patiuntur, eisque mederi nesciant. Et Forerius insignis Lusitanus notat, Deum vti metaphora eius, qui caput obuelatum habet, nihilque videt, *Operiet:* & concludit illud accidere, cùm Deus subditorum peccata punire intendit: *Dixit enim: Operiet Principes: qui enim obuolutum habet caput, nihil videt. Ergo pro peccatis populi Principes obcæcantur, ne intelligant, quæ Reipublicæ prouidere oportebat.* Consequentia, quam ex hisce præmissis hic Doctor infert, tam docto & Apostolico viro digna est, & hisce temporibus valde accommodata. *Qui ergò errores Principum notant, & illis obtrectant, consultius agerent, si peccata sua deflerent, ex quibus obtenebratio Principum ortum sæpè habet.* Plures alloquitur hic Doctor, & paucos excludit: plurimi enim sunt qui præsentia tempora deplorant, & dicunt quod obcæcati sint Principes, nec sciant vexationes quas subditi sui patiuntur, adeoque non inuigelent, nec subueniant prout deberent, nec videant necessitates quæ in omni ditione sua sunt, ac consequenter ab oneribus, quibus omnes passim opprimuntur, subleuare non conentur. Amplius dico, quod nempe ad pœnitentiam de peccatis suis, adijcere debeant pietatem, & misericordiā erga proximos miseriam patientes: nam & huius defectus partialis procul dubio tantorū damnorum causa est: si enim omnes ab occurrente sibi paupere oculos non auerterēt, aut vidētes eum, cum oculo simul & cor ac affectum darent, eiusque inopiæ misererentur, eique subuenirent, certum mihi est, quod Deus Principum oculos retegeret, & subditorum afflictiones, ac miserias conspicerent, ad eas subleuandas; Princeps enim Argus esse debet plenus oculis, in subditorum suorum bonum, & protectionem.

Forer. hic.

8. Romæ in Consulem electus fuit T. Manlius Torquatus, inquit Romanus Historiographus, *petijtq; vt Senatus pauca sua verba audiret. Erectis omnibus expectatione, quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusauit; Impudentem & Gubernatorem, & Imperatorem esse, qui cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita, ac fortunas committi.* Excusationem admisit Senatus, eamque vt legitimam approbauit, & suffragiū intuit, aliumque Cōsulem dixit, inquit Historiographus; superior enim, qui oculos non habet, vt videat quid subditi sui mercantur, aut quibus indigeāt vt decet, gubernare non potest. Supposita verò hac doctrina, aduertāt Principes Christiani, vtrū obligationi suæ integrè satisfaciant, & vtrum ad imitationem Regis Regum Christi Domini, & Redēptoris nostri oculos habeāt, quibus pauperum & afflictorum inopiam videant, ac cordis teneritudinem, vt ei succurrant, prout ipse hîc fecit, benignis suis oculis cæcum hunc videns, eique visum, quo carebat, restituens. *Præteriens vidit, &c.*

Tit. Liuius lib. 6. decad. 3.

---

## *Vidit hominem cæcum.*

### Consideratio II.

*Quod proximum nostrum non per partes, sed vt totum quoddam considerare debeamus, ne aliquid detegamus quod nos offendat, sed nobis occurrat quod sufficiat ad nos obligandum.*

1. Gloriosus sanctus Petrus Chrysologus ad hanc cogitationem me permo-

permouit, qui expendit, quod sanctus Euangelista Matthæus miraculosam suam conuersionẽ referens, dicat quomodo Iesus forum pertrãsiens, *vidit hominem sedentem in telonio, &c. Et ait illi: Sequere me. Qui surgens secutus est eũ.* Sed quid? inquit sanctus Archiepiscopus Rauennas, qui omnia videt, & omnia cognoscit, non videt peccatorem, publicum vsurarium, qui tanto studio de cambijs, & vsuris suis agebat? Ad hoc respondet hic Sanctus ad rem nostram admodum accommodatè: *Vidit hominem, vt peccata hominis non videret; vidit opus suum, vt despiceret opera peccatorum.* Videtur Matthæus (vt sic dicam) diuisus, ac ex duabus partibus cõpositus fuisse; vna peccatoris, altera hominis; vnam ansam malam, & aliam bonã habebat, prout alicubi dixit Epictetus: *Vnaquæque res habet duas ansas; vnam tolerabilem, alteram intolerabilem.* Dominus autẽ per ansam bonã, nempe per id quod habebat hominis, non autẽ per id quod habebat peccatoris, eũ arripuit; per hanc enim partem Deum offendebat, eique displicebat; per illam verò opus eius erat, ideoque eum incitabat, vt ei compateretur, & condoleret. Vt autem condoleat, & compatiatur, *vidit hominem*: non videt eum ab ea parte, vnde irasci possit, quæ est illa, quam ex se habet; nimirum ea, qua peccator est, sed ab ea, qua homo est, quæ eum vrget, & quasi obstringit, vt clementiâ, & pietate erga eum vtatur. Atque ita non dicit S. Ioannes, quod Dominus Iesus cæcum viderit, sed hominem cęcum. Discamus itaq; videre homines, non à parte mala, quæ offendere, sed à bona, quæ amorem cõciliare potest: nam nullus est homo, quantumuis malus, qui non habeat aliquid boni, in quod oculi defigi possint, & conquiescere. Nos verò confractam ansam semper arripimus, & quod peius est, quodque aliqua ratione nos offendere potest, apprehendimus; cùm tamen hoc non sit, quod suo nos exemplo Deus docet.

Matth.9. — Chrysol. serm.30. — Epict. c.18

*Vidit Deus*, inquit sacer eius Historiographus Moyses, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* quamquam Theodoreto difficultatem mouerit hic loquendi modus; cùm certum sit, quod inter creaturas aliquæ fuerint, quæ non erant admodum bonæ; vt minus serpens ille, qui tantorum malorum causa fuit, absque vlla iniuria potuisset dici non bonus, licet non malus. Quomodo igitur, vbi tot, ac tam vilia erant reptilia, ac in particulari noxiũ illud malitiæ instrumentum, vel vt melius dicam, vbi ipse dæmon erat, omnia videntur bona? Nimirum bona esse videbantur, oculis, qui ea intuiti sunt, scilicet diuinis: *Vidit Deus.* Audite modò discursum, quem super eo format Theodoretus: *Omnia proinde quæ aspicis, oculo à perturbationibus immuni aspice, & vt Deus videbis omnia esse valde pulchra: abijce passionem, & summum mox in Dei opere decorem, & venustatem comperies.* Non aspicias serpentem; non aduertas ad malum, quod tibi displicere, sed ad bonum, quod satisfacere potest. Cæcitatẽ fratris tui non videas, sed considera, quod homo sit, sicut & tu; & licet cæcus sit, & peccator, sufficiat quod creatura Dei sit, vt bonis oculis eum aspicias, & quantum potueris, ei benefacias. 2.

Genes.1. — Theodor. hom.2. de natiu. quæ habetur tom.10. Conc. Ephes.

Reflexit insignis noster Oleaster ad prouidentiam, quam, Scripturâ teste, erga fratres suos, & omnem patris sui familiam habuit Ioseph, postquam in Ægyptum eos adduxit, toto eo tempore quo vniuersalis illa fames perdurauit: *Et alebat eos, omnemq; domum patris sui, præbens cibaria singulis, &c.* 3.

Genes.47

Quod Ioseph patris sui, quem tam tenerè amabat, rationē & curam habeat, sufficiens erat ratio, vt hoc faceret; verùm quod fratrū suorum curam in se suscipiat, & sese particularē singulorum procuratorem efficiat, cùm hoc promeriti non fuerint; quādoquidem tanta ab eis mala receperit, hoc ego admiror, inquit Oleaster; & magni admodum momenti doctrinam ad nostram instructionem hinc deducit: *Vbi mirabilem amorem docemur, vt scilicet non curantes proximorum, & fratrum iniurias, naturam nostrā tantùm consideremus.* Si Ioseph à parte mala fratres suos aspexisset, certum est, quod eis fauere non debuisset: sed à parte bona eos intuitus est, & motiua ad eos protegendos, & defendendos inuenit. Discamus ab hoc sancto Viro idem facere, & proximos nostros, secundùm id quod in se boni habent, quodque aliqua ratione deuincire nos possit, consideremus. (Oleast. hic.)

4. Discedebat ab aula sua sanctus Dauid, indigni filij sui Absalom, qui forti, & armatâ manu eum persequebatur, vt vitâ, & regno eum priuaret, iram fugiens. Accidit autem, vt & Ethai Gethæus ad eum venerit, vt in exilio illo ipsi assisteret, & comitaretur, & dixit ei Dauid: *Reuertere, & habita cum Rege.* (2. Reg. 15.) Notat Theodoretus dilatatum cor, & pacificum Dauidis animum, quod regem vocet, quem tyrannum esse conspiciebat: *Qui cùm persequeretur, & bello inuaderet, execrandus filius, non eum nominauit parricidam, non fratricidam, sed regem.* (Theodor. q. 29.) Considerabat namque quod sanguis suus esset, Princeps, & verosimiliter futurus successor: ad hanc faciem eum intuetur, vt debitâ humanitate cum ipso agat: furiosæ enim eius rabiei, & barbaræ compensationis reminisci noluit, ne vltrices recordationes in memoriam reuocaret: res enim ab ea parte qua promerentur, non verò ab ea qua offendunt, aspicere debemus.

5. Balac Moabitarum Rex, vocauit Prophetam Balaam, vt toti Israëli malediceret, cuius arma, & vires pertimescebat. Subijt magus in locū sublimem, & mox vt eum vidit, pro eo vt ei malediceret, ei benedicit. Existimauit Gētilis Rex Prophetā pulchro intuitu numerosi illius exercitus, opinionem mutasse, nec animos habuisse, vt ei malediceret, sed potius plurima bona illi imprecatum fuisse. Itaq; in alium locum eum inde abduxit, vnde nōnisi postrema acies, & debilitata, ac infirmior exercitus pars videbatur: *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israëlis videas, & totum videre non possis, & inde maledicito ei.* (Num. 23.) Notat verò Strabus stultitiam Balac, qui persuasit sibi, mutatione loci, virtutem Israëlis occultari potuisse: *Demens putauit Israëliticam gratiam, loci abiectione posse celari.* (Strab. hic.) Et Lyranus adiunxit, intentionem eius, ne totum exercitum videret, fuisse: *vel quia sciebat maius meritum esse in toto populo, quàm in parte.* (Lyran. hic.) Videte hîc quid dæmon multis persuadeat, vt proximum suum non totum, sed pro parte aspiciant: quia sæpè pars mala est, eamque videre, offendit; totum autem semper aliquid boni habet, quod æstimari mereatur. Si aliquis myops sit, & rem aliquam, non nisi propiùs oculis admotam, videre possit, non vocatur nisi cæcus; si malè incedit, non aliter quàm claudus nominatur, per ansam intolerabilem eum semper arripiunt, vt eum cōtemnant, & aduersentur, non autem per tolerabilem, vt ei faueant, eumq; æstimēt. Non est hoc, quod suâ nos actione cælestis Magister docet, sed, vt vbi mala sunt, quæ offendunt, & (Gloss. Interl.)

bona,

bona, quæ alliciunt, ex lege generosorum, & benignorum censorum, aspiciamus bona, vt ea amemus, & malorum obliuiscamur, ne nos offendant, & non personæ alicuius defectus, sed naturæ similitudinem inspiciamus: *Vidit hominem cæcum.*

6. Luc. 16. Non abs re erit parabola villici, quam Saluator proposuit. Homo quidam diues, inquit, infidelem habebat villicum, Cumque ad aures eius venisset, quod bona sua dissiparet, mandauit ei vt villicationis suæ rationem redderet. Villicus desperatam causam suam vidit, & cogitans quomodo iacturam suam resarciret, quidque faceret, cum fodere non posset, & mendicare erubesceret, dixit: *Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis, debitoribus domini sui, dixit primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis sunt.* Aduertunt autem sacri Interpretes, quomodo Deus, qui est Dominus, de quo hîc agitur, fraudulentam villici malitiam laudare possit. Sed Glossa Interlinealis difficultatem hanc pulchrè dissoluit: *Non de fraude, sed de prudentia, quamuis peccantem, laudat.* Notate diuinæ bonitatis genium: nam complacens sibi in villici dexteritate, & videns ei iam prouisum esse, bonorum suorum iacturam nihili fecit, nec reflexit ad id, quod se offendere, sed quod aliquâ ratione sibi placere poterat. Quis tam felix fuerit, vt cælestem Magistrũ imitetur, aut vt minus discipulus Apellis sit? De insigni hoc pictore narrat Plutarchus, quod Regem Antigonum, qui cocles erat, iussus pingere, eum à latere depinxerit, ita vt malum oculum absconderit, & bonum retexerit, vnde ab omnibus laudatus fuit. Quo quidem dicere volo, vt cùm proximum vestrum pinxeritis, defectus ac mala eius obtegere conemini; cùm certum sit, quod *nemo sine crimine viuit*; quodque in lucem proferre debetis, est sanctum, ac bonũ quod in eo est, quod omnibus bonum videri debet; cumque necessarium fuerit de malo mentionem facere, quod bonum est, ei adiungatur: *Hominem cæcum*; hac enim ratione Apelles non tanta laude dignus erit, quàm vos.

Glossa Interl. — Plutarc. de Apel.

7. Verum-enim-verò quam longè aliâ viâ homines incedunt, cùm numquam attendant ad ea, quæ ipsos deuincire possunt, sed ad ea quæ aliqua ratione eos offendere videntur. Sanctus Cyrillus Alexandrinus duas huiusce discursus egregias probationes adducit. Notat hic Sanctus quàm seriò, & instanter Principes Iudæorum de Saluatore dicerent: *Secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Oportebat sanè quando Pilato dixistis, quia filium Dei se fecit tunc opera quoque in medium afferre: oportebat quatriduo iam mortuum, voce sola in vitam restitutum, narrare: oportebat vnigenitum viduæ filium non relinquere: oportebat Synagogæ Principis puellam non omittere: oportebat præterea docere, quia cæcis visum, leprosis munditiam, solo nutu donabat. Hæc, cæteraq; huiusmodi, quibus verè Deus monstrari poterat, malitiosè prætereuntes, cauillationibus solummodo vtuntur.* Idem Sanctus consequenter obseruat, quod Iudæi Paralytico, cùm eum sanum viderent, dicebant: *Quis*

Ioan. 19. Cyrill. lib. 10. in Ioan. c. 19.

est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum? Ad quod ille respondit: Ioan. 5. *Quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Notat modò hic Sanctus, Iudæos non de salute, sed de grabato agere, quod in Sabbatho sustulit; Paralyticum verò Cyrill. cit. ad hoc non respondere: *Non enim quasi accusans dixit: Qui tollere grabatum in Sabbatho imperasset; sed qui fecit eum sanum.* Quibus confirmatur, quod mali non habeant oculos, vt quod bonum est, videant, sed solum, vt quod malum est, & scandalizare eos possit, intueantur; è contrà verò, quod boni, non ad id quod offendere, sed quod ædificare eos possit, reflectant.

8. Sed quemadmodum malorum numerus multo copiosior est numero bonorum, ita quoque hic mundus per peccata nostra (inquit sanctus Basilius) plenus est coruorum, qui pratum aliquod odoriferis floribus consitum pertransseuntes, non nisi in fœtentis, & mortui animalis cadauere, quod in eo viderunt, subsistunt. Tales sunt mali, qui non reflectentes ad innumeras perfectiones, quibus Deus fratrem, & proximum ornauit, nec habentes oculos, vt eas intueantur, linguam suam exiguo, quem animaduerterint, defectui, infigunt, cumque in publicum forum proijciunt. Hi tales significati sunt per spiritus illos immundos, quos in forma ranarum ex ore draconis, & bestiæ infernalis sanctus Ioannes procedentes vidit: Apoc. 20. *Et vidi de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudo-prophetarum exire spiritus tres immundos in modum ranarum.* Doctus quidam per has ranas, detractores intelligit: *sunt* Ouan. Domin. 3. post Pentec. *namque ranæ simillimi detractores, quæ die tacent, & noctu cantant.* Quando detractor opera quædam videt instar lucis splendentia, quæ laudari merentur, tacet, & silentio ea præterit; cùm autem quædam obscura conspicit, tum demum os aperit, & detrahit. Cùm rana magis lutosa est, tum demum magis cantat. Cùm quispiam magis improbus, & vitiorum luto magis immersus est, tum detractor magis detrahit, & aliorum imperfectiones notat, & bona non videt, sed sola mala; contra id quod suo nos exemplo Christus Dominus docet; cùm de eo Euangelista dicat, quod viderit hominem cæcum, & non simpliciter quod viderit cæcum; vt discamus proximum nostrum non à parte, quam habet, vitiosa, sed secundùm se totum, considerare; nec conijcere oculos in malum, quod nos offendere; sed in bonum, quod nos allicere potest, & deuincire: *Vidit hominem cæcum.*

---

## *Quis peccauit?*

### CONSIDERATIO III.

*Quod iusti, quemadmodum ponderant, & expendunt id quod iudicant, suspiciones semper in bonam partem trahant, contra quàm faciant mali, qui iudicantes, prout sibi imaginantur, & in mentem venit, præsumptiones in malam partem inflectunt.*

MOx vt ad inconsideratam hanc Quæstionem, quam Christo Domino discipuli proposuerunt, reflexi, an pauper hic ob sua, an verò parentum suorum peccata cæcus natus fuerit? (talem enim plurimi sanctorum Patrum & Sacrorum Interpretum eam indigitant) occurrit mihi sententia quædam Spiritus sancti, quæ dicit: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* Verba profe- 1. Eccli 21.

ctò

ctò obscura, & difficilia intellectu, quæ Doctores diuersimodè explicant; & non est dubium, quin prima fronte magnam sermonis improprietatem præ se ferant; nam difficile est intellectu, quomodo cor in ore, & os in corde esse possit. Verùm Eminentissimus noster Cardinalis Hugo dubium hoc doctè explicat: Spiritus sanctus, inquit, cor stulti, id est peccatoris, in lingua, & linguam sapientis, id est iusti, in corde ponit, quia *verba improborum prius sunt ad linguam, quàm ad limam: iusti autem viri, & pij prius cogitant, & deliberant quæ loquuntur.*

*Hugo Cardin. hic.*

2. Ignoscant hîc Discipuli, paucos esse qui eos excusent, multos verò qui cōdemnent, ob motam quæstionem, quæ tam imprudens est, quàm præcipitata. *Quis peccauit*, inquiunt, *hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Satis apparet imperfectos eos fuisse, multaque habuisse polienda, & læuiganda; atque adeò instar stultorum, & peccatorum hîc egerunt; multique Fideles sunt, qui ipsis assimilātur, in verbis suis, ac discursibus adeò temerarij, & præcipites, vt quod temerè de proximo suo præsumunt, incōsideratè manifestent.

Primus huiusce generis homo, quem mundus tulit, fuit Cain, qui, postquam Abel fratrem suum occidit, & tam crudele facinus commisit, non obstante eo, quod Deus eum assecuraret, tamen verbis eius parum fidebat, veritus ne quispiam vita quoque eum priuaret, quemadmodū ipse fratrē priuauerat; & metum, ac suspicionem suam celare non valens, dixit: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Studiosus, ac eruditus Auctor arboris vitę Prædicatorum expendit verbum, *Omnis. Quid ais Cain? Inter viuentes nónne habes patrem, & matrem? Cur ergo eos non excludis? Nam non est credibile, cùm te solum filium possideant, quamuis te inuenerint, occisuros. Sed quid? Impius de omnibus malè iudicat, & ideo Cain, sicut fuerat homicida, omnes sibi similes existimat, patremq; & matrem futuros esse etiam interfectures sui putat.* Si, cùm hæc ei in mentem venit cogitatio, prudenter considerasset, quàm hoc ab omni ratione alienum foret, tam iniquæ imaginationi assensum non præbuisset, nec tale quid de suis progenitoribus suspicatus fuisset, nullo alio, præter temerariam suam malitiam, fundamento nixus; sed quoniam stultus erat, & peccator, ideò tam præceps, & temerarius fuit, & in peiorem partem sese inclinauit.

*Genes. 4.*

*Arbor vitæ hic nu. 444.*

Hocce hominum genus tantopere abominatur Deus, vt & ipsas illorum imagines ab olim execratus fuerit. 3.
Mysteriū deprehendit doctus Theodoretus in lege illa capitis vndecimi Leuitici, qua mandabat Deus, vt populus suus nequaquam comederet animalia, quæ non ruminabant, nec illa sibi sacrificarent: *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis, &c.* Quid refert, quærit hic Doctor, quod hæc vel illa animalia comedantur, vel in sacrificio offerantur? & respondet, Deum non tam ad ipsa animalia, quàm ad id, quod mysticè significabant, reflexisse. *Sunt qui per animalia quæ ruminant, homines perfectos designari velint, quæq; audiunt, & loquuntur, impensè meditantur; vnde his vti vult Deus, & ad suum obsequium applicari.* Quæ autem non ruminant, figura sunt stultorum peccatorum, qui inconsideratè quidquid in buccam venit, effutiunt, ideoque ea in Templo suo offerri noluit Deus, vt palàm faciat quantopere prauum hoc genus hominum detestetur, quod præcipitanter, & temerariè mala cogitat,

*Leuit. 11.*

*Theodor. hic.*

gitat, eaque pro veris habet, licet non aliud, quàm prauam suam inclinationem, motiuum habeat.

4. Psal. 51. Psalmus quinquagsimus Regij Prophetæ, est inuectiua in inimicum suum Doëg Idumæum, qui sub amicitiæ specie, maximè perfidas proditiones ei contexuit; & alludit ad caput vigesimum secundum libri primi Regũ, vbi fusè enarrantur. Incipit verò: *Quid gloriaris in malitia?* quasi diceret: Parum 1. Reg. 22 admodum habes de quo gloriaris, & video quod honori tibi ducas peccatum, cuius (si ratione vtereris) te pudere deberet. *Qui potens es in iniquitate*; quid tanti te facis propter malum quod agere potes, cùm ad malè agendum, prout in parœmia, vnusquisque sufficiat? Parum admodum est, de quo gloriari possis, si nihil melius habeas, quàm ipsum malum, quod facis, & facere potes: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua.* Hoc est quod ad rem nostram facit & idem est ac si dicat: Tota die cogitabundus incedis quæ dicas, & quidquid dicis, iniustum est, & ab omni ratione alienum. Quomodo verò, quærit Doctor Agellius, malus hic homo tam malè locutus fuit, si tantum mala cogitauerat? Non vides quid idem Dauid dicat? *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua?* Non dicit linguam eius fuisse locutam, sed iniustitias cogitasse; adeo vt cogitationem in lingua posuerit, cùm tamen ad intellectum propriè pertineat; nam, vt Matt. 15. Christus dixit, *de corde exeunt cogitationes*, linguæ verò conuenit loqui. *Aut* Agell. hic. *fortè intelligere voluit, illum adeò facilè fraudes dolosq; comminisci, vt in lingua illi nasci videantur, & inter cogitationem & linguam nihil intersit.* Doëg enim tam præceps erat, & temerarius in dicendo, & effutiendo quod præsumebat, & sibi imaginabatur, vt inter præsumere quidpiam, & idipsum alijs indicare, nullum interstitium fuisse videatur. Et certum omninò est, quod qui lento gradu in iudicando non procedit, in dicendo ordinariè aberret.

Propheta pluribus visionibus illustratus, fuit sanctus Ezechiel; & vna 5. ex notabilioribus quas refert, fuit currus gloriæ Dei, quatuor animalibus tractus, & totus splendoribus circumdatus, qui metum, & stuporem causabant: *Et vidi, & ecce ventus tur-* Ezech. 1. *binis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, &c. Et ex medio eius similitudo quatuor animalium.* Historiam suam prosequitur, & refert ea quæ viderat: in alio verò capitulo euentus huius mentionem facit; *Et intellexi*, inquit, *quia Cherubini essent.* Ezech. 10. Quid hoc sibi vult? Quæ tanta opinionum diuersitas? Certum est, eumdem esse currum quem vidit iuxta fluuium Chobar, & quem modò iterum videt. Quomodo autem iudicium quod modò formauit, adeò diuersum fuit à primo? Quomodo nunc sunt Cherubini, qui antea animalia fuerunt? Scio equidem antiquos Doctores ad hoc dubium alias admodum bonas solutiones adferre, quæ modò nobis necessariæ non sunt. Illa verò docti cuiusdam moderni admirabilem nobis discursus nostri probationem offert: *Spectarat prius Propheta,* Gasp. Sanct. in c. 1. Eze. *procul tamen, quia spectarat in cœlo; nunc autem quia propiùs aspicit, non iam amplius animalia nominat, sed Cherubinos.* Hoc sanè est quod in mundo agitur; qui eminus prospicit, & res confusè videt, non securè iudicat, & sæpiùs rem aliquam pro alia refert, & ideò hominum iudicia tam erronea sunt: hoc autem de profanis, & peccatoribus

toribus intelligitur; iusti enim, ac timentes Deum, ipsas res priùs cominus aspiciunt, & per otium eas considerant, quàm de ijs loquantur, & iudicium suum ferant. Et siquidem Discipuli sic fecissent, actiones cœli à ratione alienas esse iudicassent, cùm cœlestes forent, nec pro animali habuissent Cherubinum, id est, pro peccatore virtute præditum, eo solùm quod oculis non viderent, quod iudicabant. Eminus iudicarunt, nescientes quid facerent, ideoque erronea fuit ipsorum opinio: atque ita diuinus Magister ijs dicit, eos admodum deceptos esse, quia nec cæcus peccauit, nec parentes eius deliquerunt.

6. Multis opus est, vt quispiam pro peccatore habeatur; contrarium verò erit si vanis suspicionibus, & malè fundatis præsumptionibus se quispiam abduci permittat. Famosus noster Oleaster expendit, quàm parui fecerit Patriarcha Isaac obnuntiationes, & expostulationes filij sui Esau, cùm ille conquestus fuit, quod frater suus Iacob benedictionem surripuisset. *Benedixiq; ei*, inquit sanctus Senex, *& erit benedictus*. Sed quomodo, bone Patriarcha, benedictionem non retractas, cùm constet fraudem, & deceptionem interuenisse? Prudentis foret in tali casu opinionem, & animi sententiam mutare. Non est quod vlteriùs inquiramus, inquit Oleaster: *Nouerat siquidem Isaac non esse tanto animo Iacob, vt sine numine instructus voluisset eum decipere, & fratris benedictionem vsurpare: ideò rem penitius cōsiderans, confirmauit benedictionem*. Reflecto ad verbum, *Penitius*, quod significat otium, profunditatem, & attentionem, quæ Patriarcha adhibuit in expendendo casu, ne aberraret, & deciperetur; si enim leuiter deliberasset, & sese duci permisisset rationibus, quæ, vt videbatur, Iacobum condemnabant, & demonstrabant eum malè egisse, facilè opinionem mutasset, & in eum sententiam tulisset; adeò vt post diuinam prouidentiam, quæ cuncta disponebat, Isaacum *penitius* considerare, effecerit, vt iudicium eius certum fuerit; si enim præcipitasset, credidisset, aut vt minus de Iacobo malum, quod non suberat, præsumpsisset.

*Genes. 27*

*Oleast. hic.*

Plurimum ab aliquibus Sanctis celebrata est heroïca virtus inclyti illius Patriarchæ sancti Iosephi, felicissimi sponsi purissimæ Virginis, vt ipse, videns illam, quam non intelligebat, sponsæ suæ vteri gestationem, sinistrè de eius puritate non iudicauerit, cùm illud, *Voluit occultè dimittere illam*, in sententia Magni Origenis, & aliorum, magis fuerit humilis reuerentiæ discessus, quàm suspecti criminis vindicta: *Ideo ergo dimittere volebat, quoniam magnum Sacramentum in ea esse cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat*: adeò, vt etiam quando Virgo (quoniam secretum erat Incarnationis mysterium) tam clara indicia, & signa culpæ dabat, non ausus fuerit contra eius virtutem suspicionem formare. Adiungit sanctus Ioannes Chrysostomus, quod *possibilius credebat, mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare*. Magis si quidem castitati eius, quàm vteri gestationi; magis gratiæ, quàm naturæ credebat; grauidam ipsam vidit, sed inhonestam non iudicauit. Magna sanè virtus Iosephi, quod non ingesserit se ad iudicandum secundùm id quod sese offerebat, & licet cœlum intellectum eius præiret atque deduceret, cùm ipsa causa tantopere ei faueret, tamen sanctus Matthæus aduertit, quod in hoc casu Sanctus ille multa se consideratione ar- 7.

*Matth. 1.*

*Orig. hom. 1. ex varijs.*

*Chrysost. hom. 4. in Matth.*

*Matth. 1.*

ne armauerit: *Hæc autem eo cogitante,* nullo ex eius ore verbo prodeunte. Dimidium facti habet, qui, vt iudicium suum certum sit, & iustum, illud maturè examinat, atque suspendit; & si Discipuli hodiernâ die ita non festinassent, ipsorum tam inconsideratum non fuisset, nec ad numerum stultorum, & peccatorum hîc redacti fuissent, qui cor in lingua habent, & quoniam non expēdunt quæ loquantur, nesciunt quoque quid dicant; sed potius ad numerum iustorum & prudentum, qui linguam habent in corde, & quoniam ruminant quæ dicant, assecurant quæ loquantur, nec tam ineptas formant quæstiones, quemadmodum hæc præsens: *Quis peccauit?* Matth. 2.

---

*Quis peccauit?*

CONSIDERATIO IV.

*Quod indignum sit Christiano, curiosum alienæ vitæ indagatorem esse, cùm propriæ rigidus Fiscus, & accusator esse debeat.*

1. QVid Discipulorum intererat, causam scire cæcitatis hominis huius, & inuestigare propter cuius peccata illam pateretur? Certum est quod nuda, & impertinens dumtaxat curiositas fuerit, aliorum vitam pernoscēdi, pestis quæ cum mundo paulatim accreuit, adeò vt pauci sint, qui eâ infecti non sunt. Et si quidem originem eius indagauerimus, deprehendemus, si mores eius, & consuetudines, ab eius creatione, & incunabulis accipiamus, plagam istam tum genitam fuisse.

Quæstio est inter Scripturæ Interpretes admodum controuersa, in quo loco serpens infernalis primam nostram matrem tentauerit; si enim sacra Scriptura attentè legatur, non inuenietur, quod in ea particularis huius loci vllibi mentio fiat; nam euentum rei referens, non amplius dicit, quàm, *Dixit Serpens ad mulierem &c.* Verùm non determinat, vtrum in terrestri paradiso, vbi Eua formata fuit, an verò extra eum locutus fuerit. Scio equidem, multos sentire, quod dæmon in paradisum intrauerit, & in illo partes suas egerit. Nunc autem opinionem sequor Ruperti Abbatis, qui existimat serpentem ausum non fuisse, paradisum intrare, sed quod mulier serpentem quæsiuerit. Audite, nam grauia, & magni momenti sunt eius verba: *Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quod non serpens in paradiso fuerit, sed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat fortè prospectans qualis extra paradisum mundus haberetur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta vnde tentaret.* ipsa verò turpiter victa, & nos omnes consequenter perditi fuimus. Quis hisce infortunijs occasionem dedit? Quis tantorum damnorum causa fuit? Curiosa, si tamen purgata, & excusata digressio; si Eua extra sphæram suam non prosilijsset, & sese in mariti sui consortio detinuisset, nec ea, quæ opus non erant, scire voluisset, tanta mala non excitasset, quanta nos filij eius experimur, nec passionem illam, quam nobis quasi alligatam circumferimus, hereditaremus; volendi nimirum aliorum vitam perscrutari, & scire quod nobis non conuenit, quemadmodum Discipuli, vnde pauperi huic cæcitas prouenerit, & cuius culpâ eam pateretur. Genes. 3. Rupert. l. 3. in Genes. c. 2.

2. Ex Sacris Litteris constat, quod Adam omnibus animalibus nomen imposuerit: *Omne quod vocauit Adam anima* Genes. 2.

*animæ viuentis, ipsum est nomen eius:* sed non sibi ipsi. Philo Alexandrinus magnum in hoc mysterium inuenit, & dicit eum hoc fecisse, ne in propria causa aberraret: *Mens quæ inest nostrum vnicuique, cætera potest comprehendere, seipsam nosse non potest: quemadmodum enim oculus omnia videt, seipse non videns, sic & mens intelligit alia, seipsam non comprehendit.* Tam proprium quoque est homini (videtur hereditas primi parentis) omnia facile cognoscere præter scipsum; in alienis enim rebus lynceus est, in proprijs verò magis cæcus, quam hic, quem à natiuitate cæcum Dominus curauit; causa autem huius disparitatis est, inclinatio quam habet ad inuestigandum ea, quæ alios concernũt, vix enim quidpiam est, quod eum effugiat; & naturalis sui obliuio, quæ eum comitatur, numquam enim ad proprias suas ædes respicit: *Sic & mens intelligit alia, seipsam non comprehendit.*

Philo lib. 1. Allegor.

3. Vrias à Dauide vocatus ad palatium venit, Rex benignè, ac festinè eum excepit, & de supremo suo duce Ioab, de exercitu, & rebus bellicis eum percunctatus, dimisit, dixitque ei: *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos.* Ille verò quid fecit? *Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ, cum alijs seruis Domini sui, & non descendit in domum suam.* Hoc autem mortis causa ipsi fuit, a qua fortassis sese liberasset, si ad hospitium suum diuertisset; dicit enim Scriptura: *Factum est ergo mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab, misitque per manum Vriæ &c.* Hæc autem mortem ejus continebat. Sanctus Petrus Damiani euentum hunc ad moralem sensum transfert instituto nostro maximè cõgruum: *Vria si propriæ domus hospitium placuisset, sententiam procul dubio, regiæ indignationis, ac fraudis euaderet: sed quia in alienis, quam in proprio dormire cubiculo maluit, auctores suos mortis litteras ad Principem reportauit.* Vt doceamur in proprio securitatem esse, & mox, vt quispiam oblitus sui, alienis sese rebus immiscere voluerit, necesse esse, vt rudis omnino, & minus aptus inde discedat, quemadmodum Discipuli parum prudentes, & tam præcipites in dicendo, quam temerarij in iudicando.

2. Reg. 11.

Damiani lib. de contempt. mundi c. 28.

Possumus quoque doctrinam hanc magis premere; nam ex sacra Scriptura colligitur, vitium hoc sciendi & loquendi de proximis, admodum proprium esse hominibus, quorum dæmon possessionem cepit. Cum inimicus hic permissione diuina intrauit in Saul, Scriptura teste, *Prophetabat in medio domus suæ.* Quærunt Sacri Interpretes, quod prophetiæ genus hoc esset, cuius dæmon, eum inuadens, causa erat? Omitto nunc alias responsiones, quæ ad rem nostram non faciunt. Audiamus eam, quam sanctus Hieronymus adfert: *More arreptitiorum prophetabat, & prophetasse suum, in hoc loco, nihil aliud est intelligendum, quam aliena retulisse.* Quasi diceret: Mox vt Satanas in eum intrauit, de his & illis loqui incepit, eoruque vitam reuelare, & quoquot eum defectus sciret, aut suspicaretur in medium proferre; & quidquid sibi imaginabatur vt certum affirmare; & si quempiam vidisset sine oculis natum, dixisset quoque, eum propter sua, vel parentum suorum peccata, cæcum natum fuisse: *Quis peccauit, hic aut parentes eius.* 4.

1. Reg. 18

Hieron. l. quæst. in 1. Reg. c. 18.

Quantopere Dauid lubricum hunc locum fugit! Saulis, vt apparet, exemplo doctus. Audite eum Psalmo 50. *Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco,* & 5.

Psal. 50.

*& peccatum meum contra me est semper.* Quasi diceret: Damnum meum ego cognosco, & remedium ac medicinam, quam animæ meæ adhibere debeo, probè noui: *Et peccatum meum contra me est semper*: facie ad faciem me aggreditur, & oppugnat peccatum; domi ego me contineo, & meticulosus factus sum, *semper*, dum oculos aperio, illud ante me conspicio, nec à persequendo me cessat, ne vel ad horam securus sum, & ab eo liber, & quanto minus resistere possum, tanto maiores contra me vires colligit. Hæc est communior huius loci explicatio. Verumtamen magnus Pater sanctus Augustinus, vbi Vulgata nostra habet *contra*, transfert (fortassis secutus Septuaginta) *coram me est semper*, & tum hunc sensum reddit; Peccatum ante oculos meos semper habeo; quasi diceret Propheta: *Ideo peto, vt ignoscas, quia ego agnosco. Non posui post dorsum meum, quod feci; non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam eijcere de oculo fratris mei, cùm sit trabes in oculo meo.* O quàm prudens discursus! quamquam pauci imitentur, cùm pauci sint qui domum suam perlustrent & videant; plures verò qui alienam regere, & quid in ea agatur, examinare velint; res profectò quam Deus summopere sentit.

*August. hic.*

6. Hæc vsque adeò vera sunt, vt sanctus Laurentius Iustinianus notauerit, quod si quispiam obliuiscatur sui, ductus quoque curiositate sciendi aliqua de Deo, ei ad culpam imputetur, & insipientiæ ac stultitiæ arguatur. Deum Sponsum, & diuinum Pastorem animarum rogauit aliquando sponsa: *Indica mihi, vbi cubes, vbi pascas in meridie?* Ille verò siccè omninò, & asperè ei respondit: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum, &c.* Sanctus Laurētius Iustinianus ad asperam hanc & indignabundam responsionem obstupescit; illa vt tenera Dei sui amans, quærit locum vbi quiescat, & animum relaxet: ille verò asperè & & stomachabundus respondet, irrationibilibus brutis eam comparans? Ita quidem. Quoniam rogabat eum in hac vita clarè intueri, & scire vbi, & quomodo hoc ageretur: atque ita iure meritissimo animalibus, iudicio, & ratione carentibus, eam comparauit, tamquam ignorantiam eius condemnans; quandoquidem curam, & sollicitudinem, quam sui ipsius cognitioni impendere deberet, in indagando vbi sponsus quiesceret, curiosa adhibuerit. Audite verba sancti Patriarchæ; nam & merentur: *Illorum turpis est curiositas, qui scire volunt, eo tantum fine, vt sciant alienum, ignorantes seipsos.*

*Cant. 1.*

*Laurent. Iustin. in ligno vitæ.*

Similis sponsæ videbatur magno nostro Lusitano Oleastro sanctus Moyses; & in hunc sensum explicat, 7.
& ponderat illam eius expostulationem Deo factam, quando considerans summam illam familiaritatem, quæ ipsi cum diuina Maiestate intercedebat, petiuit, vt dignaretur sibi diuinam suam faciem ostendere, quam vehementissimè videre desiderabat: *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*; vt scilicet id quod reipsâ es, perfectè cognoscam. Hic est proprius, & genuinus horum verborum sensus; nam imperfectam, aut per figuras Dei visionem iam assecutus fuerat Moyses; cùm sacer Textus dicat: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Et hæc veritas clarè colligitur ex Textu Hebræo, qui dicit: *Scire me nunc fac viam tuã, & sciam te.* Et Septuaginta Interpretes: *Scire me nunc*

*Exod. 33.*

*Lect. Heb. 70. Interpr.*

*nunc fac viam tuam manifestè, vt videam te.* Audit enim famosus Interpres Oleaster, & videns eum tanto confidentiùs agentem, quanto fauoribus & gratiâ cumulatiorem, ac cæteris magis præuectum sese sentiebat; dicit, ipsum & sponsam admodū similes sibi videri, & in malacia plus quàm debebant, de iure suo præsumendo, naufragium fecisse. In quo quidem dicit hic Doctor familiares aliquot repræsentari, qui Principum suorum gratiâ abutentes, sollicitè ambiūt actionum ipsorum albū seu registra, vel, vt melius dicam, cogitationum confessarij fieri. *Solent,* inquit, *homines Principum fauoribus audaciores fieri; sic & nunc sanctus Moyses, qui Deum quasi vult compellere, vt ei detegat secreta sua. Non aliter sponsa, cum se à sponso laudari cerneret, quod cæteris fœminis pulchrior esset, in audacem vocem prorupit dicens: Indica mihi vbi cubes, vbi pascas in meridie.* Quanto magis expediuisset, vt ijs, quæ personas suas concernunt, studuissent, nec tempus triuissent aliorum vitâ indagandâ, & cordibus perscrutandis, cùm res sit quam Deus tantopere detestetur, vt curiositatem istam, etiam in amico suo, & sponsa impertinentem iudicet; non enim patitur, vt intellectus vniuscuiusque nostrûm, diuinis intentionibus inuestigandis; sed propriæ nostræ vitæ examinandæ implicetur; nam omnes satis habent quod videant, & in actionibus suis corrigant; atque ita Theodoretus hic adiungit, quod Sponsus petitioni ipsorum non tantum non annuerit, sed potius magno cum stomacho, & indignatione responderit: *Videbis posteriora mea, faciem meam videre non poteris. Egredere, & abi, &c. Non solum,* inquit, *responso frustratus est, sed etiam obiurgatur, tamquam excedens metas naturæ.*

*Oleast. hic.*

*Theodor. hic.*

Eandem correptionem Discipuli promerentur, quandoquidem tantopere scire aueant de cæco, & diuinas rationes inuestigare; & expediuisset potius, vt seipsos respexissent, & de ijs, quorum ipsorum intererat, pertractassent; hoc enim est, quod Deus mandat, quodque in eius domo prædicatur.

8. Sanctus Ioannes in Apocalypsi sua refert, se suauem ac dulcem musicam in cœlo audiuisse: *Et vocem,* inquit, *quam audiui sicut citharædorum, citharizantium in citharis suis.* Richardus de sancto Victore prudenter expendit, sanctum Euangelistam non solùm dicere, quod hi centum & quadraginta quatuor millia citharis luderent, sed etiam *citharis suis, id est, non alienis: quia videlicet vnusquisque suis operibus salutem adipiscatur: iuxta illud ad Galatas 6. Opus suum vnusquisque probet, & sic in semetipso gloriā habebit, & non in altero.* Id est, quod vnusquisque proprium instrumentum moderaretur, nec alieno luderet. quo quidem docemur, in domo Dei vnumquemque de seipso, & de eo quod sibi conuenit, agere, nec aliorum vitæ, & actionibus occupari debere. Sed dolendum est, quod plerique alienis instrumentis ludere velint, & sua non perficiant; & omnis ipsorum diligentia posita sit in particularibus aliorum negotijs, & actionibus pernoscendis, & nullam eorum, quæ ipsos concernunt, curam gerant.

*Apoc. 4.*

*Richard. de S. Vict. apud Vieg. hic.*

9. Celebre est illud Antiquorum Adagium, quo significabant quàm prompti ad aliorum defectus cognoscendos; ad nostros verò intuendos, quàm turpes, & cæci simus: *Foris argus, domi talpa. In eos,* inquit Ludouicus Viues, *qui in aliena mirè oculati sunt, ad sua cæci.* De quorum numero Discipuli hic

*Ludou. Viues in Satelit. n. 169.*

li hîc fuerunt; nam cum de ijs quæ ad se spectabant agere deberent, cæcitatis alterius causam inquirere volunt; ideoque diuinum Magistrum, interrogant: *Quis peccauit, &c.*

---

*Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.*

## CONSIDERATIO V.

*Quod tum melius quam vnquam, officium Medici animarum exerceat Deus, cum eas in occasionibus patiendi constituit.*

1. QVi vidisset Saluatorem mundi, pauperis huius cæci oculos luto linientem, dixisset, eum, vt apparet, non sanitatem conferre, sed, si fieri potuisset, magis excæcare voluisse: veruntamen quod iudicari poterat maiori damno fore, vnicum mali eius remedium fuit, & infirmitatis eius stupenda medicina. Terra laboris & afflictionis est symbolum, iuxta illud
Genes. 3. Geneseos: *In laboribus comedes ex ea.* Hanc igitur pauperi cæco applicuit Dominus, vt perfectam sanitatem consequeretur; vt hoc facto nos doceret quod cum animarum oculi infirmi sunt, nullum sit collyrium tam efficax, quam labores, & tribulationes, ad eos sanandos. Ad domum aliquam tenebrosa admodum, & obscura nocte properas, eo quod tuo iudicio viæ omninò peritus sis; forté fortuna in ferramenta quædam incurris, quibus nares impingis, & dicis; Hei mihi, aberro. Quis obsecro, te erroris, & perditionis admonuit? ferrum. Re aliqua vehementer expetita, & desiderata frueris, & vnde magnam lætitiam, & voluptatem haurire speraueras, tristitiam, & pœnam capis. Cognoscere incipis, extra Deum nihil boni esse. Hoc est oculis lutum, & tenebris lucem dare. S. Bernardinus Senensis ad hanc rem, aliam, eamque egregiam similitudinem adducit: *Solent*, inquit, *homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi, vt per dolorem corporis redeat sensus mentis: sic vtiq; qui à sui cognitione alienati sunt, à Deo per flagella ad seipsos recognoscendum, misericorditer coarctantur.* Bern. Senens. ser. 8. Sabbat. post ciner. act. 2. c. 2.

2. Egregia est allegoria qua hic Sanctus discursum suum confirmat. Ponderat mirabilem illum Tobiæ piscem, cuius felle, consilio Angeli, senis, & cæci patris sui oculos filius liniuit, & ille perfectum visum recepit: *Sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidium fere horarum, & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui, egredi.* Tob 11. De hoc pisce naturalium rerum Scriptores referunt, eum Callionymum vocari, id est, piscem pulcri nominis, & eius fel naturalem virtutem habere oculorum albugines, quæ visum impediunt, deterendi. Ad sensum allegoricum huius successus cum contemplatiuo Bernardino procedamus: Bern. cit. *Infortunium & tribulatio est illud amarum fel, qui oculi Tobiæ, id est, viri iusti, ad Dei cognitionem fuerunt illuminati.* Quod profectò in magnum solatium cedit eorum, quos laboribus, ac tribulationibus hic visitat Dominus, cum collyria sint quæ eis applicat vt oculos eorum claros reddat, quo melius ipsum videant, & cognoscant.

3. Doctus Cardinalis Victriacus reflexit ad id quod sacra Scriptura refert de Iacob, quod animaduertisset Socerum

cerum suum Laban, moroso, ac indignabundo vultu eum aspicere, nec benignum vti solebat, se illi exhibere, ad patriam suam redire decreuerit: *Video*, inquit, *faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nudiustertius.* Et mox: *Surrexit itaq; Iacob, & impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos, abijt;* & rem hanc ad mores transferens, dixit sequentia: *Laban, id est, dealbatio, est mundus iste, qui quamdiu nobis arridet, & lætam faciem ostendit, non ita festinamus ad patriam nostram reuerti, sicut cum faciem tristem prætendit.* Mox enim vt nos auersari, & molestum se nobis exhibere incipit, nostri reminiscimur, & fraudis admoniti ad Deum redimus, à cuius gratia exulabamus; demum cum Laban magis asper est, magis fauet; & cum magis infestus, magis amicus est: cumque nos malè excipit, singulari beneficio afficit: & ipsius inuidia, ac maleuolentia, antidota quædam sunt, quæ diuinus Medicus, vt perfecta sanitate fruamur, nobis præscribit.

Genes. 31.

Vict. ser. Dom. 24. post oct. Pentec.

4. Libro secundo Regum refert Scriptura sacra, quod Princeps Absalom per seruos suos accersiuerit aliquoties ad se Ducem Ioab, ille verò obsurduerit, & mandata eius neglexerit. Videns autem Absalom se contemni: *Dixit seruis suis: Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habentem messem hordei? Ite igitur, & succendite eum igne. Succenderunt ergo serui Absalom segetem igne.* Mox autem sacer Historiographus adiungit: *Surrexitq; Ioab, & venit ad Absalom.* Sanctus Eucherius curiosam hic mouet quæstionem. *Cur ante non venit rogatus, & postea venit inuitus? Nisi quia efficacior fuit ad trahendum damni pressura, quàm vrbana Absalomis supplicatio.* Sanctus Gregorius Magnus locum hunc allegoricè explicans: *Quid, inquit, per Absalom ibi, nisi Christus exprimitur? qui Ioab vocat, id est, peccatorem quemque, dum prædicatores suos ad prædicandum mittit, qui tamen quia obstinati venire recusant, ipsam ipsorum substantiam, igne tribulationis inflammat, vt ad ipsum accedant oppressi, qui toties recusarunt venire rogati.* Adeò vt necessarium sit, vt Deus per mala multos adducat, quos per bona sibi subijcere non potest; multisque, vt salutem consequantur igneum canterium imprimat, qui leni vnctione sanari nolunt.

2. Reg. 14.

Euch. hic.

Greg. Magn.

Veniet tempus, inquit Deus, quo *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* vel vt Lectio Hebraica habet. *In vinculis hominum.* Scio equidem communiorem Doctorum explicationem esse, Deum de suaui ac dulci lege gratiæ hic loqui, eamque opponere legi Mosaicæ; lex enim illa terribilis erat, & stupenda, lex quæ feris syluestribus, & indomitis animis potiùs, quam hominibus ratione, & iudicio vtentibus, lata esse videbatur. Verum explicatio Nouarini in Adagijs ad rem nostram faciat: *In funiculis Adam traham eos, nempe doloribus, & afflictionibus traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora, propterea addit, in vinculis charitatis.* Quibus vinculis attracti, ad me venient, qui à me abcesserant, quique infirmi erant, perfectam salutem consequentur: nam certum est, inquit eruditus hic Auctor in debilioribus ac infirmioribus singulare aliquod miraculum subinde euenire; id est, carnem, quæ animam à recta via in errorem, & per deuia abducere consueuit eam illuminare, & afflictam, ac flagellatam, in viam deducat. 5.

Osea 11.

Lect. Hebr.

Nouar. in Adag. sanct. Patr. excurs. 64.

Doctus Cardinalis Victriacus, ad hoc institutum, locum quemdam san- 6

cti Gregorij Magni adducit, qui meo iudicio, magni faciendus est. Sanctus Petrus in secunda sua Canonica, de iumento illo Balaam loquens, dicit, quod *in hominis voce loquens prohibuit*
2. Petr. 2. *Prophetæ insipientiam.* Est id quod sanctus Gregorius dixit, inquit Vitriacus: *Balaam post afflictionem asinæ vidit Angelum; quia plerumque caro per molestias menti Deum indicat, quem ipsa priùs non videbat.* Quis in infirmitate, & afflictione positus Deum non videt, quem in prosperitate, & salute non videbat? Tunc præteritæ vitæ pœnitet, & melioris proposita fiunt. Quænam hæc mutatio? Iumentum cum Balaam locutum fuit, quia in manu Angeli gladium vidit; lutum in oculos cæci iniecit, & Deum, quem antea non cognoscebat, aspexit; & ideò scitote, ac certum habete, quod licet tribulationes, quas Deus vobis immittit, lutum vobis videatur, aptum ad excæcandum, Deus tamen ex illis tenebris lucem educat; in viam enim vos reducunt, & quantopere aberraretis, ostendunt.

Victor. serm. 3. Domin. in Quinquag.

7. Psalmo 136. Regius Propheta refert, quid filijs Israël cum Chaldæis acciderit, cùm in Babyloniã eos captiuos abduxerunt, & inter alia, quæ ipsis accidisse dicit, fuit, quod cùm Chaldæi læti & hilares ad terram suam deneuerãt, dixerint ipsis: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* illi verò ad hæc
Psal. 136. respõderint: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Audit eos sanctus Ioannes Chrysostomus, & dicit: *Vide quantam correctionem ceperunt ex captiuitate; qui enim à religione sua, ac Dei cultu resilierant & legem omni ratione conculcauerant, se in aliena terra tam grauiter gesserunt, vt vel vrgentibus & minantibus barbaris, & vndique circumstantibus, ne eorum quidem desiderio sic gratificarentur, sed legem præferrent, eamq; diligenter conseruarent.* adeò vt illi ipsi, qui antea in terra sua infirmi erant, & diuina mandata perfringebant, modò, cùm in aliena se exules conspiciunt, & sæuis supplicijs oppressos, sani sint, eaque accuratissimè exequantur; & siquidem antea cæci fuerint, quæque ipsis agenda erant, non viderint, oculos modò habent, quidque opus sit, vt officio, ac obligationi suæ satisfaciant, recognoscunt.

Chrysost. hic.

Sanctus Paulus Apostolus cæcita- 8.
tem mentis magi cuiusdam, nomine Elimas, sanare voluit; quod verò opportunum medium quæret Apostolus, vt rem ad exitum deducat? Docet nos id sanctus Lucas, & dicit, quod cum excæcauerit: *Eris cæcus*, inquit Act. 13.
Paulus, *& non videbis Solem vsque ad tempus.* Estnè quispiam magis peregrinus peccatorem curandi modus? Ita quidem, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus; verùm sanctus Apostolus hoc remedio, tanquam magis securo, & probato vsus est: *Etiam nunc* Chrysost.
*ait: Ecce manus Domini super te, & eris* Act. 9.
*cæcus: quo ille adductus est signo, hoc & hunc voluit adducere.* Alludit hic Sanctus ad illud, *Apertis oculis nihil videbat*, cùm scilicet equo excussus, ac in terram deiectus, cæcus mansit: mox autem vt corporalium oculorum visu priuatus fuit, datus est ei visus oculorum animæ, quo carebat; quibus confirmatur quod hoc discursu tractare promisimus, Deum scilicet nunquam melius officio Medici animarum perfungi, quàm cùm tribulationes eis immittit, & patiendi occasiones præbet; hoc est enim lutum & terram super oculos ponere.

Vade

*Vade ad Natatoria Siloë.*

## Consideratio VI.

*Quod negotium saluationis nostræ, sit instar contractus societatis, in quo homo industriam, Deus verò sortem confert.*

1. AD Natatoriam Siloë pauperem cæcum oculis luto obductis mittit Lux mundi, vt in ea se lauet, eoque præstito, perfectum visum consequatur. Sed, pace tua, Christe Iesu, si in saliua tua sit ipsa lux, vt quid hæ moræ, & dilationes? cui rei seruiunt hæc lauatoria? Quorsum desideras vt ad fontem vadens sese fatiget? Multas, & morum instructioni peropportunas rationes huiusce rei sancti Patres assignant; quæque communiter prædicari solet, est, quod Christus Dominus cæcum illum de industria in lacu illo lauatum miserit, vt ex parte sua aliquid faceret, optatæ sanitatis consequenter causa; Fideles suos eo facto docens, eosque instruens, quanti propria diligentia, ac industria referat, & necessaria sit ad salutem consequendam. Nam procul dubio hoc negotium quidam veluti contractus est Societatis (prout sanctus Bonauentura dixit: *In omni opere bono sunt socij Deus & homo*) in quo nos quidem industriam, Deus verò sortem confert; & si quidem vnum horum duorum desit, contractus est nullus, nec intentus effectus oriri potest.

S. Bonau. serm. Dominic. 22. post Pentecost.

Sanctissimâ Trinitate consilium ineunte, inquit Moyses, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et mox Scriptura adiungit: *Et creauit Deus hominẽ ad imaginem suam*, nullâ similitudinis factâ mentione. Quid hoc rei est? inquit Origenes. Si hominem ad imaginem & similitudinem suam se facturum promittat Deus, quamobrem fidem suam non exsoluit, & non tantum ad imaginem, sed etiam similitudinem suam, eum fecit? Estnè fortassis Deus instar Dominorum mundi huius, qui multa promittunt, in pluribus deficiunt, & minora præstant? Haud equidem credo. Magnus Origines doctè, vt solet, ad hoc dubium respondet: *Imaginis conditionem in prima formatione percepit, similitudinis verò possessionem; ipse sibi cum propria industria studijs, ex Dei imitatione consciscit.* Vlteriùs adiungo, quod quoniam perfecta similitudo Dei in beatitudine consistit: *Scimus quod cùm apparuerit, similes ei erimus*; in qua viuæ eius imagines sumus; hinc fit, vt mediantibus sanctis ac pijs operibus, diuinâ gratiâ suffultis, salutem consequi debeamus; adeò vt hoc proprium sit opus Dei, tanquam principalis agentis; hominis autem tamquam secundarij, eumque adiuuantis.

Genes. 1.

Orig. lib. 3. Feriar.

1. Ioan. 3.

Placuit mihi animaduersio docti cuiusdam Commentatoris in Cantica Salomonis, qui expendit quod *in principio creauerit Deus cælum & terram:* eaque sic creata, non perfecerit, nec dixerit, quod erant bona. Scio quidem primum, qui dubium hoc mouit, fuisse sanctum Augustinum: *Cur non dictum est*, inquit, *cùm hoc factum esset, Vidit Deus, quia bonum est?* Mandat Deus terræ, vt fructus proferat; & mox sacer Textus adjungit: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Quæro autem: Creaturæ illæ bonæ non erant, simulatque eas Deus creauit? Clarum est, quod sic; operibus enim manuum Dei, nihil boni deesse potest, in omnibus per excellentiam bona sunt. Sanctus Augustinus 2.

Genes. 1.

Aug. l. 1. de Genes. ad litt. c. 14.

stinus vt huic dubio satisfaciat, alia via ingreditur. Citatus verò Auctor rem hanc mystice explicans, dicit hæc verba: *Vt ab elemento creatura disceret rationalis, tum Deo frugaliter eam placere, cum acceptis ab illo auxilijs feliciter vtitur, & gratia donis supernaturalibus cooperatur, seq; ad agendum vnâ cum Numinis prompto concursu excitat.*

Scherl. tom. 1. in Cant. v. 11. sect. 3.

3. Voluit Deus Noëmum, eiusque cōsanguineos, & affines, ab vniuersalis diluuij inundatione liberare. Præcipit ei vt *arcam sibi faciat de lignis leuigatis, &c.* in qua se populum suum, aues, ac reliqua animantia saluaret; eo quod totum mundum aquis obruere ac destruere vellet. Quærit noster Angelicus Doctor Sanctus Thomas, quare Deus sanctum virum alia via non liberauerit, quam per arcam, quam ipsemet fabricasset? Et sapienter, vt solet Angelicus Doctor respondet: *Vt per hoc daretur aliquis locus meritis, & cooperationi ipsius, quia fabricando hanc arcam, probata est fides eius, & per hoc cooperatus est restitutioni salutis.* Atque ita vt vnusquisque nostrum, salutem suam assecuret, & diuinæ iræ diluuiū euadat, necesse est vt ex parte sua aliquid conferat; neque enim omnia facere debet Deus, sed cum ipsa sors eius sit, opera, & industria nobis incumbit.

Genes. 6. Thom. hic.

4. Dicet aliquis, potuisset Deus, si voluisset, cum omnipotens sit, absque meritis nostris nos saluare; verum ad hoc doctè admodum respondet eruditus noster Episcopus Barbastrensis, hoc quidem fore, si Deus dumtaxat omnipotens, esset, tum enim omnia virtute brachij sui dirigeret; sed simul etiam est sapiens, & cuncta summa sapientia gubernat, hæc autem requirit, vt singula suauiter, & secundum naturam suam deducat, & regat. Hominis verò est esse liberum, & proprij arbitrij; prout ad hoc institutum probat Angelicus Doctor sanctus Thomas; ideoque de eo dicitur: *Ad imaginem Dei fecit illum,* quia actus sui dominium habet: secundum hanc naturam nos ducere vult, nec vim nobis inferre, sed consensum nostrum petere, vtque diuinæ suæ gratiæ voluntariè cooperemur, vt nos saluet. Audite insignem locum, quem in doctrinæ huius confirmationem idem Auctor adducit. Voluit diuina Sapientia, secunda in Sanctissima Trinitate persona sermonem habere; habuit autem per os sapientissimi Salomonis, conuocat omnes homines vt audiant, & dicit, vt nullus desit, quoniam magna eos mysteria docere desiderat: *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum; audite, quoniam de rebus magnis locutura sum:* & si quidem inquirere voluerimus, quænam sint hæc tam alta mysteria, deprendemus, eam tria præcipue declarare voluisse; primò, principium æternæ suæ generationis; secundò, principium rerum in ordine naturæ; tertio, principium earumdem in ordine gratiæ. Dicit autem primò principium suæ essentiæ fuisse Æternum Patrem, qui eam ab æterno, antequam quidquam creatum foret, generauit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis: nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Agit secundò de principio essentiæ aliarum rerū, quod fuit ille idem Pater Æternus, simul cum ipsa sapientia; nam quemadmodum artifex, per idæam quam in mente sua habet, & virtutem manuum suarum, artis suæ opera conficit: ita Pater per Verbum æternum, quod est idæa, & conceptus diuini intellectus, ac fortitudo eius, quidquid esse habet, produxit: *Quando præparabat cœlos ad eram,*

Barbast. hom. 10. §. 12.

S. Thom. 1. 2. q. 113. Genes. 1. Prouerb. 8.

*eram, quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, &c. cum eo eram cuncta componens.* Tertiò denique tractat, ac declarat mysterium Incarnationis, ac justificationis hominum, & dicit: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Hîc est difficultas loci, vnde doctissimi nostri Barbastrēsis animaduersio procedit. Quid dicis, Deus & Domine vitæ? An forsassis negotia quæ tractas nugæ sunt, vt dicas lusum esse? an tam parui sunt momenti, vt ea quæ in mundo prætendis, lusum tibi esse videantur? Et quidem bis dicis te ludere: *Ludens coram eo, ludens in orbe terrarum?* Haud equidem capio. Sed quid curiosi ac docti dicent? *Barbastr. citat.*

5. Docti huius responso aurem præbete; est enim attentione dignum: *Duplex est ludus, alter indiuidualis, alter sociatus*; estque inter illos hæc differentia, quod in ludo indiuiduali agas quod velis, liberaliter aut parcè inuites, prout placuerit; in ludo verò sociato non ita res agitur, sed socij voluntas requiritur: nam licet ad ludum inuites, aut ludas, & inuitari ad ludum desideres, nihil agis, si socius non consentiat. Duos hosce ludos lusit diuinum Verbum; in principio quoad creationem rerum, indiuiduali ludo lusit, primò cum nihili, & inuitauit tot quot voluit, voluntate quantum, & quomodo voluit, ex illo deducens, & à nullius voluntate dependens; mox verò indiuiduali quoque ludo cum creaturis lusit, & inuitauit quotquot voluit: lusit cum cœlo, & tot quot stellas conspicimus, formauit; cum aquis, & pisces quos voluit, inde eduxit; cum terra, & ex illa quæ sibi placuerunt, plantas produxit; hoc enim est quod Dauid dicit: *Ipse dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.* *Psal. 148.* Eumdem ludum in hominum creatione ludit; hunc magnum, illum paruum; hunc nobilem, illum ignobilem vnum ingeniosum, alium innocentem; & stupendum; hunc cum oculis, illum sine oculis efficit: verùm in negotio justificationis, cujus causâ in hunc mundum venit, ludum sociatum ludit, & in socium, ac coadjutorem ipsum eumdem hominem assumit, nec vult inuitationem suam, aut ludum valere, nisi homo consentiat; hoc est: *Ludens in orbe terrarum.* O quoties, Fideles, ad secum ludendum Deus vos inuitat, & omnia in ludum deponit, gratiam suam, & gloriam, seipsum, & quidquid habet, offerens! tu autem non vis, & recusas, ne ad fontem Siloë te lauatum properans, fatiges. Errorem itaque depone; nam si ei quod in manu tua est, defueris, nihil vtilitatis referes: vult enim Deus vt in negotio salutis nostræ aliquid ex parte nostra conferamus, vt gloriam, quam intendimus, promereamur.

Insignis fuit cogitatio sancti Petri Chrysologi, quod cùm Christus Dominus sancti Petri domum intraret, vt socrum ejus, quæ infirmabatur, curaret, non dedignatus fuerit manum ejus arripere, vt eam sanaret: *Tetigit manum ejus, & dimisit eam febris.* Quærit hic sanctus, an cùm Christus bonæ vetulæ sanitatem conferre voluerit, voluntas ejus ad hoc non suffecerit? Non est dubium: ita enim leprosus ille confessus fuit: *Si vis, potes me mundare.* Quorsum igitur inclinauit se, vt infirmæ manum arriperet? Dicam, inquit sanctus Archiepiscopus Rauennas: *Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulie-* 6. *Matt. 8.* *Matt. 8.* *Chrysol. serm. 16.*

*mulieris acceperat mortem.* Quemadmodum enim ad perditionem Adami duo concurrerunt, Eua nimirum tentando, & ille consentiendo: ita quoque hac ipsa actione demonstrare voluit Dominus, hoc ipsum ad salutem consequendam necessarium esse, id est, manum Dei, & hominis; Dei quidem excitantis, & hominis consentientis; adeò, vt duabus, vt ita dicam, manibus, Dei, & nostrâ, salutis nostræ negotium agendum sit, & vnâ illarum deficiente nemo salutem consequi possit.

7. Virgines fatuæ, id est, mali Christiani, sine olei prouisione sese deprehenderunt, cùm sponsus venit, & alieno sese adjuvare voluerunt; ideoque prudentes accesserunt, & rogarunt:

Matt. 25. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Audit eas sanctus Ambrosius, eisque dicit, quod frustra laborét, supposito quod oleum sibi non compararint; eò quòd crassissima ignorantia, si non stultitia, sit, ad æternæ gloriæ nuptias, sine proprijs expensis admitti velle: *Illæ virgines in*

Ambros. lib. de Ioseph. cap. 7. *Euangelio, quas veniens Sponsus exclusit, ideò foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt. Vnde dicitur eis; Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Et ne-*

Matt. 13. *gotiator non immeritò prædicatur, qui vendidit omnia sua, & emit margaritam.* Nam sine proprijs expensis tanti boni possessio non obtinetur.

Angelicus Doctor sanctus Thomas ad modum animaduertit, quo sanctus Apostolus Paulus de ijs agit, quæ ad honorem, & gloriam Saluatoris patiebatur: *Adimpleo*, inquit, *ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* Ad Coloss. 1. Difficilia sanè verba, atque etiam hæretica, inquit sanctus Thomas, superficie tenus intellecta; eò quòd Apostolus significare videatur, Passioni Christi aliquid defuisse, & ipsum patiendo id suppleuisse; cùm tamen virtus sanguinis ejus, mille mundis, si tot exstitissent, redimendis sufficiens fuerit. *Hæc verba*, inquit, *secundùm superficiem, malum possent habere intellectum, scilicet, quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem, sed additæ sunt ad complementum passiones Sanctorum. Sed hoc est hæreticum, quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptionem multorum mundorum.* Thom. hic lect. 6. Quomodo igitur in legitimo sensu hæc Apostoli verba intelligere poterimus? Dicam, inquit sanctus Doctor: Duo merita necessaria sunt, vt Ecclesia, id est, congregatio Fidelium saluari possit: Christi nimirum, quæ infinita sunt, & singulorum, quæ limitata. Ideoque vt mensura omninò plena sit, infinito Christi finitum nostrum adjungi debet, atque ei quod ipse passus est, ea quæ nos-ipsi patimur addi debent, vt ea ratione salutem nostram assecuremus: *Adimpleo ea*, id est, *addo mensurã meam, & hoc in carne*, id est, *ego ipse patiens.* Perinde ac si clariùs diceret Paulus: Negotium salutis nostræ est instar contractûs societatis, in quo nos-ipsi industriam conferre debemus; quandoquidem Deus sanguinis, ac gratiæ suæ sortem conferat, quæ certum sunt pignus gloriæ, *Amen.*

# TRACTATVS XIV.

## AD DIEM VENERIS POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMÆ.

*Miserunt ergo Sorores ejus ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Ioan. 11.

SI quatuor Sacrorum Euangelistarum Historiam Euangelicam attentè legerimus, & stylum quo portentosum illud resurrectionis Lazari, quatuor dies jam mortui, miraculum refert, obseruauerimus, deprehendemus, cæteros Historiam texuisse, sanctum verò Ioannem capite 11. mysteria ejusdem explicasse. Distinctè enim, ac sigillatim rei circumstantias narrat: dicit, quis infirmus hic fuerit, quæ sorores ejus, quod nuntium, aut epistolam ad Christum Dominũ destinarint, quid ille eis responderit, timiditatem, ac ignauiam Apostolorum, qui timore mortis, vitæ consortium deserere, nec in Ierusalem reuerti voluerunt; moram, quam Christus Dominus in amici sui Lazari necessitatibus succurrendo, fecit; mysticam Theologiam, quam cum Martha tractauit; ceremonias, quibus ad sepulchrum peruenit; oculorum in cœlos subleuationem, cum æterno Patre colloquium, ploratum, ac fremitum; vocem, qua mortem, ac infernum conturbauit, & tria illa magna mirabilia operatus est; nempe corpus resuscitare, animam è limbo educere, & Lazarum manibus, ac pedibus ligatum incedere. Dominus autem miraculum hoc, tamquam mirabilium suorum supremum, in tempus passioni suæ maximè propinquum, de industria reseruauit, vt tum euidentiùs diuinitatem suam declararet, & ad sui cognitionem eos adduceret, quos præ duritia cordis sui, reliqua mirabilia opera, quæ vsque tum operatus fuerat, non emollierunt. Incipit narratio Euangelica à tristitia, infirmitate, morte Lazari, & sororum ejus lachrymis, tristibus profectò, ac lugendis effectibus culpæ primæui hominis terreni; desinit autem in lætitiam & salutem, mirabiles effectus gratiæ secundi hominis cœlestis. Ponuntur primò tristis hæreditas Adami, vinculum, ac primogenitura, cui vita morti, & salus infirmitati subjecta mansit. Mox verò Christi Domini nostri, cujus potestas infirmis salutem, mortuis vitam, & captiuis libertatem tribuit. Omnes hos effectus in nobis operari potest diuina gratia; rogemus Virginem Dominam nostram, vt eam nobis impetret. *Aue Maria.*

*Miserunt ergo sorores ejus ad eum, &c.*

## Consideratio I.

*Eum meritò à manu Dei dona expectare, qui obsequijs illum sibi deuincire conatur; frustrà verò fauores ejus expetere, qui de eò offendendo dumtaxat agit.*

1. MIserunt ergo, inquit S. Ioannes, *sorores Lazari ad Christum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Quæstio est inter Interpretes controuersa, quare Euangelista, antequam nuntium referret, illationem hanc fecerit: *Miserunt ergo?* Quidam illorum existimant, consequentiam hanc referri ad ea, quæ postmodum sequuntur, adeò vt hunc sensum efficiat: Quia Lazarus grauiter infirmabatur; charitas autem, & fraternus amor requirebat, vt sorores ejus ipsi adessent; ideò miserunt, & ipsæmet non iuerunt. Explicationem hanc non reprobo; verùm communior dicendi modus, & phrasi Euangelistæ magis conformis, mihi esse videtur, si illud *ergo* referatur ad ea, quæ anteà dixerat. Probatur ex eo quod postmodum, descripta resurrectione Lazari, dixerit: *Collegerunt ergo concilium, &c.* videntes nimirum Christum Dominum tanta miracula facientem, quibus plurimos ad se pertrahebat, atque adeò illatio, & consequentia hunc sensum facit: Harum duarum sororum Lazari, vna erat Martha, quæ tanto amore, & solicitudine Christum, ejusque discipulos in domo sua excipiebat; altera verò Maria, quæ lachrymis pedes ejus rigauerat, capillis suis extersérat, & vnguento vnxerat; ideoque ad Christum Dominum, tam plenum fiduciâ nuntium miserunt, vt aliud simile in Euangelio non legamus. Quasi diceret Euangelista, quia Martha Christum exceperat, quia Maria lachrymis pedes ejus rigauerat, & vnguento vnxerat, ideò hæ tantæ virtutes fiduciam illis dederunt, nuntium ad Saluatorem hoc modo mittendi: *Domine, ecce quem amas infirmatur*; in quo quidem, nihil clarè, & explicitè postulantes, sese ab illo omnia expectare ostendunt. Non est hic meus discursus, sed sancti Ioannis Chrysostomi, qui dicit: *Ob fiduciam, & familiaritatem, quam habebat cum eo.* Iustum enim est, & rationi consonum, vt gratias, & dona à manu Dei expectet, qui obsequijs illum sibi deuinxit, sicuti qui, pro eo quod ei seruiret, eum offendit, frustra ejus fauores prætendit. Chrysost. hic.

Spiritus sanctus de forti illa muliere loquens, cujus heroicas virtutes tantopere extollit, dicit: *Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Quasi diceret: Quidquid aggredietur, bene ei succedet, & in tribulationibns quæ ei obuenient, vel etiam in morte (sic enim Interpretes hæc verba communiter interpretantur) confidet, & secura erit cuncta prosperè sibi euentura. Sed vnde, obsecro, mulieri illi, cujus laudes cœlum tantopere exaggerat, tam bene fundata confidentia? Vnde? inquit magnus Pater S. Augustinus; ex eo quòd immediatè pòst de ea dicatur: *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.* Notum est grauium Interpretum, & plurimorum sanctorum Patrum sententiâ, fortem hanc mulierem esse animam sanctam. Verùm quid 2. Prouerb. 31.

nos docere volet Spiritus ſanctus, dicens, quod fortis, & generoſa hæc mulier manum ſuam miſerit ad fortia, & digiti ejus apprehenderint fuſum? Ad dubium, Eccleſiæ lumen Auguſtinus reſpondet, expendens differentiam quæ eſt in eo, quod eſt in fuſo, & in eo, quod eſt in colo; hoc enim adhuc nendum, illud verò jam elaboratum eſt: ideoque hæc mulier in fuſo confidit, non autem in colo, quia fiducia ejus non innitebatur ei, quod factura erat, ſed ei, quod operata jam erat, ideoque in occaſionibus timoris tam ſecura, & in nocte tribulationis tam confidens exiſtit; certa enim eſt, Deum ſibi adfuturum, quandoquidem bonis operibus ei ſeruierit, & obſequijs eum ſibi demeruerit: *Quod in colo inuolutum eſt, adhuc in ſiniſtra eſt, & nondum in fuſo: quod in fuſo collectum eſt, jam præteritum eſt. Opus ergo tuum in fuſo ſit, non in colo; in colo enim eſt quod facturus es, in fuſo quod feciſti;* inquit S. Auguſtinus. Atque adeò non eſt quod miremur ſecuritatem, qua ſorores Martha, & Maria pollicitæ ſibi ſunt ſe à Domino facilè exaudiendas, & petitionis ſuæ expeditionem obtenturas, ſuppoſitis obſequijs, & officijs, quæ ab illis receperat.

*August. serm. 117. de temp.*

3. Ingenioſè admodum reflexit doctiſſimus noſter Cajetanus ad fiduciã, qua nobilis, & diues illa mulier Sunamitis, Prophetam Eliſeum rogauit, vt filiolum ſuum, inter brachia ſua jam defunctum, reſuſcitaret. Tam certa autem erat de reſurrectione pueri, vt cùm Propheta, eam venientem conſpiciens, antequam ad eam deueniſſet, rogatum ad eam miſiſſet: *Rectenè agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum?* Illa reſponderit: *Rectè.* Ratio verò dubitandi eſt, quomodo reſpondeat eum ſanum eſſe, & incolumem, cùm mortuus eſſet? De perſona tam honeſta, & virtute prædita præſumi non poteſt, quod mentita fuerit: atque ita reſoluit Eminentiſſimus Cardinalis: *Nec mentita eſt mulier.* Si autem mentita non fuerit, quomodo dicit filium rectè valere, cùm jam obijſſet? Audite reſponſionem, ingenio ejus dignam: *Sancta mulier interpretata eſt mortem filij in bonum fuiſſe diuinæ prouidentiæ.* Hoc eſt; Tam firmiter ſperabat reſurrectionem filij, vt cùm mortuus eſſet, eum pro viuo habuerit, & augurabatur animus, quod diuina prouidentia mortem illam ad ſui gloriam, & majorem parentum lætitiam ordinaſſet, qui meritò reſuſcitatum habentes filium exultabant. Et Cajetanus affirmat quod ſancta illa mulier, propter obſequia Eliſeo præſtita, & quia eumdem tanta charitate in domum ſuam Hoſpitio toties receperat, mortem filij ad Dei honorem, & majus ſui ſolatium fuiſſe crediderit. Hoc autem myſterium deprehendo ex eo, quod ſacer Textus dicat, quod mater, mox vt filium defunctum vidit, poſuerit in cubiculo, in quod Propheta ſeſe recipere ſolebat; quaſi diceret, quod charitas, quam hoſpitio eum recipiendo, ei exhibuerat, reſuſcitatum filium ſibi reddere deberet. Quod ſi cum ſancto Baſilio Seleucienſi quæramus: *Cujus figura fuit Eliſeus?* reſpondebit: *Eliſeus Chriſti figuram gerit.* Meritò igitur animæ illæ, quæ continuò familiariter eo vtuntur, quæ inſtar mulieris Sunamitidis, vel, vt melius dicam, inſtar Marthæ, & Mariæ, eum, nec non & eos, qui ipſius ſunt, ex ejus amore, in domo, & anima ſua feſtiuè excipiunt, quæ pedes ejus lachrymis ſuis rigant, extergunt, mundant, & vngent, cùm in tribulatione ſe conſtitutas, ac graui infirmitate, vel etiam morte preſſas conſpiciunt,

*4. Reg. 4.* *Cajet.* *Basil. Seleuc. Orat. 10.*

spiciunt, pia opera, ac obsequia ei exhibita, fiduciam eis tribuunt, ab amore, & benignitate ejus remedium in omnibus sperandi.

4. Considerate mecũ Principem Apostolorum sanctum Petrum, in duabus differentibus occasionibus, & actibus admodũ diuersis constitutum; quorũ vnus magnæ fiduciæ, alter verò æqualis timoris fuit. Ac primus quidem cùm, discipulis in nauicula, occasione magnæ tempestatis, cum procellosis maris vndis, ac fluctibus luctantibus, nemine habito qui in turbulentis illis angustijs eis succurreret, Dominus super aquas illis apparuit; & quamquam in principio putarent phantasma esse, mox tamen vt ipsis locutus fuit, & dixit: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere*; sanctus Petrus, audax, & de fauore ejus securus, animosus dixit: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Quid hoc est, sancte Apostole? Quis tantum audaciæ tibi dedit, vt tu solus inter omnes tam extraordinarium, & insolitum fauorem expetas, ipsam Christi potentiam æmulans, & desiderans, vt sicut illi, ita & tibi aquæ subdantur, & obediant, & fluctuum suorum spumam coagulent atque condensent, ita vt sicut ipse, ita & tu sine mersione super illas incedere possis? Non imagineris talia, inquit Victor Antiochenus: *Petrus enim magis dicebat propter incensam erga Christum charitatem, quàm propter vllam prorsus ostentationem.* Et licet solus petierit, probè tamen sciuit, quid faceret: *Nullus enim Iesum æquè amabat, ac ille.* Adeoque mirandum non est, quod omnes in confidentia præcedat, qui omnibus in perfectione antecellit. Petat, & plus quàm socij sui se obtenturum speret, cùm plus omnibus Christum amet.

*Matt.14.*

*Vict. Antioch. in cap. 6. Marc.*

5. Cùm verò idem Apostolus Christum negauit, & pro sua misericordia *respexit Dominus Petrum*, & oculos suos in eum conjecit, qui quasi duo cœlestes Soles eum illuminarunt, vt peccatum suum, ac grauem injuriam, quam Deo irrogarat, agnosceret: fecit quod sacri Euangelistæ singulari sollicitudine dixerunt; nempe, quod *egressus foras, fleuit amarè.* Quærit sanctus Ambrosius, quare non statim ad Christum Dominum accurrerit, cùm fontem misericordiæ eum esse sciret, ad eam implorandam? securus enim erat de venia cum eo quod ipsi mandauerat: *Si peccauerit in te frater tuus, dimitte ei, non dico septies, sed septuagies septies.* Quare, vt minus per signa, remissionem non petijt, Dominum aspiciens, & oculis suis ei loquens, prout ille suis oculis ei locutus fuerat? Rectè memini, sancte Petre, quod aliàs fiduciam habueris petendi à Christo, vt instar sui ipsius, super aquas maris te incedere faceret; modò verò dicere non audes, vt, cùm offenderis, tibi ignoscat? Haud equidem capio. Verumtamen, *Inueni*, inquit S. Ambrosius, *cur tacuit Petrus; ne tam citò veniæ petitio plus offenderet, antè flendum est quàm petendum.* Petrus enim jam defecerat, & amorem, quo erga Christum ferebatur, amiserat; & agnouit, post talem offensam Christo Domino illatam, audaciæ fore, mox, nihil peracto, eum accedere, & misericordiam, ac fauores postulare, nisi priùs multas, ac amaras lachrymas profunderet, quæ veraciter testarentur, quod culpam suam agnosceret, ac pro ea satisfaceret; adeò vt Petrus, cùm Deum magis diligeret, eumque quantum posset sibi diuinceret, securus peteret, & confidens speraret; verùm cùm eum offendit, petere non audet, nisi priùs

*Luc.22.*

*Matt.18.*

*Ambros. in c.22. Luc.*

præ-

præteritam jacturam resarciat.

6. Ponderat sanctus Ioannes Chrysostomus postulationem illam, quam Palęstini, ac Rex ipsorum sancto Patriarchæ Isaac proposuerunt, quam non solum sibi concedi desiderabant, sed etiam juramento firmari: *Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali: sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus, auctum benedictione Domini.* Homines hi aberrant in ijs quæ dicunt, nec sciunt quid loquantur. Legite, inquit Chrysostomus, quid paulò antè sacra Scriptura referat, quomodo Isaac in ipsa terra Palęstina existens, taliter ditatus fuerit, vt jam ex potentioribus, & ditioribus esset; quodque Palęstini hoc videntes, bonæ sortis ejus inuidi, & tantæ ejus felicitatis pertæsi, vnà cum Rege ei dixerint: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es*; & insuper omnes puteos, quos Isaac à Patre suo Abraham hæreditauerat, obstruxerint. Et ijdem, qui tantâ injuriâ eum affecerant, paucis abhinc diebus, eum accedunt rogantes: *Sit juramentum, &c.* & rationem, propter quam postulata concedere debeat, assignant; Quia nihil vmquam mali, aut damni ei intulerunt. Certum est quod turbatio, & metus quo afficiuntur, eos delirare faciat: si enim ratione ducerentur, Isaacum cum tali postulatione accedere non auderent, nec animos habuissent fauores, & amici officia expetendi ab eo, quem reipsa offenderant: *Vide quomodo pugnantia inter se præ mentis angore, & turbatione loquuntur.* Isaac figura fuit Christi Domini, prout dixit sanctus Paulus; *Eum in parabolam accepit.* Idque canit Ecclesia per os, & calamum Angelici Doctoris sancti Thomæ: *Cum Isaac immolatus.* Non simus instar Palęstinorum, qui post manifestas irrogatas injurias, maximè securam, & synceram amicitiam ab Isaaco postularunt; sed justorũ illorum, ac seruorum Dei imitatores, qui in bono, quod ex amore ejus agunt, fiduciam fundant bonæ expeditionis, quam à benigna, & liberali manu ejus obtinere intendunt.

*Gen. 26.*

*Chrysost. hom. 52. in Gen.*

*Ad Hebr. 11.*

*Thom. in prof.*

Promisit Deus Regi Achaz victoriam de Regibus Syriæ, & Israël; ille verò diuini promissi, & fidei, quam ex parte Dei Isaias Propheta ei fecerat, dubius hæsit. Dicit ei Propheta, vt ad majorem promissi certitudinem, signum aliquod, vel miraculum in cœlo, vel in inferno à Deo fieri petat. Respondet: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Sacri Interpretes communiter condemnant Regem Achaz, quia Prophetæ consilio vti, & signum datæ fidei, prout Abraham, Gedeon, & alij illud petiuerunt, à Deo petere noluit. Verùm noster Pater sanctus Thomas, pro Rege Achaz respondet, ac partes ejus agere, eumque defendere conatur. Quomodo verò Angelicus Doctor hominem tueri potest, quem plurimi Doctorum condemnant? Dicat id ipse Sanctus: *Vel quia in idolis confidebat, vel in Rege Assyriorum, vel quia timebat offendere Deum in angustia positus; innixus est enim quod dicitur Deuteronomij 6. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deo enim non seruierat, nec eum sibi deuinxerat, sed potius grauiter offenderat, dubius de veritate verbi ejus, & peccatum infidelitatis incurrens, quia *Dubius in fide est hæreticus:* atque adeò sibi persuasit, quod in statu illo à Deo signa petere, foret Deum alium æstimare, quàm Spiritus sanctus docet, & consulit, vt eum æstimemus. Nam post injurias, munera expetere, & post pecca- 7.

*Isaie 7.*

*Thom. hîc.*

peccata, fauores requirere, est magis iram ejus prouocare, vt puniat, quàm misericordiam ejus inuocare, vt succurrat.

Auarus ille diues in vltricibus inferni flammis, quas patiebatur, constitutus, Patriarcham Abraham rogat: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguā meam, quia crucior in hac flamma.* Interpretes omnes, sequentes sanctum Ioannem Chrysostomum, & Chrysologum, qui plura, & melius omnibus, de iniquo hoc homine disseruerunt, resolvunt, & dicunt, indiscretam, & inuerecundam fuisse ejus petitionem; sed rationes ipsorum sunt diuersæ: quidam dicunt inscitiam ejus fuisse, quod sibi persuaserit in æternis inferni flammis refrigerium aliquod haberi posse, cùm tamen in eo nulla sit redemptio, nec in toto, nec in parte tormenta eius subleuari queant; alij verò, parum verecundum eum fuisse, petendo vt aquam sibi deferrent; cùm potius facultatem petere debuisset ad quærendum quod tantopere desiderabat: alij denique quòd misericordiam postularet is, qui nunquam erga alios vsus fuerat: alij alias rationes assignant, quas apud illos curiosi inuenient. Cardinalis Cajetanus dicit, omnia parum verecundiæ, & multum insaniæ complecti: *Petit Lazarum mitti ad sui refrigerationem, cui meminit se tam inhumanum fuisse.* Existimo, inquit doctus, & ingeniosus hic auctor, insolentis hujus peccatoris imprudentiam non fuisse in petendo misericordiam ab Abraham, & infernalis ignis, quem patiebatur, refrigerationem, sed in requirendo, & sperando hujus aquæ ministrum fore Lazarum, quem ipse singulariter offenderat. Si ab alio sibi subueniri petijsset, adeo peregrinum non foret; verùm à Lazaro, cui in vita tantum mali intulerat, summæ audaciæ est, & impudentis malitiæ.

Luc. 16. — Cajet. hic.

9. Quidam animaduertunt, quænam fuerit ratio, cur filij Zebedæi ipsimet Christum non accesserint, sedes in regno eius postulaturi, sed rem hanc matri suæ commiserint: *Accessit ad Iesum Mater filiorum Zebedæi*; cùm viri magis apti & idonei sint ad postulationes aliquas faciendas, quàm mulieres. Multas rationes sancti Patres, ac Interpretes nobis offerunt; sed illa magni Abulensis ad rem nostram facit: *Quia fortè illa,* inquit, *aliquando adjuuarat Dominam nostram, sororem suam, ad nutriendum Christum*; ideoque præstita obsequia, & officia, merita esse censuit, ad fauores & munera postulanda. Hisce adductis exemplis confirmata est nostra consideratio: & ex dictis constat, quanti referat, obsequijs, & officijs Deum demereri, vt petitiones nostras audire dignetur, & postulata concedat; si enim contrà fecerimus frustra eius fauores speraremus. Ostendunt hæ sorores se de bona Domini expeditione præfidentes, quia eam promeritæ fuerant.

Matt. 20. — Abul. q. 54. sup. cap. 20. Matth.

---

*Ecce quem amas, &c.*

## CONSIDERATIO II.

*Quod hæ sorores tam sanctas quàm prudentes sese ostenderint, repræsentando Christo ad eum sibi demerendum, non præstita ipsi obsequia, sed amorem quo erga Lazarum ferebatur.*

1. OPtimus, ac conuenientissimus cum Deo agendi modus, ad noua

noua à diuina eius Maiestate, beneficia consequendum, est, ei illa exhibere, quæ à liberali, & munifica eius manu accepimus. Insignis noster Oleaster mysterium deprehendit in situ loci, quem Isaac, teste sacrâ Scripturâ, in habitationem sibi elegit: *Qui habitabat iuxta puteum viuentis, & videntis.* Si inquirere voluerimus, quis puteus hic fuerit, & etymologiam eius inuestigare; reperiemus *in capite* Genes. 25. 16. *Genesis*, quod Agar ancilla, & Genes. 16. vxor Abrahami hoc nomen ei imposuerit, quando domo eius eiecta, in deserto Angelus ei apparuit, & ex parte Dei filiorum posteritate eam consolatus est: & *propterea appellauit puteum illum, puteum viuentis & videntis.* Hunc itaque puteum, vel locum hunc in habitationem suam eligit Patriarcha, & iuxta memorabilem hunc locum permanens suum domicilium fixit. Quam verò Sanctus vir hac in re intentionem habuit? Dicat Oleast. hic. id magnus Oleaster: *Multum vitæ confert, si eum ad viuendum locum eligas, vbi noueris Dei præsentiam peculiariter adesse,* eumque sua dona, ac munera liberaliter aliquando effudisse; nam procul dubio, ea ipsa de causa, quâ sese liberalem exhibuit, ille ipse, supposito quod beneficium aliquod receperit, nouis collatis beneficijs liberalitatem suam exercet, & fauor vnus præstitus, ad nouas liberalitates eum excitat; atque adeò prudens harum sororum negotiandi modus fuit, Christo proponere quod Lazarus amicus eius foret, quasi particulare motiuum ad nouam misericordiæ suæ ostentationem.

2. Plurimas sacris Interpretibus cogitationes iniecit mirabilis illa Prophetę Moysis confidentia, qua tam instan-
Exod. 33. ter à Deo petiuit: *Ostende mihi faciem tuam: ostende mihi gloriam tuam.* Quis Moysi tam elatas cogitationes impressit? vel in quo tam noua, ac extraordinaria postulatio fundata fuit? Dicat Caiet. hic. id noster insignis Cardinalis Caietanus: *Expertus Moyses tam ingentem erga se diuinam gratiam, accensus est ad supplicandum pro eleuatiore visione diuinorum.* An igitur Moyses ijs, quæ quamplurima acceperat, contentus non erit? Nequaquam. Nouerat enim genium Dei, quodque vnum eius beneficium, ad maiorem liberalitatem dispositio sit, ideoque videns ea quæ in se beneficia contulerat, animat sese ad reliquis omnibus maius expetendum, quod reipsa, secundùm meliorem Magni Augustini, & Angelici Doctoris sancti Thomæ doctrinam, consecutus est.

3. Quando Iacob cum domo, ac familia sua ex Mesopotamia ad terram suam reuertebatur, sciuit quod frater eius Esau cum quadringentis viris sibi obuiàm veniret. Mox autem orationi se dedit, atque in hunc modum precatus est: *In baculo meo transiui Iordanem* Genes. 32. *istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Quis, obsecro Patriarcha Iacob, hic agendi modus est? Quia pedes iuisti, & eques reuerteris; quia diues redis, licet pauper iueris, Deum rogas, vt à periculis te præseruet? Haud equidem capio. Non vides Deum tibi dicere posse, se sat multa in te beneficia contulisse, te ijs contentum esse posse? Oleaster dicit, quod instar sancti, & prudentis negotiatus sit: *Commemorat præterita beneficia, vt* Oleast. hic. *præsentibus dignus sit,* cùm certum sit, optimum modum procurandi celerem petitionum nostrarum expeditionem esse, Deo receptorum ab illo beneficiorum catalogum, & memoria-

lem libellum offerre.

4. Egregia sane cogitatio S. Ambrosij, considerantis petitionem quamdam à Dauide Deo oblatā Psalmo 118. *Manus tuæ fecerunt me; da mihi intellectū, vt discā mandata tua.* Quomodo, quærit sanctus Ambrosius, hæc inter se cohærent: Opus manuum tuarum sum, da mihi intellectum? *Magno commendationis exordio*, inquit magnus Doctor, *visus est, vt opus Dei se esse diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur auctoris.* Quasi diceret Dauid. Necessariò fauere mihi debes, quoniam res tua sum; quod enim à te essentiam acceperim, & creatura tua sim, te obligat vt mihi benefacere perseueres. Exploratam enim habeo benignam conditionem tuam; & certus sum, quod beneficium alicui à te collatum, certum pignus sit eorum, quæ adhuc facturus es.

Psal. 118.

Ambros. serm. 10.

5. Mittebat Deus Moysen legatum suum ad Pharaonem, vt suo nomine ei diceret, vt populum suum, qui tot iam annis in Ægypto captiuus fuerat, libertate donaret. Recusauit commissionem Sanctus, eamque subterfugit, vel quia propter humilem, & submissam, quam de se habebat opinionem, inidoneum, eaq; se indignum iudicabat; vel quia incommoda, quæ ex barbariei insolentis, & tyrannici Regis ipsum manere poterant, ei obijciebantur. Securum eum reddidit Deus, & prosperum rei euentum promisit; cumque vidisset Moyses, Deum tam firmiter spopondisse, rogauit eum: Si dixerit mihi Pharao, quis me hæc annuntiatum miserit, quid ei respōdebo? Dices ei, inquit Deus: *Ego sum qui sum: qui est misit me ad vos.* Rabbi Salomon, ab insigni nostro Oleastro citatus ex Hebræo legit, *ero qui ero.* Difficilis sanè versio, cuius intelligentia implicitos nos reddere potuisset, nisi hic Rabbinus eam explicasset: *Cùm Dominus Moysi dixit: Ero qui ero, sensus est: Ero cum eis in præsenti tribulatione, qui ero cum eis in afflictione*, quæ in acquisitione *aliorū Regnorum* eis obueniet. Adeò proprium Deo est, vno aliquo beneficio suo, ad alia maiora præstanda se obligare, vt significare videatur hanc eius essentiam esse, & secundùm nostrum concipiendi modum, quidditatiuam eius definitionem; adeò vt quærenti, Quid sit Deus? certò respondere possemus, quod sit is, qui beneficio quod confert, spondet, & fideiubet se alia præstiturum; hoc est: *Ero qui ero.*

Exod. 3.

Oleaster. hic.

Rab. Salom. apud Oleast.

6. Audite Regium Prophetam Psalmo 143. *Qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno eripe me.* Quærit magnus Pater sanctus Augustinus: *Vnde redemit Dauid seruum suum?* Et respondet, quod Deus Dauidem redemerit de gladio Goliath inimici sui, ac populi sui; modò verò effugere conetur gladium Saulis, qui eum persequitur, & quærit vt eum occidat. Propheta autem misericordias antiquas allegat, vt Deum sibi deuinciat, ad nouas; quas petit, impertiendas: vtque vnius gladij pericula euadat, memorem eum facit, quod ab alio eum liberauerit: Saulis timet qui eum persequebatur, vasti autem, & enormis Philisthæi Dei beneficio euasit, & in possessione vnius, alterius spem fundat, tamquam diuinæ bonitatis probè conscius, cuius fauores, aliorum quædam semina sunt, & in materia beneficiorum, incipere ea præstare, idem est, ac sese obligare ad ea prosequenda.

Psal. 143.

Aug. hic. & Caiet.

7. Vna ex grauioribus ineptijs in mundo commissis, fuit adoratio illa, quam

quam filij Israël vitulo illi attribuerunt, quem, ipsis vrgentibus, summus Sacerdos Aaron fabricauit. Circumstantias rei non refero, quia instituto nostro non seruiunt. Cum doctissimo Oleastro solummodo animaduerto, eos erga idolum, vel dæmonem in omnibus sese gessisse, perinde ac si verus Deus fuisset, non tantùm reuerentem cultum ei deferendo, sed etiam cum ipso agendo, perinde ac si verus Deus, & Dominus Israëlis fuisset. Colligit id magnus Doctor, ex fine quem habuerunt, ad petendum ab Aarone, vt illud fabricaret; *Fac*
Exod.32. *nobis Deos, qui nos præcedant.* Et ex ver-
Oleaster. bis, quibus eo facto illud celebra-
hic. runt: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti: Vt idolum ad sequentem ducatum allicerent, præcedens beneficium liberationis in eum referunt,* inquit Oleaster. Adeò connaturale est Deo, beneficijs, quæ in nos confert, ad ea continuanda se obligare, vt hi, licet adeò excæcati peccatores, & à Fide apostatæ forent, tamen hanc veritatem agnoscerent.

8. Princeps quidem Synagogæ, nomine
Marc.5. Iairus, ad Christũ accessit, qui procidens ad pedes eius, eumque adorans, rogauit eum, vt filiæ suæ vnicæ familiæ suæ hæredi, quæ morti proxima erat, prout dicit sanctus Lucas, & S. Marcus; aut quæ iam defuncta erat, vti sanctus Matthæus, manum suam imponere dignaretur, vt sanitatem, si infirma, vel vitam, si defuncta foret, consequeretur. Quærunt sancti Patres, quamobrem eam manu sanari petierit, cùm vel solum verbum, & diuina eius voluntas ad sanitatem obtinendam sufficeret? Quidam dicunt, quod exigua eius fides in causa fuerit, quodque de Christo instar puri hominis iudicaret, eiusque diuinitatem minimè agnosceret. Sanctus Pe- Chrysol.
trus Chrysologus, altiorem, quàm vi- serm.33.
deatur, philosophiam eius fuisse dicit: *Credidit ergo Deo,* inquit sanctus Archiepiscopus, *quia eadem manu, qua creatam senserat filiam, recreari, ac reduci posse ad vitam nouerat. Veni, & impone manum; vt qui sponte posuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat.* Est enim antiquus Dei mos, vt vno aliquo beneficio dato, ad aliud sese obliget, & præstitus ab ipso fauor, ad plures alios præstandos eum excitat. Atque adeò sorores hæ in postulatione ad Saluatorem directa, prudentissimè processerunt, amorem quo erga Lazarum ferebatur, ac fauorem quo eas afficiebat, ei suggerentes, ad sanitatem, quam ei optabant, consequendam, non autem obsequia, quæ Domino præstiterant. *Ecce, quem amas infirmatur.*

---

*Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.*

## CONSIDERATIO III.

*Quod gloriam suam vtilitati nostræ Deus alliget, idq́ commodum suum esse iudicet, quod in emolumentum nostrum cedit.*

MEmini in sancto Iræneo verba 1.
quædã me legisse, quæ præsentis discursus fundamentum esse possunt:
*Gloria Dei homo viuens,* inquit inclytus Irene lib.
Martyr, & sapiẽtissimus Doctor. Ratio 4. aduers.
in omnium oculos incurrit: nam cùm hæres.
optimum hominis bonum in rebus humanis sit viuere, quodque Deus maximi facit, & desiderat, sit eius bonum,

num, ideo Sanctus ille dicit, vitam humanam esse gloriam Dei, eamque magnitudinis suæ apicem esse ducat. Et quidem, si de vita ordinaria, quam homo hîc viuit, intelligi id debeat, quanto potiori iure de vita, quam per cœleste miraculum, postquam ea caruit, accipit homo, & de sanitate, quam eâ amissâ, recuperat, intelligi potest ac debet? id enim est quod hic Saluator dixit: *Infirmitas hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Hunc enim in illa infirmitate finem sibi præfixit Deus, non mortem Lazari, sed vitam eius, quam ei restituturus erat, eum ad sui gloriam resuscitans, hoc ipso significans, honorem, ac gloriam suam, bono, ac vtilitati nostræ annexam esse.

2. *Exod. 33.* Considerate mecum petitionem illam, quam Moyses ad Deum direxit, dicens: *Ostende mihi gloriam tuam*, quasi diceret: Quamquam pro summa familiaritate, quæ mihi tecum intercedit, multa à te consecutus sim, scire tamen desidero quænam sit perfectio, in qua respectu hominum, gloriam, & honorem tuum constitueris. Respondet ei Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi.* & in Hebræo adiungitur: *meum.* Aduerto autem quod Deus mox dicat Moysi: *Lect. Heb.* *Ego vocabo in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero, & clemens ero, cui mihi placuerit. Ecce, inquit, est locus coram me, & stabis supra petram, cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ & protegam dextra mea, donec transeam, tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea.* vtque me transire scias, altâ voce inclamabo, & perfectiones gloriæ meæ, respectu hominum, pronuntiabo. Transiuit Deus circumdatus gloriâ suâ, & clamauit, vti promiserat, de se tamquam de tertia persona loquens, & dicens: *Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis; qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* Aduertit autem eruditus noster Doctor, & Apostolicus Prædicator gloriosæ memoriæ Fr. Petrus Caluus, omnes has perfectiones, quas Deus de se promulgat, magnã eius pietatem, ac benignitatem erga hominem declarare: sed non exsoluere fidem Moysi datam, de perfectissimo eius bono ostendendo, & in quo apex honoris, & gloriæ eius consisteret: hoc enim est quod ipsum rogauerat, dicens: *Ostende mihi gloriam tuam.* atque adeò videtur promissioni suæ, quam de gloria sua ei ostendenda ipsi fecerat, non satisfecisse. Ne ita intelligas, inquit doctus hic Auctor, sed quod Deus reipsâ promissionem suam accuratè adimpleuerit: nam in benefaciendo hominibus, eorum peccatis ignoscendo, à malis eos liberando, eosque bonis omnibus cumulando, gloriam suam Deus constituit, hoc omne eius bonum est, quodque in remedium nostrum cedit, gloriam suam esse vult: *Et hoc dicens, propriam gloriam hominum quæstum reputabat.* *Calu. hom. 1. super Diligite inimicos vestros.*

3. *Psal. 18.* Obseruaui aliquando quod dicit Dauid Psalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Tota difficultas horum verborum est in probando, quinam sint hi cœli, qui nobis indicent quis sit Deus, & gloriam eius nobis repræsentent. Omissis allegorijs, optima explicatio, & litteræ magis conformis, est, Prophetam loqui de elementaribus cœlis, eorumque influentijs, quas in res sublunares, in bonum, & vtilitatem hominum toti impensi, continuò exercent: in hoc enim, prout Philosophi naturales notant, ab elementis distinguuntur: hæc enim in *Philosoph. lib. de cœlo.*

moti-

motibus suis naturalibus, bonum ac commodum suum particulare, non autem cõmune quærunt, requirentia loca illa quæ ad sui conseruationem meliora existunt: cœli autem in motibus suis circularibus ad particulare suum bonum non respiciunt, cùm in seipsis moueantur, adeoque noua loca non acquirant, non ad proprium, sed commune vniuersi bonum respiciunt. De his itaque Regius Propheta dicit; quod gloriam Dei enarrent, eamque nobis indicent, quasi nos docentes, Deum nihil tanti facere, quàm mundo benefacere, & apicem gloriæ suæ, ac maximè illustre insigne suum esse, continuò sese hominibus communicare. hoc est, *Cœli enarrant gloriam Dei*. Nam id solum, quod in hominum vtilitatem cedit, honori, ac gloriæ sibi Deus ducit.

4. Ioan. 1. Matth. 4. Rupertus Abbas duo illa sancti Ioannis, & sancti Matthæi loca componit, quando vitæ Auctor famosum illud conuersionis aquæ in vinum, vt conuiuæ biberent, in Cana Galilææ miraculum perpetrauit; & aduertit, Christum Dominum ex lapidibus panes facere noluisse, cùm dæmon in deserto eum rogauit: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Quænam fuerit ratio, cur Christus Dominus vnum concesserit, alterum verò negauerit? Audite responsionem; est enim instituto nostro peropportuna. Rup. l. 3. in Matth. c. 3. *Fortè enim putas, quia gloriam suam non manifestauisset, si ad eius dictum lapides facti fuissent panes? Sicut in eo postmodum gloriam suam manifestauit, quod ad eius nutum aqua in vinum conuersa est? Sed non ita est. Vbi enim hoc initium fecit signorum, & manifestauit gloriam suam, non gloria fuit inanis, sed gloria cum fructu: quem videlicet fructum præsentat, dicens: Et crediderunt in eum Discipuli eius. Numquid crederet in eum tentator insidiosus?* Ex dictis colligitur, quod illam dumtaxat gloriam Saluator magni fecerit, quæ ex hominum commodo, ac vtilitate prouenit.

Memini considerationem quandam in docto nostro Episcopo Barbastrensi me legisse, ingenio, ac eruditione eius dignam. Ponderat verba illa, quæ Ecclesia canit in Cantico Missæ, cui beati Angeli decantantes Deo, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, initiũ dederunt. Verba autem sunt illa: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Impropria locutio videtur, inquit sanctus, & doctus hic vir; quandoquidem gloriæ, ac splendori magni alicuius Regis gratiæ non habeantur, sed ea admiremur: gratiæ autem propter beneficia habentur. Iam verò *gloria*, quam Deus *magnam* æstimat, beneficium nostrum est, quod est peccata, quæ in eum commisimus, nobis ignoscere, diuinam gratiam & fauorem suum nobis impertiri, ac bonis omnibus, prout continuò experimur, nos replere. Hoc autem Mater nostra Ecclesia attendens, Deo propter gloriam suam gratias agit; hoc est, propter misericordias, & fauores, quos ipsa, & nos filij eius perpetuò recipimus, cognoscentes, quod quanto maius est bonum, quod in nos confert, tanto magis bonitas eius exaltetur; & ipse tanto magis sublimatus, quanto maiorem vtilitatem nos ipsi percepimus. 5. Barbast. homil. super Diligite inimicos vestros.

Discipulus à Iesu magis dilectus dicit: *Nondum fuerat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.* Quærunt sacri Interpretes, quænam sit hæc glorificatio, quæ Christo Domino deerat? Quidam dicent, de glo- 6. Ioan. 7.

gloria Resurrectionis intelligi posse: alij verò de possessione beatitudinis in anima, & corpore glorificato intelligendum existimabant. Verùm sanctus Hieronymus, postquam fusè in laudem montis Caluariæ disseruisset, dicit: *Glorificatio igitur est patibulum triumphantis.* Duo verba maximè discrepantia coniunxit; patibulum enim est maxima iniuria, & maximè publica, quæ homini obuenire potest; triumphus autem maximus, & maximè publicus honor. Ideoque significare voluit, saluatorem in hac vita diem magis honorificum non habuisse, quàm ignominiæ Crucis suæ. Fuit iniuria illa longè gloriossima, quoniam vt nos ipsi vitam haberemus, ipse in infami illo ligno perdidit; adeoque hoc ipso quo miseriæ nostræ subuentum esse considerauit, iam Crucem ignominiam, & abiectionem suam non agnoscit; iam thronus est, & currus triumphalis, *patibulum triumphantis.*

*Hieron. epist. ad Hebid. q 9.*

7. Duo loca in epistola sancti Pauli ad Romanos annotaui, quorum explicatione, ac ponderatione discursus hic coronidem accipiet. Loquitur Apostolus de aduentu Filij Dei in redemptionem mundi, & dicit, eum hominem factum, & quidem ex semine Dauid; verumtamen idipsum verbis quibusdam mysterio plenis explicat: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Verba illa: *Qui factus est ei*, diligentem attentionem requirunt: nam illud, *ei*, secundùm doctrinam Angelici nostri Doctoris S. Thomæ, ad æternum Patrem refertur: ego verò non capio, quomodo fieri hoc possit; nam diuinum Verbum *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis,* & incarnatum est. Quomodo igitur Doctor gentium dicit, *Qui factus est ei*; id est, quod propter æternum Patrem incarnatus sit Filius Dei? Angelicus Doctor, qui optimus fuit Pauli Interpres, dubium dissoluit: *Qui factus est ei, id est, ad gloriam Patris.* Quasi diceret Angelicus Doctor: Duo fuerunt in Incarnatione Filij Dei, honor, & vtilitas: vtilitas homini cessit, honor verò & gloria Patri æterno; magna enim gloria, & honor eius fuit, hominem incarnatione Filij sui honorare, redimere, & iustificare.

*Ad Rom. 1.*

*Symbol. fidei.*

*Thom. hic.*

8. Digrediamur ad caput 3. eiusdem sancti Pauli: *Omnes,* inquit, *peccauerunt, & egent gloria Dei.* Difficultatem habent hæc Apostoli verba; videtur enim magis propriè dici debuisse; Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, vel eius remissione, vt ad gratiam redeant. Quomodo igitur dicit, peccatores egere gloria Dei? Dicat id, qui omnia dixit, Angelicus Doctor sanctus Thomas: *Egent gloria Dei, id est iustificatione, quæ in gloriam Dei cedit*; Deus enim in peccatis nostris condonandis, & necessitatibus nostris subleuandis honorem, ac gloriam suam constituit. Et propterea Christus Dominus, cùm ei de infirmitate Lazari renuntiatum est, dixit, infirmitatem eius non esse ad mortem, sed pro gloria Dei, id est, Deum non intendisse vt Lazarus omninò mortuus remaneret, sed ad sui gloriam, & honorem resuscitaretur.

*Ad Rom. 3.*

*Thom. hic.*

Laza-

*Lazarus amicus noster dormit.*

CONSIDERATIO IV.

*Quod mors sit communis vitæ Echo, nam quemadmodum Echo vocibus respondet, ita quoque mors vitæ assimilatur.*

1. MOritur Lazarus amicus Dei, & siquidem huiusce rei causam examinare voluerimus, deprehendemus eam fuisse, quoniam amicus eius vixit. Constat hæc veritas ex sacro Textu: nam de decursu vitæ eius dicit sanctus Ioannes: *Diligebat Iesus Lazarum.* De infirmitate verò sorores eius dicunt: *Quem amas infirmatur.* De morte autem dicit Saluator: *Lazarus amicus noster*; Spiritu sancto nos docente, ad hanc mortem illis passibus deueniendum, & talem consequi non confidat, qui longè aliam vitam duxerit, nam ordinariè quisque moritur, sicut viuit.

Nota est sententia illa, quam ad
2. Reg. 14 Regem Dauid dixit Thecuitis: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Metaphoram hanc cum Eusebio Cæsariensi, de rerum vitæ huius, ac humanæ felicitatis instabilitate aliquando explicaui; modò verò, bonâ Sacrorum Interpretum veniâ, nouam, ac particularem explicationem ei exhibebo. Animaduerto autem quod prudens illa mulier mortem nostram aquæ labenti super terram, non verò aquæ quæ per canales, aut aquæ ductus decurrit comparauerit. Et ratio est, quia hæc à lamina ænea, lapide, aut plumbo per quæ decurrit saporem non desumit: illa verò quæ per terram delabitur, certissimè ab ea saporem desumit; adeò, vt si terra qualitate aliqua imbuta sit, eam ipsi cõmunicet. Hoc igitur est, quod meo quidem iudicio, sententiosa illa verba præ se ferunt: *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur super terram.* Mors à vita saporem desumit, sicut aqua à terra, per quam decurrit. 2.

His consequenter dixit magnus Pater sanctus Augustinus, magnam ludificationem, & insaniam esse, homines sibi imaginari, se, cùm malè vixerint, bene mori posse. Ponderat sanctus Doctor intima illa, ac ardentia desideria, quæ Propheta Balaam ostendere videbatur, bonam aliquando mortem consequendi: *Moriatur,* inquit, *anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Melius diceret, pessimus homo: Viuat anima mea vita iustorum, si mortem iustorum desideres: nam quemadmodum bonam vitam, sequitur bona mors, ita quoque bona mors esse non potest, si vitiosa ac perdita vita fuerit: *Vtinam diceres potius, viuat anima mea vita iustorum, quoniam naturali ordine sequitur mors bona vitam immaculatam, & qualis quisque viuit, talis regulariter moritur,* inquit Sanctus Augustinus: homines autem tamquam peccatores viuere volunt, & instar iustorum mori; verùm quemadmodum Deus mortem iustorum, non nisi iustis dare solet, ita mortem malorum, non nisi mali obtinent. *Aug. ap. Arb. vitæ Concionator. ad illa verba: Deficiens mortuus est.*

Idem Sanctus ingeniosè notat explicationem, siue additionem, quam honesta, ac proba mulier adhibuit verbis illis, quæ ex parte Dei Angelus quidam ei dixit; fuit hæc mater Samsonis, cui, prout sacra Historia refert, cœlestis Minister dixit: *Concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei, ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet* 3. *Iudic. 13.*

piet

*piet liberare Israël.* Aduertit modò Aquila Doctorum, Sacrum Textum dicere, quod mulier hæc verba Angeli marito suo referens, ei dixerit: *Erit enim puer Nazaræus ab infantia sua, & ex vtero matris suæ, vsque in diem mortis suæ. Quod ait mulier,* inquit S. Augustinus, *dictum sibi ab Angelo, quoniam Nazaræus Dei erit puer, à ventre vsque in diem mortis, non legitur ab Angelo dictum.* Quomodo verò mulier timens Deum, verba Angeli, Dei nomine sibi dicta, ampliare ausa fuit? Procul dubio mentita fuisse videtur. Haud equidem credo, sed instar prudentis locutam fuisse: cùm enim Angelus ei dixerit, filium ab incunabulis Deo famulaturum, eamque vitam eius fore, intellexit, sibique persuasit, eum Dei seruitio immoriturum, cùm gloriosa mors sanctæ vitæ sit Echo.

Aug. q. 52.

4. Admodum insignis est allegoria Stephani Cantuariensis, ponderantis, quod Sacer Historiographus, sanctæ ac formosæ Rachelis mortem referens: *Mortua est ergò Rachel.* antea aduerterit, eam *verno tempore* obijsse; circumstantia, prout primâ fronte apparet, parui momenti, cùm ad moriendum tanti referat æstas, quam hiems. Verùm citatus Auctor magnum mysterium in illa Moysis annotatione deprehendit, atque adeò dicit, quod Moysen annotare, quod mors Rachelis, iustæ, ac amicæ Dei, in vere contigerit, fuerit indicare, bonos, & sanctos in vere; malos autem, & peccatores in hieme mori. *Notandum, quod quædam anima moritur in hieme, quæ moritur in mortali: in vere, quæ moriens mundo renouatur Deo. Talis est illa, quæ est Rachel.* Et verò iustum omninò, ac rationi consonum est, vt rigores hiemis in morte non experiatur, qui amœnitatem, ac iucunditatem veris in vita conseruat; nec etiam huius commodis fruitur, qui in tristibus, ac molestis hiemis obscuritatibus semper vixit.

Gen. 35.

Steph. in Alleg. Tilman.

5. *Mortuus est Iosuë filius Nun, famulus Domini centum, & decem annorum;* inquit sacra Scriptura, de felici transitu generosi huius Ducis populi Dei loquens. Si diligentiores, ac studijs dediti versiones Bibliorum legant, deprehendent, prout aliàs animaduertimus, versionem Septuaginta legisse: *Mortuus est Iosuë filius Nun, seruus Domini, filius centum decem annorum.* Peregrina sanè phrasis ac formula gloriosi huius Ducis mortem referendi; ordinaria enim, qua alicuius mors referri solet, est: Tot annorum erat is, cùm mortuus est. Quis verò vmquam dici audiuit: Talis mortuus est, filius tot annorum? Procul dubio transpositio hæc verborum magnum aliquod mysterium indicat. Detexit id magnus Augustinus: *Ista repetitio, quod cùm dixisset filius Naue, repetiuit filius; & deinde addidit centum & decem annorum, locutio inusitata est, vt potius diceret, filius centum annorum, quàm homo centum annorum.* Reflecto ad verba huius Sancti, quod præter ea quæ diximus, notet, quod Sacer Historiographus non solum non vocet eum hominem tot annorum, sed filium. Quasi diceret, quod mors eius conformis fuerit vitæ eius, & quemadmodum hæc fuit veri filij patris sui, & quamdiu vixit, numquam ab eius virtutibus degenerauit, ita quoque moriens instar filij eius vitam finierit, cùm mors vitæ Echo sit. Hic est sensus translationis Septuaginta Interpretum: *Mortuus est Iesus, &c. filius centum decem annorum.* Mortuus namque est instar filij boni patris, quoniam vt talis vixit, & idem est, ac id quod de Lazaro dicimus, quod quoniam tamquam amicus Christi vixit, qualem

Ios. 24. 70. Inter.

August. lib. 6. de locution. Iudic.

qualem dilectis suis dare solet; mortem habuerit.

6. Cum Saül in montibus Gelboë, exercitum suum profligatum videns, proprio gladio sese interfecit, militem quemdam casu eo venientem rogauit, vt, ad ab angustijs, & doloribus, quibus affligebatur, sese expediendum se omninò interimeret. Et quidem valde notandum est, quòd primo ab eo inquisierit: *Vnde es tu?* & ille responderit: *Amalecites sum ego, seruus tuus.* Philo Hebræus euentum rei huius considerans, curiosam quæstionem mouet: Quis illuc iuvenē illum Amalecitem adduxerit? Bellum erat contra Philisthęos, quid negotij inter illos habebat Amalecites, cuius Saül oblitus erat? verum, ad quid eo accurrit Amalecites, ipsa eadem hora, qua Saül, affligebatur? Quis ante Saülem illum constituit? Et quorsum rogat eum Saül, quis sit? cum qualiscumq; tandem foret, aptus esset ad eum occidendū, licet Chananęus, aut Pherezeus, &c. fuisset. Altū mysteriū hic subest, inquit Philo Alexandrinus, & sciendum nobis est: *Quod non fortuitò illuc venit Amalecites.* Quamquam enim iuveni visum fuerit, quod casu eo aduenerit, non tamen respectu Dei, qui singulari consilio, id quod nobis casu euenire videtur, disponit: & quidem animaduertendum est, Deū aliquot annis ante mandasse Saüli, vt omnes Amalecitas, inimicos suos; nemine excepto, interficeret. Ipse verò præcepto huic inobediens fuit, & quibusdam pepercit. Igitur dicit Deus: cum viuens, & potestatem habens omnes illos inimicos meos Amalecitas occidendi, nolueris, sed magno meo cum contemptu eos conseruaueris pro ratione delicti, erit & pœnę modus. Cum mortales angores venerunt, & Amalecitarum oblitus fueris, vnus illorum prodibit in medium, cuius non recordabaris, & te capite plectet, & misere vita priuabit; vt appareat te per peccata tua mori, & tam malæ vitæ, hanc tam infelicem mortem respondere.

2.Reg. 1.

Phil. lib. de antiquit. Biblior.

Et quidem vlterius notandum est, quod vbi Vulgata nostra refert, quod Saül adolescenti dixerit, vt ipsum interficeret, quoniam magnis angustijs premeretur: *Quoniam tenent me angustiæ;* doctissimus Abulensis ex Hebræo legerit: *Quoniam tenent me ora vestimenti sacerdotalis.* Recordabatur enim malus Rex magni illius peccati, quod commisit, multos sacerdotes sacris vestibus indutos occidens, eò quòd Dauidi panibus Propositionis aliquando subuenissent; hoc autem peccatū eum tantopere affligebat, vt minùs malum iudicauerit mori, quam adeò longam afflictionem sufferre. Iusto siquidem suo iudicio permisit Deus, vt impius hîc Rex, in pœnam peccatorum, quæ cōtra Diuinam Maiestatē in vita commiserat, tam magna tormenta, & amaritudines tantas in morte sua pateretur: *Videbatur sibi Saül quod propinquus morti videret Sacerdotes Domini, accusantes eum in iudicio coram Domino.* Et componēdo duos hos successus, Amalecitæ, qui eum occidit, & Sacerdotum, qui ei obijciebantur, probationem assumpti nostri deducimus; nam quemadmodum maiora peccata quæ Saül in vita commisit, fuerunt inobedientia in cæde Amalec, & Sacerdotum mors, illi verò angustijs eum oppresserunt; clare colligitur, quod peccata quæ viuens in Deum commisit, tam infelicem finem ei procurarint. 7.

4.Reg. 22.

Abul. in lib. 2. Reg. 19.

Hæc omnia dicta sint, vt constans sit veritas, vnumquemque hoc mundo egredi, quemadmodum ipse in eo incesserit, & vitæ gressus eosdem & mortis esse. Propheta Ieremias *cap.* 2. 8.

*Thren.* 2. Threnorum ruinam ciuitatis Ierusalem, & destructionem regni illius deplorat; mysticè verò, inquit sanctus Paschasius, perditionem animæ, quæ à gratia Dei exulat, repræsentat. Lactantes, & parvuli *matribus suis dixerunt: Vbi est triticum, & vinum? Cùm deficerent quasi vulnerati in plateis, cùm exhalarent animas suas.* Præstitisset, inquit sanctus Paschasius, vt herbas, aut legumina petijssent, vt inopiæ suæ subuenirent; illis enim, qui tantâ fame se premi videbat, contentus esse potuisset: sed in morte non desiderarunt nisi illa, quibus in vita assueti fuerant: *Non enim ajunt*, inquit Paschasius: *Vbi est hordeum, & siliquæ, quæ famelici gratanter accipiunt? sed: Vbi est triticum, & vinum?* vt intelligamus, desideria nostra in morte, non solere differre ab ijs, quæ in vita habuerimus; & nos eo tempore rerum illarum memores fore, de quibus dum viueremus, tractauimus. Si vita deliciosa, & lauta fuerit, necesse est, vt vsque ad mortem deliciæ perdurent; tum verò mors pœnitens erit, cùm vita mortificata fuerit.

*Pasch.*

9. Audite Regium Prophetam *Psal.* 75. de diuitibus auaris loquentem: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Super quibus verbis pulchrè disserunt sacri Doctores. Ego verò in sancto Hieronymo lectionē quamdam deprehendi, quæ benè intellecta discursum nostrum mirificè probat. *Non inuenerunt*, inquit ille sanctus ex Hebræo, *omnes viri exercitus manus suas.* Iusta enim Dei animaduersio est, vt auari, qui ad porrigendam eleëmosynam, & opus bonum faciendum, in vita sua manus non habuerunt, postmodum quoque in morte ijs careant, vt cœlestem aliquam remunerationem accipiant; & non inuenerunt manus suas, quia in diuitijs, vbi cor habebant, eas reliquerant; quas in vita tam fortiter constrictas habuerunt, vt etiam in morte eas dissoluere noluerint, vel justo Dei iudicio dissoluere non potuerint.

*Psal.* 75.

*Hieron. hic.*

10. Cùm Rex ille Euangelicus conviuium suum instruxit, & in cœnaculum intrauit, vt videret discumbentes, vnum inter alios inuenit, non indutum veste nuptiali, & ait illi: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Mox verò ministris suis iussit: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Aduertit autem sanctus Cyrillus Alexandrinus, quod licet homo hic mensæ assederit, & comederit, tamen, cum finito conuiuio exire vellet, nonnisi de ingressu eum Dominus accusauerit: *Amice, quomodo huc intrasti?* Sanctus autem ille dicit, quod ei significatum fuerit: Talis ingressus talem quoque egressum meretur, aliter intrare debuisses, si te bene exiturum speraueris: *Nonne opportunè te ingredi fuerat necesse, vt opportunè exires? Nunc autem importunè intrasti, vt importunè ejciaris.* Necesse quippe est, vt finis principio respondeat; & quemadmodum Echo voci respondet, ita quoque mors vitæ conformetur; & is dumtaxat tamquam amicus Dei vitam finiat, qui instar amici eius vixerit: *Ecce quem amas. Lazarus amicus noster, &c.*

*Matt.* 22.

*Cyr. Ierosol. in procem. ad Catech.*

---

*Et lachrymatus est.*

## Consideratio V.

*Quod leue vulnus facilè curetur; si verò in cancrum aut gangrænam vergat, difficulter sanetur.*

1. Ponderat doctus Cardinalis Vitriacus ploratum Saluatoris, ad Laza-

Lazarum resuscitandum, & lachrymas eius mysterio plenas fuisse deprehendit: *Qui enim lapide consuetudinis premitur, vinctus in mendicitate, & ferro, quasi Lazarus quatriduanus, & fœtens, nonnisi lachrymis, & clamore, & magna difficultate potest suscitari; vix enim potest Æthiops mutare pellem suam.* Quasi diceret: Resuscitauit Christus Dominus filiam Archisynagogi, quæ iam expirauerat; filium quoque viduę Naim, qui efferebatur, & non fleuit; vt autem Lazarũ quatuor diebus mortuum, & fœtere incipientem resuscitet, lachrymatur; quoniam resuscitare peccatorem, qui quasi lac gratiæ inter labia detinet, facile est, &, prout dicebamus, est summa facilitate, & ad votum vulnus sanare: sed peccatorem inueteratum, in malæ consuetudinis sepulchro positum, obstinationis lapide obtectũ, res est summæ difficultatis; id enim est curare vulnus profundum, & plagam in cancrum, aut gangrænam degeneratam; & in signũ illius lachrymatur Christus, & reliqua adhibet signa, quæ sacer Euangelista animaduertit.

*Vitriac. serm. 1. in c. jejunij.*

*Matt. 22.*

*Cyr. Ierosol. in procem. ad Catech.*

2. Concludit doctus Cardinalis dicens, quod horum aliquem peccatorem resuscitare, sit quasi Æthiopem dealbare velle: *Vix enim potest Æthiops mutare pellem suam.* Alludit ad *cap.* 13. Ieremiæ, in quo dicitur non facilius fore, inueteratum peccatorem emendare, quàm Æthiopis pellẽ mutare. Sumite Æthiopem, eumque ad ripam fluminis deducite, & toties quoties volueritis lauate, prius omnes fluminis aquas exhaurietis, quàm ille albus reddatur. Talis remanet peccator, peccati consuetudine inueteratus, prout expressioribus verbis notat hîc Theodoretus, laudans commune illud prouerbium: *Consuetudo est altera natura. Verus profectò sermo*, inquit hîc Pater: *omnia enim quæ longâ consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus.* Et sanctus Ambrosius hoc ipsum magis exaggerauit, explicans idem prouerbiũ: *Consuetudo est altera natura.* adeò vt non solum dicere velit, consuetudinem esse aliam naturam, sed omninò differentem, atque contrariam; ita vt per consuetudinem naturam amittat, & illa in huius locum succedat. *An ignoramus*, inquit magnus Mediolanensis, *quod tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam? Quæ natura cùm sit medicabilis ad salutem*, (cùm naturale sit homini de peccatis dolere, in quo remedium eius consistit,) *diuturno tamen tempore, passionibus deprauata*, (consuetudo enim callum in animo obducit, ne mala sua sentiat) *immedicabilis reperitur.* Adeò difficilis est emendatio propter consuetudinem peccandi, vt ad eam consequendam Dei lachrymæ necessariæ sint, & vitium in naturam adeò inoleuit, vt non nisi per miraculum peccator sanetur.

*Ierem. 13.*

*Theodoret. hîc.*

*Ambr in illud Ps. 1. Et in Cathedra pestilentiæ.*

Componite cum sancto Hieronymo duos euentus, quos sacra Scriptura refert. Vt Deus Isaiam concionatorem suum efficiat, necessarium fuit labia eius purificare; nam linguam eius mundando, animam quoque expurgauit: *Volauit ad eum Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os eius. Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Idem officium conferre voluit Deus Ieremiæ, & dicit sacer Textus: *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Ambo Prophetæ erant, inquit modò sanctus Hieronymus, hos duos, Ieremiam, & Isaiam, inter se conferens, ambo defectu oris laborabant; vnus conqueritur: *Vir pollutus labijs ego sum;* alius 3.

*Isaiæ. 6.*

*Ierem. 1.*

alius verò se balbutire dicit: *A,a,a, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum.* Suffecit illi quod Deus manu sua cũ tãgeret, vt mũdaretur, huic verò, vt purus euaderet, cauterium ignis necessarium fuit. Haud equidem capio, contrarium potius fieri debuisset; certum enim est pueros nescire, quod seniores iam consecuti sunt, iuxta vetus prouerbium: *Mens, ratio, & consilium in senibus est.* Igitur vt Isaias senex idoneus redderetur, diuinæ manus attactus sufficiebat; vt autem Ieremias adolescens disponatur, carbones Templi eum mundare debebant: Ex ore S. Hieronymi dubij huius solutionem audite: *Ibi enim quia solidæ, & perfectæ ætatis erat, & ipse simpliciter confitetur, quod immunda labia habeat, mittitur vnus de Seraphim, qui non manu, sed forcipe, & carbone tangat os eius, & iniquitates auferat, quæ per pueritiam non multa fecerat, sed vt loquendi gratiam tribuat.* Quasi diceret magnus Doctor: vnus, nempe Ieremias, puer erat alius verò Isaias vir; planta autem adhuc tenera facilè mouetur, si verò altas radices egerit, difficulter extrahitur, prout profanus Auctor alicubi dixit: *Quæ poterat manibus summa tellure reuelli, nunc stat in immensum viribus aucta suis.* Vsque puer aliquis reducatur, sufficit manum ei admouere, vt autem inueteratus cancer ex corde extrahatur, carbonibus, forcipibus, igne, malleo, & experto medico, & chyrurgo, atque etiam Redemptoris lachrymis opus est, *& lachrymatus est Iesus.*

Hieron. citat. à Sherl. Cant. 6. sect. 5.

4. Ezechiëlem Prophetam in campum plenum ossibus aridis adducit Deus; volensque diuinam suam potestatem manifestare, mandat ei, vt suo nomine illis loquatur, eisque spiritum, & vitam promittat; *Ossa arida, audite verbum Domini, &c.* Quo facto, Dei nomine Propheta inclamat: *A quatuor ventis veni spiritus, & exsuffla super interfectos istos, vt reuiuiscant.* Ossa arida Dei voci obedierunt, & confestum vitam consecuta sunt. Subsistite hic paululum, & memoriâ ad primi hominis formationem mecum recurrite, & deprehendetis, quod diuinus Spiritus ipsum lutum vix tetigerit, cum in hominem viuentem exurrexit: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Progrediamur modo, & diuersum modum, quo ipsa ossa, ac Adam vitam obtinuerunt, mecum animaduertite. Adam vno Dei spiraculo, *inspirauit*: vt autem ossa viuerent, quæ tam inanimata erant, ac lutum Adami, necessarium fuit vt Propheta clamaret, & omnes venti super ea exsufflarent. Haud equidem capio: si enim vtrobique auctor vitæ fuerit Deus, magnum profecto mysterium includit, quod hic tanta cùm difficultate faciat, quod ibi tam facilè peregit: Alij alias rationes dabunt: illa autem sancti Patris Irenæi institu- to nostro est peropportuna: *Protoplastus ille Adam, de rudi terra, & adhuc virgine, nondum enim pluerat Dominus, & homo non erat operatus terram, habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei*: ossa verò illa arida, & putrefacta plurimas corruptiones passa iam fuerant: *Omnis quippe caro corruperat viam suam, &c.* atque adeo, vt materia tam corrupta, & deuastata vitam consequeretur, quanta adhiberi potuit diligentia atque industria, necessaria fuit: vt autem noua Adami terra, quæque adhuc in flore suo erat, viueret, vnica dumtaxat insufflatio suffecit; quoniam ad recentem peccatorem resuscitandum parum sufficit, sed inuetera-

Ezech. 37.

Gen. 2.

Iren. l. 3. c. 31.

teritum, pluribus opus est; nam continuò peccare eum, taliter obdurat, vt non solùm difficilem, sed quodammodo impossibilem ei pœnitentiā reddat.

5. Huic loco opportuna est curiosa quædam sancti Bernardi animaduersio; qui notat, quòd duorum cæcorum quos Christus Dominus sanauit, vnus à natiuitate talis fuerit, alius verò infirmitate aliqua, vel alio quodam infortunio visum amiserit: hic rogatores suos habuit, qui eum ad Saluatorem adducerent: *At ille multo magis clamabat, jussit illum adduci ad se*; pro alio verò, nemo vel verbum locutus fuit, sed Christus Dominus propria pietate motus ei sanitatem contulit: *Præteriens vidit cæcum, &c.* & ratio fuit, quia ille qui casu cæcus factus fuerat, communem, & ordinarium peccatorem, qui in peccatis nondum moratus fuit repręsentabat, adeoque piorum orationes ei non defuerunt; cæcus verò à natiuitate deprauati peccatoris, quique in peccatis altas radices egit, symbolum erat, pro quo vix quispiam intercedere audet, vt Deus ei peccata eius condonet; atque adeò hic sanctus dicit, quod huius cæci curatio, in quantum figura peccatoris, vna ex maximè prodigiosis fuerit, quas Saluator fecerit: *Qui proinde tanto misericordius, quanto mirabilius, nullis precibus præuentus, sui illuminatoris beneficium sensit.* Tantopere nimirum vetustas culpæ cælesti medicinæ resistit, in cuius confirmationem dicere possumus (supposito quod Lazarus mortuus, & sepultus peccatorem repræsentauerit) hoc mysterij subfuisse quod Martha, & Maria Christum Dominum non rogauerint, vt fratrem suum resuscitaret, quin potius vitæ redditionem difficilem existimarint, prout ex earum verbis constat: *Quatriduanus est, iam fætet*; quasi ausæ non fuerint, orare pro peccatore, in sepultura culpæ suæ inhumato; atq; ita quoque propter hāc causam, eius resurrectio admirabilior fuit.

*Luc. 18.* *Ioan. 9.* *Bern. cit. à Mend. in 1. Reg. c. 2. n. 25. in exposit. litt.*

Spiritus sanctus *cap.* 48. Ecclesiastici Heroum quorumdam antiquæ legis facta commemorat, ac de Propheta Eliseo, Eliæ discipulo loquens dicit: *Et in Eliseo completus est Spiritus eius*; ac post pauca adiungit: *Et mortuum prophetauit corpus eius.* Ad huius loci intelligentiam dux nobis esse debet magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus (si is tamen Auctor est libri de mirabilibus sacræ Scripturæ) vbi declarat, quænam illa plenitudo fuerit, quam Eliseus de spiritu Eliæ habuerit, & qua ratione corpus eius prophetauerit, sumpto fundamento in eo quod sacra Historia nobis refert: *Interea post mortem Elisæi, cum quadam die familiares eius mortuum quemdam portantes, latrunculos videntes pertimuissent, in sepulchrum Elisæi, quod propè erat, mortuum proiecerunt; quod dum tangeret ossa Elisei, reuixerat, & ambulauit: Vnde quidam præscriptum sermonem in hoc signo impletum fuisse, dicunt: hoc est, Spiritus qui in te est, fiat duplex in me; quod necessario impleri debuit. Elias ergo in vita sua prius quam reciperetur, mortuum resuscitasse vnum scribitur; quod similiter & Eliseum fecisse iam cernitur; sed alium, id est, istum post mortem suam, videlicet in sepulchro, remuificasse videtur.* Nota autem quod Augustinus dicat, Eliseum duplicem spiritum habuisse, quia defunctum, in sepulchro suo inhumatum resuscitauerit; quod spiritualiter intelligi debet, in quantum peccatores peccato mortuos, & per gratiam resuscitatos significabat, & tum confirmationem doctrinæ huius quam prosequimur

6. *Eccl. 48.* *4. Reg. 2. Aug. l. 2. de mirab. sacr. Script. cap. 26.*

mur deducimus; hoc est, quod ad resuscitandum peccatorem puerum, & paucis diebus mortuum, simplex Eliæ spiritus sufficiat; sed ad viuificandum diuturniorem defunctum, iam sepultum, duplex eius spiritus necessarius sit; atque ita intelligi debet illud, *In Eliseo completus est spiritus eius*; & *mortuum prophetauit corpus eius.*

7. Difficilis intellectu est locus ille Canonicæ sancti Ioannis, vbi Apostolus dicit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Ambrosius, Catharinus, Titelmannus, & alij, dicunt, per peccatum hoc intelligi debere peccatum in Spiritum sanctum, cùm peccator *sciens respuit salutem, & bonum.* Et Angelicus quoque Doctor sanctus Thomas hanc explicationem adducit: *Id est finalis impœnitentia.* & non sufficit, inquit Discipulus dilectus, vt *qualiscumque, sed solum justus* roget. Benè animaduersum; ego verò in alia Angelici Doctoris doctrina fundatus, in alio sensu hæc verba intelligo. Explicans sanctus Doctor sententiam illam Iacobi: *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem,* concludit, quod licet de omni genere peccati verificari queat; *tamen de peccato consuetudinis hoc dicatur propriè: quia quando peccatum iam tractum est in consuetudinem, nulla apparent signa vitæ, & est parua spes de reditu.* Hoc est peccatum quod S. Iacobus, secundùm interpretationem Angelici Doctoris, vocat peccatum ad mortem, & illi interpretationi insistens, dico, S. Ioannem de eodem peccato loqui, quando dicit, non sufficere vt pro peccato ad mortem qualiscumque roget, sed necessarium esse vt sit justus, & sanctus, vt peccator mortuus, & sepultus amissam vitam recuperare possit. Et verò quod maius veritatis huius firmamentum, quàm lachrymæ quas hodie Saluator profundit, & orationes quas ad æternum Patrem dirigit, ad obtinendam vitam peccatoris in peccatis suis inueterati, cuius imaginem Lazarus repræsentabat?

1. Ioan. 5. Ambr. Cathar. Titelm. hic. Thom. hic. Thom. hic.

Adeò difficile est inueteratum peccatorem ad meliorem frugem reducere. Elegans profectò fuit dictū illud Cæsaris Augusti ad Galbā Gibbosum, qui petebat vt se corrigeret: *Ego te monere possum, corrigere non possum: quis enim innatum ossibus corrigat gibbum?* Quasi diceret: Monstra nonnisi virtute diuinâ curari possunt, Deo illa cura reseruata est. Idem ego de peccatore in peccatis inueterato, cui illa quasi innata sunt, & in naturam transierunt, dico, qui, nisi miraculum accedat, fieri vix potest, vt salutem consequatur. 8.

Nuceus Nucl. Domin. 24. post Trinit. p. 4.

Cùm igitur tam difficilis sit inueterati peccatoris resurrectio, propter impedimentum quod humanæ libertati obijcit consuetudo, magna vigilantia opus est, & adnitendum ne in peccatis obdormiscamus; sæpè enim talis somnus foret, vt non amplius excitaremur: *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut Oryx illaqueatus plenus indignatione Domini.* Somnum peccatorum, & negligentiam, ac incuriam in negotio salutis, Orygi comparat Propheta, animali tam simplici ac stulto, vt mox ac se illaqueatum conspicit, indormiscat: cùm reliqua animalia, sese dilacerant, cùm passer plumas atque etiam vitam prodigit, vt è laqueo erumpat, tum demum profundissimū somnum dormit; ea de causa immundum erat, & in domo sua illud nolebat Deus, vti Lyranus, ac Glossa Interlinealis aduertunt. Et eadem fortassis de causa notam illi apposuit natura, ac contrario pilo vestiuit, & ad caput 9.

Isaia 51. Plin. l. 2. c. 40. & l. 8. c. 53. Lyran. Gloss. Interlin.

caput verso. Tales sunt peccatores, qui tot peccatis illaqueati, ac comprehensi, incurij obdormiscunt: ex his plurimos vbique reperiemus, vasa iræ jam effectos, ac (secundùm præsentem iustitiam) ad æternos ignes condemnatos. Excitare Oryx, audi vocem Saluatoris tibi loquentis, licet ad solum Lazarum dirigi videatur, & dicentis, vt ex sepultura peccatorũ tuorum egrediaris: *Lazare veni foras.*

---

*Et statim prodijt, qui fuerat mortuus.*

## Consideratio VI.

*Vt animæ vita assecuretur, necesse esse peccati occasiones fugere.*

I. AVctor vitæ ad sepulchrum, in quo Lazarus sepultus erat, deducitur, & altâ voce inclamans, defuncto dixit: *Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus.* Magnus Pater S. Augustinus euentum hunc expendit, & verba quædam magni momenti profert. *Quod exijt à monumento, animam significat recedentem à carnalibus vitijs.* Difficilis sanè, meo judicio, sententia: videtur enim quod sacræ Theologiæ, ac veritati conformiùs loqueretur hic Sanctus, si diceret, quod Lazarum vitam recipere, symbolum fuerit animæ, quæ à statu peccati reuertitur, quoniam infusio gratiæ, peccatum ex anima necessariò expellit: cùm certum sit quod gratia, & peccatum inter se non conueniant, & ambo in eodem loco esse non possint. Quomodo igitur sanctus Doctor dicit, quod relinquere sepulchrum, fuerit peccato renuntiare; quandoquidem cùm ex eo prodijt, jam anima vitam consecuta fuerit, & gratia peccatum destruxerit? Magna alicui hæc difficultas videbitur, verumtamen magnopere refert, intelligere spiritum quo hic Sanctus locutus fuit, vt eius solutio cognoscatur. Est autem quod egerit de vita animæ, in ordine ad authorem eius Christum Dominum, & Redemptorem nostrum, qui vitam non æstimat illam, quæ facilè amittitur; sed eam quæ perdurat, & permanet: hæc autem est quæ ab occasione mortis recedit. Atque adeò hoc dicendi genere nobis omnibus, qui peccatores sumus, significare voluit, quod si veraciter resurgere velimus, non in sepulchro, hoc est in occasione peccati remanere, sed ab ea nos elongare debeamus, & hac ratione veram nostram resurrectionem fore. Prodeat ex sepulchro peccator, ad multa milliaria ab occasione se separet, si resuscitari velit; viuere enim remanendo in sepulchro, hoc est in occasione, fieri nullatenus potest: *Quod exijt à monumento, animam significat recedentem à carnalibus vitijs.*

August. lib. 38. q. 65.

Ingeniosa fuit Philonis Hebræi animaduersio, ponderantis id quod sacra Scriptura, de Iosepho loquens, dicit, Postquam profanas cogitationes retulit, quas Domina eius habuit, lascivos oculos, quibus eum aspexit, & obscena verba quæ ei dixit, vt ad adulterium & Dei offensam eum pelliceret, dicit: *Relicto in manu eius pallio, egressus est foras.* Egressus est foras, inquit sapienter Philo. Quò igitur egredi debuit? Clarum est, quod non intrò: *Num aliquis egreditur intrò?* Sentit Philosophus, quod hæc verba magnum Sacramentum includant; & significant, quod egressus sit foras, quoniam à loco tentationis segregare se nouit, relinquens pallium, & ab occasione peccati se liberans, nec à periculo 2.

Gen. 39. Phil. l. 2. legal. Allegor.

culo liberum sese existimauit, nisi postquam à loco recessit, in quo inimicus eum aggredi conabatur.

3. Iam aliàs (si benè memini) cum Cyrillo Alexandrino, mirabile, ac singulare illud supplicium vxoris Loth expendimus, modo cum sancto Gregorio Nazianzeno illud considerabimus, qui dicit quod dicta mulier ex incendio Sodomæ erepta, symbolum fuerit animæ, quam Deus ab occasione peccati liberauit, & de culpæ sepulchro resuscitauit. Accidit autem, vt à loco, vel occasione peccati segregata, *Respexerit retrò*: verùm in momento, *versa est in statuam salis.* Quod autem animaduersione dignum sese hic offert, est, si hæc mulier (in sensu mystico quem prosequimur) sit figura peccatoris, de peccatis suis contriti, & de morte peccati, ad vitam gratiæ resuscitati; hunc autem pro majori securitate, ex periculo extraxerit, & sit extra Sodomam, sentinam vitiorum, & seminarium iniquitatum, quod inconueniens est, vt cum extra terribilem illam confusionem sese conspicit, oculos retrò illuc obuertat, præsertim vt gratias agat Deo, quod de tantis damnis saluam & incolumen eam eduxerit? Non videtur in eo, non dico realitas, sed nequidem culpæ alicujus verisimilitudo consistere: si autem non deliquerit, quam ob causam tam seuerè punita fuit? Dicat id magnus Nazianzenus, quoniam respicere ad locum, qui perditionis fuit, postquam extra eum se constitutam videt, & sepulturam, postquam resuscitata est, videtur quod aliqua ratione ad eum sit regredi; & vult Deus, vt à morte adeo separata sit anima, cui ipse misericors vitam contulit, vt ei ne locum quidem videre permittat: quemadmodum in Lazaro quoque videre licet, cui mox vt sepulchro egressus est, vt abiret, & ab eo recederet imperauit: sinite *abire*. Verba illius Sancti sunt sequentia: *E Sodomis exeamus, ne alioquin in salis columnam concrescamus: columnam inquam verè immortalem, animaeque in vitium relabentis accusatricem.* Magni sanè momenti ad nostram instructionem consilium, quod nos monet, vt ab occasione nos segregemus, & quantum fieri potest, recedamus, nam prope eam esse, quacumque demum ratione, siue oculis, siue cogitatione, & cogitare nos procul à peccato absfuturos, fraus est manifesta.

Gen. 19.

Naziánz. orat. 15.

4. Locus enim in quo semel cecidimus, nouam semper ruinam minatur. Insignis est, licet obscurus, quem dicere instituo, sancti Ambrosij locus. Componit hîc sanctus duo loca vnum ex Genesi, alterum verò ex Daniele, atque in vtriusque concordia, egregiam cogitationem nobis proposuit, eximiam discursus nostri probationē. Recordabimini credo actionis illius sancti Iacobi, cum in Bethel sacrificiū Deo offerre debuit, quod idola, quæ secum deferebant, à comitibus suis petierit, eaque sub arbore circa ciuitatem sepelierit: *At illa abscondit ea subter Terebinthum*; vbi autem Vulgata nostra dicit, hunc arborem vocari Terebinthum, sanctus Ambrosius transfert: *Subter lentiscum.* Adeò, vt secundum eum, idololatria subter lentiscum sepulta fuerit. Subsistite hic modò, inquit Magnus Doctor, & ad Prophetiam Danielis digrediamur, vbi castæ, ac sanctæ Susannæ historiam refert, quomodo falsò duorum illorum lasciuorum, & profligatorum senum testimonio, morte fuerit condemnata, licet Deus honori eius consuluerit, eamque conseruauerit. Senes de loco, vbi sanctam mulierem peccantem viderant,

Gen. 35.

Ambr. l. de Iacob, & vita beata, cap. 7.

derant, testimonium proferentes, dicunt fuisse sub arbore vocato Schino, & sanctus Ambrosius transfert, *sub lentisco*; & hunc locum, cum illo Iacobi componens, concludit, quod esset idem, vbi Patriarcha idola sua sepelierat, suntque mirabilia eius verba: *Non immeritò ibi sanctus Daniël falsum aduersus Susannam testimonium deprehendit, ibi enim volebat adhuc radices suas locare perfidia; sed latere non potuit, quia prophetico Spiritu deprehensa est; congruus autem error presbyteri veræ confessionis, vt ibi contaminatam diceret castitatem, vbi Gentium defossa simulachra sunt.* Lasciuientes illi senes persuadere conati sunt, verum esse falsum istud testimonium, quod contra Susannam protulerant, adeoque admodum verisimili specie illud obtexerunt: nimirum quod illam sub eadem illa arbore vidissent, sub qua progenitor eorũ Iacob familiæ suæ idola in Bethel sepelierat: quasi dicerent, non esse dubitandum de veritate eorum quæ dicebant; nam ex loco, in quo idololatria collocata erat, & ex terra, in qua illa jam radices egerat, alius fructus nasci non poterat nisi adulterium; lascivus enim amor quædam idololatriæ species est, cum intellectum adeò excæcet, vt efficiat, vt rei quam amat pulchritudo diuina esse existimetur, eique cor humanum quasi Deitati cuidam, sacrificetur. Atque ita hic Sanctus congruum vocat errorem presbyterorum, affirmantium quod in loco idololatriæ contaminata fuisset Susannæ puritas, & castitas eius violata: quæ verba difficultatem patiunt; si enim error fuerit, quomodo congruus? Et si congruus, quomodo error? An fortè Susannæ puritas, & honestas intacta, & illæsa non mansit? Certò quidem. Quomodo igitur magnus Mediolanensis eos excusat, & dicit, quod mendacium fuerit, sed probabile; falsitas, sed benè obtecta, & palliata? Quoniam verba hæc significant, quam fortè sit iniquitatis motivum, locus ipse in quo illa perpetrata fuit; nam terra illa in cuius gremio idola erant abscondita, per poros suos peccati incentiua germinare videtur. Considerate quanti referat ad Deum non offendendum, ab omni etiam culpæ specie, quæ aliqua ratione prouocare nos potest, sese secernere.

5. Maximas Deo gratias refero, quia perfecit pedes meos, valde agilem me deprehendo, leuissimum ad currendũ me sentio, inquit Regius Propheta Psalmo 17. In hunc sensum explicat *Psal. 17.* sanctus Cyprianus hæc verba: *Perfecit pedes meos tamquam ceruorum*; & dicit Prophetam significare voluisse, non fatigent se inimici mei sequentes, & persequentes me, denuò enim me non assequentur, & comprehendent: ego eos adeò fugere conabor, vt me assequi, & comprehendere non possint. Horum verborum explicationem ex ore sancti Cypriani audite: *Contemplamini quæ sunt modò arma sumenda, si vultis habere legis auxilia. State timidi, ne sitis intrepidi, & licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli: virtus in infirmitate perficitur.* *Cyprian. lib. de singul. Cler.* Per infirmitatem autem non intelligit ignauiam, qua plurimi sese inimico dedunt, sed timorem quem alij ostendunt fugiendo occasiones, in quibus ab eo superari, ac vinci possunt, atque adeò Propheta adiungit: *Et super excelsa statuens me.* Quasi diceret: Tanto eram securior, quanto magis ab illis memet segregaueram; adeò vt fuga pio Regi interscpimentum fuerit.

6. Christus Dominus adolescenti cuidam

Luc. 9. dam dixit: *Sequere me; ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Tu autem vade, & annuntia Regnum Dei.* Modò verò ratio dubitandi sese offert, quomodo Saluator, cùm obligatio parentes honorandi sit naturalis, & diuina lege stabilita, non probat, vt hic filius parentis sui curam gerat? Hoc enim contrarium videtur esse ei quod Dominus nos docet, & præcipit: *Honora Patrem tuum.* (Deut. 5. Ambr. hîc.) Sanctus Ambrosius, vt huic difficultati respondeat, supponit, defunctum huius adolescentis parentem infidelem fuisse, quodque ille, licet Christo afficeretur, eique sese deuouisset, tamen ab eius sequela diuerteretur: atque ita cum ipsa occasio, licet mortua eum à Deo segregaret, noluit Christus vt ei se fideret, aut ampliùs eam videret; nam occasio etiam mortua, si semel à Deo separauit, timeri potest, ne secundo separet, atque adeò in ea euitanda, & fugienda securitas consistit: *Non reuocatur ab officio patris filius, sed fidelis à perfidi communione secernitur.*

7. Tanti interest Fidelis, per Dei gratiam viuentis, sepulturam peccati fugere, vt ne quidem de facie eam videri, & agnosci velit Deus: *A facie malitiæ collectus est iustus*; inquit Isaias, (Isaiæ 57.) ne illa scilicet eum peruerteret, & ne virtus eius corrueret, & prolaberetur. Non loquitur de vno aliquo solo iusto particulari, sed omnibus, prout Angelicus Doctor, & graues cum eo Interpretes explicant, (Thom. hîc.) nam vt eos assecuret, & in tuto collocet, eos penes se habere vult; inquit sanctus Doctor. Doctus quidam ingeniose hic cogitauit, aduertens, Prophetam non dicere, quod *Non ab iniquitate, sed à facie iniquitatis collectus est iustus*; adeò vt (Velasq. in c. 1. ad Philipp. v. 21. annot. 5.) ex hoc mundo eos eripuerit, ne faciê intuerentur peccatum, illudque ne quidem auribus cognoscerent: nam *sanè peccatum basiliscus est, qui non contactu solùm, sed afflatu etiam nocet: ideò ab eius facie meritò colligitur iustus*; inquit diligens hic Author. Halitum eius fugiat, eumque non videat, qui mortem euadere desiderat.

8. Ingeniosè reflectit Tertullianus ad verba, quibus Discipulus à Christo magis dilectus, discipulis suis, primitiuæ Ecclesiæ Fidelibus, commendat, vt magna prudentia, ac circumspectione viuant, seque à Gentilium simulachris, siue idolis custodiant: *Filioli custodite vos à simulachris.* (1. Ioan.) Non videtur apta, & accommoda hæc præmonitio, nec congruum hoc consilium, inquit magnus Pater, fidelibus enim idolorum imagines non prohibet Deus, sed debitum dumtaxat cultum, tamquam dijs ipsis deferri, qui est ipsemet idololatriæ actus. Quidam elegantium, & argutorũ Poëtarũ dixit: (Mart. lib. . Epigr.)

*Qui finxit sacros auro, vel marmore vultus,*
*Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.*

Atque adeò melius eos doceret Apostolus, si eis consuleret, vt idololatriam non committerent, quàm ne idola haberent, & si fieri posset, nequidem eorum figuras aspicerent: ita quidem videtur, verum necessarium fuit, vnum eos docere, vt aliud melius assecuraret, inquit doctissimus Tertullianus: (Tertul. lib. de Coron. Milit.) *Filioli, inquit, custodite vos ab idolis: non iam ab idololatria, quasi ab officio, sed ab idolis, ab ipsa effigie eorum*; quasi diceret, Christiani illi tum temporis recens erant conuersi, & à pauco tempore idololatriam deseruerant: ea propter eis consulit, & mandat, vt cautè viuant, & idolorum simulachra in domo detinere,

tinere, atque etiam ea videre non præsumant; post oculos enim & ipsum cor iterùm abire, & ad præteritæ occasionis conspectum periculosam reincidentiam causare potest: atque adeò vt in idololatriæ peccatum non reincidamus, securissimum remedium est, non videre idola, nequidem depicta.

9. Aulus Gellius in noctibus Atticis curiosam quæstioné mouit, duas actiones Scipionis, & Alexandri conferens. De hoc refertur, quod Darij vxorem, quam deuicerat, videre noluerit, licet illa mirum in modum speciosa, atque ipsius pulchritudinis prodigium foret. De Scipione autem commemoratur, quod Carthagine expugnata filiam nobilem, egregia forma à militibus ad se perductam, patri inuiolatam reddi jusserit. Quærit modò Aulus Gellius, quis horum duorum Principum animosior, & continentior fuerit? Ille qui eam ad se perduci noluit, vel hic, qui eam videns, peccare noluit? Quidam victoriæ palmam Scipioni attribuere voluerunt. Verum sanctus Basilius, & Augustinus Alexandro coronã tribuunt: *Prudenter occasionem cauit, quia turpissimum sanè foret, qui reges vinceret, à muliere superari*, inquit sanctus Basilius. Multum est, occasione sese offerente, carnis stimulos perdomare; sed occasionem ne quidem videre velle, majorem prudentiam arguit; denique, quanto ab ea quis longius abest, victoria tanto magis est secura. A sepultura recedere debet, qui diuino beneficio vitam obtinuit, vt eam conseruet; & qui semel, instar Lazari, à morte peccati, ad vitam gratiæ resuscitatus est, fugiendo occasiones, conari præseruare in gratia, cum certum pignus sit cœlestis gloriæ. Amen.

*Aul. Gell. in noct. Attic. l. 6. c. 8.*

*Basil. serm. ad Adolesc. August. serm. 250. de Temp.*

# TRACTATVS XV.

## AD DOMINICAM QVINTAM QVADRAGESIMÆ.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8.

AVthor vitæ Christus Iesus, Dominus, & Redemptor animarum nostrarũ, videns mortis suæ tempus appropinquare, & Pharisæorum obstinationem continuo augeri, eorumque odium quotidie magis inflammari, vitæ suæ innocentiam monstrare decreuit, eosipsos, qui se persequebantur, in testes assumens, vt si quis ausus foret, sese de peccato argueret; hoc est illud: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Actio profectò admodum heroica, quæque conscientiæ eius securitatem clare demonstret, cùm tam insigni confidentia, in inimicorum suorum tam iniquorum, & adeò profligatæ vitæ hominum manus eam constituat: adhæc animosa quædam libertas, qua ea, quæ ad ipsos pertinebant, eisque necessaria erant, palam edicit. Indicat hoc integritas, ac sinceritas illa animi, qua eos repre-

reprehendit, modò peruicaciam, qua doctrinæ eius veritatem respuerunt, eis obijciens, modò verò, quam immeritò Dei, atque etiam Abrahæ filios se esse glorientur, errore detecto, eis demonstrans; quandoquidem operum ipsorum turpitudo, quod vnum, non imitentur, & duritiei ipsorum affectata surditas. quod alterum non ament, nec ei famulentur, ostendat. Quin potius instar Phreneticorum Filium eius, qui tamquam diuinus Medicus ad eos curandos venit, inhonorent, & lapidibus appetant, præterquam quod Samaritanum, & dæmonium habentem injuriosè compellent. Verumtamen non obstante hac tam inciuili remuneratione, & summa ingratitudine, non desinit noua eis remedia applicare: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*; sed gloriosa vita perfruetur, quæ per gratiam hic initium ducit; hac indigemus, vt super Euangelio differere valeamus; accurramus ad sanctissimam Virginem Matrem gratiæ, solita præmissa salutatione, *Aue Maria.*

---

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*

## CONSIDERATIO I.

*Quod adimpletio obligationis Christianæ, non solum in interiori conscientiæ ornatu, verum etiam in exteriori puritate famæ consistat.*

1. OMnia vitæ huius bona ad tres communiter classes reducuntur, nimirum, ad bona honoris, vel delectationis, vel diuitiarum, quod est id, quod alijs terminis dixit Philosophus: *Bonum honestum, vtile, delectabile.* Supposita tamquam certa hac veritate, Doctores quæstionē mouent, & quærunt, quænam ex hisce tribus bonorum generibus magis pretiosa, & majori æstimatione digna sint? Et resoluunt, quod bonum honestum inter omnia primum locum obtineat, & reliqua illi comparata, minoris valeant. Et verò inter bona honesta, quærunt illi, quodnam principem locum obtinet? Et respondent, quod bonum nomen, bona existimatio, & fama bona: Hæc autem in quo consistit? In eo quod Christianus bene viuat, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; coram Deo, per bonam conscientiam, & coram hominibus, per bonum exemplum. Totus hic discursus est docti Cardinalis Vitriaci, ponderantis locum illum sancti Pauli ad Titum, quo cum docet, obligationes vitæ Christianæ, in qua perfectio consistit: *Sobriè, & justè, & piè viuamus.* Multum sanè hoc est, & non sufficiet vt homo quispiam aut piè, aut justè, aut sobriè viuat? Nequaquam respondet Eminentissimus Cardinalis: *Piè quantum ad Deum, justè quantum ad proximum, sobriè viuit homo ad seipsum. His tribus gradibus in scala veri Iacob ascenditur ad cœlum: Hæc est via trium dierum, qua peruenitur ad Deum, propter quod Propheta dicit: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: bonitatem quoad Deum, illi seruiendo per pietatem, qua pro cultu Dei hic accipitur; disciplinam quantum ad seipsum, ne recalcitret iumentum; scientiam quantum ad proximum, vt sciat justè conuersari inter homines huius sæculi.* Ex hisce tribus rebus, inquit Vitriacus, tamquam partibus essentialibus, vel integrantibus, perfectus Christianus componitur; & ille reuera talis est, qui in actionibus suis ita circumspectus est, vt iustam occasionem non præbeat, vt malus

Aristot. — Ad Tit. 2. — Vitr. serm. 2. in Domin. 2. Quadrag.

lus habeatur; sic enim duabus obligationibus satisfacit, vni quidem erga Deum, alteri verò erga homines; erga Deum, legem eius obseruando, & peccata non committendo, erga homines, nullum eis scandalum præbendo, sed integra, & bona sua fama eos ad bonum incitando.

2. Promisit Deus Patriarchæ Abrahæ, cùm mandauit ei, vt exiret de terra sua, & de cognatione sua, quod singularia in eum beneficia collaturus esset; & vnum illorum fuit, (fortè omnibus Gen. 12. maius) *Magnificabo nomen tuum.* Quærunt sacri Interpretes, qua ratione intelligi debeat, Deum sancti huius viri nomen magnificaturum. Omissis alijs responsionibus, Philonis Hebræi instituto nostro maximè conuenit: existimat enim quod bonum nomen, ac claram famam ei promiserit Deus; adeò vt non tantum virtuti deditus, & sanctus futurus esset, verùm etiam talis ab omnibus haberetur: *Sicut bo-* Phil. lib. de Migrat. Abrah. *num ac honestum esse, ita & videri prodest. Est siquidem veritas opinione melior, vtramque tamen sua bona fortuna sequitur. Cui Deus vtrumque concessit, vt bonus, ac honestus & sit, & videatur: hic verè beatus est, & vir magni nominis, nec est negligenda bona fama, res in omni vita vtilissima.* Talis fuit Abraham, cum non solum Deo vixerit, per opera sua iustificatus, sed etiam hominibus, gloriosa sua fama magnificatus; verus profectò Dei famulus, cum obligationibus suis tam perfectè satisfecerit.

3. Sacra Scriptura de Samuële adhuc puero loquens, rem de eo refert, quæ prima fronte difficilis intellectu esse 1. Reg. 2. videtur; dicit enim: *Puer autem Samuël proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.* Nescio sanè quî hoc fieri possit, & sanctus puer duas hasce res compingere potuerit, quas sanctus Paulus connecti non posse existimauit, cum dixerit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ad Gal. 1. Quomodo igitur duos hosce textus componere debemus, qui adeò contrarij sibi videntur? Dixit hoc insignis Abulensis. *Placebat Deo, quia religionem erga Deum diligentissimè curabat: placebat hominibus, quia iustitiam erga homines studiosissimè colebat.* Abul. cit. à Mendoc. in 1. Reg. c. 2. n. 26. Interiora animæ diuinis oculis placebant; exteriora verò operum eius, humanos oculos ædificabant.

Magna prodigia fecit Moyses in 4. Ægypto coram Pharaone, famosa illa virga tamquam instrumento vtens, quam cum *in cœlum extendit, Dominus* Exod. 9. *dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram.* Cum verò Pharaonem à plaga illa, quæ eum ad mortem vsque affligebat, liberare voluit, aduertit sacer Textus, quod *egressus à Pharaone, tetendit manus ad Dominum.* Quam ob causam, (quærit Procopius) non vsus est virga, vt prodigium illud perpetraret? An fortè solam virtutem habuerit ad plagas multiplicandas, non verò ad eas auferendas? Non sanè. Quæ igitur huius mutationis causa fuit? Procul dubio, inquit hîc Doctor, quod hoc fecerit Moyses, ne præsumeret Ægyptij, eum similiter Magum esse, atque veneficũ, atque adeò si aduertatur, cum primum in palatium ingressus est, non ipse, sed Aaron virgam in terram conjecit, vt in serpentem conuerteretur, ne Aulæ proceres cum incantatorem esse existimarent: *Diu fuerat absens in* Procop. hîc. *Ægypto, ideò credere poterant Ægyptij, quod tunc fuerat imbutus magicis artibus: sed Aaron à juventute fuerat in Ægypto, ideo non poterant eum suspectum habere.* Illa itaque ratio fuit, inquit Procopius, propter quam solas ma-

nus, non autem virgam, in cœlum tetendit, cum plagam illam, qua Pharao sese diuexatum videbat propellere voluit: *Ne vulgus opinaretur magica superstitione virgam esse factam*, adeoque sinistram de eo opinionem conciperet, & bonum nomen, ac opinio, quàm de eo habebat, periclitaretur.

5. Confirmatur hæc doctrinam per aliam Magni Abulensis, qui sapienter aduertit, quod cum Elias rogauit Deum, vt milites illos puniret, qui debitum sibi honorem non detulerant, petierit quoque: *Descendat ignis de cœlo, & deuoret quinquaginta viros.* Quamobrem de cœlo, & non de terra? Abulensis ad nostrum institutum: *Vt pro homine, seu seruo Dei, non proincantatore. cuius generis hominibus abundabat adhuc regio illa, agnosceretur.* Hac cum circumspectione, solicitudine, ac metu, illi viuunt, qui Deo adhærent, sicut Moyses, & Elias, & licet innocentia vitæ securos eos redderet, existimabant nihilominus, se obligationi seruorum Dei nequaquam satisfacere, nisi etiam obuiarent ijs, quæ occasionem scandali præbere possent, & bonam eorum famam denigrare, eamque tanti faciunt, quia probè norunt, quanto apud Deum in pretio sit.

4. Reg. 1.

Abul. ibi. q. 7.

6. Admodum quadrat huic loco curiosa quædam lectio sancti Ambrosij, explicantis verba illa Canticorũ Salomonis, quæ diuinus sponsus beatæ illi animę, dilectę sponsæ suæ dixit: *Pulchra es, amica mea, & suauis.* Transfert, siue interpretatur hic Sanctus, (secutus fortassis, prout aliàs, Septuaginta) *Formosa es, proxima mea, vt bona opinio.* Et illud quidem ita se habet, vt nulla quantumuis magna sit pulchritudo, quam heri, aut Domini sinistra opinio non inficiat, atque repudiet; & siquidem cum bona fama coniuncta sit, gratia super gratiam existat: atque ita hic legunt Septuaginta Interpretes: *Pulchra es amica mea, vt beneplacita*; in qua bona opinio ad pulchritudinem accedens, summum est ornamentum. *Non caduci itaque corporis pulchritudo* (inquit hîc sanctus Ambrosius) *vel morbo peritura, vel senio, sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum numquam peritura meritorum, virginibus est decori.* Hæc enim diuinis oculis numquam magis placent, & ornatiores apparent, quam cum omnes de eis optimè opinantur.

Cant. 6.

Ambr. lib. 1. de Virgin.

70. Interp.

7. Desiderat Deus vt animæ sponsæ suæ sibi assimilentur, & sese imitentur. Duo loca ad hanc rem annotaui, meo judicio ritè excogitata. Notat Philippus Abbas quam instanter egerit Moyses cum Deo, rogans eum ne in populum Israël animaduerteret, qui abominabile illud adorationis vituli peccatum commiserat. Iam fermè ratum erat Deo tantam injuriam, & offensam vindicare: Moyses verò vrgebat vt ei ignosceret; vtque postulata consequatur, dicit: *Ne, quæso, dicant Ægyptij callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* Ratio hæc tam prægnans fuit, vt *Placatus sit Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersum populum suum.* Ponderat hic Philippus Abbas, Deum Moysis rationibus acquiescere, & iram suam, quam ingratus hic populus tantopere promeritus fuerat, continere. Quid referebat Ægyptios murmurare? Aut quid Domini intererat, quod benè vel male ab ipsis judicaretur? Et respondet, rationem propter quam Deus minas suas non exequebatur, fuisse, quia Moyses ei proposuit bonam suam famam periclitari; Gentiles enim dicere possent,

Exod. 32.

possent, eum promissis non stare, nec sincerè cum suis agere, quandoquidem, postquam multa bona extra Ægyptum eis promisisset, omnes tamen vita priuaret. Fiat, itaque, quod Moyses rogat, & delinquentes Deus non puniat, ne aduersarij hinc ansam arripiant, sinistrè de Diuina eius Majestate sentiendi, & hac ratione Sanctum eius nomen, ac bona fama obscurentur: *Vult Moyses iratum judicem non inferre populo tristia juxta propositum, vult peccantem populum non sufferre digna pro meritis, ne ad ruinam eius hostis inuidus exultare inueniatur, & authori tamquam seductori plausu irrisoris nequiter insultare,* inquit Doctus Abbas.

Phil. Abb. lib. de Silent. Clericor. c. 3.

8. Alius locus est docti Cardinalis Vitriaci, ponderantis Christum Dominum S. Petro Apostolo mandare: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.* Vt quid ita? (inquit hîc Doctor,) nonne Christus Saluator noster exemptus erat à legibus humanis, sicut etiam & à diuinis? Certò quidem. Quorsum igitur mandauit Petro, vt pro se quoque tributum solueret? Alij alias rationes assignabunt, verum hæc, quam adducturi sumus, instituto nostro apprimè seruit: *Ne scandalizaret eos, qui petebant tributum, misit petrum ad mare, qui in ore piscis inuenit staterem, & soluit Dominus pro se, & pro Petro, licet non teneretur.* Adeò vt Christus (prout ipsemet dixit) hoc facto intenderit, bonæ suæ famæ consulere: *Ne scandalizemus eos;* & suo nos exemplo docere obligationem, quam nos Christiani habemus, ad eius imitationem idem præstandi. Nam vt idem ille Author dicit: *Vita bona necessaria est nobis propter nos Fama autē bona propter proximos;* & insigni exēplo declaratur: *Vnde & Chrismate vnguntur Christiani, vt habeant oleū bonæ conscientiæ, in vasis cordis interius, & balsamū odoris boni per bonam famam, propter proximos exterius. Et B. Ambrosius ait, qui conscientiæ fidens famam negligit, crudelis est; non enim debemus materiam peccandi proximis dare,* inquit doctissimus Cardinalis.

Matt. 17.

Vit. serm. 3. Dom. infrà oct. Natiuit.

Vit. serm. 2. Dom. 3. post Pasch.

Ambr: apud Vit. loco cit.

9. Atque adeò si id bene expenderimus, deprehendemus, Deum non minus prauitate vitæ, quam famæ profusione offendi. Est egregia animaduersio citati Vitriaci, quod in parabola illa infidelis villici dicatur: *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Quid necesse erat indicare, quod mala fama actionum eius ad sui notitiam deuenerit? Non sufficiebat dicere, quod omnia bona sua dissipasset. Haud equidem capis, inquit Eminentissimus Cardinalis; infamia est malus odor, qui ab iterata culpa prouenit, & quemadmodū hæc proximos offendit, non solum de bonis quæ dilapidauit, sed etiam de mala fama, quam ea ratione hic homo acquisierat, accusatur: *Non enim minus videtur offendi Dominus de diffamatione, quàm de dissipatione;* vnde hanc conclusionem deducit: *Debemus igitur bene viuere propter nos, & bonum exemplum ostendere propter proximos.* Quod est id quod considerationis nostræ titulus continet; quod adimpletio obligationis Christianæ, non solum in interiori conscientiæ ornatu, verum etiā in exteriori puritate famæ consistat.

Vit. loco cit.

10. Quorsum Rex cœli in fideles suos non rigide animaduertet, & in ipsis puniet, quod terreni Principes in subditis suis? Erasmus de Lisandro refert, quod militem quemdā, qui ab exercitu defluxerat, seuerè puniuerit: Excusauit se mi-

Erasm. lib. 6. Apophth.

se miser, dicens, quod furti, aut alterius mali perpetrandi causa sese non absentasset Lisander verò verba quædam respondit, omni Principe Christiano, & omnibus, qui alios suæ curæ commissos habent, digna: *Ne speciem quidem rapturi præbeas volo.* Non sufficit dicere, non peccaui, Deus intentionem meam nouit, conscientia me non accusat: & consequenter rumores hominum parui facere; ita enim viuere oportet, vt vita nostra omnibus patere possit, absque metu, quod nos aliquis verè calumniari queat. Ideo enim innocẽs agnus Christus Iesus, vitam suam, inimicorum suorum judicio committere non veretur: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Talis enim erat coram Deo, & hominibus, vt quantumuis graui odio eum prosequerentur, eiquè inuiderent, eam tamen denigrare, aut leui macula inficere non possent. Nota verbum, *Arguet*, illud enim bona Interpretum venia, in summo rigore accipio, ad discursum meum confirmandum. Non dicit quis me conuincet? sed, quis meritò me arguet? vt probaret, quemadmodum in eo, non solum malum aliquod non erat, ita ne speciem quidem mali esse. Ad conuincendum, necessarium est probare, quod peccatum aliquod subsit; ad arguendum verò sufficit, aliquam eius apparentiam esse, quodque sufficit ad aliquem accusandum, non est sufficiens ad eumdem condemnandum; justitia dissoluit quem comprehendit, & absoluit quem accusauit. Securè itaque, & intrepidè dicit Christus, non habetis de quo me conuincatis, nec etiam de quo arguere me possitis; hoc est: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*

## Consideratio II.

*Quod superiores, non solùm querelis, quæ de ipsis deponi, verum etiam, quæ sine ratione fingi possunt, satisfacere teneantur.*

Christus Dominus noster, vt se defenderet, ac pro se apologiam institueret, non expectauit, donec inimici sui reipsa accessissent, vt de crimine, vel excessu aliquo eum conuincerent: sed peruersas eorum cogitationes præueniens, tamquam qui malignam eorum intentionem perspectam haberet, innocentiam suam anticipatè demonstrauit, vt fideles suos, & superiores præsertim, instrueret, eos tam inculpatè viuere debere, vt non solum querelis, quæ de ipsis deponuntur, verum etiam ijs, quæ de ipsis immeritò fingentur, satisfaciant. 1.

Admodũ notum est, quod Patriarchæ Abraham, eiusque vxori Saræ in aula Pharaonis Regis Ægypti accidit, cum occasione generalis famis, quæ in Palęstina fuit, in Ægyptum descenderunt. Reuersus autem est ex Ægypto, inquit sacer Textus, *Diues valde in possessione auri, & argenti*, quæ Rex, & aulæ Proceres ei obtulerunt. Operæ pretium fuerit inquirere, vnde tam repentina Patriarchæ mutatio orta fuerit; & quidem non sine fundamento suspectari potest, bona hæc per media illicita acquisita fuisse; sic enim homines super bonis aliorum, quæ festinatò nimium excreuerunt, discurrere solent. Ita quidem agitur, illudque inter homines cõmuniter accidit, quique illud palam asserebant, sufficiens motivũ habębãt, de Abrahę splendore Gen. 13.

cum

cùm cauſam eius ignorarent, non bene ſuſpicandi. Verùm his ſuſpicionibus Spiritus ſanctus prius ſatisfecit; nam (prout doctus noſter Magiſter Iſtella notauit) Sacer Hiſtoriographus in præcedenti capite duo in eo aduertit, difficultati huic quaſi occurrens, tacitæ obiectioni reſpondens, & tam ſubitum bonorum incrementum à ſuſpicionibus liberans. Primum, Regem Pharaonem, & Aulæ Proceres, plurima ei munera, pecorum greges, ſeruos, & ancillas dediſſe, ac bonis omnibus eum cumulaſſe: *Fueruntq; ei oues, & boues, & serui & aſini, & famulæ, & aſinæ, &c.* Alterum verò, Pharaonē non intendiſſe abuti Sarâ, ſed eam in vxorē ducere voluiſſe, quamdiu Deus non reuelauit eam coniugatam eſſe; nam mox vt illud reſciuit, eam ad maritum ſuum, ſine vlla vel leui honeſtatis eius læſione, fideliſſimè remiſit: *Vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam.* Verba autem Auctoris ſunt ſequentia: *Fueruntq; ei oues, &c. ex iis quæ Pharao, & alij obtulerunt: Nūc igitur ecce coniux tua non polluta.* ne exiſtimetur, aurum illud & argentum malis artibus acquiſitum, ſciatur quod Pharao illud dederit: & ne cogitetur, Pharaonem iniuſto aliquo reſpectu illud dediſſe, conſtet omnibus, quod eadem ratione, qua Sara ad poteſtatem eius venit, ita quoque abſque vllo eius detrimento, & nullam prorſus læſionem paſſam Patriarchæ tradiderit, & quemadmodum ſanctus vir omnibus, ea quæ acciderant ſcientibus, ſatisfacere non poterat, Deus cauſam eius in ſe ſuſcepit, iiſque qui inconſideratè ceſpitare poterant, ſuo nomine os obſtruxit.

*Ludouic. Iſtella hic.* — *Geneſ. 12.* — *Iſtell. cit.*

2\. Morti proximus erat nepos eius Iacob, cùm ſuprema verba filijs ſuis dicens, Ioſepho ſpeciatim mandauit, ſolemni iuramento eum obſtringens, vt corpus ſuum in terra Ægypti non relinqueret, nec in ea illud ſepeliret, ſed ad terram Promiſſionis ibidem ſepeliendum aſportaret, vbi pater eius Iſaac, & auus eius Abraham ſepulti erant; & adiunxit: *Mihi enim quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan in ipſo itinere, eratq; vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & ſepeliui eam iuxta viam Ephratæ.* Quorſum (quærit doctus Honcala) Iacob filio ſuo Ioſepho hoc dicit? Quare, de ſepultura ſua agens, in memoriam reuocat ſepulturam quam dilectæ ſuæ Racheli dedit? Parum inter ſe cohærere hæc videntur; verùm meo iudicio diſcurſum ſuum prudentiſſimè proſequitur Patriarcha: *Conſentaneum rationi fuit, vt Iacob exacto à Ioſepho iuramento de ſepeliendo ſe in maiorum ſuorum ſepulchro, filio ſatisfaceret, tacitè quærenti, quare matrem eius ibidem ſepeliendam minimè curauerit. Primū quod erat vernum tempus, quo non facilè cadauera remotiùs transferuntur, quin ſi inſepulta maneant, breui corrumpuntur, putridaq;, grauem & peſtilentem longè lateq; fœtorem immittunt. Deinde quod eo tempore, parientibus ouibus, plurimâ fœturâ impeditus erat.* Adeò, vt bonus parens impedimenta quæ habuit, quominus ſepulturam eius ſolemni ritu extruxerit, ſui excuſandi cauſa, filio ſuo ſignificauerit. Non exiſtimauit eum aliquid ſibi dicturum, & nihilominus, ad ea quæ ſibi dicere poterat, reſpondet.

*Geneſ. 48* — *Honcala hic.*

3\. Alia eiuſdem Iacobi probatio prodeat, cum adeò accommodatam ſacer Textus nobis offerat. Inſignia ſunt verba, quæ inſtante morte quoque dixit, de duobus filijs ſuis, qui iniu-

riam sorori suæ factam vindicauerant, Genes.49. loquens: *In consilium eorum* (inquit) *non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea*, vel *Grauitas mea*, prout ex Hebræo transfert Oleaster. Oleaster. ex Hebr. Quam ob causam, quærunt sacri Interpretes, dicit sanctus Patriarcha, quod ab omni cœtu, in quo de gloria eius agetur, eos secludat? Alludit ad iniquum consiliũ, quo Sichimitas subdolè postrauerunt, & antequam moriatur, de eo quod sibi imponi posset, quasi aliqua ratione ei cooperatus fuisset, sese excusat; quasi diceret; inquit doctus Cornelius, hũc locum explicans: Cornel. hic. *Ego hoc eorum cõsilium, & scelus olim aduersatus sum, & etiam nunc auersor.* Videtur hoc ex Theodoreto desumpsisse, qui paucioribus verbis id primus dixit: Theodor. q.109. in Genes. apud Istell. hic. *Non veniat anima mea, id est, non approbo, sed detestor*; ne vmquam suspicari quispiam possit, me tam iniqui sceleris participem fuisse, hac ipsa hora, quæ dicendæ veritatis tempus est, declaro, me in hoc facto partem nullam habuisse, nec de tali proditione, nisi ea peracta, quidquam sciuisse, quin potius me grauiter eam sensisse, & dolorem, quem inde concepi, ad sepulchrum me comitari.

4. Magno applausu, & communi omnium satisfactione rexit Propheta Samuel Regnum Israël, qui senem eum 1. Reg. 12. conspiciens, & filios eius illustrem, ac sanctum eius viuendi modum minimè imitari, timens ne successores suos eos relinqueret, Regem ab eo expetiuit. Propheta Dei nomine Saulem inaugurauit. Mox verò vt eum vidit, manu sceptrum gerentem, & in throno suo sedentem, eo præsente ad populum orationem habuit, illi quam Christus Dominus ad Pharisæos, & Principes Sacerdotum habuit, admodum similem: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi.* Qua de causa, concionem hanc ad populum habuit Propheta? In quem finem hæc regiminis sui enarratio directa fuit? quærit Theodoretus; Theodor. q.28. & satis prudenter in hæc verba respondet: *Cum esset iudex, excedebat à potestate, & eam tradebat Regi. Erat ergo consentaneum, quæ à se gesta erant narrare, & quod in republica gerenda cum laude esset versatus, consentientem habere populum.* Et verò si nemo conquereretur, cui rei prudentes, & cantæ hæ præuentiones inseruierunt? Vt nouus Rex exemplum sumat, quomodo ab omni culpa liber incedere debeat, neque enim querelis dumtaxat quas subditi de ipso deponere possunt, verum etiam ijs, quas fortè contra eum formare poterunt, satisfacere debet: *Legitimam illum docens potestatem* Concludit Theodoretus: Quis dubitet, quin inter tantos aliquis fuerit minus affectus Samueli (fieri enim non potest, vt superior omnibus satisfaciat) verum ne talis existimet opinionem suam in ratione fundari, antequam hoc resciat, publicè ostendit, officio ministri iustitiæ se minimè defuisse, vt omnes intelligant immeritò se conqueri.

Ad ripam Nili Hebræus quidam 5. cum Ægyptio rixabatur; à rixa ad difficilem & grauem luctam & pugnam deuenerunt. Hic vel quia magis robustus, vel magis strenuus, & dexter alterum superauit. Vidit hoc Moyses, & gentis, ac populi sui amore permotus, vt Hebræum, vel à morte, vel iniuria liberaret, Ægyptium occidit, & *Percussum* Exod.2. *Ægyptum*

*Ægyptum abscondit Sabulo.* Factū hoc Moyses hominum iudicio expositum remansit, vt quilibet de eo, vt sibi videretur sententiam ferret. Quid verò facit Spiritus sanctus? In Actibus Apostolorum per os inclyti Martyris sancti Stephani dicit sequentia: *Fecit vltionem percusso Ægyptio: existimabat autem intelligere fratres, quoniam per manum ipsius daret salutem illis.* Vt quid verò, quærit doctus Lorinus, necessaria erat hæc sancti Stephani præmonitio? Quid sibi cum illa voluit Deus? Confundere nimirum pertinaciam, & ingratitudinem Hebræorum, qui de facto illo murmurant, propter quod se ei obstrictos fateri debuissent: *Deprehenditur pertinacia, & ingratitudo Hebræorum aduersus liberatorem suum, deputantium Ægyptij occisionem furibundo Moysis zelo, non amori erga gentem suam, & à Deo acceptæ auctoritati.* Et ne vmquam dicere possint, nec etiam præsumere, de viro tam sancto, quod peccauerit, in eo quod credi debet laudi ei fuisse: nam vt sanctus Ambrosius dicit: *Sanctus Moyses hinc orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis*; fuitque instar minoris experimenti maioris aliquando facinoris perpetrandi. Præuiæ itaque ab omni culpa, quæ ei imponi potest eximatur Moyses, atque ita nemo condemnare eum meritò potest, nec etiam de crimine arguere, quasi ira eum præcipitauerit, & factum suum non præmeditatus, nec tranquillo animo executus fuerit, multo minus quod persona particularis, & non causæ illius iudex fuerit; omnibus enim qui hæc cogitare, & dicere possent, Spiritus sanctus respondet, quod diuina auctoritate hoc fecerit, & siquidem post factum quid de re ipsa fuerit, non dixerit, fuit, quia existimabat, illos hoc intellexisse.

Act. 7.

Lorin. hic.

Ambros. l. 1. de offic. c. 36.

5.

6. Expendi sæpius locum illum Genesis, qui licet tertius sit quem in hoc discursu de Iacobo adducimus, nauseam tamen minimè pariet; nisi enim mea me fallat industria, elegans est, & instituto nostro peropportunus. Est ponderatio docti Abulensis, qui in illa tam mystica, quam celebri lucta, quam Iacob cum Angelo tota nocte secum luctante, & nemine primas tenente, habuit, obseruat, Angelum aurora exoriente, à sancto iuuene petijsse: *Dimitte me.* Cui ille respondit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quasi diceret, inquit Tostatus: *Ostende me benedictum*, & honori meo consule, fieri enim poterit, vt mundus malè de me iudicet, & sinistras de me opiniones habeat: qui enim bonis temporalibus me cumulatum viderit (hoc enim communi phrasi sacræ Scripturæ significat benedictio) & Dominum ac primogenitum domus Patris mei, quod naturali iure fratri meo Esau debebatur, & famam, quæ de me spargitur, quod benedictionem ei surripuerim, inaudierit, cogitabit, vera dici, & ego fidem omnem amittam, & in faciem mihi exprobrabitur, furem me esse, atque adeò necessarium est toti mundo palam facere, me diuinæ voluntatis decreto bonis omnibus locupletatum: *Ostende me benedictum.* Quænam sunt hæ adeò circumspectæ præuentiones, Patriarcha sancte? Quis te arguit? Quis accusat? Quis te condemnat? Hucusque nemo vel minimum verbum tibi obiecit. Cui rei seruit illa præoccupata tui defensio? Expecta donec quispiam loquatur, & tum demum ei responde bis; nequaquam: *Ostende me benedictum,*

Genes. 31.

Abul. hic.

ctum; vult enim diuina Maiestas, vt serui Dei adeò irreprehensibiles viuant, vt non solum querelis, quæ de ipsis deponuntur, verum etiam quæ contra ipsos dici, aut fingi possint, satisfaciant.

7. Refert Sacer Euangelista Ioannes, *Ioan. 2.* quod *ascenderit Iesus Ierosolymam, & inuenerit in Templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes, & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecerit de Templo; oues quoque & boues, & nummulariorum effuderit æs, & mensas subuerterit.* Heroicum hoc facinus fecit Saluator initio prædicationis suæ, cùm mundo sese manifestare incepit. Et si quidem causam eius à sancto Chrysostomo petierimus, dabit eam instituto nostro maximè opportunam: *Sed qua gratia*, inquit, *hoc fecit? Cùm morbos esset sabbatho curaturus, & alia facturus, quæ illis transgressio legis videbantur: ne Dei contemptor, & Patri contrarius existimaretur, id fecit, vt eorum tolleret suspicionem.* Hac itaque ratione, à calumnijs, quas ei obijcere poterant, prout inimici eius postmodum obiecerunt, iam diu antè sese purgauit Saluator; & hodierno die eundem finem sibi proposuit, innocentiam suam eis demonstrans, piusquam eum blasphement; suo nos exemplo docens, nos diuinis legibus adeò conformiter viuere, & conscientias nostras adeò iustificatas esse debere, vt non solum querelis, quas contra nos æmuli nostri deponere, verum etiam sine ratione fingere possunt, satisfacere possimus.

*Chrysost. hom. 22. in Ioan.*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?*

CONSIDERATIO III.

*Quod cui alios instruere incumbit, mundus ab omni culpa viuere debeat, vt sua instructione prosit, & alios lucretur.*

SCio quidem Oratores Euangelicos, super hoc Euangelio differentes, fundatos in eo quod Christus Dominus capitalibus suis inimicis dicat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hunc discursum formare solere, quasi os eis obstruat, & dicat: Nemo vestrûm verborum suorum vi, aut rationum efficaciâ, arguere me potest; omnes enim peccatores estis, & ius non habetis quempiam reprehendendi, & multo minus me, qui sum ipsa sanctitas. Hic est magis communis dicendi modus, & in hanc formam, propositam suam doctrinam ex littera deducunt. Verùm eorum pace, mihi videtur cõformius ad litteram, alium discursum formari posse, si dicatur, quod quoniam Saluator eos postmodum reprehensurus esset, eisque dicturus, filios diaboli eos esse, qui de ipsis possessionem iam cepisset, & alia huiusmodi; operæ pretium fuerit, vt modò innocentiam suam comprobaret & de vitæ suæ integritate omnibus constaret; quasi ad oculum eis demonstrans, quod si verba sua in eis nihil efficerent, non esse quia vita sua verbis non conformaretur, cùm adeò irreprehensibilis foret, vt eam labefactare nullo modo possent. Quo quidem Redemptor nos docet id, quod huius considerationis titulus includit; nimirum, eos quibus aliorum instru- 1.

ctio

ctio incumbit, irreprehensibiles esse debere, nec quidquam (vt ipsorum spiritus alios dirigere & nutrire queat) censura dignum in ipsis conspiciatur: cùm certum sit, peccatorum verba, vires non habere ad feriendum, nec cuspidem ad penetrandum. Cuius rei ratio est, quod quoniam cum vita non concinant, nec moribus loquentium conueniant, hoc ipso quo illi sese viliores reddunt, illa quoque contemnantur.

2. Conciliate cum sancto Ambrosio duo sacræ Scripturæ loca, quæ prima fronte contraria videntur. Mandat Deus Moysi, vt vadat in Ægyptum, & prædicet Pharaoni, & Israëlitis qui à multis annis sub eius potestate (in seruitute, quæ vti non ita pridem diximus, symbolum fuit peccati) captiui detinebantur. Excusat ille se, incapacitatem suam allegans, & dicens Deo: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum*; vel prout S. Augustinus legit: *Gracili voce sum.* Hic mecum subsistete, & ad Actus Apostolorum procedamus, & quid inuictus Martyr sanctus Stephanus de sancto hoc viro dixerit, audiamus: *Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.* Ad locum vnde digressi sumus reuertamur, quodque ibidem de seipso Moyses dixit, cùm eo quod hîc de eodem sanctus Stephanus retulit, conferamus, &, vti apparet, manifestam contradictionem deprehendemus. Ille balbutientem se dicit, quique vix sciat, aut possit verbum proferre: Sanctus Stephanus autẽ de eodem dicit, quod in omni Ægyptiorum sapientia perfectus, & consummatus fuerit. Quomodo hæc duo adeò opposita componi possunt? Dicat hoc eloquentia Ambrosij, cuius sunt sequentia verba: *Antè quidem dixerat Moyses, quia loqui non poterat, sed postea quàm dixit, verbum accepit, & bonorum operum edidit claritatem*, inquit sanctus Ambrosius.

Exod. 4.

Aug. q. 16 in Exod.

Act. 7.

Amb. l. 1. in Luc. c. 1.

Significat hic Sanctus, Moysen primò quidem muneris, quod sibi imponebatur, incapacẽ se iudicasse, dignissimum verò, cùm ad illud exequendum deuenit; sed non declarat in quo, in initio indignitas sua constiterit, quamquam postea dicat, qualia merita sua fuerint; S. Ambrosius vt rem notam, vel ex ijs, quæ sacra Scriptura refert, comprehensu facilem id supposuerit, & Rabbi Salomon, ac Hebræi, qui doctrinam eius sequuntur, id clarius indicarunt: nimirum, quod cùm Deus Moysi apparuit, eumque in Ægyptum misit, Domino replicando, nec promptè mandatis eius obediendo, grauiter peccauerit Moyses; nam cùm Deus de prospero rei euentu eum certum reddit: *Audient vocem tuam*; respondit ei: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*; cùm verò Moyses inobedientiam suam postmodum considerauit, & peccatum suum agnouit, diuini mandati exequendi incapacem se deprehendit, seque excusauit; & licet peritus esset, ac eloquens, potuit (his attentis) & verè dicere, se ab heri & nudiustertius vtroque carere. Cùm enim eruditionis, ac eloquentiæ scopus sit, appositè ad persuasionem dicere; cumque reus esset, iudicauerit se suis dissertationibus effectum illum consequi non posse, quin potiùs laborem, ac diligentiam suam inutilem, & frustraneam fore: emendauit se Moyses, & errati sui illum pœnituit, rara prodigia, & mirabilia multa perpetrauit, & efficacẽ se (prout 3.

dicit sanctus Stephanus) & potentem in verbis demonstrauit. Ad hoc itaque allusit sanctus Ambrosius, & hoc sensu verba eius intelligi debent, vt in bino statu Moysen cōsiderare debeamus, peccatoris scilicet, & pœnitentis; in illo, nec opera, nec verba habet, & ad alios docendos, & reprehendendos indignum se agnoscit: in hoc autem Salomone sapientior est; nam simulatque bona eius opera efficaciam habent, iam eius quoque verba energiam & vim obtinent; atque ita duo Textus, veteris, & noui testamenti conciliantur: *Non sum eloquens, &c.* & *Eruditus omni sapientia Ægyptiorum.* Ipsa opera verborum anima sunt; atque ita non est vt alios corrigat, qui reprehendi meretur.

4. Ponderat magnus Oleaster submissionem illam animi, qua Iacob socero suo Laban respondit, cum ob furtum idolorum suorum in rabiem actus eum assecutus est, & furti arguit: *Cur furatus es Deos meos?* Iacob Gen. 31. verò, vt erat innocens dixit vt cunctam supellectilem perscrutaretur, & resarcinaret, quique furti reus deprehensus foret, puniretur. Aduertit autem Sacer Textus, quod Iacob *Hæc* Pagn. hic. *dicens, ignorabat, quod Rachel furata esset idola.* Laban cuncta diligenter perscrutatus est, Deos suos non inuenit, quod vt vidit Iacob, *tumens cum iurgio ait: Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis. Idcirco viginti annis fui tecum?* Miratur Olea- Oleast. hic. ster, non de eo quod Iacob Labano dixit, sed de acrimoniâ, quâ ei locutus fuit, quod ex Textu colligit: *Tumensq́, Iacob cum iurgio.* vel vti Pagninus legit, quem sequitur Oleaster: *Ira fuit ipsi Iacob.* Quænam hęc subita mutatio est, inquit famosus Lusitanus, quæ Iacobū perturbauit? Numquid supplex, mansuetus, submissus incepit? Quomodo nunc adeò contrarius? Qui tam iratus? Modò intelligo. *Quãdiu timuit ne forte socer esset idola inuenturus, tacuit: postquam verò non inuenit, audax factus est.* Sua eum securitas vocem attollere fecit, secura enim conscientia, eam impauida efferre potest, quod facere nequit, quæ se ream deprehendit.

Admodum accomodata huic instituto est allegoria quædam sancti Gregorij Magni, ponderantis id quod accidit Ionathæ filio Saulis, qui, sacra Historia teste, plurimum defatigatus, paululùm mellis comedit: *Extendit* 1. Reg. 13. 5. *summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis.* Nam forte fortuna, pater eius ieiunium sub pœna mortis indixerat, donec victoriam de inimicis consecutus fuisset. Ionathas autem semianimen, & languidum se deprehendit, & extremitate virgæ fauum mellis attigit, & comedit. Eo die sacrum Oraculum Sauli non respondit, intellexit peccatorum causa id euenisse, in delinquentem inquirit, quod filius eius ille fuerit comprobatur, miser lugere incipit: *Gustans gustaui in summitate virgæ quæ erat in manu mea paululum mellis, &c.* Notat sanctus Gregorius, eum non dicere, quæ est in manu mea, sed, quæ erat: *Quid est ergo quod ait, quæ erat, non quæ est in manu mea?* Quia is qui ante Gregor. exposit. ad lib. 1. Reg. lib. 5. peccatum ad reprehendendum virgam manu tenet, mox vt delinquit eam iam non habet, ius enim, & authoritatem corrigendi perdit: *Erat ergo in manu mea, & non est; quia etsi aliquando feci, quod docui, illud quod operando tenui, superbiendo amisi.*

Operæ pretium est reflectere ad 6 phrasim, qua Propheta Rex peccatum suum confitetur, & petit, vt Deus illud

lud sibi ignoscat, præsertim Psalmo illo pœnitentiali omnibus noto, vnde est hic versus: *Tibi soli peccaui, &c.* Quid dicis Propheta Sancte? Nónne vides peccatum vestrum toto in Regno magnum strepitum excitasse, & omnes peccatum, vel peccata tua quæ commisisti, perspecta habere? Quomodo igitur te soli Deo peccasse dicis? Dubij huius solutionem in sacris Interpretibus indagaui, quique instituto nostro accommodatius respondet, est magnus Pater sanctus Augustinus; qui dicit, rationem propter quam Dauid se Deum solum offendisse dicat, licet homines quoque scandalizauerit, fuisse, eo quod ille solus eum arguere, & reprehendere poterat. Verba sancti illius, quæ grauia, & docta sunt, vt pote ab ipso profecta, audite: *Ille enim iustus punitor, qui non habet, quod in illo puniatur; ille iustus reprehensor, qui non habet, quod in illo reprehendatur.* Et quoniam Deus solus est impeccabilis, ideo pœnitens Rex dicit, quod illi soli peccasset, quia ille solus eum corrigere poterat. Adeò necessaria est probata vita ijs, qui alios reprehendere debent, vt sanctus Apostolus Paulus hoc medio vsus fuerit, ad probandum, quod peccatum in Deo nec sit, nec esse possit. In hūc sensum illa eius verba ad Romanos intelligo: *Quid ergo? Numquid iniquus est Deus qui infert iram? Absit: alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Agit hic sanctus de differentia quæ est inter Iudæos, & Gentiles, & cernens videri posse, aliquam personarum acceptionem in Deo esse, in se redit, & dicit: Deus nec peccare, nec personarum acceptor esse potest, quia in peccatores animaduertit: in Deum culpa non cadit, quia mundum gubernat, & regit. Non illa sola est ratio, quam Philosophia nos docet, *quia est regula prima*, verum Apostolus dicit, quod quia aliorum vitam iudicat, corrigit, & punit Deus, clarè probetur, eum non esse capacem peccati, nec vllum in eo peccatum esse posse. Et idem est ac dicere, quod bonum exemplum, & clara fama tanti momenti sit in eo, cui aliorum instructio incumbit, vt illi dumtaxat, qui Deum, eiusq; impeccabilitatem imitantur, digni reprehensores æstimari debeant.

*Psal. 50.* *Aug. hic.* *Rom. 3.* *Philosop.*

7. Tractabat aliquando hunc discursum in concionibus suis Cardinalis Victriacus, & inter alia sacræ Scripturæ loca, quæ in eius probationem adducit, ponderat verba illa cœlestis animarum sponsi, ad dilectam sponsam: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora*: & idem est ac si dicatur, quod vocis suauitas, ex faciei pulchritudine procedat. Adeò vt coniunctio illa, *&*, sit causalis, & idem est ac *quia*: verum aduertit, & quidem benè, doctus Cardinalis, quam bona vox cum pulchra facie similitudinem habeat? An fortè suauitas vocis, ex pulchra facie procedat? Ita quidem, inquit hic Doctor: *Ostende faciem prius operando, & bonum exemplū ostendendo: & postea sonet vox tua in auribus meis, alijs prædicando; quia non est speciosa laus in ore peccatoris.* Sponsus sponsæ suæ, ac fidelibus omnibus, qui ex officio, vel obligatione alios docent, dicere voluit; faciem suam, id est vitam iustam, conscientiam puram, omnes exēplo suo ædificantes mihi ostendant; deinde eorum vox, exhortando, ac dirigendo alios, in auribus meis sonet; adeò vt verba cum operibus componantur, & vita doctrinæ conformetur, alioquin mihi non benè seruierint,

*Cant. 2.* *Victr. serm. 3. in die S. Pasch.*

uierint, nec proximus vtilitatem aliquam referet; nã verba peccatoris cùm mortua sint, nihil boni agere possunt.

8. Insignis fuit animaduersio S. Bernardi in consideratione responsi quod Saluator noster dedit ijs, qui mulierem illam adulteram accusabant, quæ secundùm legem lapidari merebatur: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat.* Audit hæc verba S. Bernardus, & dicit idem significare, ac si Christus eis diceret: *Is præsumat à peccatrice exigere vltionem, qui eandem, excipere non meretur.* Tacitè notauit Saluator ipsorum in alienis defectibus criminandis audaciam, cùm illis pleni sint; atque adeò vnus post alium turbati, & confusi abierunt, quasi indignos se confitentes, qui aliorum defectus aduertant, aut puniant, cùm tot, ac tantos à seipsis haberent: Deo id ita ordinante, vt nos doceret, eos qui aliorum vitam reprehendere debent, defectum in se admittere non debere; neque enim maior stultitia esse potest, quàm defectus suos negligere, & alienis, ipsorum correctionem præsumendo, curam impendere: tam procul enim ab eo aberis, vt potius, ad vestram confusionem, proprios vestros defectus in faciem tibi obiecturi sint, & dicturi, vt si alijs mederi velis, primò teipsum cures.

*Ioan. 8.*

*Bern. ser. 3. in Annunt.*

9. Iniustæ comprehensioni innocentis Agni S. Petrus intererat, & sancto zelo permotus, eduxit gladium, & auriculam serui summi Sacerdotis abscidit. Videns hoc misericors Dominus, inquit sanctus Ioannes, superbientem eius iram reprehendit, & mandauit, vt gladium in vaginam reconderet, dicens: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Relinquamus modò communes rationes, quas sancti Patres huius actionis Saluatoris assignant, & Adamum Præmonstratensem, euentum hunc allegorizantem, audiamus. Considerat ille Auctor eos hîc figuratos esse, qui proprias culpas non cõsiderãtes, ad alienas reprehendẽdas sese inconsideratè præcipitant; & dicit cum talibus Redemptorem hîc loqui, eisque dicere, vt correctionis gladium, quo alios ferire volunt, in seipsos conuertant: *Conuerte gladium in vaginam,* id est, *In teipso conuertito ferrum, increpans, & accusans teipsum, considerans maiorem trabem esse, quæ in oculo tuo est, quàm festucam, quæ in oculo fratris tui.* Tum demum Spiritus vester aliorum magister esse poterit, cùm vitijs carueritis, & ne vmbra quidem eius in vobis conspecta fuerit; quod est id quod alius, licet Gentilis, dixit: *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.*

*Ioan. 18.*

*Adam. pram. serm. 11.*

---

## *Si veritatem dico vobis.*

## Consideratio IV.

### *Quod Principes, & terrarum Domini iam ab olim capitales hostes fuerint veritatis.*

Plurimum scire desideraui causam antipathiæ, quam Reges, Principes, ac Domini cum veritate habent, quare illa cum ipsis tam malè conueniat, & postquam plurima super hac re perlegi, quidquid auctores diffusè dicunt, à sancto Hieronymo in tria sola verba contractum reperi: *Amara est,* inquit, *veritas, rugatæ frontis, ac tristis.* Fundamentalem rationem hîc videte, propter quam veritas, licet omnibus in communi, principibus præsertim, ac potentioribus mundi adeò sit inuisa, & omnes illi sint Cain huius Abelis. Si amara est veritas, quomodo aditum habe- 1.

*Hierom. lib. 2. contra Ionian.*

habere poteſt ad locum illum, in quo non niſi de delicijs, dulcedine, ac voluptatibus agitur? Si antiqua, & rugatæ frontis? quomodo in palatium admitti poteſt, vbi omnia pulchra, concinna, & elegantia ſunt? Si melancholica eſt, & triſtis, quomodo aditum obtinebit vbi non niſi de conuiuijs, choræis, comœdijs, muſica, & omnis generis oblectationibus agitur? Non eſt apta vt ſit Aulæ puellæ honoraria, nam qualitas & conditio eius admodum contraria eſt illi, quæ ibidem communiter cernitur, & in vſu eſſe ſolet; ac propterea apud Principes tam malè audit, & aulæ proceribus adeò inuiſa eſt.

Inſignem Brunonis Signinienſis animaduerſionem audite. Miſit Deus Prophetam Amos, vt ſuo nomine Regi Ieroboam quædam denuntiaret; ſciuit id Amaſias Sacerdos, admodum familiaris Regi, vel vt melius dicam, magnus eius adulator, eique dicit: *In*
*Amos 7.* *Bethel, non adijcias vltra, vt prophetes, quia ſanctificatio Regis eſt, & domus Regni.* Quærunt Sacri Interpretes, quam ob cauſam Prophetæ permiſſum non fuerit, mandatum ſuum exequi, & dicere, quę Deus ei præceperat? Si curioſi textum Hebræum capitis 7. Amos legerint, deprehendent, quod idolum, quod Ieroboam adorabat, *Riſus, ſeu Ri-*
*Lect. Heb.* *diculus appellabatur.* Obſeruat modò Bruno Signinienſis, ſignificationem idoli, cui Ieroboam ſacrificabat, & ex ea propoſiti dubij ſolutionem deducit: *Vbi pro Deo riſus, & ſcurrilitas veneratur, non datur veritati locus,* inquit Bruno Signinienſis.

2. Mittebat Deus Moyſen, vt populum ſuum à poteſtate Pharaonis (figurâ ſeruitutis, & oppreſſionis, quam ſub dæmonis tyrannide mundus patiebatur) liberaret. Excuſabat ſe Moyſes, dicens, ſe oleum, & operam perditurum, nam *Ecce,* inquit, *filij Iſraël non au-* *Exod. 6.*
*diunt me, & quomodo audiet me Pharao?* Quod idem eſt, ac ſi diceret: Domine, ſi minores, & plebeij audire me nolint, quomodo primores attentas aures mihi præbebunt? Si vulgus veritatem recipere nolit, quomodo Rex eam benigne excipiet? *Commune eſt* inquit inſignis noſter Oleaſter, *vt verbum Dei* *Oleaſt.*
*apud populares magis fructificet, quam* *19.*
*apud Reges, & magnates, & auidius audiatur.* Excuſationē proſequitur Moyſes, dicens balbutientem ſe eſſe, & inepte eloqui; & quod is qui Regi loqui debet, expeditæ linguæ diſcretus, & eloquens eſſe debeat. *Præſertim cum* *Aug. q.*
*incircumciſus ſim labijs.* S. Auguſtinus *16. in*
(ſecutus fortaſſe Septuaginta) trāsfert: *Exod.*
*Gracili voce ſum.* Reſponſum hoc Moyſis non intelligo: ſi Deus eum mitteret vt populo prædicaret, & vociferaretur, ſicut Iſaiam, & Ieremiam miſit, videtur quod aliquam ſaltem ſpeciem excuſatio haberet; Dominus autem eum mittit, vt cum Rege dumtaxat loquatur: & clarum eſt, quod tales perſonas omni ciuilitate, & vrbanitate alloquamur, voce ſubmiſſa, & ficta, nullo ſtrepitu, aut clamore excitato. Quomodo igitur Moyſes hoc inconueniens Deo proponit? *Mirum namque eſt tam gracili voce* *Aug. cit.*
*Moyſen fuiſſe, vt ne ab vno quidem homine poſſet audiri. An fortè regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* quærit ſanctus Auguſtinus. Adeò, vt miniſtros veritatis, tantopere auerſaretur Pharao, inquit S. Auguſtinus, vt non ſolum eos audire noluerit, verum etiam ipſis inacceſſibilis fuerit; atque adeo non abs re Moyſes effugium hoc Deo propoſuit. Et ſi quidem Textus Græcus legatur, deprehendetur Moyſen dixiſſe: *ſine ſermone ſum.* Philo Hebræus ex-

Lect. Graec. Phil. lib. quid det. post insid. plicat: *Mutus sum*: Verùm occurrit ratio dubitandi, quare Moyses, non solum dicat se ineloquentem esse, verum etiam mutum, & se loqui non posse. Si hoc esset, non loqueretur; cũ verba proferre possit, vt se excuset, constat eum minimè mutum esse. Quomodo igitur virum Sanctum à mendacio excusabimus? Dicant alij quod sentiunt, ego verò existimo, ideò Moysen dicere, se mutum esse, quia ad Pharaonem mittebatur, quem surdum esse non ignorabat, surdo autem loqui, idem est quod tacere, & mutum esse. Adeò proprium Regibus est, ne veritatem percipiant, aurium vsu sese priuare, easque obstruere, ac si reipsa surdi forent.

3. Notabilis fuit illa Magorum, & Hariolorum regni Israël strages, quam Saul edidit, dicit enim Sacer Textus: 1. Reg. 28 *Saul abstulit magos, & hariolos de terra, & interfecit eos, qui Pythones habebãt in ventre.* O quam iusta, & sancta executio, si bono zelo facta fuisset! sed suorũ testimonium ipsi aduersatur: nam vt Lyran. hic. doctissimus Lyranus ex Hebræis refert: *Saul ea de causa sustulit hariolos, quod illi prædicerent eius familiam euertendam, & regnum transferendum ad Dauidem.* Tam ægre tulit, audire res ingratas, & inutiles, quæque de malitia sua eum commonebant, vt tam grauis supplicij inferendi ei causa fuerit. Atque ego modò speciatim annoto, quod nescio an alius quispiam animaduerterit, eum paulo post hanc sanguinolentam vindictam, euentum cuiusdam rei scire volentem, ad Pythonissam, quàm superstitem reliquerat (quia non ingrata, quæque vllo modo offẽdere potuissent ei prædixerat) conquirendam iuisse, & sacra Scriptura dicit, quod ad eam consulendam, *Mutauit habitum suum, vestitusque alijs vestimentis, & abijt ipse ad mulierem, &c.* Quare in proprio habitu ei locutus non fuit, & clarè petijt quod scire desiderabat? Dicant alij quod sentiũt, ego verò existimo, quod quoniam plurimum ipsius referebat, veritatem scire eius rei quæ euentura erat, vestem mutauerit, & in peregrino habitu abiuerit, quia sciebat, quod si mulier illa vidisset eum Regem esse qui eam interrogabat, non ausa fuisset dicere ei quod sentiebat. Alieno scilicet periculo edocta, & memor illorum, quæ paulo ante sui muneris & officij hominibus acciderant.

Et quoniam in sacris litteris, & doctrina SS. Patrum nolim vmquam sine fundamento loqui, visum est mihi doctissimi Lyrani obseruationem hic apponere. Princeps Abias, filius Regis Ieroboam, grauiter infirmabatur, pater eum summopere diligebat, eiusque sanitatem desiderabat, videbat eum vehementer angustiari, & ipse non minus premebatur afflictione, quæ eum comitabatur. Scire voluit quem exitum morbus esset habiturus, & an filius suus mori deberet, nec ne. Eapropter Reginæ vxori suæ dixit: *Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris, quod sis vxor Ieroboam, & vade in Silo, vbi est Ahias Propheta, qui locutus est mihi quod regnaturus essem super populum hunc*, vt scilicet intelligeret, an filius mortem esset euasurus. Animaduertit citatus Lyranus, Ieroboamum mandasse Reginæ, vt aliam personam indueret, ad sciendum quod desiderabat. Quod autem inconueniens erat, ad rem quam intendebat, si se Prophetæ cognoscendam præbuisset? Audite responsionem, est enim instituto nostro admodum accommodata. *Quia timebat ne Propheta, si eam agnosceret, negaret* Lyran. hic.

*garet responsum, vel veritatem celaret.* Adeò ipsi quoque Prophetæ, Principes terrenos timere solent, vt veritatem, propter iam dictam inimicitiam quam erga illam habent, ipsis dicere vereantur. Atque etiam animaduersione dignum est, quod maritus eius ad alium Prophetam eam non remiserit, quam Ahiam, qui coronam regni ei prædixerat: quasi eos solos libenter audiret, qui prospera sibi, & læta ac denique ea, quæ palato sapiebant, prædicerent.

5. Fugiebat Dauid filium suum Absalom ab Ierusalem in desertũ, comitabantur eum Sacerdotes, & duxerũt Arcam Domini vsquedum trãsmeandus esset torrens Cedron: quem noluit vt transiret, quin potius iussit vt eam reducerent in ciuitatem, prout cõstat ex verbis, quæ dixit ad Sadoch:
2.Reg.15 *Reportate Arcam Dei in vrbem, si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.* Quærunt Sacri Interpretes, quænam fuerit ratio, propter quam Arcam Domini secum deducere noluerit, cum tamen optima esset defensio, & securrissimum asylum contra inimicos, qui eum persequebantur, & ab ea solatium percipere, & solita miracula sperare potuisset? Qui optimè hanc rem attigit, fuit magnus Theodoretus, qui inter alias hanc rationem assignat, quæ non tantum probat, verum etiam doctrinam, quam prosequimur, & imprimere conamur, multum promouet: *Sanctam Dei legem conculcaui, nolo accusatorem mecum deferre,* inquit Theodoretus nomine Dauidis. *Hinc audio legem dicentem, &c.* In hac arca tabulæ legis sunt, quæ dicit, vt non furor, non occidam, non adulterer, mutis suis vocibus me reprehendit, & furtum, homicidium, ac adulterium quod commisi, mihi in faciem objicit, vadat itaque, per me licet Arca Domini, ab oculis meis auferatur lex, quæ me commonefacit de malo quod perpetraui, pati enim non possim, & ne quidem videre memorias veritatum, quæ tanto mihi constiterunt: *Reportate Arcam in vrbem.* Non videtis, quemadmodum Regi etiam tam bono qualis Dauid, difficile fuerit, peccati sui monitorem secum conferre?

Theod. q. 30. in l. 2. Reg. c. 15.

Dicit scriptura Sacra quod *Ieroboam filius Nabath Ephrathæus seruus Salomonis, leuauit manum contra Regem.* Verum si aduertatur, rebellionis eius causam Sacer Historiographus minimè declarat. Rabbi Salomon, magnæ inter Hebræos auctoritatis, dicit, quod rebellionis eius causa fuerit, *Quod Ieroboam à Rege fuerat in exilium relegatus.* quodnam verò crimen fuerit, de quo eum accusauit? *Quia Ieroboam reprehenderat Salomonẽ, eo quod claudebat locũ illum Mello, quẽ Dauid demiserat apertũ, propter deuotionem venientium in Ierusalem, ac per illum transeuntium, vt patet ex 3. Reg. 9.* Adeò vt licet Salomon Rex esset adeo pacificus, quique tantopere ad subditorum suorum placitum gubernaret, vnum tamen è fortissimis, ac strenuissimis, solùm quia veritatem aliquam ei dicere ausus fuit, in exilium relegarit. Tantâ animi libertate Ieroboam Regi loquitur, itaque extra palatium sese recipiat, ne simile quid iterum audeat. Misera profectò veritas, quæ Principibus semper inimica fuit, quæque magnam cum illis repugnantiam habet. 6.

3. Reg. 11. Rabbi Salom.

Quam animosum sese exhibuit S. Apostolus Petrus, in gloriosa illa, quam de diuinitate Saluatoris fecit, confessione: *Tu es Christus filius Dei viui!* cum se paratum obtulit, pro veritatis illius defensione vitam ex- 7.

Matt. 16.

Luc.22. ponere: *Tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire!* Ille ipse, qui tanto affectu personam suam oppignorauit, mox, vt illa ipsa nocte, in domo Principis Sacerdotum pedem fixit, ancilla quadam de Christo Præceptore eius eum interrogante, respondit: *Non noui hominem.* Quis homo ille est, Apostole sancte, quem nouisse te negas? quærit sanctus Paschasius, & respõdet: Ille qui paulò ante dixit: *Ego sum veritas.* Prosequitur hic sanctus, conclusionem hinc deducens, idem scilicet fuisse Petrum palatium ingredi, & veritatis vultum non agnoscere: *Considerandum est*, inquit, *vbi negat Petrus, non in monte, quo fuit cum Domino, non in templo, non in domo sua, sed in domo Principis Sacerdotum:* & rationem assignat hic Sanctus: *Ibi ergo negat, vbi veritas non est, vbi Christus ligatus est*: quibus probatur id quod in discursu huius considerationis prosecuti sumus, Magnatibus, & Aulæ proceribus semper inuisam fuisse veritatem, propter iam declaratam inimicitiam, quam cum illa habent.

Pasch. lib. 12. in Matth.

8. Notandum est quod de Apollinari Syro in Historia Ecclesiastica Sozomenus refert. Dicit, illum doctissimum librum scripsisse contra Iulianum Apostatam, & Philosophos Gentiles, quorum errorem ille sequebatur, in quo efficacissimis rationibus, ex ipsis naturæ visceribus desumptis, veritatem vnius Dei comprobabat. Legit eum Iulianus, eumque deridens, Catholicis quibusdam Episcopis in hunc modum rescripsit: *Legi, intellexi, improbaui.* Cui illi reposuerunt: *Legisti, sed non intellexisti;* si enim intellexisses, non improbasses. Non intelligebat librum Iulianus, nec fidem ei adhibebat, ideoque eum non admisit, si enim intellexisset, & fidẽ ei adhibuisset, quis dubitet quin eũ admisisset? Quis igitur non obstupescat, & admiretur, quod Principes Christiani verbum Dei, eiusq; veritatem audiãt eamq; intelligant, & credant, sed illam reijciant, nec eam admittere, & in opus deducere velint? Hoc maximè dolendum est, ideoque hæc Redemptoris interrogatio, Pharisæos, præsertim & Principes Sacerdotum, summos eius inimicos perstringit.

Sozom. lib. 5. c. 14 Hist. Eccles.

---

## Nónne benedicimus nos?

### Consideratio V.

*Quod supremum malitiæ sit eò deuenire, vt quis id quod malum est, bonum esse iudicet.*

Malitia Pharisaica ad maximum extremum culpæ, & supremum malitiæ gradum, ad quem in præsenti vita peccator deuenire potest, hodie peruenit, cum præterquam Saluatorem blasphemet, Samaritanum, & incantatorem eum vocans, tam procul absint vt facti eos pœniteat, vt denuo dicta sua rata habeant, & confirment, sibi gratulantes, & certi non tantùm peccare, verum etiam in peccato sibi complacere, quod in ipsum Deum commiserunt. Doctè, ac sapienter discursum hunc tractat Cardinalis Victriacus; & postquam diuersos malitiæ gradus distinxisset, concludit dicens, omnium supremum esse, cum eò deuenit peccator, vt bonum esse iudicet, quod reipsa malum est, eique placeat, quod aduersari debuisset. Ad hoc sententiam Senecæ adducit, Doctori Ecclesiastico 1.

Victriac. serm. 3. Domin. 2. post Pentec.

co dignam. *Quidam ſeruiunt voluptatibus ſuis, non fruuntur: & mala ſua (quod malorum eſt vltimum amant.) Tunc enim conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinet eſſe remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores ſunt.* Quaſi diceret: Nihil de peccatore illo ſperandum eſt, qui eò miſeriæ deuenit, vt peccata ſua amet, & ſapore peccati guſtato, dulce, & ſuaue illud deprehendit. Quamdiu amaritudo quam culpa relinquit, ſi non in voluntate, vt minus in intellectu perdurat, non eſt quod de peccatore deſperemus, ſupereſt enim emendationis ſpes, ſin autem infirmo illi, hic arteriæ pulſus, qui iudex eſt vitæ, deficiat, incurabilem eum exiſtimate.

2. Talem enim iudicauit Sophar, vnus amicorum ſancti Iob, cum ſententioſa
Iob 20. hæc verba protulit: *Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua: Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo.* Lyranus locum hunc explicans: *Loquitur,* inquit, *de peccatore, delectante ſe in peccato ad modum hominis habentis aliquid dulce in ore, qui non ſtatim tranſglutit, ſed diu tenet ſub lingua, vt diutius delectetur.* Talis eſt peccator, cui bene eſt in culpa ſua, quique in malitia ſua contentus viuit. Bona ſine dubio expoſitio, ſed inſtituto noſtro magis propria, & ſignificantior eſt illa docti noſtri Epiſcopi Barbaſtrenſis, qui exiſtimat, quod *ſumpſerit metaphoram Sophar à puella terram ſeu puluerem comedente*; illa verò quia reprehenditur, eique dicitur quod ipſi noceat, ne percipiatur, partem terræ ſub lingua recondit, ne comedere videatur; atque ita illam deguſtat, bonum, & delicias eſſe iudicans, quod certa ei cauſa eſt mortis; talis eſt peccator, tales Phariſæi, & Principes Sacerdotum, non ſolum nullam pœnam eis culpa ſua infligit, nec moleſtia aliqua eos afficit peccatum, quinimo admodum contenti ſunt, nolentes ex ore, & corde mortiferum venenum exijcere, quin potius illud ſuauiter deguſtant: *Nónne benedicimus nos?* certi in cæcitate ſua perſeuerare, perinde ac magnum bonum foret.

Eſt locus aliquis in cap. 10. Oſeæ, 3.
prima fronte intellectu difficilis, quia Oſea 10.
dicit: *Luxit ſuper eum populus eius, & æditui eius ſuper eum exultauerunt:* verum non explicat quidnam illis lachrymas excuſſerit, & his lætitiæ cauſa fuerit: ſed ſi ad commentaria Ruperti Abbatis ſuper hunc locum recurrerimus, optimam in eis explicationem deprehendemus, litteræ magis conformem, & inſtituto noſtro magis accommodatam. Accidit enim (vti hic Pater ex Hebræis refert) vt vitulum aureum, quem Rex Iſraël in Samaria poſuerat, à populo adorandum, Sacerdotes clanculum ſurripuerunt, & alium æneum in locum eius ſuppoſuerunt: populus autem rem hanc tam acriter ſenſit, vt amare fleuerit, Sacerdotes verò qui illum furto abſtulerant, læti fuerint, & hilares, illi quidem propter iniuriam Deo ſuo irrogatam, hi autem, quia furto ſuo, ſe vtilitatem aliquam conſecutos fuiſſe cernebant. Conſiderat autem modò doctus Tuitienſis hos ridentes, illos verò flentes, & ſupponens vtroſque peccaſſe, quærit quodnam fuerit maius peccatum? Et reſpondet, quod ſuo iudicio peccatum Sacerdotum ſine comparatione maius fuerit, quam populi: *Profundius,* inquit, *Barathrum damnationis meritò illuſoribus illis arbitramur deſtinatum.* Rup. hic.

 Et

Et rationem assignat: *Quia populares fortè errando luxerunt: illi autem irridendo, in rebus pessimis exultauerunt.* Malitia enim altius ascendere non potest, quam cum quispiam in malo quod fecit sibi complacet, quasi rem sanctam, & piam peregisset.

4. Quam multis sancti Patres pulchrè disserunt, occasione eius, quod Ozæ accidit, qui iuxta arcam Domini subito occubuit. Rex nota est, quia sæpius pro concione dicta, Arcam Testamenti ex domo Abinadab ad domum Obededom transferre voluit, currui imposita fuit, quem Oza, & Ahio, filij Abinadab, dirigebant. Accidit autem, vt boues, qui currum trahebant, calcitrarint, & Arca casum minata fuerit; Oza verò, eam inclinatam iam videns, extendit manum, vt eam detineret, ne in terram decideret: *Extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam.* Aduertit autem Sacer Textus quod puniuerit eum Deus, & in conspectu Regis, ac populi subita morte eum percusserit: *Et percussit eum Dominus super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta Arcam Dei.* Sacri Interpretes in huius tam seueri supplicij reddenda causa minimè conueniunt. Theodoretus existimat fuisse, quoniam cum humeris suis, prout lex præcipiebat, eam deferre deberent, alienis eam imposuerunt. Sanctus Augustinus dicit, eum, eo quod nimis audax fuit, tam seuerè punitum fuisse, quoniam parua cum reuerentia, & circumspectione Sacram Arcam tetigit. Lyranus censet, eum à Deo occisum fuisse, quoniam Philisthæos Dei inimicos imitari voluit, qui in alio curru iam antea eam deduxerant. Noster denique Cardinalis Caietanus existimat, quod Deus eum castigauerit propter temerarium errorem quem habuit, sibi persuadens, quod si ille Arcam non adiuuasset, quæ casum minabatur, & manu sua eam contigisset, infallibiliter cecidisset, quasi Deus virtutem non habuisset ad eam sustentandam. Ad quatuor hasce sententias reducuntur omnia, quæ in hac materia Doctores dicunt: Ego verò, eorum venia, aliam modò viam ingredi debeo. Atque ita secreta Dei magnalia hic considero, nam vt apparet, Oza Arcæ Domini honorem detulit, nam vnum ex maioribus beneficijs quæ, Dauide teste, Deus iusto exhibet, est, quod si *Ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Atque etiam summum hominis erga Deum seruitium videtur, si Arca (in qua Deus erat) casum minaretur, ille ad eam detinendam manum apponeret. Et tamen licet Oza illud fecerit, Deus tamen tamquam seruitium sibi præstitum illud non admisit, præmium illi attribuens, quin potiùs eum castigans, iniuriam sibi factam demonstrauit. Et quidem, nisi me mea fallat industria, Deus Ozam non puniuit, quia Arcam, licet graue peccatum fuerit, curru deduxit, sed quia malum quod fecereat, tamquam si bonum fuisset sustinere voluit. Id verò quomodo fecit? Quando accessit manu Arcam detenturus, ne in terram concideret. Atque adeò notandum est, scripturam non dicere, quod Deus eum puniuerit, cum currui eam imposuit, sed cum eam in curru detinuit, quasi approbans errorem quem commiserat: *Extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, &c.* Et mox: *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum.* Quamquam humeris suis eam non imponens peccasset, dissimulauit tamen Deus; sed cum eam sustentare voluit,

Marginalia: 2. Reg. 6. — Theodor. q. 20. in 2. Reg. — Aug. lib. 12. de mirab. S. Script. c. 11. — Lyran. hic. — Caiet. ibi. — Psal. 36.

voluit, quasi commissus error res bene acta fuisset, tunc in eum diuina vindicta desæuijt, quia ad summum malitiæ gradum deuenit.

5. Sanctus Hieronymus prudenter aduertit ad parabolam illam Domini illius, qui à seruis suis rationem exacturus venit talentorum, quæ ipsis tradiderat, vt cum illis negotiarentur, quod cum ad eum venisset is, qui vnum acceperat, nec quidquam cum eo lucratus fuerat, loco eius quod Dominum rogasset, vt benigne secum ageret, nouam ei iniuriam irrogauerit,
Matt. 25. & verba contumeliosa dixerit: *Scio quod homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti.* Sanctus Hieronymus: *Qui simpliciter debuit confiteri, & orare patrem familias, è contrario calumniatur, & dicit se prudenti fecisse consilio.* Maior audacia, & impudentior malitia videri non potest, quam peccatoris adeò cæci, qui cum (subductis rationibus accepti debitor deprehensus) diuinam pietatem implorare deberet, summæ bonitatis liberalitatem calumniatur, vel, vt ad rem nostram clarius loquamur, clarè significat, se in eo quod fecerat, bene, & prudenter processisse; hic autem diuina patientia se concitatam ostendit, & videns id quod malum est, bonum censeri, talentum ab eo auferri iussit, quod hucusque non benè impenderat; vt probetur eum qui re aliqua bona male vtitur, non tam mereri vt illa ab eo auferatur, dum id facit, quam postmodum, cum ad tantam impietatem deuenerit, vt cum summum malum perpetrat, rem maximi meriti se operari existimat.

Hieron. hic.

6. Quam insignis fuit reprehensio illa qua Saluator apud S. Matthæum, Scribas, & Pharisæos coarguit, eisque rem aliquam in faciem obiecit, quæ superficietenus considerata, seipsam, Matt. 23 tamquam bonam defendit. *Væ vobis,* inquit, *qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non communicaremus secum in sanguine Prophetarum.* S. Ioannes Chrysostomus, in hac re sese implicatum videt, cum cernit, & audit reprehendentem Christum, & plorantem condemnando opera, in speciem, tam bona, & in Ecclesia catholica Fidelium erga defunctos pietatem indicantia. Atque adeo dicit, ad pharisaicam intentionem recurrendum, quæ peruersa erat, licet religiosæ pietatis velo obuoluta: *Non enim,* inquit, *vt honorarent occisos, sed vt cæde illorum vires suorum ostenderent; timentes ne si vetustate sepulchra caderent, tanti facinoris, ac audaciæ memoria caderet.* Maius namque odium ostendebant, gloriantes iustos occisos esse, quam si illos ipsos ipsimet occiderent, cum indicarent tam procul se abesse, vt facti illos pœniteret, vt etiam facti memoria, tamquam re bene acta delectarentur.

Chrysost. hom. 75. in Matt.

7. Apostolus loquens de peccatoribus, qui in turpitudinibus suis sibi complacent, & cæcitati suæ addicti, in miserijs, & inter compedes contenti, ferreas catenas per terram hilares reptant, dicit: *Voluntariè enim peccantibus iam non relinquitur hostia pro peccatis: Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Mirabilis exaggeratio, Apostoli calamo digna! Sed doctrinam hanc audienti dubium mihi occurrit. Quæro, potestne inuoluntariè peccari? Nequaquam. Est hæc veritas in Theologia iamdudũ recepta, fundata in doctrina S. Augustini, quia *Ideo peccatum est, quia voluntarium.* Quomodo Aug. de peccat.

Ad Hebr. 10.

verò

*Merit. & remis.* verò dicit, quod voluntariè peccantibus non relinquatur hostia pro peccato? Ad hoc dubium respondet sanctus *Thom. hic. Lect. 3.* Thomas, is enim solus dissoluere illud potest: *Voluntariè peccantibus, id est, in voluntate peccandi permanentibus, Prouerb. 2. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quasi diceret Angelicus Doctor: quod peccatores, quos dulcis passionum suarum violentia allicit, eisque dominatur, & licet dum peccant, voluntas in peccatum consentiat, ægrè tamen adducitur, eique displicet, & maximè quoque lenocinantes delicias aduersatur, vt infirmitate magis, quam voluntate peccare videantur, illi sint de quibus *Rom. 7.* idem Apostolus dixit: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum illud ago.* Illi autem non sunt de quibus modò dicit quod voluntariè peccent, talibus namque passio Christi vtilis est, atque in ea hostiam habent, quam pro peccatis suis offerant; facilè enim conuertuntur, & benè monenti auscultant: alij verò sunt, in peccatis suis ita cōquiescentes, miserabili sua sorte ita contenti, & adeò profligatæ vitæ, vt ad peccati executionem non solùm voluntas concurrat, verum etiam eo transacto, gaudeant quod peccatores se agnoscant, instar Pharisæorum, & Principum Sacerdotum: *Nónne benedicimus nos?* Hi sunt qui voluntariè peccant, ideoque per participium præsentis temporis, quod actionem significat, illud expressit: affectus peccandi, & iniqua desideria, ac maligna opera ad finem perducendi semper adest, inquit sanctus Thomas; his passio Christi non suffragatur, licet enim pro omnibus sufficiens sit, tamen illis dumtaxat, quos peccati pœnitet, vtilis est: *Tho. cit.* *Quia illis dimittuntur peccata, qui de ipsis pœnitent,* concludit sanctus Doctor. Hi longè ab Euangelio aberant, vt virtus, & officia sanguinis Christi eis prodesset, cum tantam peccati sui complacentiam demonstrarent: *Nónne.*

8. Cùm autem à Cardinali Victriaco discursum hunc inchoauerimus, cum eiusdem quoque doctrina coronidem ei imponamus. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana,* inquit idem sanctus Paulus scribens ad Corinthios. *1. Corint. 10.* An verò, inquit hic Doctor, tentationes diabolicæ sint, & humanæ? Certò quidem. Quodque Apostolus eis insinuat, consulit, & persuadet, est, vt si (supposita fragilitate humana) peccēt, tamquam homines, & non tamquam dæmones peccent. Quænam autem est tentatio, vel peccatum humanum, & quodnam diabolicum? *Tentatio autem non humana, sed præsumptio diabolica est, cum aliquis errorem suum pertinaciter defendit, sicut hæretici, & schismatici.* *Victr. serm. 2. Dom. 9. post octo. Pētecost.* Atque adeò tentatio humana erit, cum qui peccauit culpam suam agnoscit, & se illud commisisse dolet. Secundùm hæc, Iudæi non instar hominum, sed dæmonum aut filiorum dæmonis, peccabant; sic enim Saluator eos hodie appellauit: *Vos ex patre diabolo estis.* Tam fortiter enim iniquitati suæ affixi sunt, sicut diabolus suæ: nam immobiliter eos comprehendit. Et sicut Redemptoris passio illi non profuit, ita & illis minimè proderit: cum lætentur cum malè fecerint, & exultent in rebus pessimis: & adeò insolentes sint, vt cum summas iniurias Christo inferant, secum statuant, sese in omnibus bene operari. *Nónne.*

Sama-

*Samaritanus es tu, & dæmonium habes.*

## Consideratio VI.

*Quòd virum honestum magis offendant verba quàm lapides, & justus maledicentis ictum linguæ magis, quàm stringentis aciem gladii sentiat.*

1. CONsideravi aliquandò summas injurias, & contumelias, quibus Iudæi Christum Dominum nostrum affecerunt, linguæ fuisse; modò comestorem, & potatorem vocant, modò amicum & socium peccatorum, modò Samaritanum, modò Dæmonium habentem; rarò verò manus ei injicere voluerunt. Alii alias rationes assignabunt; mihi verò hæc sese offert; illos hoc fecisse, judicantes, quòd linguâ injuriis eum lacessentes, animum ejus magis affligerent & excruciarent; & non fallebantur, nam in iis qui honoris sui studiosi sunt, seque, quia tales sunt, æstimant, non est dolor similis illi, quem inepta & contumeliosa verba excitare solent, & viro honesto majorem pœnam, & dolorem inferunt vulnera linguæ, quàm ipsæ manus inferre soleant.

2. *Palm, 118.* *Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.* Est oratio Davidis ad Deum, ad quam reflexit S. Ambrosius; & notat, quod videatur David timere calumniatores, cùm Deum roget ab iis liberari, ut divina ejus præcepta custodire queat. An ea observare non potuisset, circa eos se constitutum videns? Potuisset quidem (inquit *Ambros. Serm. 17.* magnus Mediolanensis) sed non sine magnâ difficultate: *Qui enim opprimitur calumnia, non facilè potest custodire mandata divina, tristitiæ necesse est plerumque, aut timori cedat.* David, qui se gigantibus oppositum vidit, qui inimicorum exercitus profligavit, calumniantes timet. Iusti inimicorum lanceas ac tela, & æmulorum suorum pravas voluntates perrumpunt; verùm ad calumniam aliquam & falsum testimoniũ aliquando trepidant, & plus timere facit eos mala lingua, quàm acuta lancea; hæc enim ipsum corpus, illa verò animam excruciat. Tanti est malevolorum contumelias æquo animo perferre, ut idem sanctus Ambrosius considerans tormenta passionis Domini (quam Ecclesia nobis hodie ob oculos ponit) triumphi nomen, non patientiæ, quam in flagellis, & tormentis habuit, attribuerit, sed tolerantiæ, quâ acutas lanceas ignominiosarum contumeliarum pertulit, quibus maledicentes Iudæorum linguæ honorem ejus læserunt, & fidem ejus labefactare conati sunt: *Dominus quæ sua sunt, graviora suscepit, & calumniis appetitus, silentium detulit triumphale. Calumnia enim viro prudenti & justo eò gravior est, quia quæ piè gesta sunt decolorat*; non quia ille magis deprimitur, & humiliatur, sed virtus injuriâ afficitur. Personam aliquam, quæ pia & sancta ab omnibus habetur, ut peccatricem traducere, hominibus occasionem præbet cogitandi, in multis, quos pios, & sanctos æstimat, se decipi, quo quidem virtus deprimitur & vilescit. Iusti non tam tormenta sentiunt, quàm in illis glorientur; lugent verò cùm immeritò & falsò virtutem contemni, ac vituperari vident; & malæ linguæ ictus, ipsis sunt maximè intolerabiles. *Ambros.*

Maledicentis lingua ignis est infernalis, qui omnia absumit, & nulli parcit. Quærunt sacri Interpretes, quare 3.

Deus populum suum castigare volens, in carnifices assumpserit ignitos serpentes? *Misit ignitos serpentes.* Serpentes hi, quasi igneæ fuissent naturæ, exiliebant, & scintillas emittebant, & morsu suo adurebant, & venenum, instar ignis, evomebant, quod eum, qui morsus erat, absumebat, & furientem ac rabidum perimebat. Doctores diversimodè respondent; sed noster famosus Lusitanus Oleaster, nostro instituto admodum accommodatè: *Optimè pœna perpetratæ respondet culpæ, mordet detractor veluti serpens in abscondito, eum, cui detrahit, & quasi ignis devorat famam ejus: quare Dominus in eum immittit ignitos serpentes, quia carnem mordeant, & præcordia incendant.* Supplicium, culpæ suæ proportionatum: erat enim peccatum illorum murmurantis linguæ, nam contra Moysen, & Aaron, atque etiam contra ipsum Deum murmurârunt: *Murmuravit populus contra Dominum.* Lingua maledica, serpens est adurens, & absumens, sagitta est, ut mox dicemus, cum carbonibus, & igne emissa; ejus itaque supplicium sint morsus absumentes serpentium ignitorum, ita ut eorum veneno nullum remedium supersit.

*Num. 21.*

*Oleaster hic.*

*Sap. 11.*

3. Et ne nimia hæc vobis exaggeratio videatur; qui enim ex æquo judicant, malæ linguæ vulnera, majus supplicium esse existimant, quàm omnes mortes, & tormenta, gravius multò quàm omnes lapides, & cultros, & quælibet mortis genera. Nescio an curiosi reflexerint ad quæstionem illam, quam Regius Propheta Psalmo 119. proponit: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Et sequenti versu respondet: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Non sufficeret Davidi dicere quod esset sagitta una, sed sagittæ in plurali, & lingua in singulari? Haud equidem capio; nec Interpretem inveni, qui ad id expressè reflexerit: verùm (si meum me non fallat judicium) ratio propter quam David unam dumtaxat linguam plures acutas sagittas appellaverit, & omnes potenti brachio excussas, quæque ipsa ossa penetrare possent: *Sagittæ potentis acutæ,* fuit, quia una sola sagitta non posset uno ictu plus, quàm unum solum hominem occidere: mala lingua autem vix verbum profert, quin uno ictu plures configat. Verùm Regius Propheta hoc non contentus, adjecit: *Cum carbonibus desolatoriis;* id est, quòd lingua maledica sit multi carbones; & idem est ac dicere, quòd nulli damno parcat. Exemplo mentem ejus explicabo: cùm dicere volumus bellum aliquod civile nemini parcendo, & omnis generis damna inferendo, gerendum, dicere solemus, sanguine, & igni illud conficiendum, sub duobus hisce generibus mortis, quotquot inimico alicui inferri possunt, comprehendendo. David itaque, ad quæstionem suam respondens, & malum, quod lingua maledica efficit, declarans, dicit: *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Quasi diceret: Si sagittis proprium sit sanguinem elicere, & carbones materiam sibi vicinam incendant; lingua maledica, non unum solum bellum est, sed mille, quæ sanguine, & igni confecta, in una solùm lingua describuntur, & in ea quotquot mortis genera mundus habet, comprehenduntur: atque adeò mirandum non est, quòd plus quàm omnia vitæ hujus tormenta, ictus ejus justus sentiat. Et quidem ad hoc probandum sufficiebat difficultas, quà illi evitantur & eliduntur, quodque illi incurabiles quoque sint, sicuti prudenter dixit sanctus Valerianus: *Nihil est sævius, nihil violentius*

*Psal. 119.*

*Valer. Homil. 5. de oris insel.*

*lentius amaris, asperisque sermonibus, quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cœlum volantis, facilè scuti objectione contemnis: verborum verò jactus nec revocari potest, nec prohiberi, multo enim velociores sagittis sunt.*

4. Egregia est ad hoc institutum sententia illa Spiritus Sancti in Ecclesiastico, malæ linguæ tyrannidem declarantis, & quomodo furiosam & rabidam honoris, ac famæ mortem conciliet: *Mors illius,* inquit, *mors nequißima, & utilis potius infernus, quàm illa.* Potuissemus quidem sententiam hanc de mala lingua, cum inferno damnatorum loco comparata, explicare, & dicere, quòd infernus minus malum sit quàm illa, quia ille malos excruciat, mala autem lingua ne bonis quidem parcit. Verùm doctus noster Episcopus Barbastrensis, per infernum sepulchrum intelligit, & sensus est, quòd multi *Satius ducant mori quàm vivere,* & malæ linguæ sævitiam experiri. Quot homines, inquit ille, vitam finierunt, propter ea quæ de ipsis dicta fuerant, satius ducentes mori, quàm cum injuria, quâ mala lingua eos affecerat, vivere.

*Eccles. 28.*

*Barbast. Hom. 22. §. 9.*

5. Insatiabilis erat sitis, qua Redemptor mundi amore nostri patiendi premebatur; numquàm satis tormentorum sustinuit, quandoquidem postquàm alapas, salivam, flagella, spinas, clavos, fel, & acetum, & alia plura pertulisset, cum dixisse videamus: *Sitio.* Illa verò plurimorum Patrum sententia, quam, ut satis notam, non refero, non sitis aquæ, nec vini erat, sed amplius pro hominibus patiendi. Ille idem verò, qui numquàm tormentis satiatus fuit antequàm moreretur, desideria sua completa videre debuit, & ad satietatem pati, ut adimpleretur quod de illo dictum fuerat; *Saturabitur opprobriis.* Si indagare voluerimus quando vaticinium hoc adimpletum fuerit, deprehendemus tum demum completum fuisse, cùm maledicæ linguæ summas in eum contumelias conjecerunt. Tum denique Salvatori satisfactum fuit, & ejus patientia maximè enituit. Theophilus pater antiquus id advertit, expendens ultimum, quod Salvator passus est, contumelias & opprobria fuisse, quibus eum, cruci jam affixum, affecerunt: *Prætereuntes blasphemabant eum: similiter & Principes Sacerdotum illudentes ei; idipsum autem & latrones, qui cum ipso erant, improperabant ei.* Verba autem Theophili sunt sequentia: *Ad extremum ita traduxit, ut maledictus haberetur, quippe pendens in ligno. Quin & improborum more omne genus blasphemiæ, maledicentiæ, & injuriæ in ipsum exprompsit: hanc ego tentationem positam in verbis duris, & asperis superatu tanto difficiliorem arbitror quàm priorem. Non enim hanc in postremum locum reservâsset, nisi potentiorem esse probè novisset.* Quasi diceret: De industria summam patiendi occasionem usque ad ultimam vitæ periodum reservavit, atque ita desideria ejus aliqua ratione satiata sunt, quique ei maledicebant, satietatem ei attulerunt: Clavi, spinæ, & flagella ad hoc non sufficiebant, malæ linguæ ei dumtaxat satisfacere potuerunt, in illis enim omnia martyria, & tormenta simul juncta erant. Adeò, ut nostro loquendi modo, divina patientia tum demum completa & perfecta fuerit, cùm inimici Christi, venenatæ suæ linguæ sagittas in eum emiserunt. Adeò, ut hinc deducamus, nullum esse genus mortis, quod maledica lingua non operetur, nec martyrium quantumvis crudele, quod in eum, vel eos, de quibus loquitur, non exequatur.

*Ioan. 19.*

*Valer. Homil. 5. de oris insel.*

*Thren. 3.*

*Matth. 27.*

*Theoph. Orat. de Cruce, apud Gretser. tom. 2.*

6. Ponderavit magnus Origenes verba illa sancti Simeonis: *Ecce positus est hic in ruinam, &c. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius:* Duæ enim animæ Filii & Matris adeo unitæ erant, ut una anima in duobus corporibus esse viderentur. Verùm difficultas hujus loci in eo consistit, quomodo fieri potuerit, ut Virginis animam gladius pertransierit, cùm nec in Euangelio, nec antiquis historiis legamus eam martyrium aliquod subiisse. Quis igitur gladius ille est adeò cruentus, qui Mariæ animam penetrat, eamque tam acerbè, & inhumaniter excruciat? Sancti Patres variè respondent; Origenes verò ad hoc institutum admodum accommodatè: *Nulla docet historia, beatam Virginem ex hac vita gladii occisione migrâsse, præsertim cùm non anima, sed corpus soleat interfici: unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur: Et gladius in labiis eorum.* Cruentus itaque gladius, qui Virginis animam tam crudeliter confodit, mordaces perversorum Iudæorum linguæ sunt, quæ eo ipso, quo Filium injuriâ affecerunt, Matri quoque non pepercerunt, & ita crudelissimum Martyrium, quale est linguæ maledicæ, ambo subierunt.

Luc. 2.

Origen. in Caten. D. Thom.

7. Discursui huic coronidem imponat insignis cogitatio Druthmari Christiani, Patris antiqui, explicans locum illum Sancti Matthæi, cum Scribæ & Pharisæi ad Christum venerunt, quærentes ab eo: *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lavant manus, cum panem manducant?* Gravia quædam, & docta verba dixit: *Pulchrè Discipulos tyrannorum tormentis cruciandos, maledicentium prius linguis exponit.* Quasi diceret: Redemptor mundi sacros suos Discipulos in Martyres suos eligebat, utque in defensionem & protestationem fidei, tyrannorum crudelitati vitam exponerent: *In Synagogis suis flagellabunt vos, & antè Reges & Præsides ducemini.* Idque non uno, sed diverso tormentorum genere, ignis, aquæ, sanguinis, & omnibus aliis quotquot excogitare possent. Vt autem tormenta & martyria eos pati doceret, murmurantium & maledicentium linguis eos probat, quasi eis dicens, quod, ad sævitiam tyrannorum perferendam, eos in tolerantia linguæ obtrectantium, quasi in majori ad minus, exerceret: nullum enim adeo crudele, & horrendum tormentum est, quale ejusmodi aliqua lingua inferre potest; & fortassis hæc est ratio, propter quam Sancta Ecclesia, Dominicam Passionis, præsentem vocet, licèt illa, non nisi in Dominica Palmarum decantetur, quasi nos instruens, & docens, Salvatorem Mundi duas passiones, unam spinarum, flagellorum, clavorum, & crucis, aliam verò calumniarum, opprobriorum, contumeliarum, & injuriarum habuisse: & quoniam hæc acerbissima fuit, & de ea Euangelium agit, dicens, quod Iudæi dixerint Christo: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes:* propterea de ea dicitur, quòd sit Dominica Passionis, in confirmationem ejus quod in hac Consideratione diximus; nimirum quòd virum honestum magis verba quàm lapidum jactus affligant, & justus plus maledicentis linguæ ictus, quàm scindentis gladii vulnera sentiat; idque in hac re pessimum est, quòd nullum in hac præsenti vitâ asylum sit, ad quod confugere justi possint, ut maledicas linguas evadant; solummodò in futura securi erunt: *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum;* dicit Regius Propheta cum Deo loquens: in terra enim nullum contra illas munimen reperitur. Deum itaque rogemus, ut

Matth. 15.

Druthmar. hic.

Matth. 10.

ut gratiam suam nobis impartiri dignetur, ut eas hic in terris sufferamus; hæc enim securissima est via, ut in cœlo ab illis securi simus, & æternâ gloriâ perfruamur. *Amen.*

# TRACTATVS XVI.
## AD SEXTVM DIEM MERCVRII QUADRAGESIMÆ.

*Facta sunt encœnia in Ierosolymis.* Ioan. 10.

D. Ioannes Apostolus, sacerque Historiographus, describit nobis c. 10. Euangelii sui, qualiter Redemptore nostro Filio Dei ambulante in porticu Salomonis ad introitum Templi Hierosolymitani, eâ tempestate qua celebrabatur dies festus encæniorum (intellige renovationis insignium aulæorum, & imaginum, quas Iudas Machabæus in restauratione Templi, reclamante, dentesque mordente, barbararum nationum invidiâ mandavit appendi) Scribæ, ac Pharisæi ad eum accesserint, circumdederint, mediumque statuerint, ne fortè manibus eorum elaberetur. Erant illi Salvatoris nostri capitales ac perfidi inimici. Et velut avidi sciendi quisnam esset, interrogant: Quousque animam nostram tollis, crucias, & suspendis? Si tu es Christus dic nobis palàm. Larvam tibi tolle, clarè nobis eloquere, & quisnam sis nobis manifesta. Defectus in eo non sistit (respondit Christus, animum eorum prænoscens perversum, & sinistram calumniandi eum intentionem) sed in vobis: crebrò namque vobis illud verbis operibusque dixi, sed ejus non multis reminisci, illudque credere, quod ipsâ luce meridianâ est multò clarius. Hoc omninò certum est quod non credatis; quia mei non estis, neque inter oves gregis mei numeramini, nec doctrinæ meæ sectatores vos agnosco; qui verò tales sunt, libenter me audiunt, vestigia mea hilares sequuntur: atque in hoc vitæ illorum & salutis summa consistit. Pater meus eos defendit, & ego quoque: Patris enim, meaque opera eadem sunt; ego namque & Pater unum sumus, hoc est, una essentia, unum esse, & divinum posse. Vix talem loquendi modum audierant; & ecce lapides arripiunt, eum occisuri. A furore detinuit eos Dominus, percunctatus, ob quæ multa bonaque opera à se illis exhibita necem ejus intenderent? Non bona, inquiunt, opera in te punimus, sed blasphemiam: & quia tu homo cùm sis, facis te æqualem Deo. Salvator autem ex ipsis Scripturis possibilem probat suam divinitatem, assumpto argumento, quod Scholastici nominant à minori ad majus: illis inferens, quòd si David etiam omnes (propter familiarem cum Deo communicationem) appellet Deos: cur in illo calumniarentur, qui signatus à Deo venit in mun-

dum, titulum quem in aliis notabant, & ipse prodigiosis tot actionibus confirmaverat? Oculos (monet) in opera mea reflectite: illa quippe securissimum dant de me quis sim testimonium. Rationibus ejus irrefragabilibus, nec verbo respondent: sed manus illi parant injicere & capere, verùmtamen non potuerunt, quia hoc illis Christus in se facere non permisit. Hæc est S. Euangelii paraphrasis, ad cujus ulteriorem expositionem necessariam nobis Dei gratiam patrocinio SS. Virginis imploremus: *Ave Maria.*

---

*Facta sunt encænia in Hierosolymis.*

## Consideratio I.

*Encænia materialis Templi Hierusalem symbolum præferunt Renovationis, quam animæ suæ Christianum oportet facere.*

1. THeophylactus unus ex antiquis Patribus votivam hanc expendens solemnitatem, quam annuatim Hierosolymis celebrabant Iudæi purificationis Templi, à sceleratissimo Rege Antiocho profanati: prout ex lib. 1. Machabæorum constat, diligenter attendit, quòdque notatu dignum est, nomen illud, quo S. Eloquium solemnitatem hanc inscribit, hoc est, *Encænia*, seu *Initialia*, ut dicit Cajetanus, nomen est Græcum, denotans Renovationem. Et confestim oculos conjicit in locum illum D. Pauli, ubi primitivæ Ecclesiæ fideles, quos de salute suâ erudiebat, Templum Dei cognominat: *Vos estis Templum Dei.* Et materiali Hierosolymitano conferens animarum nostrarum spirituale, subjungit: *Satagas tu quoque spirituales encænias tui Templi celebrare, semper renovando teipsum, & ascensiones in corde tuo disponens.* Cortici litteræ discursûs Christiani non inhæreat, sed sursum ascendat fidelis cogitatio, & nequaquàm in facto, sed per hoc denotato pedem figat: atque de renovatione templi materialis spiritualem eliciat renovationem, quam in spirituali nostro Templo par est nos facere, fracturas instaurando, quas hæc caro nostra quotidie procurare satagit in anima importunis suis malisque petitionibus. Vt autem conspicuum sit eum solos non alloqui peccatores, & animam inveteratam, malâque peccandi consuetudine corruptam, esse renovandam; notandum, quod sicut illa renovatio fiebat in Hierusalem, hoc est, visione pacis, ita hanc quoque facere convenit viris spiritualibus, rerumque cælestium contemplationi maxime consecratis: etenim in hâc præsenti vita nullam mihi dederis animam quantumvis bonam & sanctam, quæ hâc non egeat renovatione; non segniter se habens in salutis suæ negotio, sed continuò in virtutum exercitio magis ac magis proficiens.

2. Valde notanda venit instantia, quâ David à Deo postulat ad novam reduci figuram, refundi sibi darique cor novum & spiritum novum: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Verbum *innova* ne prætereas: hoc est, spiritum novum largire mihi, ardensque cor. Communis sententiæ hujus expositio mentem Davidis ita declarat. Tempus aliquando fuit, ô Domine, quô salutem meam optime dirigebam, sed nunc omnia lugeo mutata, spiritum meum olim bonum, nunc inveteratum & languidum: bonum illum in me, quem solebam, non invenio spiritum, illum mihi

*Margin notes:* 1. Machabaor. 4. — L. 12. Antiquit. c. 11. Cajetan. hic. — 2. Cor. 6. — Theoph. in Catenâ D. Thomæ — Psal. 50.

mihi infunde, meque ad bonum illud, quod oculis meis evanuit, deducito. Largire mihi spiritum, quo nullam ob rem deflectam, atque à recto salutis tramite delirem. Et quantum sapio, supponit nihilominùs, quód David vitæ integritatem non haberet, quam prius, nec eam in virtute, quam optabat, constantiam. Porro D. Gregor. Nazianzenus contrarium opinatus est, nimirùm dum hæc David à Deo flagitaret, puram modò mundamq; gereret in actionibus suis conscientiam, verè de peccato contritus esset, & in via virtutis admodum progressus: *Quin divinus quoque David cor mundum in se creari, ac spiritum rectum in suis visceribus innovari postulat: non quòd non habeat (quis enim habere possit, si tantus vir eo careat?) sed quòd pro novo id ducat, quod nunc quotidie accrescit.* Quocirca hoc à Deo poscebat David, ut desideriis suis satisfaceret, quoad encænias & quotidianam templi sui renovationem, circà spiritus sui profectum & virtutis incrementum, ut hoc modo divinæ placeret Majestati.

3. Cant. 1. Quam insigne munus offerebat olim Sponsa dilecto suo Sponso! *Lectulus noster floridus.* Vtinam scires, ô dilecte mi, quàm placidum, gratum, floridum, mollemque habeam lectulum! Qualis illa domus, in quâ hospes exciperis; quàm eleganter ornata! Nihil aliud est quàm lectulus floribus respersus. Audit illam loquentem D. Bernardus, verbaque quædam profert, quæ singula flores sunt: *Quòd si lectulus respersus floribus, conscientia est referta bonis operibus; vides certè, ut similitudo servetur, nequaquàm sufficere semel aut secundò operari quod bonum est, nisi incessanter addas nova prioribus.* Cujus hanc addit rationem: *Alioquin jacet & marcescit flos boni operis: atque in brevi omnis ex eo nitor exterminatur & vigor, si non aliis atque aliis superjectis pietatis actibus continuò reparetur.* Quasi dicat: Quemadmodùm lectulus florum, seu lecti flores marcescunt, & pulchritudinem suam amittunt, si novis non instaurentur: sic & anima virtutibus ornata (lectulus Dei hic est spiritualis) si nova sibi non acquirat merita, floribus se reformans, & continuò aliis virtutum actibus renovans, splendorem suum amittit & nitorem: obscura redditur & incapax quæ templum sit Deique habitaculum: hic enim non nisi in domo nova, vel renovata placide requiescit.

D. Bern. Serm. 47. in Cant.

Rem notat D. Bernardus ingenio suo ac prudentiæ plane congruam. Deserta peragrabat Vates Elias, profugus à facie & tyrannide Reginæ Iezabel, ad arboris radicem, itineris labore fractus, requiescit; aitque inter alia hoc ipse Deo: *Neque melior sum quàm patres mei.* 3. Reg. 19.
Perpendit D. Bernardus ab Elia non dictum, Nolo melior esse patribus meis, sed *Melior non sum quàm patres mei.* D. Bern. Epist. 91.
*Quamquàm sanctus Elias, non sum, inquit, melior, quàm patres mei; & non dixit, se nolle patribus esse meliorem.* Quòd dixerit: Melior non sum patribus meis antiquis, humilitatem sapit: etenim manifestum est, quòd plures eorum excederet: porrò si dixisset, nolo ipsis esse melior, imperfectionem suam prodidisset: significâsset enim eam quam habebat bonitatẽ sibi satis esse, & non aliam velle virtutẽ, præter eam, quam sibi hactenus cõparaverat, nec in perfectione provectiorem se desiderare: hoc autem servo Dei omninò non quadrabat, sed ut semper nova sibi merita lucraretur, & virtutis renovaret exercitium, animam suam novis adornans floribus, novisque renovans sanctimoniæ pietatisque operibus, ut Deus ad

eam venire dignetur, atque in cœlum erigere empyrium.

5. Nec obstat quòd Elias tunc senex esset, tamque virtute quàm annis antiquus: etenim in Dei famulatu semper de novo incipiat, qui ad perfectionis gradum adspirat. Conveniens est intentioni nostræ sententia Prophetæ Zachariæ, quam Cardinalis à Vitriaco perpendit: *Adhuc habitabunt senes & anus in plateis Hierusalem, & viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis ejus.* Novi sensum litteralem hujus loci loqui de restitutione Hierusalem, quam Deus promittit ad priorem floridamque reducere dignitatem, totque reperiendos senes & decrepitos, ac pueros & infantulos. Porro Doctor hic illum exponit proposito nostro convenienter in sensu spirituali, aitque, alios in Ecclesia Dei non futuros seniores, alios autem juniores: sed eosdem futuros & senes & juvenes: quamvis enim multam ætatem in statu virtutis peregerint, atque ad senium pervenerint, tunc tamen incipient ita Deum amare, illique servire, ac si vivere nunc inciperent, seipsos in Dei famulatu ita renovantes, ac si usque modo boni nihil egissent, nec ulla virtutum merita sibi comparâssent: *In plateis Hierusalem, id est in latitudine charitatis habitant senes maturi & graves. Baculus autem correctionis debet esse in manu talis senis, qui nullos habet dies virtutum. Plateæ autem civitatis Ecclesiæ implentur infantibus illis, de quibus dicitur: Quasi modò geniti infantes: & puellis ludentibus, quæ sunt animæ incorruptæ, à peccato steriles, cum gaudio mentis bene operantes.* Tantâ voluptate, tantoque mentis ardore Deo famulari incipient illi, qui jam esse poterant jubilarii, ac si de novo discerent rudimenta virtutum. Notandum autem hoc futurum in Hierusalem; idem enim est ac in Templo Domini encænia celebrare: *Adhuc habitabant senes & anus in plateis Hierusalem. Facta sunt encænia in Ierosolymis.*

Zach. 8.

Vitriac. Serm. I. Dom. 25. post Pentec.

Loquitur Euangelicus Vates de justis sub lege gratiæ, aitque de illis: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas ut aquilæ, current, & non laborabunt.* D. Cyrillus hujus metaphoræ Propheticæ interpres, modum notat, quo Aquila renovatur, cujus etiam meminit D. Basilius; hic autem talis est: Quando se sentit senescentem & gravem, volatum in Solem rectà dirigit, alas concutit, atque ex illa angustia calore fervescit, ac continuò se in lacum aquarum demittit: frigus per poros subintrat, atque ita nullo negotio veteres elicit pennas, novasque acquirit. Hoc idem igitur eveniet fidelibus, piisque Christianis, inquit Isaias, quod ita declarat D. Cyrillus: *Renovabuntur igitur sicut aquilæ: prompti enim & instar juvenum, alacres vias conficiunt divinæ pietatis, dante illis Christo quæ ad vitam suppeditant.* 6.

Isa. 40.

D. Basil. in Hexamet.

D. Cyrill. Alex. ibi.

Subtiliter more suo explicat D. P. Chrysologus resolutionem quam fecit prodigus ille filius, vitæ male actæ pœnitens, & juventutis levitatum pertæsus, ædes paternas repetendi, patremque orandi: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis:* Quasi dicat: Pater mi, adsum proponens me totũ tuæ subjicere voluntati, & cùm te adeò graviter offenderim, in omnibus factus inobediens, volo nunc tibi non filius, sed servire mercenarius; hunc autem locum mihi in domo tuâ, obsecro, concedas. Petitionem hanc enucleat D. P. Chrysologus; cùm enim filius esset, locum eligit, statumque famuli: aitque hoc non vacare mysterio. Quodnam illud? Intelli- 7.

Luc. 15.

*Chrysol. serm. 2 de filio prod.* telligite; *Vt locatione annua servitus innovetur, ut labori jugi conditio conducta deferatur.* Mercenarius (si notemus) cum Domino suo convenit sive per menses, sive per annos: ita ut ad finem mensium vel anni pactum renovet, novamque Domino suo promittat obedientiam. Hoc igitur in votis pœnitens habebat filius, ita nimirum Patri suo Deo deservire, ut perfecti servi illius personam indueret, initum sæpe fædus renovans, seque in virtutis exercitio reformans: hoc autem est ut verum decet justum, in templo animæ suæ encænia celebrare.

8. Dum divinus ille Præceptor in ultima Cœna dilectis discipulis suis mysticam illam haberet concionem, inter alia præcepta, dilectionis potissimum eis præceptum imposuit. Notat verò subtiliter Origenes, præceptum hoc amoris à Domino appellari novum. *Ioan. 13.* *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Legem amoris vocat Christus novam. Sed qua veritate nova dicitur, si lex sit adeo antiqua, quam tempore Moysi Deus populo suo præscripsit? Si noviter esset instituta, concederem utique: sed tantorum annorum, imo sæculorum, quomodò vocari possit lex nova, non capio. Dicit tamen Origenes, & meo judicio tangit mysterium: *Orig. hom. 9 in Num.* *Mandatum novum do vobis. Cùm utique sciret olim datum esse mandatum in lege: sed quoniam charitas numquam cadit, nec mandatum charitatis unquam veterascit, hoc quod numquam veterascit, semper novum esse pronuntiat. Semper enim observantes, & custodientes in se charitatis mandatum, novos reddit in spiritu.* Quasi dicat: Nō vocat Salvator noster illud præceptum novum amoris quod dedit Discipulis, quasi tunc illis tantum imponeret, cùm multis annorum centuriis illud Hebræis injunxisset; sed sublimius quid intendit: illis nimirum verbis Christus effectum docuit, quem lex illa dilectionis in fidelibus eam observantibus operaretur: hunc scilicet, ut quantumlibet ferventer invicem diligerent, numquam tamen ab amando defervescerent: quia charitas non excidit, semper fixa semperque constans perseverat. Et qui ex toto corde Deum in proximo suo diligit, cùm multo tempore illum dilexerit, cum tamen spiritu adeo ferventi, magnoque prosequitur affectu, ac si dilectionis tantummodo tyrocinium inchoaret.

Hoc autem dicimus fieri in terra divinam voluntatem, sicut in cælo: quod 9.
Dominus noster nobis ab æterno Patre postulandum imposuit: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* *Matth. 6.* Scire lubet qualiter cœlestes aulici Deo concinant laudes. D. Ioan. in Apocal. hoc expressit: *Cantabant canticum novum*, in gloriam & honorem Dei sui. *Apoc. 14.* Advertit Cardin. Vitriac. ab Euangelista dici Canticum novum, à beatissimis illis spiritibus Deo persolutum. Quî fieri potest hoc, cùm cœli Cantica semper sint eadem: & quotiescumque S. Pagina illius meminit, non aliam proferat litteram, quam *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Nec ibi sunt Phonasci, qui novos componant in musica tonos, ut frequenter hîc fit, non tantum ad promovendum Dei honorem, quàm auribus gratificandum. Quâ igitur ratione dilectus ille Discipulus tonos illos cantica nova appellat: *Canticum novum?* Nodum dissolvit doctissimus Vitriacus: *In ejus laude semper recētes erunt.* *Vitriac. serm. 1. Dom. 4. Quadr.* Semper fuit beatorum spirituum musica: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* & cum illam ab eo tempore cecinerint, quo Deo frui cœperunt, profectò valdè antiqua est,

est, & nihilominus nova est: quia numquam ab ea decantanda fatigantur: imo verò tantâ eam eminentia, tantâque voluptate Deo suo concinunt, ac si hodie tantum plectra tangere inciperent, vocesque formare, & primâ solummodo vice Deo gratificarentur: & licèt tot sæcula præterierint à quibus aulico hoc functi sunt officio, ea tamen forma hoc faciunt, ac si noviter inchoarent. *In ejus laude semper recentes erunt*: seque in venerando illo Domini sui cultu renovabunt, nec non encænia (eo modo quo fari possumus) in ejus amore & obsequio celebrabunt. Hoc ipsum implent justi, eosque in terra imitantur, quodque à nobis Dominus exquirit, scire convenit, ut eo modo, quo beati in cælesti Hierusalem & triumphanti Ecclesia, nos fideles in inferiori Hierusalem & militante Ecclesia Deo serviamus: sintque cœli comprehensores prototypon quod nos viatores in terra imitemur. Quinimo eam ob causam animæ in hac vita, seu justi, dicuntur viatores vel itinerantes: quia quo tempore hîc fuerint, tenentur nomini respondere quod præferunt, semperque encæniare, hoc est, actus renovare virtutum, itinerando, progrediendo, novamque gratiam acquirendo: hæc utique est animæ renovatio, per encænia templi Hierusalem præfigurata: *Facta sunt encænia*, &c.

---

*Hiems erat*, &c.

CONSIDERATIO II.

*Non vacat mysterio quod Sanctus Historiographus hiemis addat circumstantiam; licèt ad historiæ contextum parum referre videatur.*

1. EX vate Isaia locum notavi, cujus expositionem mihi assumam, ut argumentum meum fundetur tantò solidius: *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni*. Isa. 64. Vtinam, Domine, placeret divinæ tuæ bonitati, cœlos diffringeres, atque in hæc ima descenderes: tunc etenim durissimi licèt montes à conspectu tuo defluerent, & colles nive plurima cooperti, ac frigidi, in igneas fornaces, flammarumque incendia verterentur: aqua gelu rigidissimo constricta, & grando igneas evomeret scintillas. Sacri quærunt hic Interpretes, quid Isaias hoc suo vaticinio præsignârit. Glossa ordinaria, per aquas, montes, collesque, mundi populos intelligit; per ignem autem charitatem, quam Dominus venerat mittere in terram, qua corda mortalium inflammaret. *Populi mundi inflammarentur igne charitatis*; Gloss. ord. juxta illud D. Lucæ: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi ut accendatur?* Luc. 12. Et in singulari spectabat oraculum hoc Iudæos, quorum salutis causa potissimùm Dei filius descendit. Et hoc sensu Hugo Card. prima illa verba declarat: *Montes defluerent, id est, superbia Iudæorum compesceretur. Dura corda & superba pœniterent & defluerent in lachrymas compunctionis*. Hugo Card. hîc. Congelata & obfirmata eorum corda liquescerent aliaque fierent ignis divini virtute, hoc est, efficacia charitatis. Hoc veridicus prædixerat Isaias. Porrò non video quomodò, vel quando, si Iudæos spectes, oraculum hoc fuerit impletum: quandoquidem constans sit doctrina SS. Patrum & Expositorum (quorum originalia cùm cognita sint, non refero) quod Euangelista notaverit hanc temporis circumstantiam: *Hiems erat*, quando illi hodie Christum circumvallârunt, non hoc fecerit gratiâ temporis, quia parum hoc referebat; nec similiter

similiter ob Christum; quem nec frigoris asperitas, nec pluviarum inundantia vel pedem referre cogerent, quo minus nobis salutifera prædicaret: nam omne tempus illi fuit opportunum quo nobis beneficia conferret; sed ut ostenderet, ejus temporis frigus optimè convenire glaciei qua corda eorum constringebantur: quomodò ergo veritatem hujus vaticinii, quantum ad hanc partem, salvaremus, si videamus eam non impletam? Suam alii dicant opinionem: illud ego in hoc casu sentio, quod Spiritus sanctus per Prophetam hoc dixerit, quod ex bona ratione futurum erat, & nequaquam illud, quod Iudæorum perfidia erat executura; quocirca consideratis Propheticis hisce verbis, evidentius eorum patet ingratitudo, & justa pervicaciæ condemnatio: quandoquidem quanto major esset Solis divini fervor, quo circumcingebantur, tanto magis in unum confluеret (per modum cisternæ) eorum frigiditas, qua corda eorum & strictius congelabantur, & durius obfirmabantur.

2. *Aggæi* 1. Optimè proposito nostro servit locus Prophetæ Aggæi: *Operuistis vos, & non estis calefacti*; sed frigefacti. Non me latet varia Expositorum hujus sententiæ declaratio: sed doctissimus Haymon eam nobis favorabiliter exponit: quia, inquit, loquitur Propheta de perversa illa populi fœce, cui Deus divinitatem suam aperuit, dedit legem, altaria, doctrinam, sapientiam, quibus se contra nequitiæ muniret frigus, & nihilominus calefacti non sunt, neque charitate exarserunt: imo verò intensiore frigore congelati perierunt: *Haymon in Agg.* *Operitur & ex calore non fovetur, qui divinam sapientiam, qua ornetur, & à malitiæ frigore defendatur, accipit, sed tepide & exitiose eam exequendo, caloris illius gratia privatur.* Non sufficit quod ipse sol divinos suos illis communicet radios: vel æterna sapientia lucem suam in medio hiemis tenebrarum intellectus eorum, & cordis infundat: etenim ut prius, cæcitate & frigore contabescunt. Idem quoque pluribus contingit Christianis, qui scientia quidem superabundant, sed virtutes illis deficiunt: doctrinam habent, quibus videntur totum posse inflammare mundum: sed nec ipsi calent, nec corda eorum accendunt, qui illam habent, in quo multum similes sunt Iudæis.

Iam aliàs expendimus verba illa 3.
Moysi de Deo: *In dextera ejus ignea lex*; vel sit, quia nonnulli dicunt: eò quòd divina sua manu legem amoris, quem ignem dicit, descripserit; vel eò quòd dum illa promulgaret, audita fuerint tonitrua, visaque fulgura; atque ad hoc alludit sacer historiographus. Bonas has esse censeo expositiones, sed Cardin. Vitriac. locum hunc ad mores trahit, duasque hic distinguit manus, dexteram unam, & alteram sinistram: & quas dicemus has esse manus? *Per sinistram intelliguntur, qui frigido corde verba Dei audiunt, vel proferunt; per dexteram electi, qui divina mandata frigido corde non audiunt; sed adhuc amoris intimi facibus inflammantur: quot enim mandatis instruuntur, quasi tot facibus accenduntur.* Et quandoquidem dextera sit electorum locus, sicut sinistra reproborum, arbitratur Cardinal. Vitriac. Moysem dicere, quod in Dei dextera sit ignis, quâ significatur, quod sicut ignis cordis sigillum notaque est salvandorum; ita frigiditas sigillum sit & character condemnandorum: hoc est, *In dextera ejus ignea lex.*

*Deut.* 33. *Vitriac. serm.* 3. *in Pent.*

Ænigma satis nodosum & mysti- 4.
cum

cum proposuit olim Deus Iob solvendum, quô sanctus hic vir se sensit admodum intricatum. Fortâssè (ait illi) amicorum integerrime, thesauros nivis quâdam hora es ingressus? *Numquid ingressus es thesauros nivis? Aut thesauros grandinis aspexisti?* Manifestum est quod non: sed nec Iob propositam sibi à Deo quæstionem intelligit: quis enim aspexit unquam thesauros nivis, & grandinis, rem tantillam? thesauri namque de pretiosis, & opulentis congregantur. Et potissimum cùm grando, & nix tam modico tempore perdurent, & in momento dissolvantur: thesauri verò conflentur ut multis sæculis, vel saltem pluribus annis conserventur. Non ignoro quid Interpretes hujus sententiæ dicant, & omnes conveniunt: quòd nimirum Deus Sanctum virum docere voluerit quàm exigua sit hominum, tum potentia, tum scientia: quandoquidem omnium potentissimus, creare non posset nivem aut grandinem: sed nec omnium sapientissimus secreta rimari, quibus formantur. Sed D. Hieron. spiritualiter locum hunc nostro argumento convenienter exponit his verbis: *Potuit Dominus de adventu suo in carne hoc dixisse, quo (ut ignis æternus, & ignis cæli, per quem omnes creaturæ rationabiles convalescunt) dignatus est ad terram descendere. Qui velut ad niveam regionem, & frigidam hujus mundi, atque instar grandinis, nimio infidelitatis frigore duratam, exclamavit, & dixit: Ignem veni mittere in terram.* Quis dubitat quin Deus, proponens Iob interrogationes has, de se fuerit locutus? Ignis est æternus, & cœlestis, ut dixit Moyses: *Deus noster ignis consumens est.* Qui beatissimos in cœlo spiritus accendit, & dignatus est (monente illum bonitate sua nostrique amore) in terram descendere, factus homo: jam autem in terra habitans, velut inter grandinis, & nivis infidelitatis thesauros, ingratitudinem quoq; humanã expertus est: quantumlibet laboraret ignem accendere ut defervesceret, corda verò inflammarentur; (hunc enim sibi finem veniens in mundum proposuerat: *Ignem veni mittere in terram, &c.*) tantam tamen invenit duritiem, offendit frigus, tantumque illi Iudæi restiterunt, ut quamvis nix, & grando tam modico durent tempore, ut minimo calore dissolvantur, grando tamen, & nix adeò fuerit obfirmata, ut immenso divini amoris igni velut thesauri se partem opposuerint.

Iob 38.

D. Hieron. in hunc locum.

Deuteron. 4.

5. D. Chrysost. curiosè notat dictum à Davide, quod Deus, & Dominus universæ terræ mandaverit, ut omnes in conspectu ejus apparerent, totaque terra testis fieret eorum quæ faceret, quæque loqueretur: *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram.* Quænam est hæc terra, quam Dominus in operum suorum testem advocavit? Peccator est, ait os aureum, quem Deus quæsiturus, & salvaturus descendit: *Terra enim hîc peccatores significat, quos vocare ad fidem, & pœnitentiam Christus venit, ipso dicente: Non veni vocare justos, sed peccatores.* Congruè autem terra peccatores denotat: omissis etenim aliis rationibus, *Terra est in qualitate frigida, quia secundùm Basilium, terra est corpus frigidum, & siccum: & ideo potest esse: quia magis distat ab elemento ignis quolibet alio elemento. Hoc directè peccato congruit, quod animam privat ab igne divini amoris.* Adducit autẽ D. Chrysost. exemplum de cisterna, secundùm illud Hieremiæ: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam: sic frigidam fecit malitiam suam.* Quantò magis solis radii reflectuntur in cisternam,

Psal. 49.

D. Chrys. in Psal. 49.

Hierem. 6.

nam, tantò fit aqua quam continet, frigidior: ita populi mei perversitas igne quem accendo fit obstinatior, & in charitate frigidior. Hiems erat, & ipsis lapidibus obduratior: *Tulerunt lapides.*

6. Porrò quamvis eo tempore Christum inter, & Iudæos, hoc ita contigerit, idem modò nonnullis evenit Christianis; sed cùm auxilia quæ Christiani percipiunt in lege gratiæ, sint efficaciora, & gratuita subsidia ad conversionem majora; nemo, licèt congelatum se sentiat, & lapide duriorem, de salute sua desperet: est etenim omnipotens Dei manus: quia thesauros nivis, & grandinis convertat in ignis divini sui amoris ardentissimas fodinas. Audiamus loquentem

Ps. 147. D. August. ad illa verba Ps. 147. *Qui dat nivem sicut lanam, mittit crystallum suam sicut buccellas, emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Dat nobis Deus nivem de cœlo decidentem sicut floccos lanæ: & quemadmodùm lanea vestis corpus contegit, ita solet & nix terrã: quo fit ut nivis multa frigiditate colligatur, & conservetur in terra calor: ut postmodùm majori virtute fructificet. Demittit congelatam aquam atque conversam in grandinem grossiorem, diminutum, & velut in frusta panis confractum ac divisum: & unico verbo Domini dissolvitur, liquescit, & in aquam convertitur fluidam, & limpidam. Quid plura? *Flavit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Vnico venti meridionalis flatu convertitur nix in grandinem, & glacies in torrentes aquarum. Hanc versus illi continent Paraphrasim. Mente igitur accedamus Doctorum Aquilam, dicentem Davidem insinuare, quod Deus crystallos, id est, frigida, & congelata per peccatum corda (D. Paulum his annumeres, aliosque plures) soleat ut buccellam panis liquefacere; *Sicut buccellas.* Novit Dei potentia duras, & congelatas crystallos convertere in prædicatores, & panis buccellas aliis ad cibum: id est, qui velut buccellas panis verbum suum ita dividunt, & dispertiunt, cordaque sua ita inflammant, ut charitate tanta flagrent, qua queant & alios accendere, atque dilectionis veste contegere, quâ priùs nudi erant, & spoliati: *Hoc est qui dat nivem sicut lanam: mittit crystallum suam sicut buccellas.* Et primo lucis radio, prima, inquam, inspiratione gratiæ suæ sic eorum emollire corda, mentesq; liquefacere, ut eorum oculi fontes fiant lachrymarum, & velut criminum suorum baptisma. Verba proferamus D. August. licèt non ita brevia: *Quid est ex nive vestem laneam efficere, quàm de istis adhuc incredulis, & frigidis spiritu, vestem charitatis, & providentiæ aliis efficere? Non ergo desperet nix, non desperet crystallus. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Dura crystallus erat Saulus, sed quamquàm durus, quamquàm gelidus: ecce ille, qui emittit verbum suum, & liquefacit ea, clamavit de cœlo fervidus: Saule, Saule, quid me persequeris? Vna illa voce tanta durities illius crystalli resoluta est: Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ; flat ergo Auster, solvitur rigor captivitatis, & currit in Deum fervor charitatis.* Admirabiles ita effectus, cum alternatis mutationibus frigoris in ignem, nivis in calorem solet divina bonitas, dum illi placuerit, operari.

*D. August. in Psal. 147.*

Vtinam tam felices essemus, ut vel scintillam divini ejus amoris in cordibus nostris perciperemus: indubiè certissima forent nostræ salutis argumenta. Ruminat Hugo de S. Victore verba Redemptoris nostri dicta dis- 7.

cipulis in Emaüs, quibus obviam venit divinus ille Magister: cœnâ cum illo peracta, ipsoque panem dividente, & ab oculis eorum evanescente, cùm cognovissent, dixerunt ad invicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Notes ex prædicto Doctore, quod licèt in via corda eorum inflammarentur, nihilominùs eorum obtutum non reseravit quo præsentem viderent, & agnoscerent: evidens tamen est signum, quod ipsum ad diei vesperam clarè sint visuri: quandoquidem verba ipsius tantum audiendo, eorum corda cùm illo congrediendo fuerint inflammata: *Colloquendo corda ad amorem inflammat: sed oculos ad contemplationem adhuc non revelat. Qui ergo in via ex sermonibus Iesu ignem amoris corde percipiunt, in fine viæ claritatem ejus videbunt.* Doctrina hæc non minimam illis adfert consolationem, qui Dei verbum audientes, in anima sua vel modicum divini amoris ignem concipiunt: quandoquidem indicium sit, si non omninò certum, saltem salutis suæ valdè probabile.

*Luc. 24.*

*Hugo Victor. lib. 1. Miscel. tit. 100.*

8. Promisit Christus Dominus Apostolis suis missurum se illis Spiritum sanctum consolatorem, protectorem, & assistentem: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, &c.* Quando verò mittebatur, sub specie linguarum ignis apparuit: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Quærit præfatus Hugo Victor. quare in hac figura potiùs quàm in alia Spiritus sanctus descenderit? Et proposito nostro conformiter respondet: ut ex illo nosceremus, illos à Spiritu sancto defendi, & characterem habere prædestinationis, quorum animi, auditis ejus verbis, accenduntur: illi verò, qui auditis illis eandem servant frigiditatem, eademque glacie congelantur, multum à salute sua distant, cùm divinum in se Spiritum non habeant: *Sunt itaque linguæ igneæ, quæ veniunt ad nos, & verba inflammantia Christum quotidiè loquentem audimus: quia Spiritum Christi non habet, qui verba Christi audiendo non ardet.* Suppositâ hac doctrina, quandoquidem Scribæ, & Pharisæi nolint cognoscere Spiritum sanctum, nec inflammantibus Christi verbis nivea frigidaque eorum corda calefiant, modica valdè superest illis spes salutis; nec eam illi volunt, quandoquidem illam aspernentur: nec eam desiderant, cùm repellant, idque tam obfirmata pervicacia, cùm ex natura sua flexibilis sit eorum voluntas. Verumtamen thesauri nivis, & grandinis, generatio sunt prava, & exasperans, ut omnis cœlorum ignis illos nec calefacere valeat, nec emollire. Precemur Deum, ut dignetur eorum numero nos inscribere, in quorum animis Dei verbum suos habet effectus, cordaque nostra accendit: ut multo sit felicior sors nostra, quàm horum infelicium peccatorum, quorum conscientia, hyemali frigore constricta, certum condemnationis eorum dat argumentum. *Hiems erat, &c.*

*Ioan. 14.*

*Act. 2.*

*Hugo Vict. Cit.*

*Circum-*

*Circumdederunt ergo eum, &c.*

## CONSIDERATIO III.

*Sepes hæc, quâ Christum hostes circumcingunt, mystice præfiguravit illam, quam diabolus solet animabus opponere, ut eas superet.*

1. SAcrorum Interpretum constans est opinio, quod Iudæi Christum hodie perversâ circumdederint intentione, prout ex S. Textu colligitur, licèt amicitiæ pallio contecta, quasi medium illum habere vellent, attentius illum audituri: eorum tamen fuit animus ne sepem hanc evaderet. Hic, inquiunt, impleta sunt Davidis oracula: *Circumdederunt me vituli multi,* Psal. 21. *tauri pingues obsederunt me; Circumdederunt me sicut apes, &c.* Psal. 117. Perfidum eorum argumentum, ex opinione Doctorum, tale fuit: Si negaverit se Christum, illico nos totusque populus manus illi injiciemus, velut seductori: & quia toties indicare voluerit, quod ipse Christus esset, sitque causa quod multi illum ut Christum habeant; si responderit affirmative, Christus sum, quod multò certiùs erit, intentioni nostræ magis conducet: eò quòd illum coràm Cæsaris Præside de affectato alieno regno criminabimur: cùm omnes probè noverimus, quod Christus dum venerit, Rex futurus sit, & temporaliter regnaturus. Itaque techna eorum maligna fuit, eoque fine corona circumdederunt eum, in qua mysticum mihi symbolum aperitur ejus, qua diabolus solet animas circumdare, eos illaqueaturus.

2. Binas notavi sententias ex libro Iob, argumento nostro opportunas; prima prodeat. Dumdie quâdam assisterent coràm Deo filii Dei, id est, Angeli, adfuit & inter illos diabolus. Cui Dominus: *Vndè venis.* Hostis humani generis communis, undè venis? Respondet illi Satan: *Circuivi terram,* Iob 1. *& perambulavi eam.* Quid hoc, inquit Origenes, Dei hominumque inimice? Quid hoc intuitu, & perambulatione per gyrum intendis? An ut attendas qua via commodius intrare possis? Et quæ bellica paras tormenta? quas glandes paras ejaculari? Sed nunc capio mysterium: *Spiritualibus seductionibus terram circuis, ô diabole, ad desolandum, ad exterminandum.* Iam novi te spiritum viarum infestatorem, terrarum latronem, qui raptu, doloque vivis, quique continuo circumis, & perambulas orbem, num valeas crudelissimos tuos ungues alicujus innocentis justique sanguine commaculare. Quare verè confiteris esse tuum hoc officium: & indè in terra te vivere, quod justos circumdes, & laqueos extendas, quibus illos irretias, capias, & ducas in triumphum. *Circuivi terram, &c.*

Alius locus sumitur ex cap. 6. viri Sancti, quo crudele, & importunum refert bellum, quod illi movebat inimicus nullo non moto lapide, vel medio quo eum superaret, aitque: *Circumdedit me lanceis suis.* Iob 6. Et quamvis D. Hieronymus, vel melius dixero Beda, nomine lancearum intelligat detractorum linguas, quas in eum excitabat diabolus, uxoris scilicèt, & amicorum ejus, qui sarcasmis eum nasoque suspendebant: & phrasis sit S. Paginæ communis, quâ obtrectatorum linguæ dicuntur lanceæ: non solum eò quòd lingua formam præferat cuspidis lanceæ: sed insuper eò quòd ad cordis intima pervadat, ut dixit Spiritus S. *Flagelli plaga livorem facit;* Eccl. 28. *plaga autem linguæ comminuit ossa.* Nihilo-

hilominùs Doctissimus hujus libri commentator lanceas illas interpretatur varias tentationes quibus Iob diabolus impugnabat. Vnde sic exponit ejus sententiam: *Circumdedit me lanceis suis, obsident me jaculatores, undique configor jaculis, collimant sagittæ universæ. Cœlum jaculatur ignem, æther ventum rapidissimum, terra vermes, uxor, domestici contumelias, dæmon truces oculos, minas ac terrores: & misera hæc mea conditio aliorum impendentium malorum suspicionem ac metum.* His omnibus velut sepe circumdat me inimicus ut capiat: & nisi Deus auxilio suo, & protectione defenderet, impossibile foret de tàm evidenti gravique periculo immunem evadere, atque potentis adeo hostis prælio non vulneratum excedere. Eodem planè modo, fideles mei, quo diabolus Iob impugnat, solet & justas quoque animas impetere, eas devicturus: ita D. Gregor. Mag. *Benè circumdari lanceis dicimur: quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit.* Negare non possumus (inquit præfatus Doctor) quin diabolus ex omni nos parte circumcingat, suarum tentationũ, insidiarumque lanceis. Praxis est hæc versipellis inimici valdè antiqua, animas circumdare, quando majori instantia studet prædam rapere meliorem.

*Pineda hic.*

*D. Greg. lib. 13. Mor. c. 6.*

3. *Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, & dimittetur quasi desertum.* Verba sunt Isaiæ: Nihil nobis conducit nunc asserere, utrum in sensu Historiali loquatur de Hierusalem, & calamitates prædicat illi jam imminentes, proposito autem nostro servit explicatio spiritualis D. Ambrosii, qui parum aliter hæc verba legit, (secutus fortassè Septuaginta) *Ego* (dicit ille) *civitas munita, ego civitas obsessa.* D. Ambrosius verba illa interpretatur de Ecclesia fidelium, vel de anima justa: quamprimum enim virtutibus munita floret, & perfectione redditur speciosa, continuò diabolus ejusque legiones conspirant, ut undequaque eam obsideant. Loquatur ipse: *Denique habes in Isaia, quia justitia dicit, vel Ecclesia: Ego civitas munita, ego civitas obsessa: munita per Christum, obsessa per diabolum; statim diabolus eam animam obsidet, quam Christus munit.* Quocirca expedit ut anima vigilet, seque ex omni parte contra diabolum muniat: quia eam in gyro circumambulat an per earum aliquam ingressum inveniat: *Ego civitas munita: ego civitas obsessa.*

*Isa. 27.*

*D. Ambr. lib. 1. Hexam. c. 8.*

Huic sententiæ non absimilis est quam modò profero: vocat Deus Ezechielem, illique præcipit: *Sume tibi laterem, & pones coràm te, & describes in eo civitatem Hierusalem:* Et statim addit: *Ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Hoc est, ex sententia D. Gregorii: Indicabis animæ, cujus cogitationes in cœlo sunt, certamina confestim fore molestiora: quare necesse est ut sepem sibi faciat ferream, qua se contra tam periculosos bene muniat hostium assultus, nec non singulare de cœlo subsidium imploret: si namque hactenus eam hostis ex hac vel illa parte impugnabat, nunc eam undique corona cingit, statuitque in medio: ut non ex una, sed omni parte sibi paret ingressum. Audire lubet ejus verba: *Benè post descriptam civitatem Hierusalem, dicitur Prophetæ, & ordinabis obsidionem: in qua enim pacis Visio describitur, & necesse est, ut tentationum bella nuntientur.* Vrbs Hierusalem quia dicitur Visio pacis, denotat animam justi, Dei Sponsam, dile- 4.

*Ezech. 4.*

*D. Greg. Hom. 12. in Ezech. c. 4.*

dilectam & amicam; dum igitur anima describitur, velut mystica Hierusalem, *Formosa sicut Hierusalem*, quæ sit in gratia Dei, quæ ejus fruatur donis, quæ suavi quietæ pacis visione gaudeat: ex talibus præmissis, quam potes colligere consequentiam? Nisi castra inimicorum, valla bellorum, strepitus armorum, & minas tormentorum; hic hostis omnes suas egerit vires, & reliqua potentiæ suæ destinat: fitque, ut, ubi graviorem sentit resistentiam, velut fulgur vires ostendat fortiores.

5. De machinis his & dæmonis astutiis eleganter explicat noster Hugo Card. verba illa lamentationum Hieremiæ: *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar*; licet conarer, omnes mihi portus eripuit, nec ejus valeo manus effugere, quantumlibet illud exoptem. De anima dicitur hoc, quam diabolus tenet captivam, & undequaque septam, ne possit ullatenus tam duri tyranni dominique jugum excutere, atque ad Deum per peccati sui confessionem remeare: sed nec bona opera facere, quibus se disponat, ut Deus ejus misereatur & compatiatur. Doctoris hæc do verba: *Contra animam diabolus circumædificat, ne possit egredi de peccato per confessionem, vel ad bonam operationem: facit enim fossulam cupiditatis, muros obstinationis, turres elationis, balistas detractionis.* Obsessam illam tenet omnibus vitiis, & transitus occlusit, ne de cœlo veniat illi subsidium: quid plura? Ad eas anima reducta est angustias, ut impossibile sit ei consilia inire salutis suæ, bonique quidquam facere. Ad tam dolendum devoluta est statum anima, quam diabolus suæ fecit esse possessionis. Et quamvis de illa Prophetæ verba concinne capiantur, etiam intelligi possunt de anima Deo dilecta & amica (eâ congruitate quâ reliquas sententias S. Paginæ superius exposuimus) contra quam insidias molitur, quibus eam ad medium devolvat inferni; spicula sua in illam undequaque contorquens, quibus illam expugnet: inimicos etenim nostros non ita premunt peccatores, quos securos possident, ac justi, quorum gratiæ donisque furentes invident.

Thren. 3.

Hugo Card. hic.

6. Probe noverat illos S. Petrus Apostolorum primas, quando in Canonica sua prima verba illa dixit omnibus notissima: *Fratres sobrii estote & vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Eja fratres, attendite; nam inimicus nec dormit, nec fatigatur: sed perpetuo circumvagatur, circumcingitque fideles quos devoret. Glossa ordinaria attente ruminat verbum *Circuit*: videtur loquendi modus improprius, sicut leo circumvagatur: hoc quippe lupis innatum est, quando equæ vel vaccæ coronam faciunt, armisque naturalibus se defendunt, pedes veretur & cornua, idcirco non audet impetum facere, & circumit, donec coronam dissolvant, locumque illi faciant, quo prædam sibi rapiat: leo autem accedens irruit continuo, & rapit, & dilacerat. Quomodo igitur dicit S. Petrus: *Tanquam leo rugiens circuit?* Audi Glossæ responsum: *Tanquã hostis obsidens muros clausos explorat, an sit pars aliqua murorum minus stabilis, cujus aditu ad interiora penetretur.* Quasi dicat: quod sicut leo rugiens & ferox, humanum sitiens sanguinem, ita diabolus furioso rugitu quærit anxius, & sollicitus investigat animam quam devoret: sicut leo rugit, sed sicut leo non facit impetum, nec suis fidit unguibus, sed sepi, & circumitionibus. *Circuit:* provocat, sicut ille qui circumambulat,

1. Petr. 5.

Glossa ordin.

bulat, nec enim agit aliud, quàm reverti ad locum unde secesserat: undique cingit animam, an pars aliqua sit minus tuta, & fortis, ex qua faciat impetum, eamque sibi rapiat. Hortatur igitur nos Christi Vicarius, fideles mei, vigilate, attendite ne vos diabolus inopinatò superet: & quamvis in via virtutis multum profeceritis, Deo sitis admodum familiares, & copiosa ejus gratia ditati, ne per hoc desides efficiamini; imo verò tanto sitis timidiores minusque securi: ad hujus enim insidias inimici nullum datur sacrum asylum securius, quàm gratia Dei, ejusque subsidium.

7. Ps. 90. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Verba hæc justo sunt propria, vel Christo Redemptori nostro: de illo namque ea capiunt Interpretes ore Davidico pronuntiata. Poterit loqui Deo fiducialiter & secure, eique dicere; quod ad eum semper sit confugiturus: quia protector ejus est, defensor, atque in vitæ præsentis afflictionibus ac miseriis asylum; poterit alius quoque dicere: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Hoc certo certius est, quod Deus me liberabit de laqueis & fallaciis, quas mihi secreto struent inimici, semper conati me irretire. Sæpe notavi verborum horum formalitatem: *De laqueo venantium*: videtur enim quod David oppositum dicere debuisset; liberabit me de laqueis venatoris: solet etenim venator multos expandere laqueos, & multi numquam unum solum extendunt. Satis hoc clare patet in venatione leporum: ut illos quippe reti comprehendant, diversa diversis semitis parant retia: ut si evadant unum, incidant in aliud. Quomodo ergo diabolus expertus adeo venator, & mundus & caro, eorumque asseclæ, quando venatum prodeunt ad capiendam animam, non illi plures parant laqueos, quo prædam faciant sibi tutiorè, sed unũ solummodo quo capiatur? Non capio, nec Patrem aliquem aut Commentatorem inveni, cùm multos legerim, qui hoc particulariter adverterit. Quare (præsuppositâ eorum licentia) opinionem meam proferam. Certum est plures esse decipulas, quibus hostes animæ conantur eam illaqueare: nihilominus dicit David unam tantum esse: laquei sunt à se differentes, & unum eos vocat: *De laqueo venantium.* Et ratio, secundùm opinionem meam, ea est, quia sicut multi sunt laquei, ita uniti sunt, & invicem implexi ac vicini, ut licèt tot sint, tamen non nisi unum componant per modum circuli, de quo justus non emodum circuli, de quo justus non elabetur, si Deus illi non subveniat, atque in se ejus suscipiat defensionem. His conformiter debemus loqui, agentes de quocumque justo: nam si interpretari hoc velimus de Salvatore nostro, aliter loqueremur: cùm nemo dubitet, quin propria sibi virtute de laqueis, & transennis inimicorum suorum & nostrorum se liberaverit. Sicut hodie quoque laqueum evasit sibi à Iudæis expansum: quæ sicut prædiximus, mysticum fuit symbolum ejus quem componit diabolus, justorum animas capturus, superaturus, & in triumphum ducturus: *Circumdederunt ergo eum Iudæi.*

Quo-

## Quousque animam nostram tollis?

### CONSIDERATIO IV.

*Peccatum est pessimus, & crudelissimus animæ tyrannus.*

1. TRahitur hæc consideratio ex insigni Lusitano Oleastro, qui postquam exposuisset in sensu litterali verba cap. 28. Deuteronomii, quibus Deus populo suo minabatur, si divina sua præcepta non observaret, quod vitam traherent è fune suspensam, afflicti, & timore perculsi, & periculo illam perdendi: nam ita verba illa declarat: *Erit vita tua pendens ante te:* Vel *Suspensa tibi:* sicut legit secutus Pagninum, sumptâ Metaphora de re quâdam suspensa, pendula, & non secura: *Sicut res suspensa, quæ semper ruinam minatur.* Et sensu morali adjungit hæc: *Solet Dominus impios suspensione animi punire: ut scilicèt sint tot malis attriti, ut nesciant, quo se vertant. Audi quosdam dicentes: Vsquequo animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Hanc animæ suæ suspensionem loquantur illi, qui Dominum circumdederunt: fatebantur enim se ab illo suspensos, dum interim non se manifestat quis sit, & apertè non fatetur se Christum. Et immeritò: nec enim eos torquebat Dominus, animamque eorum suspendebat (nam crebrò operibus hoc illis indicaverat) sed eorum peccatum crudelissimus erat carnifex in quo cruciabantur, vitamque eorum reddebat ipsa morte duriorem.

Deuter. 28.

Pagnin. hic. Oleaster hic.

2. De Cain notat Doctus Alcuinus, ita graviter tulisse exilium suum, & ob culpam suam se factum abominabilem, ut mortem optârit, vitamq; suã exhorruerit, & in hasce videatur erupisse voces: *Ecce ejicis me à facie tua, &c. quicumque invenerit me, occidet me.* Verba hæc (inquit præfatus Author) denotant ejus moriendi desiderium: *Velut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes.* Quasi dicat: Vtinam occidat me primus mihi factus obvius: amarum ita, tristem, terribilem, & execrabilem culpa vitam illi reddebat, ut tanquàm minus malum eligeret occidi, quàm mortem pati tantopere procrastinatam. Et merito. Catastæ namque, & tyrannorum gehennæ non ita dure torquent fidelium corpora, ac pungentes peccatorum spinæ animam cruciant peccatoris.

Gen. 4. Alcuin. Interrog. 89.

Præcipiunt Angeli Loth, ut ipse cum uxore, & duabus filiabus excedat Sodomâ, quod si non, cum illa pari perirent incendio. *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* Notat magnus Oleaster posteriora verba: *Ne & tu pariter, &c.* Quæ sic legit ex Hebræo: *Ne fortè deficias in iniquitate civitatis.* Porrò licèt admittat hanc lectionẽ, adjungit illico: *Melius in punitione civitatis, quoniã, ut sæpiùs dixi, Havon, potiùs pœnã iniquitatis, quàm iniquitatem ipsam significat.* Sed suppositâ lectione nostra vulgari, & doctrina Oleastri, quod utramque significationem habeat verbum *Hebus*, hoc est, culpa, & pœna: mysterium in hoc aperio, nempè, quod culpa, & pœna ita pari gressu procedant, peccatum, & supplicium ita inseparatim uniantur, ut nec in nomine separentur: & idem sit peccatum, & dolor: quia propriæ nequitiæ manu, infelix peccator acerbissimum luit supplicium. Ita confirmat os aureum D. Chrysostomi: *Ante supplicium supplicium infligit; peccatum* in 3.

Gen. 19. Oleaster ex Hebraic. D. Chrysost. in Ps. 124.

*in se continet pœnam, antequàm puniatur, &c.* Et ipse Philosophus Cordubensis, licèt infidelis, hanc credidit veritatem: *Prima, & maxima pœna peccantium est peccâsse: nec ullum scelus impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est.* (Senec. Epist. 97.) Plura non diceret in hac materia Doctor Ecclesiæ Christianæ.

4. Quibus obsecro premebatur angustiis Saül, quando mortaliter læsus petiit ab obvio Amalecita illum occideret, mortem ut levamen sumens, modò liberaretur à mortalibus illis angustiis, quibus ad extremum usque præfocabatur: *Sta super me, & interfice me, quia tenent me angustiæ.* (2. Reg. 1.) Si discutere velimus quænam illæ forent angustiæ, quibus tam acerbe affligebatur, inveniemus effectum non fuisse exercitus sui jam cæsi, nec gladiorum, quibus transfossus jacebat, sed criminum, quæ plura commiserat, illa funes constringebant, illa plusquàm tyrannicè miserum lancinabant. Ne videar autem loqui sine fundamento, sciendum quod ubi Vulgata nostra legit: *Quia tenent me angustiæ*, legi ab Abulensi ex Hebræo: *Quia tenent me oræ vestimenti Sacerdotalis.* (Abulensis hic.) Per vitam tuam interfice me, quia tenent me fimbriæ vestis Sacerdotis. Spectat horrendum illud sacrilegium à se commissum, quo contra justitiam, & rationem octoginta quinque Sacerdotes Domini jusserat occidi. Ab eo igitur instanti, quo tam enorme commisit piaculum (ipso illi semper occurrente) anxius ita vivebat, ut mors illi tarda videretur, & quando conspexit illam sibi vicinam, gratus admisit, & judicans quod adhuc vagabundo lentoque passu adveniret, dixit Amalecitæ, ut negotium mortemque promoveret: *Sta super me, & interfice me: quia tenent me oræ vestimenti Sacerdotalis.* Beneficium hoc mihi impende, vitam mihi adime: quia tam acerba me repræsentatione cruciat peccatum, ut sola mors tam severi tormenti possit esse subsidium. Adeo ergo graviter patiebatur hic peccator ex culpa sua, ut mori duceret consolationem, quo de suis liberaretur pressuris.

5. Insuper quàm gravatum se doluit his, & fassus est Rex David, aitenim: *Conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* (Psal. 54.) Quænam sunt istæ tribulationes, quibus ita premitur? Num fortè præliorum adversa fortuna, famis calamitas, angor paupertatis, severitas pestis, vel aliæ similes? Omninò non: sed versu sequenti has indicat: *Quoniam declinaverunt in me iniquitates.* Sanctus Hieronymus transfert ex Hebr. *Quoniam processerunt super me iniquitatem.* Quia peccata mihi culpasque imposuerunt: & hæ sunt tribulationes, quas ego patiebar, & quibus inimici mei contristabant me, & affligebant. Et in rei veritate quadrat optime vocare tribulationes peccata: quænam enim datur acerbior, quàm si quis Deum habeat sibi infensum? Et si nomen hoc *Tribulatio* derivetur à Tribulis, id est, spinis, tunc primum audita est in mundo vox *Tribulus*, quando peccavit Adam: *Spinas, & tribulos germinabit tibi:* (Gen 3.) ita sibi uniuntur spinæ, & culpæ, tribuli, & peccata. Quos mihi dabis tribulos spinasque corpus ita pungentes, & vulnerantes, ut peccatum? & continui conscientiæ remorsus animam peccatoris pungunt, & torquent:

*— Quos diri conscia facti*
*Mens habet attonitos: & surdo verbere cædit,*
*Occultum patiente animo tenore flagellum.* (Iuven. Saty. 13.)

Ita canit Iuvenalis: Vnde nomen tribula-

bulatio propriè peccato convenit.

6. Locus mihi offertur ex Isaia, meo judicio fortissimum hujus doctrinæ fulcrum: *Succensa est quasi ignis impietas: veprem, & spinam vorabit*: inquit Evangelicus Orator. De reprobis loquitur hic Propheta (teste Procopio hujus loci Commentatore) notat autem quod licèt Propheta dicat: *Succensa est*, non tamen dicat quis ignem excitarit, atque in hoc revelat grande mysterium: hoc est, quod necesse non fuerit, ut alii, quatenùs paterentur, illos accéderent, quia illi ipsi flammam sibi suscitarunt, & quo momento peccaverunt, proprii supplicii se reddiderunt executores: *Neque enim flammam in eos immissurum quemquam, cùm sibi ad id satis sint, quod est flammæ genus longè deterius.* Impiis tyrannus non requiritur, qui eos excruciet: peccatum enim eorum est Diocletianus, à quo condigna plectuntur pœna.

Isaia 9.

Procop. hic.

7. David se Deo gratum admodum demonstrat, dum ita canit: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*: Id est, pondus mihi tulisti quo gravabar, recepisti me in manus tuas, meque tibi pondus imposuisti. Ita versum hunc exponit Paraphrasis Hispanica: ut autem noverimus de quo particulari beneficio loquatur Propheta, subjungit: *Eduxisti ab inferno animam meam.* Communem novi hujus sententiæ expositionem esse, quod David hic loquatur de morte, & sepulchro, quod sæpius præ oculis habuit. Porrò D. Augustinus, cui suffragatur Hugo Card. ait, Davidem nomine inferni intelligere peccatum, quo cruciabatur, ac si infernus ipse esset: *Hoc est à peccato, in quo non minùs, quàm in ipso inferno torquebatur.* Quàm primum vidit David mortali peccato se maculatum, confestim portatilem deplanxit in anima sua tartarum, talesque sensit dolores, ut locum habere posset inter condemnatos. Quod si doctrinam hanc ulterius urgeremus, & diceremus, quod multo acerbius eum vexarent pœnæ peccati, quàm affligerent infernales, non hyperbolicè loqueremur; ratio autem cui innitor (si, quia mea est, non sum indignus) ea est: quia magìs culpa facit infernum, quàm pœna; plures autem extiterunt Sancti, qui vixerunt, patientes propter Deum pœnas inferni, conservantes se in ejus gratia, & consolatione, quod illas paterentur Dei gratia, & spe, quod illos vis esset erepturus: peccatum etenim pœnas reddit æternas, & intolerabiles; adeò gravis est peccati tyrannis.

Episc. Cacer.

Aug. hic & Hugo Card.

Sit epilogus hujus argumenti consideratio D. Augustini: Christus cum Discipulis suis ultimam sumens cœnam, conversus ad Petrum, dixit ei: *Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Notat eximius ille Pater, quod diabolus à Deo non petat homines, ut eos sinat in pace, & quiete vivere; sed ut in eos fortissimos faciat impetus, quibus illos evertat, conturbet, commoveat, & nec horam quietis consentiat: & post hæc pro conclusione præcipitet in infernum: *Quid est vexare sicut triticum? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum ut panem faciat: sic neminem manducat diabolus, nisi primo per tribulationem everterit, contriverit, ut manducet.* Quot martyria non patitur triticum, antequàm aptum sit tamquàm panem manducari? Non minora igitur patitur homo, qui peccat, per manus Satanæ, antequàm illi serviat ut ferculum in inferno. Num hoc non advertis in miseris hisce peccatoribus, qui hodie Christum circumvallant, eique dicunt: *Quousque*  8.

Luc. 22.

D. Aug. in Psal. 100.

 *animam*

*animam nostram tollis?* Quousque detines nos suspensos? Si tu es Christus in lege promissus, dic nobis palam: & quasi promptos se exhibent ad fidem, eumque ut talem recipiendi: sed fraudulenta fuit eorum intentio; nam effectus probavit veritatem: quandoquidem lapides arripuerint, quibus illum obruerent; & etiam, quia sufficiens de divinitate ejus dabant testimonium miraculosa opera quæ patrabat: quocircà tyrannus animarum, eorum carnifex, proprium erat peccatum. Hæc est suspensionis eorum causa; unde nullam habet apparentiam, dicere: *Animam nostram tollis.*

---

## *Quousque animam nostram tollis?*

### CONSIDERATIO V.

*Non est irrationabilitas quæ comparetur ei quâ homo se monstrat indignatum: cùm ipse Deus passus sit injuriam.*

I. USquequo (sic illi Salvatori) nos excruciabis? Vsquequo pertinax obmutesces, suspendio vitam nostram tollens? Si tu es Christus, dicito nobis manifeste, ut te velut Dominum Deumque adoremus. Numquid minorem vidisti verecundiam, & impudentiorem audaciam? Stylum attemperemus. An dari potest major injuria, & intolerabilior irrationabilitas, quàm Christum accusare, quod se non manifestet, illisque non declaret, quod ipse sit Christus: cùm tot viis hoc illis ante sæpè declarâsset? Itaque cùm Christus ipse recepisset injuriam, illi tamen offensos se habeant: & cùm ipse Dominus calumniam sustineat, illi querimoniam deponant. Hæc autem fuit eorum intentio (quantum ego penetro) anticipatis suis querimoniis Christo os obstruere, ne locum habeat justum suum exprimendi dolorem. Est hæc antiqua in mundo scabies, quod si nequaquàm prior expostules, os tibi occludetur, illique de te querentur, qui te læserint, ne tu querelas deponas.

Norunt omnes quod Spiritus sanctus narrat de inverecunda, & impudica Domina Ioseph, quàm instanter & moleste juvenem ad inhonesta provocaverit. Castissimus adolescens constanter illi restitit: at die quodam ita pertinaciter eum provocavit, ut nullo alio remedio sibi consulere posse se cernens, fugam de cubiculo, in quo erat, arripuerit. Ipsa facinus hoc advertens adeò generosum, pudore confusa, & ultra modum indignata, quod eventus intentioni non respondisset, pudicum ac virgineum adolescentem fugientem palliò retinuit, altiùs inclamavit, intendens apud virum culpam imponere Ioseph; ut autem suam simularet, ait S. Historia: *In argumentum fidei retinuit pallium*; quo vim probaret, quam illi inferre voluerat Ioseph, & redeunte marito illud ostendit: *Ostendit marito revertenti domum.* Circa hoc insigne notat mysterium noster Oleaster, quod ipsa virum accusaverit, quasi in domum suam adduxisset servum tam insolentem, qui vim illi non vereretur inferre: *Ingressus est ad me servus Hebræus, quem adduxisti ut illuderet mihi.* An dari possit nequitia magis inverecunda? *Quæ vim intulit, & injuriosa fuit, conqueritur; qui autem damna patitur, tacet, neque peccatum saltem excusat.* Casus notandus: illa quæ Ioseph Deumque offenderat, querulosam se exhibet: qui vero calumniam susti-

Gen. 39.

Oleaster hic.

sustinuit, tacet, nec criminis damnat auctorem, nec propriam excusat innocentiam. Tam antiquum est mundo formare querimonias eum, qui graviorem intulit injuriam.

2. Descendebat Rex Achab ad vineam Naboth, occurrit illi Elias, qui tanto tempore ab eo declinaverat; cui sic il-
1. Reg. 21. le: *Num invenisti me inimicum tibi?* Ita legit Cajetan. ex Hebræo; & admiratur quod obstupescat, & indignetur, quod illi Elias occurrerit: cùm ita sit quod Propheta numquam eum quæreret: imo verò timens eum, in deserta secessisset, & ne comprehenderetur, exilium elegisset. *Timuit Elias,* &c. Cùm igitur jam prima vice occurreret illi Elias, & justissime de ipso conqueri posset, cùm ipse persecutionem pateretur, eique dicere debuisset: *Num*
Cajet. hîc. *invenisti me inimicum tibi?* Cajetan. *Et est sensus: num tu tanquam meus inimicus invenisti me, qui tam mala comminaris mihi?* Semper occurris mihi mali nuntii bajulus? Notandum autem, quod nondum adhuc Elias illi Dei sententiam annuntiaverat: sed cùm reus esset, corde præsago timebat, unde querimonias suas præmisit. Elias persecutionem tolerabat, & Achab se læsum conqueritur.

3. Non possum non admirari quod D. Chrysost. notat, hoc argumentum prosecutus. Tulit Rex Ægypti conjugem viro suo Abraham: quia verò Deus severius illum punivit, ipse prior
Gen. 12. contra Patriarcham expostulat. *Quidnam est hoc quod fecisti nobis?* Quare tantum mihi malum intulisti? vel quis ferat quod adeo male me excipias? Verba hæc non absimilia sunt illis ex Euangelio: *Quousque animam nostram tollis?* Audit illum Chrysost. & pro Abraham respondens, subdit sequentia: *Egone tibi feci? Ipse magna mihi fecisti, & gravia in me commisisti.* Ego tuli injuriam, meum erat conqueri: quandoquidem in materia adeo gravi me læseris. Si Abraham acceperit injuriam, quo jure conqueritur Abimelech? Voluit silentium Abrahæ imponere, & anticipare querimonias, quas ille merito proferre poterat: sic enim pro more habent, Auditores, improbi, de vobis conqueri, quando vos læserint: ne vos injurias passi conqueramini: ut enim moleste patiuntur, quod illatam injuriam graviter feratis, tentant utrum vobis possint os obstruere, si priores conquerantur.

Quod impii faciunt bonis qui Deum repræsentant, faciunt & ipsi Domino: 4.
qui cùm de illis possit conqueri, ipsi se querulosos exhibent. Loquitur Deus per Isaiam populo suo, & postquam illi in faciem exprobrasset beneficia à se collata, his verbis concludit: *Expectavi ut faceret judicium, & ecce iniqui-* Isai. 5. v. 7.
*tas: & justitiam, & ecce clamor.* Quando fidele sperabam obsequium beneficiis illis correspondens, offerunt mihi, & oculis meis objiciunt: *Ecce* injurias gravesque calumnias: qui servire mihi debuerant, offendunt me; quando sperabam, quod peccati sui saltem pœnitentes, & reatum agnoscentes, reverterentur, & veniam offensæ deprecarentur, querelas contra me clamorosi deponunt. *Ecce clamor.* Clamor, juxta declarationem optimi Interpretis D. Hieronymi, querelam seu querimoniam denotat, valde fundatam contra virum tibi injuriosum, ex gravi ortam dolore, & cordis indignatione: quare clamores excitat, de quibus ita D. Paul. (inquit D. Hieron.) iram superaddens, verbaque incomposita:
*Omnis ira & indignatio, & clamor & blasphemia.* Tales igitur erant Iudæi, Ephes. 4.
qui præter ingratitudinem malamque divinis

divinis beneficiis retributionem, valde commoti de divina murmurant Majestate. Mundus hoc hominum genere redundat: qui dum illis benefeceris, & gratiarum expectas actionem, ecce non tolerandâ te deprimunt injuriâ. Hoc igitur Deus per Isaiam indicat. An enormior dari possit iniquitas, quàm ea quâ me populus meus inhonorat? Cùm enim nullæ mihi sint justæ querimoniæ rationes, ipsi verò non correspondeant, attamen obtrectant mihi, quasi ego in peccato sum. Nullus igitur obstupescat, quod filii parentes imitentur, cùm peccatum hoc eorum adeo sit antiquum, scabiesque inveterata.

5. Studiosè notavi verba quibus mulier patientem virum Iob irritabat: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* (Iob 2.) Marite mi, quî fieri potest ut vir sis ita bonus, & malorum patiens, ut veterem tuam retineas simplicitatem? Hoc enim significavit, ut legit Origen. *Quousque tu sustines?* Quamdiu invicta hæc perseverabit patientia? Commoveri tantum videtur, ut uxori stultitiam suam objiciat: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*, & omnium quos sol vidit impatientissima. Verba hæc, non uxor, sed diabolus ejus ore proferebat: *Et revera non uxor dixit, sed diabolus, qui per os ejus est locutus.* (Orig. l. 2. in Iob tom. 1.) Quam autem habebat intentionem diabolus perterrendi non mobilem sufferentiam Iob? *Quousque sustines?* Quanto tempore durabit hæc tua patientia? Audi præclarum Origenis responsum: *Non enim hoc quod dicit: quousque sustines? fortitudinem demonstrat sustinentis, sed defectum ostendit percutientis: conqueritur qui cædit, & non queritur qui vapulat.* Non hoc dixit diabolus encomiastes invictæ patientiæ Iob, aut constantissimæ fortitudinis prædicator, sed furore percitus, & animo despondens consequi suam intentionem, quam tam animose cuncta perferentem non ferebat: imo verius dixero querelas contra eum deponebat. Querebatur, & rugiebat (inquit Adamantius) ille qui carnifex adstabat, & os suum non aperiebat, qui flagella tolerabat.

Considerat D. Hieron. Ionam Prophetam valde commotum, eò quòd Deus latam contra Ninivitas sententiam revocâsset: *Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est: & oravit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es.* 6. (Iona 4.) Fugam arripui: prænoveram enim quod aliud ego dicturus essem, & tu facturus; cùmque sis adeo misericors, prænuntiatã vindictam non exequereris. Notate sapientes, inquit D. Hieron. *Quemadmodum injustitia arguit Dominum, querelas suas obsecrationis exordio temperat.* (D. Hieron. hic.) Vt Ionas fugam suam excusaret, culpam in Deum conjicit, & quantumlibet conetur in oratione dolorem suum simulare, & pietatis operire involucris, significat tamen offensi querimonias: cùmque Deus ipse tulerit injuriam, Ionas tamen contra Deum expostulat.

Quando Redemptor noster adductus est coram Anna, & ab eo interrogatur de discipulis suis, & doctrina: 7. respondit, eumque ad auditores remisit: illi namque de præteritis & auditis integram dare possent ei satisfactionem: eò quòd semper in Synagogis locisque publicis docuisset, ubi ab omnibus facile poterat audiri: cui subjungit D. Ioan. *Hæc cum audisset unus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* (Ioan. 18.) Notandum occurrit

occurrit hîc, cujus non meminerunt Interpretes: quod scilicèt hic Satanæ minister primo colaphum Salvatori impegerit, & demum interrogaverit, & objecerit, cur tantâ temerarius audaciâ Pontifici responderet? Oppositum fit in mundo: primo namque fit interrogatio, & subsequitur injuria. Quomodo ergo transvertit actiones, & alapam præmisit interrogationi? Ratio sit, quod sicut verba querelam indicârunt, prius Salvatori injuriam intulit, & ne Christus de facta quereretur injuria, querelas de mala responsione proposuit.

8. Hoc modo mortales agunt cum Deo suo: subtiliter enim observavit hoc S. Salvianus, explicans illa verba D. Pauli: *Omnia sine murmuratione, & hæsitationibus facite, ut sitis sine querela:* id est, patienter adversa ferant, ne vivant murmuratores & querulosi, quod Deus noster (inquit Salvian.) præcipit; porro nodosum ac difficile assumit D. Paulus argumentum: quodnam enim quis vidit in mundo sæculum, in quo mortales de Deo non quererentur? *Sine murmuratione quaque & querela nos Deus noster esse præcipit; quando hæc in humano genere non fuerunt?* Ipsa loquatur experientia: *Si æstus est, de ariditate causamur: si pluvia, de inundatione conquerimur: si infæcundior annus est, accusamus sterilitatem: si fæcundior, vilitatem: adipisci abundantiam cupimus, & eandem adepti accusamus.* Et si Deus hæc nobis non largiatur, obmurmuramus: *Quid dici hac re improbius, quid contumeliosius potest? Etiam in hoc de misericordia Dei querimur: quia tribuat quod rogamus.* Cùm autem ex parte Dei plures sint querendi rationes (cùm enim perpetuis suis devinciat corda nostra beneficiis, tam male nostris satisfacimus obligationibus) ipsi tamen illum accusamus, quasi nos offendisset, nosque injuriam accepissemus. Et hoc est ingratitudinem nostram Iudaicæ æquiparare ingratitudini: nec enim gravior excogitari potest irrationabilitas, quàm, cùm Deus pars sit offensa, nos tamen gravius expostulemus: *Quousque animam nostram tollis?*

Philipp. 2.

---

*Oves meæ vocem meam audiunt.*

## CONSIDERATIO VI.

*Ad cœli portas non vocibus, sed manibus pulsatur: quia ibi non verba valent, sed opera.*

SVb metaphora mansuetarum ovium divinus Pastor de ovibus suisque prædestinatis loquitur fidelibus: atque de illis ait, quòd audiant vocem ejus, ei obediant, eumque sequantur. Alcuinus antiquus Auctor citatus à D. Thoma in Catena sua, prædicta verba explicans, eorum hunc dicit esse sensum: *Oves meæ vocem meam audiunt, id est, præceptis meis ex animo obediunt.* Vbi notandum: primum significat fidem, secundum supponit opera, quæ duo servare debent gregis Redemptoris oves, ut eas tanquàm suas agnoscat: unde per hoc Salvator intendit proponere, & docere: ut si velimus fidem nostram divinis oculis placere & à Deo magnifieri, necesse est, ut eam charitas bonaque opera comitentur, sit viva & formata. Quid refert Christum ejusque fidem ore confiteri, si ipsum vita nostra moresque abnegent? Quem fructum adferre potest Christiano credere, si operari negligat? Quemadmodùm opera Christi testabuntur eum esse verum Dei 1.

Alcuin. in Catena D. Thom.

Dei filium: *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me:* sic & opera uniuscujusque nostrum probant nos esse oves Christi: hoc est: *Oves meæ vocem meam audiunt, præceptis meis obediunt.*

2. Sanctum Eloquium referens generosum animum, fortemque spiritum, quo septem illi fratres Machabæi verbis, & operibus honorem Dei defenderint, ac divinæ legis veritatem conservarint, exquisita tormentorum genera perferentes; narrat, dum tertius ad gehennam traheretur, præceptum est ei ut linguam ore protenderet abscindendam: qui nedum linguam, sed utramque quoque manum amputandam extendit: *Linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit.* (2. Mach. 7.) Actionem hanc adolescentis hujus non prætereamus, indubiè mysterium aliquod includit. Quare, precor, ambas quoq; manus extendit, cùm non nisi linguam tyrannus exigeret? An ergo sacrificium solius linguæ non poterat offerre, nisi & manus comites adjunxisset? Nequaquàm, inquit D. Isidorus, casum hunc ad mores exponens: *Fabulæ enim viderentur verba sine operibus;* lingua absque manibus. (D. Isidor. l. 2. Ep. Ep. 114.) Allegoria optimè præparata. Manus instrumentum sunt operibus, sicut lingua verbis; quare qui probare voluerit se verum fidelem, & mori pro confessione fidei ac legis Dei, uno & altero, id est, manibus ac lingua, verbis & operibus debent hanc protestari veritatem; alioquin si solâ linguâ, & verbis, ut ridiculum quid, & jocosum explodetur.

3. Eminens est annotatio Divi Hieronymi, ad illa verba Hieremiæ, quibus Spiritus S. nos monet, hortatur, & præcipit, ut actiones nostras ordinemus, eoque modo vivamus, ut opera nostra meritoria sint, & digna vitâ æternâ: *Dirige cor tuum in viam rectam.* (Hierem. 31.) Adducit D. Hieron. versionem Septuaginta Interpretum: *Da cor tuum in humeros tuos.* (Septuag. hic.) Quid hoc? Quæ cordi cum humeris convenientia? In pectore cor sedem suam habet à natura statutam. Quâ igitur ratione transferri poterit in humeros? An fortè ad hunc effectum illud à nobis evellendum? Non capio: nec similiter intelligo, quare Spiritus S. vocet viam hanc rectam, cùm primo intuitu adeò torta videatur. De hoc dubio nos eripit D. Hieron. verbis omni acceptione dignissimis, & argumento nostro correspondentibus: *Quodque hoc dixêre Septuaginta: Da cor tuum in humeros tuos; illud significat, quod cogitationes debent operibus jungere.* (D. Hieron. hic.) Ne litteram attenderis, sed mysterium intellige. Mysteria quippè fidei, quæ conservantur in corde, in bonis resplendeant operibus, ut hoc modo fides ejus sit secura; si namque illi opera deficiant, quibus innitatur, facilè peribit. Non sufficit fidem in corde fixam esse, nec solo ore proclamatam, si manus, & humeri legis onera ferentes, illam minimè manifestent: quia maximè conducit divini Pastoris ovibus, audire sibilum, eique obedire.

4. Divinus animarum Sponsus ad portam benedictæ suæ Sponsæ pulsat; ipsa vero, vel ne quietem suam deserat, vel ne pedes suos terreno pulvere commaculet (licèt frivolæ sint excusationes) illi non aperuit. Favores contempti transeunt in mentis indignationem. Abit Sponsus, & quàm primum ejus sentit illa discessum, surgit, & in plateas prosilit: *Surrexi ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* (Cant. 5.) Quàm amaræ sunt dilectæ Sponsæ manus, quandoquidem ipsa myrrham

myrrham prædicet probatissimam! Expendit Theodoretus, quod Sponsa sequitur dilectum suum manibus myrrhâ defluentibus: ut verò dubium illud solvat, signorum illorum meminit, quæ ipsa quondam de Sponso suo filiabus Hierusalem, quem anxio labore investigabat, prædicavit, de cujus labiis sic ait: *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Confert igitur Theodoretus utramq; myrrham labiorum Sponsi, & manuum Sponsæ, & gravia hæc verba subjungit: *Labia ejus distillantia myrrham primam: docent enim in præsenti vita mortificationem: idcirco distillant labia ejus myrrham. Manus eas virtutes vocat, quæ in actione consistunt, ut inde velut concentus quidam resultaret.* Insignis conceptus. Quàm docti præceptores sunt Sponsi labia! Amaram namque myrrham distillant, docentque animam, quàm necessaria sit in præsenti vita mortificatio: unde Sponsæ cordi ita tenaciter impressa sunt, ut relictâ lecti commoditate, ac requie, jam nihil aliud tractet, quàm asperitatem, à labiis Sponsi propositam. Hoc significant manus ejus amarissimâ defluentes myrrhâ, hoc est, operibus mortificationis: quæ si conferamus cũ labiis Sponsi, quæ illis plena esse conspiciuntur, cõclusionem hanc & monitionem inferemus, si nimirum velit anima Deum diligens, muneri fidelis Sponsæ ejus satisfacere, ad manus deducat, quod percepit auribus, & operibus exequatur, quod ille Sponsæ verbo proposuit: quo concentus fiat suavissimus inter doctrinam, quam ex ore Sponsi didicit, & impletionem ejus quod ipse illam docuit.

*Cant. 5.* *Theodoret. hic*

5. Efficacem nostro discursui probationem dat S. Zeno Martyr, quam, licèt nonnihil obscuram, ita conabor explicare, ut omnes eam capiant. Incipit Euangelium suũ S. Ioan. locutus de Verbo Dei secunda Persona SS. Trinitatis, de qua, prætermissis aliis, ita scribit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quare, percunctatur præfatus Auctor, non attribuitur specialiter Spiritui S. creatio vel productio creaturarum? cùm ita sit, quod omnes tres divinæ personæ concurrerint æqualiter, ut sacra nos docet Theologia, ad earum creationem. Proposuit nobis præfatus Auctor subtile dubium, quod subtili quoque responsione solvit. Casus est: quod inter divinas personas, filio nomina appropriantur, quæ pertinent ad intellectum, ut sunt, lumen, imago, sapientia, & alia: Spiritui S. ea attribuuntur quæ relationem dicunt ad amorem & voluntatem. Hâc doctrinâ suppositâ, tamquàm certâ, constanter asseritur, quod viri Christiani perfectio consistat in imitatione divinarum Personarum: hoc est, intelligendo, & volendo, cognitione & amore. Vt autem bene agat non tantum amando, sed etiam intelligendo, nec ab itinere deflectat ducente ad salutem, proponatur illi Verbum, nempe Sapientia Patris operando, & creando mundum, & nequaquam Spiritus S. qui est amor: nam proprie convenit amori non esse otiosum, sed operari & laborare, (juxta vetus axioma,

*Ioan. 1.*

*Qui vult non fieri desidiosus, amet.*

nullum aptius remedium, quo procul pellatur otium, quàm amor; & illud Orphei:

*Nec arma paci, nec amori tribue sedem.* ) *Orpheus.*

Et quamvis de illo non dicatur quod operetur, securi sumus quod in nullum incurremus errorem. Porro dicatur de Verbo Sapientia, nempe Patris mystico consilio, quod laboravit, om-

niaque creaverit: *Omnia per ipsum facta sunt*: ne quis imaginetur, quod tantum intelligat, & non operetur, & hinc per falsam consequentiam eliciat errorem, in quem lapsi sunt plures Hæretici, dicentes: quod sicut Verbum intelligit, & non operatur, ita sufficiens erit fides sine operibus ad salutem. Vt ergo non videatur favere Dei Verbum his Sectis, & hæresibus earum patrocinari, dicendo tantum de illo, quod intelligat, & non quod operetur; eligatur inter divinas Personas, cui specialiter attribuatur opus creationis mundi, & pateat, quod sint in eo æqualia & agere & intelligere, scire & operari, & quod si sit infinite sapiens, etiam se probet omnipotentem, agens quidquid voluerit in cœlo & in terra, & in abyssis: *Omnia per ipsum facta sunt*. Omnia paucis verbis, sed gravibus complexus est Martyr Veronensis: *Vnde processit paterni cordis excultor: non enim minus est facere magna, quàm dicere.*

*Zeno serm. 3. in Gen. de filio in divinis.*

6. Magni momenti doctrina est hæc multis Christianis tantum intellectus, vel verbi, in quibus nulla unquam opera bona laudantur, fidei significativa quam ore profitentur, & corde radicatam gerere se dicunt: procul absunt tales à via salutis. Quàm prudenter hoc advertit D. Chrysost. ad illa verba Salvatoris: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*. Sufficiet pulsare, ut homini cœli portæ reserentur? Vtique; est etenim Dei Verbum irrefragabile: *Pulsate & aperietur vobis*. Porrò doctrinæ huic una proponitur objectio: Quâ veritate in similitudine de Virginibus, dicit idem Salvator, quod dum accedunt fatuæ ad portas cœli, atque ad illas clamant: *Domine, Domine, aperi nobis*: nullus eas illis aperuerit, atque bonis sive malis noctibus foris manserint, nec ad gloriæ nuptias admissæ? Solvit sapientissimè difficultatem Os aureum: *Sicut qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed & manu; sic qui opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus suis*. Genuina significatio Verbi *Pulsare*, juxta severè Latinos, non est simpliciter vocare ad portam, sed manibus januam pulsare. Quô datô, ille clamat ad ostium cœli, qui manuum ictibus, id est, pretio bonorum operum meretur ut ei aperiatur, liberque concedatur introitus. Et si virgines fatuæ, hoc est mali Christiani sibi satis esse duxerint petere: *Petite*, nec addiderint *Pulsate*, non clamantes manuum pulsatione, sanctisque operibus: si in lampadibus oleum non adferant meritorum, & solis verbis sibi credant portas aperiendas, clamando tantum: *Domine, Domine, aperi nobis*; quid obstupescimus, quod portæ manserint lapide lutoque obfirmatæ, ipsæ vero mœrentes & irremediabilibus lachrymis infortunium suum plangentes fuerint exclusæ, ad ejus confirmationem quod in hac Consideratione proponimus: nam ut portæ pateant, non sola sufficit vox clamorosa, sed huic addendi sunt manuum pulsus & verbera: *Petite & dabitur vobis: pulsate & aperietur vobis*.

*Luc. 11.* *Matth. 25* *Chrysost. in Imperfect. hom. 18. in Matth.*

Detinebatur baratro dives Epulo, & ultricibus inferni torquebatur flammis: quando videns Lazarum in sinu Abrahæ jam recreatum, siti plusquam credi potest, exarescens, petit ab Abraham sibi mitti Lazarum, cujus madido digito refrigeraretur, linguaque sua nimis exusta refocillaretur: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam: ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma*. Notat sagaciter Hugo Eterian. hinc colligi, quod anima 7.

*Luc. 16.*

ma Lazari digitos haberet, & divitis Epulonis linguam: *Nota quod anima Lazari digitos; divitis verò linguam habere significantur.* Perfectum hoc est justi prototypon & etiam peccatoris: ille namque manus habet & opera, hic verò non nisi linguam & verba: ille in operando locavit fundamentum, hic omnes facultates suas in loquendo statuit: unde condemnatur dives, qui verbis tantum studuit: pauper autem salvatur, qui bonis operibus se reddidit eminentem.

*Hugo Eterian. l. de anim. regress. ab infer. c. 22.*

8. Præceptum edidit Christus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* D. Chrysost. mysterium invenit in connexione propositæ Christi sententiæ, *Si quis vult*, cum eò quòd ante contigerat: *Confessus erat Petrus, & cæteri Apostoli Christum Dei Filium; ne autem ad salutem hoc sufficere putarent, adjunxit ad hoc opus esse sui abnegatione & crucis portatione.* Iam actualiter Redemptor noster Discipulos suos interrogaverat, quam de se mundus haberet opinionem: *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Respondit D. Petrus omnium nomine fide constantissimâ: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Atque in præmium hujus confessionis promittit illi claves Regni Cœlorum, quodque caput futurum sit Ecclesiæ suæ: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* falli poterant Apostoli credentes hanc confessionem sufficere ad salutem. Dicit autem D. Chrysost. ut dolus hic evitetur, addit Christus, quicumque voluerit me comitari ad gloriam, non ei sufficit, quod credat, quod me confiteatur, sed hoc ei incumbit ut abneget semetipsum: hoc est, ut custodes vitæ mutet, nec propriam habeat voluntatem, nova faciat opera, crucem suam tollat, humeros manusque operi submittat, *Et sequatur me.* Hæc etenim omnia requiruntur, ut ovis sit gregis mei, scilicèt ut audiat verba Pastoris, ea in corde suo conservet, operibus exequatur, illum sequatur, ei obediat: nam ad portas cœli clamatur non tantum lingua, vel corde, sed manibus, id est, bonis operibus, quorum meritis in hac vita gratia recipitur, pignus æternæ gloriæ. *Amen.*

*Matth. 16, Luc 9.*

*D. Chrys. Hom. 56. in Matth.*

*Matth. 16.*

# TRACTATVS XVII.

## AD SEXTVM DIEM VENERIS QUADRAGESIMÆ.

*Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium.* Ioan. 11.

### SALUTATIO.

VErissimum est vulgare proverbium, beneficia nimirum maleficiis & ingratitudine compensari: tales etenim sunt mundi passiones, ut communiter opus optimū pessimæ occurrat ingratitudini. Veritatem hāc cōfirmat præsentis Euangelii Historia ex c.11. S. Ioannis, refertur etenim hic quod Pharisæi & Principes sacerdotum, auditâ famâ præclarissimi miraculi, quod Salvator noster in Lazari quatriduo jam mortui resuscitatione fuerat operatus, Concilium coëgerint, vel verius dixero, conspirarint in unum: postquam invicem de mentis reprehenderant pusillanimitate, quà tardi nimis virum illum non interfecissent, portentosa adeo prodigia efficientem, & tanto totius mundi applausu, ut meritò vereri possent, ne se velut Messiam Regemque extolleret; indeque futurum, ut Romani, quorum suberant imperio, illos ut refractarios haberent, armataque manu convolarent, rempub. eorum everterent, totumque populum interficerent; quocirca expedire, ut quantocius tot incommodis consuleretur. Ventum est ad suffragia, & nonnulla debuit in dandis votis intervenisse contradictio, & opposita quorumdam opinio, vel timentibus Deum, vel opinantibus non expedire virum morti tradere, dum alia nulla quàm signorum intervenit causa. Caiphas tam ut anni illius Pontifex, quàm cæteris audacior, stultos tifex, quàm cæteris audacior, stultos inscripsit illos qui sententiæ suæ non suffragabantur: quandoquidem insipidi non adverterent, quantum conduceret mori virum illum in populi salutem, ne solus ipse totius populi ruinam inferret. Sententia hæc ex parte sacrilegi Caiphæ, non quid amplius significavit quàm verba præferebant: attamen ex parte Dei vaticinium fuit, quod expediret mori Christum in remedium totius orbis: ut Filii Dei per totum orbem dispersi sub ritibus & sectis diversis viventes, sub una sola lege, vera fide, uno Capite, unoque pastore convenirent. Caiphæ sententia prævaluit, decretumque est, ut homo ille, tot miraculis celebris, moreretur: atque exinde datâ operâ decretum hoc executioni dare studuerunt. Non ignorabat Dominus eorum Consilia: quare se subtraxit (non quod mortem timeret, sed quia nondum venerat hora ejus) & cum Discipulis suis nonnullis hæsit diebus in urbe Ephrem,

Ephrem, donec tempus adesset, quo voluntariè manibus se traderet inimicorum ad passionem. Euangelii littera valde graves,& salutares complectitur doctrinas, quas explicare, nisi præviâ Spiritus sancti gratiâ, non possumus: *Ave Maria.*

---

*Collegerunt ergo Pontifices, &c.*

CONSIDERATIO I.

*Quando Ecclesiastici virtuti se opponunt, necesse est ut sæculares moveant illis bellum.*

1. CONsiderationem hanc fundat D. Chrysostomus, quandoquidem ejus argumentum deductum sit ex ejusdem doctoris Doctrina: *Si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est*,& status sæcularis tendit ad rudera. Sunt Sacerdotes Duces & Antesignani mundi, sunt primum mobile cœli Ecclesiæ: nam post se trahunt reliquos: si namque fortasse vel erraverint, vel peccaverint, infallibilis sequitur populi, tum error, tum malitia: etenim ad inferiores descendit malitia ceu bonitas exempli eorum & doctrinæ. Suppositâ igitur hâc doctrinâ, tamquàm verâ, non miremur quod Conciliarii sæculares, qui ad hoc Conciliabulum convenerunt, & consequenter omnis populus, omnes commoti sunt, & instanter mortem urserunt Salvatoris: quandoquidem Pharisæi & Pontifices, viri Ecclesiastici, atque ex munere suo divino cultui consecrati, primi fuerint versi in seditionem, & hujus authores conjurationis, in quâ decretum fuit ut moreretur, quia sic populi conservationi conducebat. Quando namq; Ecclesiastici virtuti se opponunt, premit necessitas ut sæculares bellum illi indicant, nam quoad bonum, & malum tam efficax est eorum exemplum, ut videatur jam opinio esse sæcularium, & quod velle non possint, neque nolle præter id quod ipsi suo decreto statuunt & ordinant.

*D. Chrys. hom. 83. in Matth.*

2. Admodum grata est, imo & litteræ conformis Allegoria Stephani Cantuariensis: advertit enim quidquam particulare quod contigit in prodigioso illo transitu populi Israël per Iordanem: nam ad præsentiam Arcæ fœderis vehementes & deciduæ Iordanis aquæ fluere destiterunt,& quasi judicio pollerent in unum conglobatæ sunt, ut gradu libero, siccoque pede Iordanis vadum Hebræi transirent. Notat hic author, quod eo momento, quo Sacerdotes steterunt proximi fluvio,& ipse quoque stetit, undasque suas compescuit: ita notat S. Pagina: *Et Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti*; & in eodem Cap. immediate ante dicitur: *Steterunt aquæ descendentes in loco uno.* Occurrit modo Cantuariensis annotatio: *Nota, quod cùm essent Sacerdotes in Iordane, starent aquæ: quia cùm Sacerdotes bonis insistunt operibus, populus in bono perseverat.* Adverte aquas id effecisse, quod videbant à Sacerdotibus fieri: hoc est, id agit populus quod Ecclesiastici. Alludit ad illud Apocal. *Aquæ multæ, populi multi sunt.* Et supponit ut verum per aquas denotari statum sæcularem, & consequenter ait quod hic duci se patiatur à moribus ipsorum: quando etenim Sacerdotes bonis occupantur operibus, populus etiam in virtute perseverat: porrò si delirent illi, sæculares vestigiis illorum insistunt.

*Iosue 3.* *Stephan. Cantuar. L. Alleg. in Iosue.* *Apoc. 17.*

3. Lamentabili luctu deflevit olim

David

David mortem Saülis & Ionathæ in montibus Gelboë, cæteraque mala quæ tanta secum trahit clades: & instanter comites suos rogabat, ut mala hæc nuntia silentio premerent: ne forte innotescerent hostibus gentilibus, indeque sumerent diei lætioris argumentum: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philistym, ne exultent filiæ incircumcisorum.* Quærit Abulensis qua de causa David subticeri rogat id quod manifestum modò erat & per omnium ora volitabat, ut occultari jam non posset? Respondet: noverat equidem David impossibile esse cladem hanc occultare Philistæis: unde non hoc mandavit, neque consuluit: sed solummodo suum indicavit affectum, suumque desiderium, quo optabat, si fieri potuisset, clades hæc perpetua oblivione sepeliretur, eamque hostes Idololatræ ignorarent: ne lætarentur, atque ob Hebræorum calamitatem exultarent: *Respondendum est quod David satis sciebat impossibile esse celari Philistinis: nec dicebat ista ut jubens vel consulens, sed solum loquebatur ex affectione: scilicet, nolite annuntiare in Geth, id est, ô utinam nunquam annuntiaretur calamitas nostra in Geth, nec in aliis Philistinorum urbibus, ne gauderent super malo Iudæorum.* Nihilominus manet difficultas, quare David tam affectuose desideraverit, ut si fieri posset, ignoraretur? Ratio fuit, quia sicut Philistæi & reliqui Pagani, barbaris addicti superstitionibus, de cultu Dei, & animæ salute nō agebant, illos Hebræi de erroribus suis carpebant, atq; ad cognitionē, cultumq; veri Dei reducere satagebant: Gentiles autem hanc opinionem cōstanter tenebant, omnes adversitates, cladesque omnes à Deo hominibus immitti in condignam scelerum suorum pœnam, nec hoc intelligebant justis illas obvenire ad patientiæ eorum exercitium & meritorum incrementum. Cùm ergo exercitus Hebræorum ruinam, & principes in bello cernerent occubuisse, divinam inferebant indignationem, Deumque contra eos furoris sui vibrâsse lanceam: & hæc eorum erat causa lætitiæ. Porrò urget alia difficultas, quæ ratio Gentilibus tantæ lætitiæ fuit? quæris hoc? videbant enim præceptores suos, quos hactenus reprehensores tulerant & instructores, in vitia, culpasque cum illis incidisse: & ita, sicut Deus, non auderent punire illos & docere: quandoquidem similes illis essent peccatores: si namq; Magistri à recto tramite deviēt, actio datur discipulis imitationis. Hoc litteralē loci hujus tangit expositionē.

2. Reg. 1. — Abulens. q. 14.

4. Porrò Bachiarius Episcopus antiquus locum hunc exponit in sensu morali vel allegorico, proposito nostro congruenter: intelligit enim per populum incircumcisum multitudinem sæcularium; qui dum viri Ecclesiastici in aliquod labuntur peccatum, tantum abest ut merito casum eorum plangant, imo vero exultant, festumque celebrant: judicant enim licere sibi solutis habenis jam peccare posse, quandoquidem illi deliquerint qui prius corripiebant illos & instruebant: *Ecce prohibetur ne in terminis Geth, neque in finibus Ascalonis, hoc est, in notitiam sæcularium, sive hominum mundanorum casus fratris vel ruina seminetur; hi enim exhilarantur, cùm audiunt ruinam militis Christi, vel ex illius consolantur opere, dicentes: ecce qui nobis exprobratur à cæteris, ad cujus exemplum cogebamur vivere, &c.* Itaque vita Ecclesiastici bene ordinata, formula est morum sæcularium, & eorum perversus agendi modus infert dispensationem malè vivendi.

Bachiarius Episc. ad Ianuar. de recipiend. lapsis.

Vrbs

5. Vrbs inclyta Hierusalem multorum criminum rea ad extremam devoluta est calamitatem, factaque in peccatorum suorum pœnam toti mundo peripsema. Attende, inquit D. Remigius, quale Deus illi præscribat per Prophetam Ioël remedium in tantæ calamitatis restaurationem : *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris, ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei : quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium & libatio.* (Ioël 1.) Reverendi Sacerdotes, vos alloquor: plorate, pœnitentiam agite, vestimini ciliciis, capita cinere conspergite : nec enim suadet ratio ut lachrymis detur interstitium, cùm nulla data fuerit mensura delictis. Vnde hoc? Culpæ sunt communes, & quo jure (quærit S. Remigius) pœnitentia quæritur particularis? Peccârunt omnes, & soli lugent Sacerdotes, quid hoc? Non capio, nec intelligo quomodo hoc justitiæ, rationique conveniat. Omnes se flagellent, cùm omnes sint noxii, nec solus Ecclesiasticus induat cilicium, quandoquidem culpa totam involvat multitudinem. Iusta loqueris, & hoc Deus à populo isto requirit : quinimò per hoc medium quærit efficacius quo intentum suum consequatur, nimirum, ut mortificatio à Sacerdotibus incipiat: *Primum jubentur Sacerdotes & ministri Domini plangere, & induere saccum : quia ipsi debent exemplum præbere aliis: ut sicut ipsis errantibus delinquit & populus, ita illis pœnitentiam agentibus, provocetur & populus ad eandem agendam.* (S. Remig. hic.) Familiare est populo bonum vel malum exemplum Clericorum imitari, jubet igitur Deus primi pœnitentes sint Sacerdotes, & quandoquidem eorum error lapis fuerit offensionis, sit & pœnitentiæ exemplum, ad quorum lamenta lamententur etiam cæteri, & constanter ad virtutis redeant viam : adeò namque certum est sæculares in modis agendi vestigia sequi Sacerdotum.

6. Vates Euangelicus reipubl. suæ plorabat infirmitatem: etenim à planta pedis usque ad caput infirma languebat, ut nec una pars in ipsa sana reperiretur. De mystico loquitur corpore sub metaphora corporis humani: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* (Isai. 1.) A capite incipit, & inde descendit ad reliquas corporis partes: quo significat morbos corporis omnes è capite scaturire: quod si sanum esset, & ipsum quoque esset. Innocentius tertius per caput reipubl. Sacerdotes intelligit, sæculares autem per corpus, & ait : *Si caput fuerit infirmum, totum corpus languidum erit.* (Innocent. III. serm. 1. in consecrat. Pontif.) Est quasi naturalis hæc consequentia deducta ab illo antecedente: caput hoc infirmum est : ergo corpus non est sanum; languet Sacerdotium, ergo status sæcularis infirmatur; sicut etiam, Ecclesiastici optimè valent, ergò indubie sanus est populus. Multæ humani corporis infirmitates, ex doctrina Medicorum, à pedibus incipiunt, atque ex illis trahunt originem : porro corporis mystici languores omnes à capite descendunt, atque in illo oriuntur.

7. Causa modò nobis patebit præcepti Dominici in Levitico, quô jubetur ut eadem oblatio fieret pro peccato Sacerdotis, quæ pro populi : *Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, &c. offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Et statim paulò inferius addit: *Quod si omnis turba Israël ignoraverit & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, offeret pro peccato suo vitulum.* Quæ ratio subesse

se potest quâ Dominus eandem præcipiat victimam pro peccato populi & Sacerdotis offerri? Præfatus Pontifex suum profert de illo judicium: *Tam pro peccato Sacerdotis, quàm pro peccato multitudinis imperatur, ut vitulus offeratur immaculatus. Vnde conjicitur, quod peccatum Sacerdotis totius multudinis peccato coæquetur: quia Sacerdos in suis peccatis totam facit delinquere multitudinem.* Et quamvis peccatum ipsius videatur particulare, attamen ut commune reputatur: error quippe ipsius dum peccat, omnes facit peccatores.

8. Expendit D. Paschasius multitudinem illam falsorum testium, qui, narrante sancto Matthæo, contra Christum deposuerunt, siquidem in mendaciis & imposturis non convenirent: *Cùm multi falsi testes accessissent.* (Matth. 26.) Nonnè scire poterimus, inquit ille, unde tam facilè in illa occasione inveniri potuerint tot pseudotestes, atque de quo centro deductæ fuerint omnes istæ contortæ lineæ? Idem Euangelista in verbis antecedentibus hoc expressit: notat etenim Principes Sacerdotum & omne concilium anxie quæsivisse, sibique procurâsse contra Dominum falsa testimonia: *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum.* Confert modo sanctus Abbas hæc duo, Sacerdotum diligentiam quærentium contra Christum falsiloquos testes, tantamque illorum accurrere multitudinem, & ait: primum fuit causa secundi: & quia sæculares cernebant Sacerdotes huic injustitiæ sic oppignoratos, idcirco contra conscientiam & rationem facilè in eandem se præcipitârunt injustitiam: *Miser populus, cujus principes iniqui sunt, & quorum seniores perversi: quia multi falsi testes in eorum numquam desunt conciliis: nam Princeps qui libenter audit mendacia, omnes ministros habet impios.* (S. Paschas. hic.) Non desunt sæculares qui proferunt mendacia, quando delectat Sacerdotes illa audire: horum etenim vita illorum est regula consuetudinum, & ut uno verbo omnia dicamus, est vere violenta tyrannis Ecclesiasticorum actio, quâ moveant & trahant sæculares ad id quod ipsi faciunt.

9. Eo tempore quo causa Christi Redemptoris ventilabatur in tribunali Pilati Præsidis, misit illi conjux nuntium, quô virum ardenter monuit: ut quandoquidem in illo criminali processu Iudex præsideret, omni quâ poterat instantia rogaret, ultimum exereret potentiæ suæ, quâ justum illum liberaret: cùm ejus intuitu nocte præcedente horribiles passa fuisset visiones, & mortali metu concussa: quod si vitam illi tolleret, indubiè fatale quoddam infortunium, tristemque casum formidaret sibi eventurum: *Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* (Matth. 27.) Opinio est SS. PP. Ecclesiæ, sed potissimum sancti Laurentii Iustiniani, Diabolum has excitâsse mulieri illusiones: cùm enim notaret quam infausto sibi exitu hæc Christi passio & mors succederet, veritus ne illa mediante mundus redimeretur: ut tanto bono viam præcluderet, uxorem assumpsit Pilati, velut instrumentum magis opportunum: ut visiones illi, spectraque repræsentans, nec non timore illam concutiens, his periculis deterreret, ne Christo in libertatem asserto, mundus in libertatem vendicaretur. Machinationes illæ videntur inimico satis armatæ, etenim hæc est cæteris magis industria techna, quâ intentionis

intentionis suæ potuit commodum investigare: ita nonnulli judicârunt, inquit sanctus Patriarcha, porrò, nisi me scientia fallat, aliud multo subtilius & astutius potuisset Diabolus medium invenire, si hoc advertisset, quod desiderium suum vidisset impletum. Et quale, precor, illud? Eâ diligentiâ quâ movere studuit Pilati conjugem, movere debuisset Sacerdotes: *Consultius tamen propositi sui poterat obtinere effectum, si quos inflammaverat, Sacerdotum animos evertisset.* Hoc agendum illi erat: persuasisset Sacerdotibus ut ab incepto desisterent, mutarentque sententiam. Et quis inde effectus sequeretur, si populus mortem Redemptoris urgeret? Ratio est, quod quamvis vulgus promiscuum injustitiæ ignem accenderet, inducebatur tamen ad hoc & excitabatur à malis suis capitibus, & iniquis Principibus Sacerdotum; unde si revocarent illi sententiam, Christique protegerent innocentiam, illico populus, ut illi, mutaret sententiam, nec Pilatum premeret pro libertate alterius, sed Redemptorem donari vitâ postularent: quia verò illi contra ipsum conspirârunt, commune vulgus eorum sequebatur opinionem: quando namque Ecclesiastici virtutis sunt adversarii, fieri aliter non potest, quin & ipse populus illi adversetur.

## *Concilium.*

### Consideratio II.

*Peccata quæ studio non fiunt, de facili remittuntur: illa verò misericordiam non merentur, quæ datâ operâ committuntur.*

QVamprimum notavi copulam hanc Pontificum & Pharisæorum contra Dominum, eosque vidi se mutuo cohortantes, ut authori vitæ vitam tollerent, memoriæ occurrunt quædam verba, quæ casualiter legi in Epistolis sancti Paulini: *Criminosius est peccatum excogitare, quàm facere:* & tunc perversitas ad summum ascendit gradum, quando quis peccat ex industria: & consequenter tantò facilius peccatum remittetur, quantò fuerit magìs accidentale, tantòque severiori dignum est supplicio, quantò magìs excogitatum. 1. S. Paulin. in Epist.

Proposuit Deus punire mundum universali illo diluvio: sed præmittit Spiritus sanctus statum omninò perditum & perversum, quô tota terra laborabat: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, quâ Deum suum offenderet. Hæc verba sunt litteræ, quæ D. Chrysostomus paraphrasi exornans, insigne aperit mysterium, & maximè perpendit illa verba: *Cogitatio cordis*, additque sequentia: *Non enim ex surreptione hoc illis accidit: sed in corde cogitant, & per singulas horas volvunt, & magno studio omnem suam vitam in hoc impendunt.* Intendit Spiritus sanctus exaggerare illius temporis malitiam, culpasque extollere ab hominibus 2. Gen. 6. D. Chrys. hom. 22. in Gen.

nibus commissas: ut autem ostenderet earum extremum gradum, ait: non casualiter peccabant, nec erant contingentes eorum lapsus, sed ex animi proposito se in peccata præcipitabant, erant præmeditatæ eorum nequitiæ, culpæque excogitatæ: nec enim aliud tractabant, alterivè rei studebant, quàm ut modos invenirent, novasque vias aperirent, quibus Dominum nostrum irritarent. Si inopinatò peccâssent, suaque delicta non præcogitâssent, Deus eorum fuisset misertus: sed quandoquidem præmisso consilio divinam offenderint majestatem, portas ejus misericordiæ præcluserunt, quas ejus justitiæ aperuerunt.

3. Curiosè notavit celebris noster Oleaster antiquæ legis rigorem, quô Deus in Exodo mandatum statuebat: quod si alicujus jumentum vel brutum animal intrâsset vineam, hortumque alienum, ut in eo pasceretur, eo ipso Dominus illius condemnaretur ad omnium suorum fructuum jacturam quos in horto suo haberet: *Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.* (Exod. 22.) Severa est hæc pragmatica. Sic magnus ille Lusitanus: Fierinè potest tam amplam præcipi satisfactionem damno tam exiguo, levemque adeò culpam gravi adeo puniri supplicio? Vtique: moleste etenim fert Deus damna proximo, datâ operâ, illata, animo voluntario, & nocendi intentione. Non ita graviter luunt qui fortuitò delinquunt, inadvertenter & inconsiderate: his etenim facilis paratur gratia, atque exorabilem valde, paratamque inveniunt Dei benignitatem: *Abhorret Dominus ab his, qui sponte mala operantur, & nocent proximis suis: secùs qui casu injurii sunt.* (Oleaster hic.)

4. Procedat aliud, idque validum ejusdem authoris argumentum, expendentis aliud Domini præceptum in Levitico, quoad varias oblationes diversis intentionibus dedicatas: dum autem eas assignat pro peccatis offerendas, ait: *Anima quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit:* (Levit. 4.) oblationes adferet, quæ inferius constituentur. De quo genere peccatorum loquitur hîc Dominus, quærit doctissimus ille calamus? Respondeo: de illis quæ non fiunt ex industria & præmatura cogitatione, de peccatis (ut uno verbo dicamus) non affectatis, sed per errorem, inconsiderationem, & inadvertentiam commissis: nam illa quæ hujus non sunt speciei, sed advertenter, præmissoque consilio procurata, horrenda sunt adeò & gravia (teste Oleastro) ut pro illis numquàm determinatum sit ullum sacrificium, nullumque Sacramentum institutum: sed delinquentes potestati dabantur judicis, & ut severè puniendi. Gravia sunt ejus verba: *Considerandum est, quàm gravia sint peccata ex studio commissa, quibus ante legem nullum ad expiandum institutum legimus Sacramentum aut Sacrificium.* (Oleaster hic.) Conformis huic expositioni est illa Vatabli: *Vox Hebræa significat peccatum, in quo ex incogitantia, imprudentia, & errore, impellente scilicet affectuum mole ac impetu, animus perplexus præcipitatur, quo minùs rationis & spiritus judicium audiat.* Peccata inconsideratâ & indeliberatâ voluntate commissa, faciliorem habent remissionem: porrò datâ operâ & urgente malitiâ commissa (qualia erant Pontificum & Pharisæorum) valde difficilem.

5. Non possum non admirari quod huic conformiter expendit Theodoretus,

retus. Loquitur S. Eloquium de Rege David, atque de eo narrat aliquid quod primo intuitu non videtur verum: de eo quippe affirmat, quòd excepto peccato Vriæ, quoad cætera Deo placuerit, fueritque tota vita sua Dei
3. Reg. 15. mandatorum observantissimus: *Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinâsset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.* Quî fieri potest
2. Reg. 11. hoc, inquit Theodoretus, si ex eodem sacro eloquio constet Davidem & aliis quoque criminibus obnoxium, conjugalis nimirum violationi castitatis, publico adeò totius populi scandalo: his adde non justâ de causâ initum populi censum, injuste prolatam sententiam
2. Reg. 16. contra Miphiboseth ex falsa informatione: alias præterea culpas, quas à se commissas humiliter fatebatur, dum diceret:
Ps. 39. *Iniquitates meæ multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Suppositâ igitur hâc veritate, quomodò solùm Vriæ homicidium illi imponitur, & de cæteris quasi absolvitur? Dicam, respondet magnus Theodoretus: *Non ex*
Theodor. hic. *mali animi instituto, sed fortuito, & quodam casu vulnus acceperat: negligentiæ peccata erant, non malignitatis, ut homicidium:* illud etenim ex animi processit instituto, viisque particularibus extitit procreatum. Quocirca Spiritus sanctus, omissis reliquis, hujus tantùm meminit: sicut enim illa excusabat inadvertentia, ita hoc præventio culpabat.

66. Modò patebit ratio, cur quando Deus per Prophetam Nathan Davidem accusavit peccati quod commiserat, mentionem non fecerit adulterii cum Bethsabee, sed solius homicidii,
2. Reg. 11. nec non matrimonii cum ea initi: *Vriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* Casus hic meretur advertentiam: quod enim Davidi Bethsabee nupserit, absit ut matrimonium hoc censuram mereatur, imò verò ut sanctum piumque videtur celebrandum, idque duplici ratione: Primâ, quia per hoc videtur reparatum damnum quod morte viri sui Bethsabee David intulerat; secundâ, quia tale matrimonium ea tempestate licitum erat: quandoquidem nulla lege, sicut modò, prohiberetur, quod idcirco irritum est & nullum: etenim Ecclesia statuit homicidium uxoris impedimentum dirimens, ut resolvunt, agentes de hoc Sacramento, Doctores. Quarè igitur Propheta adulterium cum uxore Vriæ subticuit, solumque illi proposuit cum illa matrimonium? Multifariàm hæc dubia solvunt Interpretes: sed adest Procopius argumento nostro conformis, his verbis: *Significatur Deum plus hoc conjugio offensum fuisse, quàm adulterio: adulterium enim cupiditate victus commisit: conjugium autem deliberationis assensum habuit:* Procop. hic. idcirco de hoc, & non de illo queritur Deus: & ratio fuit, quia matrimonium, eandem quam homicidium, habuit deformitatem, quam tamen nemo carpit in adulterio; quia hoc fœtus fuit alterationis ex eo natæ, quòd mulieris nudæ fuerit raptus aspectu: matrimonium autem deliberatum fuit, multâque præviâ cogitatione constitutum. Easdē habuit circumstantias cū uxore Vriæ matrimonium, quod viri homicidium: hunc enim spiritum continent illa verba Prophetæ: *Percussisti gladio:* quia verò genus hoc mortis cadere videtur in repentinam coleram, addit textus: *Gladio filiorum Ammon.* Quasi dicat, non illum occidit tuus gladius: hic enim poterat indignationis fervor repentinam manus tuæ excusare levitatem, sed multo tempore, manuque

aliena homicidium præmeditatus es. Itaque in Divino tribunali illa sola videntur reputari peccata, saltem non tam facili digna remissione, quæ frigente sanguine, datoque consilio committuntur. Occidit Medæa patrem, fratremque suum, ut Iasoni complaceret; quando verò ut ingrata arguitur, hoc illi imponitur, non quod illos occiderit, sed quod sedato animo utrumque interfecerit, ex quo sceleris accrescit acerbitas:

Seneca in Med. *Quàm sæpe fudi sanguinem! at nullum scelus*
*Irata feci.* —

7. Prudenter annotavit Divus Basilius præmeditatos illos discursus divitis, de quo S. Lucas anticipando peccata de futuro, sibique in illis complacendo, quasi actualiter illa faceret: arbitratur autem hic sanctus extremum hoc esse malitiæ, disponere de fructibus nondum collectis, & pietati negare quod nondum possidebat: *Destruam horrea mea, & majora faciam:* audi modo Divum Basilium: *Incertus num esset victurus crastino, hodie peccando diem antevertit crastinum.* Si perversus ille dives peccatum suum deliberatè non fecisset, culpamque non præcogitâsset, non tantò videretur dignus supplicio; porrò dum ita in præsenti disponit id, quod postmodum agere proponit, & peccato venturam offert vitam, quæ sua non est, circumstantiam addit, ex opinione Divi Basilii, peccatum suum aggravantem, quâque fiat Divinæ pietatis indignus. Fortuitò cadere contingit justis, sed præhabitô consiliô peccatores denotat scelératissimos.

Luc. 12. D. Basil. hom. 6.

8. Iam vidi præcogitanter & deliberatè fideles cantantes, eoque fine sæpius probare musicam, ut voces conveniant, & præcogitatum pateat studium: porrò præmisso studio Deum offendere, & consilium inire ad peccandum, vitium sapit Pharisaicum, quòdque solùm in hominibus invenitur cauteriatæ conscientiæ, & Iudæis valde similibus. Appositè profert sanctus Gregorius verba illa Ieremiæ foecem hanc populi alloquentis, & in ipso nequiores peccatores: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent, laboraverunt.* Et meritò, inquit præfatus Doctor, requiruntur lectiones ad mentiendum: quia via veritatis regia est, & ad ambulandum plana: porrò mendacii valde molesta: necesse quippè est argumentis & responsionibus studere, quibus illud persuadeas, & obscures veritatem ex se lucidam adeò & claram. Vnde concludit, sæpenumerò pejus esse præcogitare mendacium, quàm illud effari. Ratio quâ probat illud, est velut illi propria: *Nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari verò studiosæ pravitatis, & malevolæ intentionis:* unde Deus gravius hoc quàm illud patitur. Iuxtà prædicta enormius esse non potuit peccatum Scribarum, Pharisæorum, eorumque capitum: quandoquidem de repente non peccaverint, sed antequàm illud opere perficerent, corde gestârant: quando hodie concilium ingressi sunt, ut authori vitæ vitam adimerent; unde peccatum eorum est irremissibile, quandoquidem non occasionaliter, neque fortuito, sed præmeditate & deliberate deliquerint: *Collegerunt ergo, &c.*

Ierem. 9.

S. Gregor. l. 17. mor. c. 4.

*Multa*

*Multa signa facit.*

CONSIDERATIO III.

*Quòd si memoria beneficiorum cogat ad gratitudinem, altius ascendere non potest humana malitia, quàm consideratis beneficiis referre calumnias.*

1. SI Pontifices & Pharisæi Ierusalem, non attentis bonis operibus, quibus author vitæ illos cumulabat, meditati fuissent ejus necem: videretur hæc circumstantia eorum culpam extenuâsse; verumtamen cùm præ oculis haberent mirabilia, quæ in ipsorum utilitatem continuò faciebat, & eorum memoriam recolerent: *Multa signa facit:* nihilominus interficere eum moliantur, *Expedit, &c.* indubiè nequitia est, quæ nescit plus ultra: quia, sicut experientia nos docet, & constat ex sacris oraculis, sanctorumque doctrina, memoria beneficiorum solet eorum provocare gratitudinem: ita supponit ut certum os aureum S. Chrysostomi in verbis illis palàm manifestis: *Optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum.* Vnde consequenter huic veritati, crescere non potest ulteriùs hominis peccatum, quàm si consideratis Dei beneficiis, Deum offendat.

*D. Chrys. hom. 26. in Matth.*

2. Erat Ioseph juvenis formâ gratissimus, indole blandus, optimisque moribus instructus: famulus serviebat in Ægypto Potiphari copiarum Regis Pharaonis duci generali: cujus uxor venerea in adolescentem cupiditate exarsit: unde nec diem intermittebat; quo pudicitiæ Iosephi castrum non impugnabat, idque tanta molestia, ut Spiritui sancto dicere licuerit: *Per singulos dies mulier molesta erat adolescenti.* Et licèt adeò gravis & periculosa esset tentatio: nam erat ille servus, ipsa verò domina, cui non minùs quàm libertatem offerebat, vinci nihilominus non potuit: imò verò de tentatione victor exivit. Vnde huic, obsecro, tantâ fortitudo? S. Pagina (ni fallar) hoc expressit: notat etenim ea ipsa occasione Ioseph ingressum cubiculum, libros evolvisse, in quibus descriptæ erant partes facultatum & bonorum, quæ Dominus suus ejus manui tradiderat, fideique commiserat: *Ingressus est ad faciendum opus suum.* Vel juxtà Paraphrasim Caldaicam: *Vt investigaret scripta rationis suæ.* Itaque librum computus evolvebat, in quo bona sibi commendata scripta legebantur: cùmque in illo cerneret quanta sibi Dominus suus commendaverat, efficax adeò, potensque ei fuit illa consideratio, ut frænum illi injecerit, ac detinuerit, ne sceleri consentiret, Deumque non offenderet, cui tantopere tenebatur; unde quasi foret sibi impossibile peccatum, dominæ suæ ita respondet: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate. Quomodò ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quomodò offendere possum illum Dominum, de quo tanta recepi beneficia? Quocirca ex illius libri lectione & recordatione beneficiorum à Domino sibi collatorum orta fuit constans illa resolutio, quâ nequaquam libidini consentiret. Hoc ego non excogitavi, sed summus Pontifex & Doctor Ecclesiæ Divus Gregorius, his verbis: *Quia bona, quæ assecutus fuerat, repente memoriæ intulit, malum, quod sepulsabat, evicit: & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fugit.* Prosequitur argumentum suum,

*Gen. 39.*

*Paraph. Cald. apud Velasq. In Ep. ad Philipp. c. 2. v. 12. annot. 13.*

*D. Greg. l. 30. mor. c. 9.*

suum, nobisque sanctum & utile dat consilium: *Eo igitur erubescamus prava committere, quo nos à Deo meminimus gratuita dona percepisse: & illatam gratiam exteriorum munerum, vertamus in in arma virtutum: ut sint ante oculos quæ percepimus, ut quæ nos alliciunt subigamus.* Quasi dicat, proposito nostro conformiter: Euge, age Christiane, pretioso Christi sanguine redempte: quotiescumque te tentat Diabolus, caro blanditur, & mundus excitat ut Deum offendas, recordare, precor, quantum Deo debeas ex innumeris receptis ab eo beneficiis, dicito cum beatissimo Ioseph: *Quomodò possum, &c.* quâ fronte Deum offendam, qui tanta mihi contulit, tantisque signis suum erga me testatus est affectum? *Multa signa facit.* Hâc etenim consideratione confestim à te recedet mala cogitatio, suas Diabolus compescet molestias, ejusque tentationes facilè superabis. Æquipollentibus verbis dixit hoc aurea S. Chrysostomi eloquentia: *Igitur quando nos cogitatio perturbat, in mente versemus verbum: quomodò faciam hoc malum? & statim fugiet omnis illicita concupiscentia.* Non poterat rem amplius exaggerare Divus Chrysostomus, quandoquidem ex memoria Divinorum beneficiorum nobis polliceatur de potentissimis nostris inimicis victoriam. Ita repugnat Dei beneficiorum memoria peccatoribus: ut videatur idem esse illa habere præsentia, & nequaquam posse, vel audere peccare.

*D. Chrys. hom. 62. in Gen.*

3. Gravissimorum Doctorum sententia est, quòd in prima mundi ætate, ab Adam scilicèt usque ad diluvium, nullum fuerit Idololatriæ peccatum: sed initium sumpserit post diluvium sub tyranno rege Nemrot: ita sentit Iosephus, cui favent Tertullianus, sanctus Cyprianus, sanctus Isidorus, & alii, & clarè colligitur ex l. Sapientiæ, ubi dicitur in mundi primordio nulla fuisse idola quæ mortales adorarent: *Neque enim erant ab initio idola.* Si voluerimus causam hujus examinare, & rationem asserere, ob quam homines in tam barbaram non sint devoluti stultitiam, mentisque amentiam, imò verò se conservârunt in veneratione, cultuque veri Dei, hanc nobis exponet Angelicus Doctor, nimirum: quia recenti adhuc memoria recolebant mundi creationem: atque in tantùm Idololatræ non fuerunt, in quantum ejus non sunt obliti: *In prima ætate non fuit idololatria, propter recentem memoriam creationis mundi: ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum.* Ita beneficii gratitudo provocabat ejus memoriam, ut recordati tantùm creationis, quasi limites sibi statuerent, ne turpiter in peccatum adeò abominabile delaberentur.

*Iosephus l. 1. Antiquit. Tertull. l. de idololat. c. 2. Cypr. l. de vanit. idolol. Isidor. l. 8. Ethymolog. c. ul. Sap. 14. D. Thom. 2. 2 q 94. à 4. ad 2.*

4. Vnde naturali consequentia infertur magìs augeri non posse hominis malitiam, quàm si Deum, Dominumque suum, ejus recordatus misericordiarum, offendat. Sacer Historiographus Moyses describens hominum statum, quo vivebant tempore Noë, quando Dei supplicium illos incurios apprehendit, ait omnes repletos fuisse nequitiis, omnes corruptos, omnes libidinosos: *Corrupta est terra coram Domino, & repleta est iniquitate.* Novi verba hæc omnia notatu digna: *Coram Domino*, hoc est, ante Dominum, cum Oleastro, idemque est quod dicit S. Pagina quod homines peccârint in conspectu Dei. Hoc dictum erat, quia fides nos docet Deum à nemine posse falli, ut habet Apost. omnia quippe opera nostra Divinis oculis sunt manifesta: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus:*

*Gen. 6. Hebr. 4.*

*ejus:* Deus syllabas omnes conscientiæ nostræ connectit, verbaque legit animæ, ac subtiles cordis nostri fibras perrimatur. Quid igitur Spiritus sanctus docere nos voluit mystico illo verbo? Doctissimus Oleaster nodum dissolvit mihi convenienter: *Peccare ceu corrumpi in oculis Dei, nihil aliud esse puto, quàm memorem Dei, ipsum offendere; omnia enim vident oculi ejus, sed nos peccantes non semper illius memores sumus. Sperat autem ipse, quòd nemo ejus memor possit peccare: cùm enim meminerit plasmatoris benefici, & Redemptoris munifici, quomodò non retinebitur ne eum offendat?* Quantum sapio, sic Oleaster, peccare coram Deo, non est aliud, quàm Dei memorem offendere, & recordatum bonorum, quæ magnus ille Deus liberaliter nobis communicat, illum irritare: etenim absque dubio aggravat valde culpam, si quis eam committat coram propriis obligationibus, convertens gratitudinem in offensam benefactoris.

*Oleaster hic.*

5. Aggravat Propheta Regius execrabilem Israëlitarum erga Deum suum ingratitudinem, dum ait: *Fecerunt vitulum in Oreb, & adoraverunt sculptile*, hoc est, in idololatriam lapsi sunt, atque in campo Oreb vitulum erexerunt, & idolum adorârunt conflatile contra Dei mandatum: *Non adorabis sculptile:* Quasi dicat, tam exorbitantia sunt hujus populi crimina, ut in Oreb ausi fuerint Deo suo perdere respectum, cultumque negare illi de justitia debitum. D. Chrysostomus, & Theodoretus graviter expenderunt circumstantiam hujus peccati: nempè cùm vitulum in monte Oreb adorârint: & hanc dant rationem; quia in monte illo Deus populo apparuerat majestate plenus: atque in eodem legem illi, velut peculio suo, dederat, docens illum quâ ratione servire Deo, amare illum & diligere deberet. Et quando ejus malum advertit cambium, quòdque in memoria tam particularium beneficiorum illum provocaret, amor offensus ingratitudinis notavit circumstantias, duritiem ejus, & perversitatem reprehendens: *Vt impietatis hyperbolen doceret*, inquit Theodoretus: *quandoquidem Dominus in monte illo apparuit.* Et magìs extensè D. Chrysostomus: *Montis mentionem non sine causa fecit, sed ut incredibilem quamdam impietatis magnitudinem demonstraret: nam in eo monte Dominus spectandum se præbuerat, in ingenti scilicèt igne apparens, tubis utens, & cum tantò terrore legem ipsis offerens; & tamen in eodem monte impietate se constringere minimè dubitarent.* Culpa hæc ita modum omnem excedit, ut vix credi possit: nam in eodem loco, quo beneficium recolunt, committunt irreverentiam; nec potest delictum magìs efferri, quam si quis dixerit: beneficus, ut talis agnitus, offenditur: hoc est fabricare idola in Oreb, eaque adorare: *Fecerunt vitulum in Oreb, & adoraverunt sculptile.*

*Ps. 105.*

*Theodor. hic.*

*D. Chrysost. hic.*

Loquitur Deus per Prophetam Ezechiël populo suo sub metaphora puellæ, quam casualiter invenit princeps de matris utero jam egressam, nondū à sanguine & spurcitiis emundatam, partum sequi solitis, nescio qua de causa jacentem in plateis, hominum, imò bestiarum transeuntium pedibus protritam, & ait: *Vidi te conculcatam in sanguine tuo, &c.* misertus sum tui, tuamque luxi calamitatem. Illam de terra sublevavit, in domum introduxit, mille fovit deliciis, donec jam nubilem eam duxerit in uxorem. Illa verò ingrata offendit illum, viro per adulterium fædifraga, atque in tantam delapsa est inurbanitatem, quantam 6.

*Ezech. 16.*

vix mundus posset imaginari. Verba quæ profert, merentur expendi: *Ecce tempus tuum, tempus amantium*; quo nimirum me diligas: Porrò si originale septuaginta Interpretum consulamus in Bibliis versionum, hæc verba reperiemus: *Tempus tuum, tempus divertentium*, & terga vertentium. Occurrit modo ratio dubii: quomodò conveniat tempus amantium, & quærentium, tempori divertentium, tergaque vertentium? Dicant suum alii judicium, hoc meum est, quòd abjecta hominis natura, ejusque ingratitudo, persuadeat illi tempus magis opportunum offendendi Deum, illud esse, quo tenetur illi servire, & ipsam occasionem, quâ provocatur ad gratitudinem, provocare eum ad inhumanitatem. Ita maritantur hæ duæ lectiones, quæ primâ fronte videbantur oppositæ: *Tempus tuum, tempus amantium, tempus divertentium*. Diligendi tempus, multaque pro Deo faciendi, quandoquidem mirabilia faciat: *Signa facit*; & tempus illum evertendi: quandoquidem ratio, ipsum interficiendi, alia non detur, quàm bona ejus opera: *Expedit, &c.*

7. Modò capiemus dolorosas illas, siquidem amorosas querimonias Domini de populo suo, ore Davidico:
Ps. 77. *Non sunt recordati, die qua redemit eos de manu tribulantis*. In memoriam non reduxerunt diem illum, quo Deus illos de Ægyptiaca servitute redemit. Notate verba: *Die qua redemit eos*, non ait, *Non sunt recordati diei*, sed *die qua*, hoc est, quòd ipso die, quo liberavit eos, Divinæ Majestatis sint obliti. Casus plane admirabilis, & quem sanguineis lachrymis deploremus: quòd in ipso die, quo Deus catenas eis disrumpit Ægyptiacæ servitutis, non recordentur manûs potentioris, quâ Deus illas dissolvit: *Non sunt recordati*. Quid ergo erit, si non tantùm obliviscantur, sed ipsos compedes, quos de inflatis eorum pedibus sustulit, instrumentum suæ capiant ingratitudinis, ac de miraculis ab eo factis cultrum cudant, quo illum occidant? Quòd eodem tempore, quo Deus ditandis vobis incumbit, modum quæratis, quo reddatis illi malum pro bono? Quòdque dum Deus ex parte hac quos de periculis liberat, ex altera proponatis illum offendere? & quamprimum vos de febribus liberavit, modos investigetis, quibus sanitatem vestram ad illum irritandum, impendatis? Quòd Deo vobis augente facultates, illis fraudes, usuras, dolosque machinemini? Talis ingratitudo nec inter feras invenitur, & Deum, si quid aliud, gravissimè offendit.

Expendi aliàs, sed aliâ intentione, quæ potuerit esse ratio, quòd Christus, salus nostra, in omnibus passionis suæ stationibus, ut mutus, non aperuerit os suum, juxtà vaticinium Isaiæ: *Quasi* 8.
*agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*. Vt patuit quando flagellabatur, quando spinis coronabatur, quando calumniis impetebatur, quando sannis excipiebatur, quando colaphis contundebatur; tunc solùm locutus sit, quando blasphemus ille Pontificis Annæ minister (verius dicerem satanæ minister) elatâ sacrilegâ manu, crudelem illi impegit alapam: Isai. 53.
*Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*: ad cujus receptionem, & blasphemam actionem Agnus innocens rupto silentio percunctatus est: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis?* Et injuriosum mihi imponis colaphum? Novi SS. Patres diversas hîc ingredi vias, & valde devotas adferre contemplatio- Ioan. 18.

nes. Ego more solito breviter expendo quòd mansuetissimus Agnus hic labia sua dissolvat, & dolenter modò magìs hoc ferat quàm aliàs. Quærens autem eventus hujus causam, eam inveni apud D. Chrysostomũ: servus ille qui dedit alapam Iesu, *fuit Malchus, cui Christus abscissam aurem reddidit,* quam paulò antè Petrus illi tulerat. Idem sentit Euthymius Doctor gravis & antiquus. Itaque quia Salvator noster actualiter illi fuerat beneficus, ab eo illatam injuriam gravius sensit, offensam utique commissam, recepto, visoque tam insigni miraculo ad ejus salutem patrato. Malitia hæc non absimilis est Pontificum & Pharisæorum nequitiæ, quæ tam proterva fuit, ut visis tot prodigiosis signis, quæ corãm illis Redemptor noster patrabat, qui pro illis grati esse debuissent, concilia cogant perdendi illum, & tyrannica, ac turpissima morte condemnandi: *Quid facimus, &c. Expedit.*

*D. Chrys. & Euth. cit. à Barradio tom. 4. concord. l. 6. c. 19.*

---

*Venient Romani.*

CONSIDERATIO IV.

*Ex justo judicio Dei venit, quòd per eadem media, quibus mali suæ student conservationi, suam attrahant ruinam.*

1\. QVàm erroneæ fuerunt Pontificum & Pharisæorum technæ, inquit D. Basilius, quandoquidem intentione sua frustrati fuerint: etenim per ea ipsa media, quibus possessionem regni sui conservare conati sunt, nimirum occidendo Christum Dominum, illam perdiderunt, & statûs sui constantiam intendentes, ruinæ ejus dederunt occasionem: *Necem Christi aggressi, quasi gentem & locum suum servaturi, suo ipsorum consilio utrumque perdiderunt, extorres facti, & ab institutis suis, & cultu abalienati.* Visum est illis, quòd pretio tam immitis executionis populum suum contra Romanos assererent, & manus evaderent inimici: hoc ipso tamen illum sine muro & protectione destituerunt: illique advenit quod timebant: Romani namque armata manu in illos irruerunt, & nemine resistente, captivos abduxerunt, atque per totum orbem fuêre cunctis opprobrio. Mors hæc illos delevit, & contemptus hic mundo fecit illos ita contemptibiles ac quis sibi posset imaginari. Hic fructus fuit concilii sui contra Christum: justo namque Dei judicio fit, ut per ipsa media, quibus mali conservationi suæ student, eandem trahant in ruinam.

*D. Basil. hom. 21 de humil.*

Admirabilem sanè casum narrat nobis S. Pagina contigisse inter Deum & Moysen amicum suum, servumque fidelissimum, cui Deus loquebatur & persuadebat, ut instrumentum esse vellet liberando populo suo oppresso, ferrisque vincto sub durissima Pharaonis tyranni servitute. Vt autem crederet Moyses à Deo nuntium suum se mitti, spectante ipso dedit Deus manifesta omnipotentiæ suæ argumenta: nam ita Moysi Deus: *Quid est quod tenes in manu tua?* Cui Moyses: *Virgam:* Dixitque Dominus: *Projice eam in terram.* Illico Moyses obediit, & projecit in terram; vix de manu Moysi deciderat in terram, & ecce, *Versa est in colubrum*, ita ut generosus pastor timore concussus, terga verteret. Quærunt Interpretes: de quo sibi timet Hebrææ gentis antesignanus? An coluber adeo potens ut metum injiciat ei, cui familiaris erat in deserto, ubi gregem pascebat, tam horribilium aspectus animalium, quæ, ferocia & venenosa, toties illum perterrere pote-rant? 2

*Exod. 3.*

rant? Quarè adeò timidus fugit coram Deo, qui confortare poterat illum, & defendere? Stephanus Cantuariensis comprehendit hoc dubium allegoriâ quâdam proposito nostro valde conformi: *Virga est potestas judicandi, virgam in terram projicere, est potestatem judiciariam ad terrena deflectere.* Non inhæreat consideratio nostra ipsi facto, sed ascendat cogitatio intellectura significatum. sic ipse: Virga, insigne est regiminis, & potestatis judiciariæ symbolum. Nota nunc acumen: dum virga servatur inflexibilis, hoc est, Iustitia suo munere fungitur, & rectâ intentione procedit qui eam manu tenet, remunerando bonos, & puniendo malos, nec humano respectu detorquetur, honori est, & splendori, ut fuit Moysi: per illam enim tanta operatus est prodigia & signa, ut per totum orbem illustris evaserit & gloriosus. Si quando verò virga inclinatur, & Iudex sinistrâ intentione, proprio ductus commodo, se demittit in terram, & propter suos respectus & congruentias proterit justitiam; in tali casu Iudex & Princeps proprium timeat concilium, ne non sit sanctum, & potestas sua injusta: quia justo Dei judicio fit, ut ille ipse qui peccati ejus causa fuit, sit ejus quoque supplicii instrumentum, & per illam viam, quâ proprium sibi pollicebatur augmentum, damna ingrediantur graviora. Non perterret Moysen draco, quia draco, non ille Moysen exanimat; solitus enim erat animositatem dedignari leonis, & feritatem non timere serpentis, aliorumque similium animalium: sed hoc illi timorem incutit, quòd in terram projecerit virgam suam, imò & Deum, & justitiam calcaverit, suis tantummodò commoditatibus intendens. Secundùm hæc erroneæ fuerunt rationes Pontificum & Pharisæorum, & inordinatus eorum timor: quandoquidem in rectitudine justitiæ certam suam haberent securitatem: sed quò instanti virgam projiciunt in terram, timere debent: tyrannis enim, in quam ob temporalia sua se præcipitant, intendentes necem Salvatori, ruinam illis adducet.

*Stephan. Cant. in Allegor. Titelm.*

3. Adest impius Rex Pharao & generale statuit obstetricibus Ægypti mandatum, quô præcipit, ut semper parientium Hebræarum mulierum natos masculos præfocarent. Misericordes fuerunt obstetrices, & absit ut mandatum hoc fuerint executæ, imò verò infantes conservare studuerunt, Pharaoni imponentes, mulieres Hebræas ita doctas in recipiendo fœtu, ut dum accederent, Hebrææ jam peperissent: *Obstetrices non fecerunt juxtà præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares, &c.* Nascitur hâc tempestate infans Moyses, quem pater fiscellæ scirpeæ linitæ bitumine & pice inclusit, ne aqua subintraret. Puer sic inclusus flumini committitur, ut aquæ innatans fluminis decursu raperetur: factumque est, ut filia Regis Pharaonis obambulans ad ripam fluminis, fiscellam aspiciens, de aqua tolli mandaverit, quâ, ipsâ spectante, apertâ, detegitur infans Moyses sole formosior, qui postmodùm populi captivi in Ægypto assertor fuit, & dux generalis. Occurrit modò Lipomannus, & quærit: quid necesse fuit Deo tot ambagibus, tantâque diligentiâ, quâ vitæ Moysi consuleret? Ad intenti nostri perpendiculum respondet: *Voluit Dominus multiplicari Hebræos, Pharao autem voluit Hebræos deleri. Vter ergo inter hos prævaluit? certè Domini voluntas ita promovet, ut Pharao longè aliud agens, adjuverit potius voluntatem Dei tyrannide suâ, quàm impedierit.* Bellum hîc agebatur inter potentiam & potentiam,

*Exod. 1.*

*Lipom. hic.*

tiam,sed Divina victoriam retulit,cui Pharao crudelitate suâ militavit. Et paulò inferius addit author hæc verba: *Tantùm absfuit ut Moyses perire potuerit per Regis crudelitatem, ut ipsum quoque intra regiam aulam suam educari oportuerit. Sic parabatur à rege contra regem*, ut Pharao proprio caderet gladio, unde quidquid tentavit, sibi nocuit: quandoquidem in faciem illi machinæ ceciderint quas molitus erat: & media quæ sui conservationi & regnorum incolumitati paraverat, populi verò Dei destructioni, infelicem illi pepererint interitum, Israëlitis interim in omnibus ad faustiora proficientibus. Ignorant Pontifices & Pharisæi id quod agunt, dum Salvatori struunt necem, ut illâ interveniente statuum suorum studeant conservationi: quia per id agunt (quamvìs involuntariè) partes Dei, & Divinæ ejus voluntatis sunt executores: nam mediante hac morte decreverat Deus gloriosam Salvatoris resurrectionem, generis humani libertatem, & supremam populi Hebraici perditionem: *Sic parabatur à rege contra regem*, atque in caput saxa delapsa sunt, quæ contra cœlum contorserant, & quâ viâ principatum suum asserere se posse imaginati sunt, infames, perditos & deletos se planxerunt; & quia Christum interemerunt, ipsi perierunt: *Prætextum sumpserunt occidendi Christum, ne à Romanis internecioni traderentur: quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt: & quæ fecerunt ut effugerent ea, quia fecerunt, non effugerunt.* Ita Euthymius. Euthym. hic.

4. Duo mihi occurrunt ad argumenti hujus probationem, ambo de Saül. Primùm notat D. Gregorius, alterum Philosophus Alexandrinus. Prodeat primum. Dixit Saül ad David: *Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem.* Sed tali conditione, ut David prius centum interficeret Philistæos: *Non habet Rex Sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philistinorum, &c.* Appendit D. Gregorius supremam hanc dignitatem quâ Saül Davidem honorabat, licèt illi malum intenderet, & videre non sustineret. Dicit præfatus Doctor: quamvìs enim verbis suis bonam indicaret voluntatem, mens tamen erat perversa: hoc enim callidus intendebat, ut David, promissô allectus præmiô, majori ardore belli periculis se subderet, & ita manibus caderet hostium, ipse verò eâ gloriâ, quâ prius, potiretur, tanquàm dux invictus & reliquis in bello felicior, qualis non habebatur Davide superstite: hic etenim ab illo populo victor antonomasticè proclamatus fuit. Porrò cogitationi non respondit eventus, imò contradixit: ut enim advertit S. Pagina, David ita dextero Deo pugnavit, ut parum est centum, imò ducentos interfecerit Philistæos, quo nomen sibi comparavit illustre, fama ejus æternitati tradita, Saülis autem Eclipsim passa, ejus fervor retusus ante ita celebratus, splendor obnubilatus, & super omnia regno privatus, cujus stabilem possessionem pretio mortis David conservare satagebat. Loquitur summus Pontifex: *Saül suprema providentia in Sapientiæ suæ est consilio deprehensus, quia unde succrescentis militis vitam se exstinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit.* Notanda verba: *In Sapientiæ suæ consilio est deprehensus*, quòd illi convenit ex Euangelio: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* In quod convenerunt optimates Ierusalem, & cæteris prudentiores ac sapientiores: ut autem regiminis sui & regni consulerent incolumitati, cepêre consilium interficiendi Christum in Davide

1. Reg. 18. S. Gregor. hic.

de præfiguratum: porrò non aliud inde lucrum sibi comparârunt quàm Saül ex suis intentionibus: unde namque felicem sibi pollicebantur eventum, tristissimam & infelicissimam lucrati sunt calamitatem.

5. Sequatur secundum: quando Deus noster in regem extulit Saülem, hoc illi per Prophetam Samuël nuntiari jubet, sibi persuadeat à Deo traditum suæ potestati regnum eo animo, ut refractarios quosdam peccatores, nimirum Amalecitas, puniat: *Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israël: Nunc ergo audi vocem Domini: Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus.* Acceptat Saül sceptrum, & continuò manum adhibet operi: non exactè tamen Dei mandatum implevit, sed quibusdam ex inimicis Dei vitam concessit, nominatim autem regem Agag liberum abire permisit: *Et pepercit Saül Agag, & populus ejus, &c.* fecit hoc, si Lyrano credendum, ex avaritia: sibi namque persuasit copiosum ex illo litrum sibi reddendum: *Cupiditate ductus, sperabat enim habere de eo magnam redemptionem, vel per eum occulti thesauri revelationem*; sed inde sibi regni sui & imperii jacturam acquisivit: unde confestim Deus Prophetæ loquitur ejus unctori; aitque illi: vade & dic Saüli, vanam stultamque ejus fuisse cogitationem: per quam etenim regni sui, domusque augurabatur æternitatem, eandem perdidit, eantur æternitatem, eandemque ob rationem illi sceptrum auferam & coronam, daboque alteri diligentius mihi placituro: *Scidit Dominus regnum tuum à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Et factum est ita: translatum quippè regnum à Saül transiit ad David, ejusque posteros. Hoc autem minimè prætereamus: cùm enim Saül in montibus Gelboë castris exutus, clade prostratus, plagisque confossus jaceret moriturus, ait S. Eloquium, adolescentem Amalecitam casu advenisse, qui gladio Saülem, hoc ipsum rogantem, interfecit, coronam ei de capite abstraxit, tulitque ad David. Hic enim à Davide requisitus respondit: *Amalecites ego sum, &c. Stansque super eum occidit illum, & tulit diadema quod erat in capite ejus, &c. & attuli ad te Dominum meum regem.* Si percuncteris unde venerit ille Amalecites in montibus Gelboë, cùm ita sit, quòd regio illa non esset Amalecitarum, nec contra eos, sed Philisthæos bellum ageretur? Respondebit tibi Philo Hebræus: *Erat filius Regis Agag*, & reginæ uxoris suæ, cui Saül prævaricator Divini mandati vitam concesserat: quem Divina providentia ea tempestate deduxit ad locum illum, quia dum Saül, ejusque ministri parcunt Regi Amalec, & optimis quibusque spoliis, quibus regnum suum cumulent, voluit in hoc ostendere Divina Majestas, quòd in salvanda ejus vita, mors propria delitesceret, atque in reservatione facultatum & opum, extrema regni sui & dignitatis lateret desolatio. Ad confirmationem quod in discursu hujus assumpti perpendimus, nullas hominum machinationes contra Divinam prævalere voluntatem, atque per id quod homines cogitant sibi lucrari, perdunt.

1. Reg. 15.

Lyran. hic.

2. Reg. 1.

Philo Hebr. l. de antiquit.

6. Expendit D. Chrysostomus adolescentem Absalon in acie, armatâ manu patrem Davidem oppugnantem, ut vitam illi parricida tollat, regno deponat, ipse successor ingrediatur, & statim suspensum in quercu hærere propriis implexum capillis: *Adhæsit caput ejus quercui, &c.* Quid est hoc (quærit D. Chrysostomus) ô proditor Absalon, quis te suspendit? Non pater tuus,

D. Chr. hom. de Absalon.

2. Reg. 18.

tuus, nec ille te suspensum detinet, nec tale quid aut decrevit aut voluit: quin imò voce publica ducibus omnibus ac militibus præcepit: *Servate mihi puerum Absalon*, & postmodùm infaustum tuum exitum nemo vivis adeò lachrymis, ac ille, deplanxit, lamentatus: *Absalon fili mi, &c.* Quis ergo te ad statum hunc deduxit omnium miserrimum? Respondet D. Chrysostomus: *Perdidit Absalon scelestißimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium insectatus patrem, usurpat imperium, regnum invadit.* Quàm ob causam sine discessit hinc lamentabili? Verba illa repetamus: *Amisit consilium, &c.* Qua de causa dicit Os aureum magìs quod Absalon perdiderit mentem, sensum & consilium, quàm pietatem, justitiam & verecundiam? Cùm ita sit, quòd tyrannum exhibere se patri, iniquam magìs involverit conspirationem, cordis traditoris filiam, quàm consilium stultum & imprudens? Exponit se D. Chrysostomus, verbis sequentibus: *Perdidit, inquam, Absalon consilium, dum parricidio cupit mercari imperium; & per exitum patris consequi desiderat regnum.* Optima responsio; manet nihilominùs in sua efficacia veritas: quarè perniciosam adeo mentem non vocet perversam & iniquam, sed inopem consilii? *Quia festinat* (inquit D. Chrysostomus) *patrem opprimere reus patre superstite moriturus.*

*D. Chrys. hom. de Absalon.*

6. Stultum illum indigitat, & mali consilii reum: etenim idem fuit contra Deum, omnesque Divinas ejus leges & humanas quidquam intentare, nec non patris sui agere parricidam, quòd propriam accelerare mortem. Passus est rapi se inter quercus ramos à perversa sua passione, furibunda ambitione, regnandi cupiditate, atque impia contra patrem suum audacia: capilli verò, superbæ suæ prætentionis vento elevatæ, arrogantis suæ vanitatis, malique consilii, catasta fuerunt, quæ funes illi crudeliter constrinxit, atque per eadem media, quibus fortunam suam solidare prætendebat, sortem obtinuit quâ nulla miserabilior.

Verba illa Iob quæ alias expendimus: *Ædificavit sicut tinea domum suam*, secundùm communem interpretum sententiam, divites tangunt, & mundi magnates, quos Spiritus sanctus dicit ædificare domum suam sicut tinea. Subtilis est Pinedæ in hunc locum observatio, quâ ponderat, quid tineæ eveniat in domus suæ fabrica: *Hoc habet proprium, quòd quamvìs corrodendo videatur sibi ædificare domum, & latibulum quærere, sed corrodendo etiam suam domum diruit: nam cùm vel lignum nimium cariosum est, vel cùm vestis jam nimium attrita & macerata, tunc tandem perit domus tineæ, excutiturque ex suo latibulo. Igitur ipsa sibi tinea molitur exitium suum, demoliturque domum suam.* Itaque tinea erigens sibi hospitium, proprio intendit damno, & pro vitæ tempore domum extruens, vita, domoque spoliatur: *Non aliter sanè impii, dum alienas res mordendo & vorando, domum suam erigere, & stabilire nituntur, suum ipsi exitium quærunt.* Quantum sapio, Pontifices hîc tangit & Pharisæos hodierni Euangelii. 7.

*Iob 27.*

*Pineda hîc.*

De proditore discipulo, qui cupiditate victus Divinum suum distraxit magistrū, ait D. Matthæus, quòd post impiam mercaturam ad templum abierit, atque in eo pretium refuderit sanguinis à Sacerdotibus acceptum, & inde abiens, laqueo se suspenderit: *Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Notat D. Gregorius Nazianzenus quòd obligatus vili lucro perfidus Dominum suum vendiderit, & cùm sibi persuaderet 8.

*Matth. 27.*

quòd

quod in aliquo ex Principibus Sacerdotum proficeret, justo tamen Dei judicio Christum & pecunias amisit, nullum retulit fructum, imò vitæ naufragium tulit, ab omnibus habitus perfidus & infamis, qualem nunquàm mundus despexit: *Non enim Iudas iterum Christum recepit, sed nec retinuit pretium:* quô namque mediô lucrum sibi, & facultates intendebat, eò bonis omnibus terræ, cœliqúe spoliatus interiit: ut hoc omnibus innotescat, quòd qui propter commodum aliquod perdit Deum, & Deum, & commodum sit perditurus.

*Nazianz. cit. in q. 1. c. 1. qui studet.*

9. Referunt Historiæ de Constantio patre primi Imperatoris Catholici Constantini, quòd in exordio imperii sui congregatis omnibus servis suis & aulæ ministris, dixerit illis: omnes qui voluerint sacrificare idolis, meam gratiam, ut antè, lucrabuntur, status ac dignitates quas habent, retinebunt; qui verò hoc facere detractarent & Christiani vivere, confestim aulâ discedant, quibus hanc adhuc gratiam conderet quòd gravius illos non puniret. Quidam, ut Imperatoris inirent gratiam & antiquam retinerent dignitatem, à fide defecerunt, & idolis servierunt; alii constantes in fide perstiterunt, & de palatio ablegati sunt. Quid in hoc casu prudentissimus egit Imperator? hos in suam recepit gratiam, constantius illis fidit, & ad honores statusque provexit eminentiores; illos verò ignominiosè de obsequio suo rejecit, & bonis, quæ possidebant, exuit, hanc allegans rationem: *Eos regi suo nunquàm fideles fore, qui Deo infideles exstitissent.* Vnde Divinam hic nota permissionem, quâ eorum machinæ dissolverentur, ut eodem casu quô Dei cultum conculcabant, ut hominum gratiam conservarent, hominibus, Deoque nudarentur: & quandoquidem, propter terræ lucrum, cœlum reliquerant, terrâ carerent & cœlo. Sicut etiam contigit Principibus & Pharisæis: nam per ea ipsa media quibus suam elegerunt conservationem, ruinam sibi procurârunt: idem etenim fuit mori Christum, & ipsos tradi, subjicique Romanis: nam justum est, ut qui Deum terreni commodi gratiâ deserit, utrumque illi deficiat, malisque omnibus oppleatur: *Venient Romani.*

*Sazom. l. 1. c. 6. Hist. Eccles.*

---

## *Et tollent locum nostrum.*

### CONSIDERATIO V.

*Malorum hæc est conditio, quòd damna culpæ non timeant, mala verò pœnæ graviter exhorrescant.*

I. BOnum est quod Iudæi timeant incidere in manus Romanorum, & anticipativè sentiant malum ab illis inferendum: non tamen verentur contra rationem & justitiam occidere Redemptorem. Vt impium sugillat timorem hunc S. Hilarius, quô timet quis ea quæ timere non oportet, non tamen timet quæ timorem illi incutere deberent: *Impius ergo timor est, cùm quæ non timenda sunt, timentur, & quæ timenda sunt, non timentur.* Dolendum est, inquit, quòd homines ita studeant terræ principibus adulari, ut eorum gratiam aucupentur, in eâque se conservent, veriti multùm ne illa excidant; cùm ita sit, quòd illi non ampliorem in nos, quantum spectat ad corpus, habeant jurisdictionem, quàm latro, febris, ignis, incendium, naufragium, terræ motus, vel ruina: obliviscantur tamen timere

*D. Hilar. in Ps. 52.*

timere Deum illum & Dominum, qui nedum corpus, sed & animam æternis potest addicere cruciatibus: *Et plerumque nõ tamquàm pro debita officii religione piè adulari regibus existimamus: quia in corpus nostrum sit in his aliquid potestatis, quibus nihil ultra de nobis licet, quàm latroni, quàm febri, quàm incendio, quàm naufragio, quàm ruinæ: punitorem, perditoremque in igne judicii & corporis & animæ nostræ Deum non timentes, dum placere nos ipsis, & in eorum gratia permanere famulatu impio gloriamur.* Porrò timor hic inordinatus non nisi in filiis hujus sæculi invenitur, qui jacturâ Dei & animæ, peccati se mancipant obsequio: *Famulatu impio*, peccatori etenim innata est pœnæ, non culpæ formido.

D. Hilar. in Ps. 52.

2. In hoc discursu effugere non possumus timorem Cain, qui postquàm nefandissimum illud, totoque orbe notissimum commisisset fratricidium, atque à summo judice de sanguineo illo facinore culparetur, ita respondit: *Ecce ejicis me à facie tua, & à facie tua abscondar; omnis qui invenerit me, occidet me.* Sufficit, ô Domine, mihi hanc infligas pœnam, quâ totâ vitâ discurram exul, nullumque sit mihi in terra permanens fixumque domicilium, nec ultra videam faciem tuam. Qui mihi primus occurrerit, mihi vitam auferet. Audit loquentem illum Rupertus, & notat, hoc maximè maledictum hunc affligere, non quod carere deberet conspectu Dei, ejusque gratia privari: sed sibi non permitti, tellurem, ut prius, colere, & arare: *Erat Cain vir agricola, & operabatur terram.* Nefas est ejus verba præterire: *Timet Cain, ne agricolari sibi non liceat, ne terram, quam solùm amat, vel præsentem vitam pro admisso facinore perdat.* Floxi pendit Cain, si videat Deum sibi indignatum: nec curat quòd illum tam enormi fratricidio suo offenderit: sed hoc illum torquet, quòd terræ fructibus non sit potiturus, nec ulteriorem messem collecturus: sed nec angit illum spiritualis vitæ, & animæ perditio, verùmtamen inde torquetur, quòd timeat ne corporis vitam amittat.

Gen. 4.

I.

Rupert. l. 4. in c. 4. Gen.

Hebræi conveniunt ad summum Sacerdotem Aaron, magnâque instantiâ postulant sibi ab eo fieri Deos, à quibus in terram deducantur promissionis: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Continuò petitis annuit, & collectis eorum monilibus, conflavit inde vitulum: *Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Confestìm omnes diem festum celebrârunt, sibique mutuo congratulati sunt, & vociferati, dixerunt: *Hi sunt Dii tui, ô Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, & in terram introducent quò tendis. Vt certam suppono doctrinam SS. PP. & interpretum, qui docent Aaronem in hac actione peccâsse, imò multò gravius quàm populus (sicut aliàs expendimus.) Hoc tantùm inquiro, quæ causa summum Sacerdotem ad tantam impulerit animi dementiam: quæ secundùm judicium Cajetani & Oleastri, timor fuit, quo metuebat officium sibi auferendum, & à dignitate pontificali se suspendendum: unde proposuit petitioni eorum assentire, ipsisque se per omnia conformare, ne supremo illo honore privaretur: *Ecce quo ducit* (ita doctissimus Cardinalis) *ambitio principatus. Audis quid Sacerdos* (loquitur Lusitanus) *perpetrat, ne Sacerdotis munus amittat.* Pari viâ progreditur in hac occasione summus Pontifex Aaron, quâ illi, de quibus Euangelium: quandoquidem non vereatur tam enorme committere peccatum, modò se ab imaginaria illa pœna liberet. 3.

Exod. 32.

Cajet. hic.

Oleast. hic.

Excitat Rex Balac ariolum Balaam ut 4.

ut maledicat populo Dei: Historiam utique trimulis notam omitto. Consulit præstigiator Deum, petit quid in hoc casu sibi sit agendum: licèt non serio, sed superficialiter tantùm hoc ageret: jam enim mortale vulnus ei cupiditas inflixerat, & agere quod Rex mandabat sibi præstituerat. Notat hîc singulariter Lyranus quòd Balaam homo fuerit ad summum effrons: cùm enim ita sit quòd servi Balac, qui nuntium ei tulerant, ipsum non appellàrint regem, ille tamen Deo locutus, ut talem eum inscribit, dixit enim: *Balac filius Sephor misit ad me.* Quæ fuit mens arioli utendi hoc idiomate? An dicere non poterat Domino: Balac me vocat? Ratio fuit, inquit Lyranus, quòd ex unâ parte occurrerit illi voluntas Dei præcupientis ne iret: ex altera verò considerabat, quòd si vocanti regi non obediret, carò lueret, ob dependentiam quam de magnatibus habent inferiores. Et idcircò regem nominat, quasi dicat: *Propter dignitatem regiam deberem ire ad eum.* Balac monarcha est, ego verò homo vulgaris: & ita, licèt invitus, teneor ei obedire. Itaque minus malum censuit Deo non obtemperare, Deique populo maledicere, (erant hæc mala culpæ manifesta) quàm indignationem & inimicitiam quâ moveri poterat Rex Moabitarum, incurrere. hoc metuit: etenim aliud non illum torquebat.

Lyran. hic.

5. Ab alia parte consideremus id quod antè diximus de Saül. Punire voluit Deus injurias, & offensas, quibus Amalec populum Dei affecerat per deserta transeuntem, & posteros ejus memorabili strage percutere: quocirca Samuëli mandat hæc Dei nomine dicat Saüli: *Percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, non concupiscas ex rebus ejus aliquid: sed interficeà viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem, bovem, & ovem, camelum & asinum.* Age Saül, instrue legiones tuas, aduna copias, & oppugna Amalec, nec ab incepto desistas, donec eum penitus disperdas, dissipes & interficias: occide viros, mulieres, divites, pauperes, magnos, parvos, nobiles, ignobiles, & pecora, nullus evadat gladium, nec quidquam ejus tibi concupiscas: atque in hoc mihi gratificaberis, justitiæ meæ satisfiet, & de vestris vindicta sumetur injuriis. Videamus modò qualiter se gesserit Saül. Abiit eò, & qui Domini præceptum implere debuerat (ait S. Pagina) postquàm stragem magnam edidisset virorum, mulierum, gregum, & armentorum: *Pepercit Saül, & populus Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis quæ pulchra erant.* Refragante Domini præcepto Regi Barbaro vitam concessit, optima quæque armenta non occidit, vestesque pretiosas sibi rapuit. Vehementem adeò movit hoc Deo stomachum, ut iratus, & factum inobedientiæ dedignatus, Samuëli dixerit: *Pœnitet me, quòd constituerim Saül regem.* Heu quantum doleo, me Regis Investituram dedisse illi, qui tam male suæ satisfecit obligationi, mihique obedire detrectavit. Convenit Samuël Saülem, & quæ facta erant indicavit: & tandem convictus Saül, culpam suam confessus est, atque in hæc verba, prima facie pœnitentiæ signa, prorupit: *Peccavi, quia prævaricatus sum Verbum Domini.* Quicumque audiret hanc Saülis confessionem, judicaret illum vere contritum, & de offensa Dei pœnitentem; porrò certum est verba hæc non significâsse culpæ commissæ dolorem, sed pœnæ sibi intentatæ formidinem: *Timuit Saül, ne Samuël ad electionem alterius regis procederet, & sic ipse*

1. Reg. 15.

*regnum perderet : ideò ficte se humiliavit:* ait Lyranus,& hæc addit: *Hoc dixit Saül magìs timore pœnæ quàm amore justitiæ.* Hoc agere debuisset Saül, contristari nimirum de peccato suo & deflere offensam contra Deum commissam, & parvi pendere regni temporalis jacturam: quandoquidem ille qui dederat, hoc illi auferret : porrò non hoc egit, imò contrarium, de malo culpæ non ingemuit, sed de timore pœnæ, quàm sibi metuebat, indoluit. *Lyran. hic.*

6. Ioab,narrante S.Pagina, proditorie interfecit Abner,& præmisso pacis osculo,pugionem visceribus ejus infixit, ex quo vulnere mortuus corruit : *Et quasi deosculans eum, tenuit manu dextera mentum ejus, ut undique eum falleret :* ita exponit Cajetanus, quòd pacis osculum simulaverit, ut dolum assereret tantò securius. Quærunt Interpretes quænam fuerit causa interfectionis Abner. Theodoreti ratio congruenter intentum nostrum probat: *Sciebat enim* (ita Theodoretus) *fore ut ille præesset exercitui : imperandi ergo desiderium eum armavit ad cædem illius faciendam.* Prænoscebat Ioab quod David promoveret Abner in ducem generalem exercitûs sui, quo munere se timebat privandum,quòd actualiter exercebat,& hujus timor, ne posthac eo non fungeretur, ipsum ad homicidium impulit. Tantùm effecit in ipso pœnæ temporalis, quàm timebat, metus, & tam parvi fecit homicidii peccatum,quòd committebat. *2. Reg.20.* *Cajetan.* *Theodor. q 12. in c. 2. Reg.*

7. Cœnabat Christus Dominus cum discipulis suis, & nonnulla dixit eis verba,quibus omnes stupore pariter & tristitia implevit: *Vnus vestrum me traditurus est* Scribis & Pharisæis. Illicò perturbantur, *& contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?* Solus Iudas,ut comedebat,ita tacebat. Prosequitur argumentum suum Christus pœnam indicans quam delinquens incurreret, dicens: *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Verba vix effatus fuerat,cùm ecce Iudas hactenùs mutus interrogat num ipse futurus sit infelix ille: *Numquid ego sum Rabbi?* Quid hoc,stulte proditor, (quærit venerabilis Magister meus Mendoza,Commentator in libros Regum:) *Dormiebas ad culpam, evigilâsti ad pœnam?* Non te capio: quandoquidem minus malum te cruciet, majus autem te non affligat: *Magìs hæc quàm illa tuum animum vellicavit.* Sed ratio est : *Plane servus es, non filius: adversarius, non amicus: timore duceris,non amore: leviter vocantem contempsisti, terribiliter tonantem formidâsti,* filius es perditionis, atque idcircò culpæ malum non formidas, ad pœnæ malum ingemiscis. *Matth. 26.* *Mendoza in l. 1. Reg. c. 2. n. 10. in Exposit. litter.*

Quo tempore Pilatum humani non torserunt respectus, pie processit in causa Salvatoris:etenim ingenuè confessus est ejus innocentiam, in quo quidquam censura dignum non inveniret : quocirca Tertullianus eum in hoc statu Christianum appellat : *Pilatus pro sua conscientia Christianus.* Porrò quàm primum populus illi amittendam objecit Cæsaris amicitiam : *Si hunc demittis, non es amicus Cæsaris,* nisi Christum morte condemnes, Cæsaris perdes gratiam: *Cùm audisset hos sermones, timuit,* & tremuit, quasi mortem præ oculis cerneret, & illico mutavit opinionem :etenim *Tradidit eum voluntati eorum.* Occurrit hic Cardinalis Toletanus, & hanc Pilati miratur inconstantiam, ait enim : *Plus potuerunt sermones ii de Cæsare apud eum, quàm illi, quos audierat, & timuerat, quòd filius Dei esset.* Casus lamentabilis,dignusque lachrymis, quòd Pilatus magìs timuerit gratiam terreni offendere Imperatoris, 8. *Tertull. in Apolog.* *Ioan. 19.* *Tolet. hic.*

quàm Domini cœlorum, plectendo morte, quem mundus Filium Dei augurabatur. Talis fuit Præses, quales Pontifices & Pharisæi, ejusdem farinæ homines, publici peccatores, quibus innatum est infinitè dolere pœnam, & non curare culpam. Nullus illis scrupulus, si filio Dei vitam tollant injuste, & maximus, si juste pœnam audiant sibi imminentem de loci sui, regnique perditione: *Venient Romani, &c.*

---

*Expedit ut unus moriatur homo.*

CONSIDERATIO VI.

*Honoris ardelio in ordine ad conservationem propriam, famæ non parcit alienæ; ex opposito justus nunquàm alterius infamiâ famam sibi aucupatur.*

1. EXpedit, inquit Caiphas, ut unus moriatur homo, & non tota gens pereat. Et quam ob culpam, obsecro, debet mori? Num fortè quia legis transgressor, aut seditiosus? Nequaquàm: ipse namque mandavit solvi tributum Cæsari: imò & ipse solvit. Num superbus? Non, imò verò prima legis ejus regula est humilitas. An appetens vindictæ? Nec hoc, præceptum enim dedit: ut si quis te percusserit in unam maxillam, præbeas illi & alteram. An de avaritia suspectus? Nullô modô: potius docuit, ut habens duas tunicas, elargiatur unam. Quòd igitur illi crimen imponitur? Cujus delicti reus accusatur? Asserit quod sit ipse Deus? Numquid audisti in ejus Nativitate cantantes Angelos: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus?* (Luc. 2.) Nonnè Reges vidisti ob Oriente accurrentes manum ejus exosculantes, purpuram suam exuentes, se subditos humiliter agnoscentes, cultumque ei reverentialem, ut tributum, exhibentes? Illum numquid vidisti duodennem in medio Doctorum tantâ omnium admiratione disputantem? Magnus ille coram Domino Christi præcursor, cui tantum honorem defertis, numquid dixit: Non sum dignus calceamentorum ejus corrigiam solvere? Mors illi obedit, & mare, morbi ejus nonnè sentiunt imperium? An ergò idcircò dicis expedire ut moriatur? *Quia multa signa facit.* Et quid est hoc quod *Expedit?* Iam vos capio: jam patet quòd unus accrescere non possit, alter nisi decrescat: vultis autem occidendo Christum assurgere: & cùm sitis adeo ambitiosi, legem non habetis, & nemini parcitis ut vestra conservetis.

Contemporanea est mundo hæc passio, planè mihi videtur hereditas & majoratus filiorum Adam. De Cain primogenito Adam, ait S. Eloquium, quòd occiderit fratrem suum Abel justum & innocentem: *Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* (Gen. 4.) Quæstio ventilatur inter Scripturistas, quid impulerit Cain ad tam enorme fratricidium? Scio magis commune responsum esse, quòd invidia pio juveni mortem intulerit. Porrò Rabbi Isaac magnæ vir auctoritatis inter Hebræos, censet eum ex ambitione interfectum: etenim hæc cum nemine legem servat, nec fratri parcit, quô propriæ consulat conservationi: *Vt esset primus sine secundo.* Voluit Cain manere solus, cum posteritate hominum, & imperare orbi universo solus, solus esse, & non Abel, pater & sæculi venturi seminarium. Hæc eum impulit ratio, quâ fratris innocentem profunderet sanguinem homicida. (2. — R. Isaac cit. à Peñafiel ætat. 1. mundi c. 4. §. 3.)

3 Quàm diverso spiritu ducuntur servi Dei, in quibus non dominatur spiritus ambitionis! Memineris hic cum D. Chrysostomo; illius instantiæ quâ Deus Moysen rogabat, dum populus Israël vitulum illum auro conflatilem toties repetitum in deserto adoravit, nec non conditionum, quas Deo Moyses proposuit, ne populum puniret, totumque consumeret: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos: faciamque te in gentem magnam.* Notat D. Chrysostomus, quàm constanter Deo responderit Moyses, quòd nisi populo parceret, commissumque peccatum ignosceret: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quid effaris, ô sanctissime Moyses, quærit Os aureum? An non advertis quas prærogativas, quasve promotiones tibi Deus propinet? Creabit te Principem & Dominum populorum, ut illi sis assessor in puniendis rebellibus his & impudentibus. Sat novi: sed vir ego nequaquam fuero, qui sanguinis alieni pretio dignitates mercari velim, nec promotiones unquam admisero, quæ tam carò stare debent aliis: *Potius una cum his, qui semel crediti erant, perire, quàm sine illis salvum esse, & ad majorem dignitatem assumi prætulit: cujusmodi esse oportet, cui animarum cura commissa est.* Quasi dicat: Domine, servos tuos nequaquam decet cum aliorum detrimento suis studere promotionibus. Quarè addit noster Lusitanus Oleaster, hoc Deum oblationibus suis ac promissis intendisse, ut Moyses vir sanctus per totum orbem ex suo hoc responso celebraretur, velut bonorum Principum perfectissimum exemplar: *Ducem suum summè tentare voluit, ut experiretur an pro privato bono sineret commune perire.* Vir erat, qui dum Deus illi offert incrementum cum populi sui dispendio & ruina, pro ipso intercedit, sui oblitus, bonum urget commune, nec proprii recordatur: *Orabat Dominum Deum suum.* Hic igitur bonus est Propheta, bonus Sacerdos, bonus Dux, & bonus gubernator. Si Pontifices & Pharisæi Hierusalem imitati fuissent Moysen, cujus discipulos se jactabant, aliter processissent, aliamq; sumpsissent conclusionem, nec decretum formâssent, ut Agnus innocens occideretur: judicantes hoc modo negotiis suis optimè consultum, & Principatum tantò solidiorem; sed non fecerunt: nam ambitione inflati, arbitrati sunt, quòd bona convenientia dictaret, ut ille perderet vitam, ne ipsi perirent.

Exod. 32.

D. Chrys. Hom. 12. in Ioan.

Oleaster hic.

4 Similes illos magìs dixeris Esau, de cujus parentela se descendere dedignabantur, quàm Moysi duci populi Dei, cujus doctrinâ se promovebant. SS. Patres varios formant discursus circa mysticum modum, quô Patriarcha Isaac benedixit filiis suis Iacob & Esau: nam licèt si substantiam species verborum, quasi eâdem videantur, sunt tamen inter se multum distincta. Benedicit Isaac Iacob: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Esau autem ait: *De pinguedine terræ, & de rore cœli erit benedictio tua: vives in gladio;* & officio fungeris venatoris. Nota cum Auctore Catenæ Græcæ (licèt aliàs si bene memini, idem retulerim) distinctos terminos quibus utitur pater uni & alteri filio benedicens: licèt eadem esse verba videantur: *Ille fructibus uberibus soli, tritico vinoque fruetur. Hic in ubere quidem solo habitabit, sed ad victum comparandum, gladio utetur in prædis: quocirca adjicere noluit: dabit tibi Deus.* Vtrique filio dixit pater, quòd bona terræ possiderent,

Gen. 27.

quibus honeste viverent: porrò si perpendatur benedictio Iacob, additur particula de cœlo & cum Deo: *Det tibi Deus*. Benedicens autem Esau cur idem non addidit? Hoc dictum est, inquit præfatus Auctor, quia Esau venatorem esset acturus, atque ex prædis victum sibi quæsiturus. Et hæc ratio nonne sufficiens est, ut pater non dicat, Deus faciat te venatorem, & in hoc exercitio fortunatum? utique; tantùm etenim abhorret tales Deus, qui ut sibi bene faciant, aliis male faciunt: nam ideò tantùm, quia Esau arcu se & sagittis exercebat, feras ad victum occidens, atque in hoc aliquantulum illis videbatur similis, non ausus fuit Isaac Deum hujus benedictionis auctorem nominare: *Ad victum comparandum gladio utetur in prædis; quocirca adjicere noluit: Dabit tibi Deus*. Nemini dat Deus tanquàm benedictionem, ut vitam alteri tollat, licèt avibus cœli, vel montium bestiis ad propriæ conservationem: hoc etenim ejus suavitati & divinæ repugnat conditioni.

5. Imò maledictionem esse Dei dixeris quòd homines sylvestrem Esau imitentur. Acerbissimas Deus intentat peccatoribus minas ore vatidico Oseæ: cùm illis non inferiora ipsa morte minetur, & fortasse non temporali solùm, sed etiam æterna. Hinc apposité capiunt doctiores Interpretes illa verba: *Sed & pisces congregabuntur*, hoc est severè punientur: *Iuxtà morem Scripturæ congregari dicuntur qui pereunt*, ita P. Ribera. Tota difficultas hujus sententiæ latet in affirmanda similitudine piscium & hominum, qui toties in S. Litteris piscibus æquiparantur. Primarius SS. Litterarum Interpres D. Hieronymus, Theophylactus, Theodoretus, Lyranus, S. Cyrillus, & alii dicunt metaphoram in hoc consistere: quòd sicut majores pisces comedunt minores, ita mundi potentiores submergere solent & persequi qui minora possunt, illisque substantiam ac vitam auferre, ad sui conservationem. Et quamvìs Deus hoc ita permittat, in fine tamen promptâ pecuniâ solvent: illos enim ut pisces pelagi congregabit, id est, rigorosè puniet: *Sed & pisces congregabuntur*, ait Oseas, & ita interpretantur Auctores præfati: *Quemadmodùm in piscibus, qui majores sunt, deglutiunt minores: ita pateris inter homines non jus valere, sed vires; & quasi nulla esset providentia, infirmiores à potentioribus spoliari atque vexari*. Hôc suppositô, satis infelix fuit illa Sacerdotum & Pharisæorum Hierusalem sors, quâ permisit illis Deus Dominus noster, ut essent velut pisces maris, opprimentes contra omnem justitiam, benedictum ejus filium, in eum tyrannicum suum exercentes furorem, illique vitam adimentes, ut suæ prospicerent.

*Osea 4.*

*Ribera ad illa verba Habacuc c. 1. facies hominis, &c.*

*Doctores citati à Ribera.*

6. Quantò salubrius illis fuisset, columbas esse, quibus in S. Pagina justi comparantur. Locutus Spiritus sanctus cum anima illa sancta Sponsa sua, atque in singulari laudans illius oculos, seu proprietates & virtutes eorum, sic ait: *Oculi tui columbarum*. Dicerem ego: Oculi tui Aquilæ avium Reginæ, & non columbarum, qui nec tam pulchri sunt, nec tanta laude digni. Multa congerunt hîc Expositores aliis occasionibus servanda: hoc autem proposito nostro quadrat, quòd de columba scribunt Naturalistæ; aves aliæ ad exemplum aquilæ alias insectantur, vel vescuntur vermiculis, vel formicis: sola columba parcit omni quod vivit, nec ulli vitam tollit: *A laniatu innocens est natura columbarum: nam corvi de morte pasuntur: columba non nisi de frugibus terræ*

*Cant. 4.*

*Dionys. Orat. 2. de Regno, de Aquila.*

*Aug. in Caten. D. Thom. ad c. 2.*

Matth. in illa verba Quasi columbam. *ra vivit:* inquit D. Augustinus. Symbolum est hoc justorum & amicorum Dei: qui taliter suum quærunt remedium, & necessaria vitæ sibi procurant, ut hoc absque præjudicio faciant aliorum.

7. Cant. 1. In quo naturam imitantur Sponsi sui, qui de se sic loquitur: *Ego flos campi.* Scio SS. Patres mille proferre elegantias ad horum verborum explicationem: ego verò, cum eorum licentiâ novum aliquid addam, quòd alii, quantum memini, non adverterunt. Quocirca noto: quòd Dominus & animarum Sponsus non dicat, Ego flos horti, sed campi: quod expendens, ingens adverto discrimen inter florem campi & horti: scilicèt, ut crescat & multiplicetur flos horti, requiritur ut hortulanus semper ferrum manibus gestet, ut hos evellat, & illos rescindat: ita ut vicinorum florum impendio ejus procuret incrementum: porrò flos campi, absque ullius onere vivit, crescit, & multiplicatur, ita ut sociis vicinisque floribus perniciosus non sit vicinus: quandoquidem herbæ floresque cæteri, etiam ut ille, floreant, vivant, seque conservent. Talis igitur est divinus Sponsus, talesque sunt animæ sponsæ ejus: ipse *flos campi*, illæ, columbæ: *Oculi tui columbarum*, vivunt, & alios vivere patiuntur, neminem offendunt, nemini præjudicant, nemini ad sui conservationem nocent; quod si hoc ambitiosi faciunt, ratio sit; cùm enim nullam servent legem, proprium illis est nemini parcere, quô tutius se conservent, porrò vir justus ac timens Deum, lucere non vult ex aliorum infamia, nec propriam vitam alienæ pretio mercari.

8. Hoc ipsum agere debebant in quantum boni Principes ac ministri, ipsi Pharisæi & summi Sacerdotes Hierusalem: quinimò propriam (si necessitas urgeret) vitam exponere, ut eam nullus de Republica perderet. In libro Exodi præcipitur fieri Sacerdoti *Tunicam lineam & strictam*, sed Interpretes communiter ex Hebraico legunt: *Tunicam oculatam*, & noster Paginus: *Oculis contextam*. Et notat subtiliter Lipomannus, & celebris noster Hispanus Arias Montanus, oculos illos non fuisse hominis, vel alterius animalis, sed perdicis, de quâ D. Basilius sequentia: *Cùm pullos suos videat adhuc ob debilitatem prædæ periculo expositos, se aucupi antè illos, ut prædæ paratam offert: ita sese vertentem, ac gestus dispensantem, ut nec periculo se penitus, aut manibus præbeat:* ut quo tempore aucupem divertit, & detinet, matrem capturum, interim pulli se abscondant, quæ tandem in altum evolat, & hac industria vitam sibi suisque pullis conservat, licèt aliquando contingat, ut ad salvandum pullos, ipsa capiatur. Exod. 24. Lipom. in Caten. D. Basil. narrat hom. 3. exhort. ad bapt.

9. Porrò quid nobis necessariæ sunt veteris Testamenti Allegoriæ: cùm meliores & litterales nobis suppeditet Auctor gratiæ Redemptor animarum nostrarum Christus? de illo namque prædixit annosus sanctusque Simeon Virgini sacratissimæ Mariæ, dum infantulum ulnis suis constringeret: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël.* Communis oraculi hujus interpretatio fert: quòd sicut infans Deus futurus esset exaltatio & gloria credentium; ita ruina foret & lapsus incredulorum. Sed Doctissimus Theophylactus particularem & acutam dat nobis expositionem, quæ mirum in modum nostrum roborat intentum, dicitque genitivum illum *Multorum*, non referendum ad illud *in ruinam*, sed ad hoc *in resurrectionem*. Vnde prædicta verba tunc sensum Luc. 2.

hunc

*Theophyl. cit. à Stella in Lucam Dom. infrà Oct. Nativit.*

hunc comprehendunt: *Positus est Dominus in ruinam suiipsius, ut scilicèt cadat in mortem: & deinde per eum resurgent multi in Israël.* Tantùm abest ut vel unius vitæ dispendio propriam conservet, ipse solus morietur & cadet in ruinam, ut omnes vivant, & mortui per illum resurgant: quinimò hâc viâ Principatum suum firmius solidabit; suum amittant Pontifices & Pharisæi: quandoquidem eum non imitentur, & omnibus justo Dei judicio status omnis auferatur: nescit enim diu perstare regimen quod innoxio cruore fundatur, nec pacificè illa possidere bona, quæ factâ minoribus violentiâ, vel aliorum præjudicio quæruntur, vel obtinentur. In vanum machinantur illi mortem Redemptoris, ne suis priventur commoditatibus: imò verò per eam suam amplius procurant inscii perditionem. Venient indubiè Romani, civitatem ingredientur, populum captivabunt, eruntque tunc Pontifices & Pharisæi, sicut populus injuriis oppletus, & solo tenus conculcatus. Igitur alieno discamus exemplo, atque ex perverso horum consilio saniora capiamus consilia: ne damno tertii commodis nostris studeamus; magìs divinæ quàm humanæ nostræ fidamus providentiæ. Et quandoquidem de manu Dei speremus accipere, quæ pluris referunt, nempè quæ concernunt salutem animæ, non ab aliis quæramus conservationi corporis necessaria: cùm in Dei manu non solùm sint bona temporalia, sed etiam spiritualia: *Divitiæ & gloria.* Illa denotata per divitias, hæc per gloriam: *Ad quam nos perducat, &c. Amen.*

TRACTA-

# TRACTATVS XVIII.

## DOMINICA SEXTA QVADRAGESIMÆ.

*Cùm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymam.* Matth. 21.

### SALVTATIO.

GLorioſus noſtri Redemptoris Apoſtolus S. Matth. *cap.* 21. Euangelicæ ſuæ hiſtoriæ viuis coloribus depingit illius triumphi gloriam, qua Saluator noſter ingreſſus eſt Hieruſalem: cùm jam à ſacrilego illo Capitulo, cui præſidebat Caiphas, ad mortem damnatus eſſet. Hoc autem ita contigit, vt nemo ciues illos admonuerit, illos non præmijs allexerit, non pœnis terruerit, vt vniuerſaliter occurrerẽt feſtiuo plauſu illum recepturi: quorum nonnulli veſtimenta ſua velut aulæa ſternebant in plateis, in quibus graderetur, alij ramos de arboribus præſcindebant & viam his adornabant, alij victori pæana canebant, & aduentui eius in vrbem fauſta omnia precabantur. Itaque cuncta ſimul complectens, tria noto in glorioſo hoc Chriſti triumpho: ramos, veſtimenta, & cantica. Geſtare manibus ramos, ceremonia eſt ſoli Deo exhibita, vt conſtat ex lib. Leuitici, Eſdræ & Machabæorum: vbi narratur quod in majoribus ſolemnitatibus Domini, palmas Hebræi manibus præferrent, veſtimenta palatio ſeruierent: fuitque ceremonia Regum Iſraël, qua vſi ſunt in conjuratione Iehu, cui veſtimenta per terram proſternebant. Cantica quoque ſigna denotabant victoriæ: ſicut patet in ea quam retulit Dauid de occiſo gigante Goliath: cui reuertenti Hieroſolymam occurrerunt mulieres canticis ac tripudijs victori congratulatæ. Licet hic non deeſſent infantes muſici & inſtrumenta pulſantes, qui relictis matrum papillis, ora ſua paruula laudibus impleuerunt Triumphatoris, Saluatoris, & Auctoris gratiæ, &c. *Aue Maria.*

*Leuit.* 12. 2. *Eſd.* 8. 2. *Mach.* 2. 4. *Reg.* 19.

---

*Cùm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymam.*

### CONSIDERATIO I.

*Acerbiſſimum eſt hoc tormenti genus, quo patimur infortunia, poſtquam proſperitate gauiſi ſumus.*

1. GRauiter occupantur SS. Patres in quærenda ratione, qua motus Saluator in hoc tam myſtico facinore; nec enim magno vacare poteſt Sacramento; poſtrema hac vitæ ſuæ periodo tanto recipi voluerit honore & gloria, qui toto vitæ ſuæ curriculo dictis & factis mundi gloriam damnauit. Hi dicunt illud, alij aliud, & reipſa diuerſas ingrediuntur vias: quibus meritò præferendus mihi videtur D. Bern. *Quid fuit quod proceſſionem habere*

*D. Bern. Serm.* 2. *Domin. Palm.*

*habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem?* Hanc ego fuisse rationem arbitror (inquit Doctor contemplativus,) quod Redemptor noster ex industria hoc voluerit, vt amore nostri tantò pateretur acerbius; constat etenim ex præteritæ gloriæ memoria præsentes pœnas esse grauiores, & dolorem suum inde sumere incrementum. Tanto quoque truculentior est mali præsentis tristitia, quanto boni præteriti lætior extitit possessio. Si

Matt.20. Christus prædicans: *Non veni ministrari, sed ministrare*: & ita se vilem ha-

Psal.21. bens, ac si vermiculus esset: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*: de domo exiuisset Pilati, præcurrentibus crucem præconibus, non tantum hoc illi dedecus inussisset. Porrò quod hodie occurrente illi totâ ciuitate obuiàm, & acclamante illi nedum quod Rex esset & Messias, sed etiam Deus, elapso vix quintiduo medius inter duos latrones crucifigatur, quasi vnus ex eis, imò eorum pessimus: manifestum est, quod quanto præclarior fuit honor, tanto fuerit & ignominia turpior: tantoque acerbior eius passio, & cruciatus molestiores, quanto fuerat eminentior gloria, & applausus, quo prius fuerat exceptus.

2. Dei bonitas miserta calamitatis Adam, & de remedio eius sollicita, pœnitentiæ vestimentis illum induit,

Gen. 3. eiecitque paradiso. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas & induit eos, &c. Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis*: vel, vt legunt Septuaginta, *Collocauit*

D.Chrys. lo. 2. de Lazaro, & hom. 18. in Gen. *eum ante Paradisum voluptatis.* Et D. Chrysost. *Et habitare eum fecit è regione horti deliciarum.* Si à D. Chrysost. causam huius quæramus, dicit: Hoc datâ operâ fecit Dominus Deus: vt ad conspectum perditæ felicitatis, amarior esset de præsenti calamitate tristitia. *Adam à Paradiso eiectum è regione Paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis à bonis.* Idem dixit Arnoldus: *Excludatur à loci huius amœnitate, & experiatur quantum distet inter bonum & malum.* q. d. Præ oculis habeat bonum quod perdidit, vt dolor sit ei tanto molestior, pœnaque truculentior: quandoquidem nemo queat imaginari calamitatis faciem magis ferocem, quàm postquam intuitus est benignũ felicitatis vultum. Arnold. Tract. de opere sex dier.

Si malè mihi non sapiat S. Scriptura, locus intento nostro mihi placet, quem modò dicturus sum ex Genesi. 3.

Nocte somnium habuit Pharao, narrauitque illud Ioseph. *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis & obesis carnibus, quæ in pastu paludis virecta carpebant: & ecce has sequebantur aliæ septem boues in tantum deformes, & macilentæ, vt numquam tales in terra Ægypti viderim: quæ deuoratis & consumptis prioribus, nullũ saturitatis dedêre vestigium.* Interpretatus est Pharaoni Ioseph somnium hoc, aitque: Septem boues pingues denotant septem fertilitatis annos; septem verò macilentæ, septem sterilitatis annos. Perpendit neotericus Auctor (licet infelix) quod septem boues macilentæ septem pingues comederint: nam sterilitas consumit fertilitatem. *Et hoc modo malum prosperitatis, quod prosperitate nutritur, aduersitate augetur.* Hoc est, quantum intelligo, pessima prosperitatis mundi calamitas, quæ foueri solet & augeri aduersitate, quæ sequitur lapsum eius qui fuerat prius exaltatus, multo molestiùs toleratur; vires sumit præ- Gen.41. Del. Te. 1. quadrag.

sens aduersitas, & grauius damnum infert ex præteritæ prosperitatis intuitu.

4. Plurimis jam annis rexerat Dominus Deus populum Hebraicum per ministros & iudices à se constitutos, viros qui Remp. non grauabant: titillauit illos desiderium (ea hora qua non debebant) petendi Regem: & obfirmato proposito Samuelem adierunt, dicentes: *Constitue nobis Regem vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Samuel recurrit ad Deum eumque super hoc negotio consulit. Cui Dominus: *Vocem eorum audi; verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.* Locum hunc interpretatur S. Zeno Veronen. quæritque rationem, ob quam Deus prænoscens petitionem eorum imprudentem & insulsum, condescenderit tamen & postulatis annuerit? Resp. Fecit hoc ex industria: vt tanto grauius postmodum torquerentur, quando Romano Imperio se viderent subditos. Reminiscere, quod de obedientia, quam prius Regi suo præstabant naturali, ad extremam sint delapsi miseriam, vilem experti Gentilium seruitutem, cujus comparatione tempore Saulis, & demum Regum Israël suaui libertate fruebantur. *Consecutus est Regnum vt post regiam dignitatem, maiori dedecore Imperio Romano seruiret.* Quia nemini dubium est quin grauissima sit molestia quando vir ex supremo decidens fortunæ gradu in imum delabitur aduersitatis & miseriæ.

1. Reg. 8.

Zeno ser. 11. de Iudæis.

5. Expendit D. Chrysostom. eosdem Israëlitas sedentes iuxta flumina Babylonis, suaues formosæ suæ Sion modulationes repetentes. Ibi (inquiunt illi) datâ operâ deflere incepimus diuturnum nostrum exilium: vt autem cantica nostra non ipsi lachrymas referrent & singultus, & minoris essent momenti musices instrumenta, in salicibus ea quæ ferebamus suspendimus, & quibus Deo laudes celebrare solebamus: *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Modò percunctatur Os aureum: Qua de causa, vel in quem finem deferebant Hebræi secum musices instrumenta? Et innatâ sibi prudentiâ soluit dubium. *Hoc fuit à Deo prouisum, vt vel in aliena regione haberent monumenta prioris Reipub. magisque morderentur, & ægriùs ferrent, dum regionis & Dei cultus illa signa viderent.* Ps. 136. Chrysost. hic.

Valde singulariter aduertit Lyran. connexionem, quam fecit invincibilis Athleta patientissimus Iob gloriæ suæ ac prosperitatis cum aduersitatibus suis & calamitatibus. De his agit *cap.* 30. & de illis *cap.* 29. Loquitur ergo: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super me, &c. quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, &c.* Cathedra hæc symbolum refert triumphi, quo Redemptor noster hodie recipitur in Hierusalem: iuvenes ex reuerentia se subtrahebãt, seniores assurgebant mihi, Principes me præsente loqui non audebant, &c. Hæc sunt prospera, hæc antiqua felicitas. Et ilicò caput inchoat 30. ab alio extremo: *Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.* Hac phrasi multas alias enarrat calamitates, & demum epilogum facit. *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium:* modò nihil in me contemplari quis potest, nisi dolores, paupertatem & cala- 6. Iob 29. Iob c. 30.

calamitatem. *In memetipso marcescit anima mea.* Modò Lyran. hæc duo extrema coniungit, & mysticam hanc censet collationem. *Primo ostendit se turpiter vilipensum contra præcedentes honores. Secundo, omnibus bonis spoliatum, contra abundantes diuitias.* q. d. Comparat patientiæ speculum ignominias suas de manu vili receptas, gloriæ, qua se quondam vidit exaltatum: deinde confert extremam suam inopiam diuitijs suis quibus olim abundabat. Quid ergo miramur si anima illi in corpore marcescat, & mortuum magis quàm vivum se doleat: recordatio namque (vt dicebamus) præteritæ gloriæ, præsentes pœnas facit esse molestiores.

7. Loquitur Deus ore vatis Ezechielis primo Angelo sub metaphora Regis Tyri, & ait illi: *Tu signaculum similitudinis, &c.* Quid tibi deerat, ô Lucifer in domo mea, antequam mihi repugnares? *Tu signaculum similitudinis:* inter omnes quippe creaturas, quas omnipotens manus mea protulit, nulla similior ei qui mea est, nempe Filio meo, quàm tu. Creaui te sapientia & scientia plenum, omnium idæas in te statui, viuamque te feci omnis pulchritudinis imaginem: enutriebaris in medio deliciarum Paradisi, adornatus mille virtutum monilibus, quibus in creatione tua ditatus es: nullo non topazio, sapphiro, vrbino, gemmisque opertus emicabas. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &c.* Nouem meminit lapidum pretiosorum, quibus significat nouem Choros Angelorum, quorũ omnium perfectiones eminenter complectebatur. Porrò videamus quamdiu prosperitas hæc dignitasq; durauerit. *Et eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum. Nihil factus es.* Hæc omnia perdidisti, & modò suprema omnium miseria & lamẽtanda deiectione castigaris. Quærit hic Hector Pintus, an non sufficeret ei proponere præsentem calamitatem, & afflictionem quam patitur, nec non infelicem, ad quem redactus est statũ? Quare refricatur illi bonorum & felicitatis pristinæ mœsta memoria? Resp. *Eius dotes commemorat, & laudibus extollit, vt miserior appareat eius calamitas: nihil est enim infelicius, quàm fuisse felicem.* Hoc est: Ex proposito proponitur illi summum culmen, ad quod in creatione sua elatus fuit, ad imaginem & similitudinem Creatoris sui efformatus, tot prærogatiuis & gratijs dotatus, tot donis & beneficijs diues: ad grauiorem animi sui cruciatum, & sæuiorem tristitiam; nam esse semper miserum, semper infelicem, indubiè res est qua nulla lamentabilior: Porrò ex Domino fieri servum, sceptrum mutare in remos, in hoc casu mœror oritur, & dolor sentitur tristissimus: hîc aduersitas animosiùs furit, & vigore cruciat ardentiori.

Ezech. 28.

Hector. Pint. hîc.

Tractatu antecedente rationem protulimus, cur Redemptor noster, qui vsque modò velut agnus non aperuerat os suum, tunc tantum locutus sit quando à sacrilego milite & inferni ministro, durissimam accepit alapam, & mœroris dedit indicium: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Si malè locutus sum & irreuerenter, testimonium perhibe de malo: adsum enim pœnam subiturus, nec supplicium recuso: si autem bene, cur tam iniustâ me damnas infamiâ? Quid hoc Domine mi, & animæ meæ Redemptor? Numquid in mari illo cruciatuum 8.

Ioan. 18.

tuum tuorum sæuissimo sedulus ita & immotus, profundissimum seruasti silentium: & modò quid conquereris, & taciturnitatis seras dissoluis? Aliud tunc responsum ex D. Chrysost. dedimus: modò non minus sapiet ratio D. Cyrilli. *Arguitur forsitan minister maximè injuriare: non solummodo, quia inflixit alapam: verumetiam, quia cuius doctrinam admiratus est, eum modò cadit. Nam si alias non probasses doctrinam meam,* inquit, *si mirabilis Scripturæ Interpres tibi visus non essem, si non exclamasses: Numquam sic locutus est homo, forsan ignorantiæ tuæ venia dari posset.* Supponit vt certum Diuus Cyril. percussorem hunc excommunicatum vnum fuisse ex illis, qui missi fuerant vt caperent Iesum, & reuersi sunt ita attoniti, capti, & si dicere liceat, fascinati cœlesti eius doctrinâ, vt publicare non cessarent: talem in mundo virum numquam apparuisse, numquam ita docuisse, numquam ita prædicasse. *Numquam sic locutus est homo.* Et hinc rationem elicit, cur Christus contra eum tam dolenter expostulauerit: *Quid me cadis?* q. d. Amice, hoc me summopere cruciat, quod tu, qui à quatriduo cum tanto honore de me locutus fuisti, doctrinam meam pleno ore laudasti, tuoque suffragio approbasti: nunc alapâ me contundas & afficias ignominiâ. Si me prius non extulisses, & coram omnibus honore dignum exclamasses, offensa illa tua me minus excruciaret. Sed cùm mihi occurrat applausus quo me quondam honorasti, necesse est vt injuriosa hæc alapa cordis duplicet tristitiam. *Si non exclamasses: Numquam sic locutus est homo. forsitan ignorantiæ tuæ venia dari posset.* Ob eandem quoque rationem tanto fuit Christo molestior passio sua, quam tam honorificus antecessit applausus, & celebres præcurrerunt triumphi, quibus illum hodie Hierosolymitæ exceperunt: cùm ita sit quod sæuissimum tormentum sit, tolerare pœnas post non paruæ gaudia felicitatis. Vadant discipuli quærantque asinum, cui Saluator insidens vrbem ingrediatur, omnium applausu & acclamatione excipiendus, vt tanto acerbiùs passionis suæ tormenta persentiat. *Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymam, &c.*

Cyril. lib. 11. cap. 47. in Ioan.

Ioan. 7.

---

*Inuenietis asinam alligatam, & pullum: soluite & adducite mihi.*

CONSIDERATIO II.

*Seruire Deo libertas est suauissima: seruire peccato seruitus est tyrannica.*

D. Athanas. exponens allegoricè missionem hanc discipulorum ad pagum Hierosolymis proximum, vt asinam adducerent, cuius operam Christus requirebat, vt eandem vrbem triumphator intraret: singulariter notat dici ab Euangelista: *Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi.* Et notat D. Lucas, quod non vnum, sed plures haberet dominos, quia plures conquesti sunt de discipulis, quare sine eorum licentia asinam & pullum soluerent. *Soluentibus illum pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum?* Constans est SS. Patrum Doctrina, fundata pluribus S. Scripturæ locis: quod asini communi metaphorâ denotent peccatores. *Homo cùm in honore*

I.

Matt. 21.

Luc. 19.

Psal. 4.

nore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc nobis refert quoad hanc sententiam probare, quinam fuerint pulli & asini proprietarij: & conueniunt Interpretes, eos esse diabolos. Ita censet D. Athan. cuius miranda verba subiungo: *Omnes pariter non in aliud occupati sunt, quàm vt asellum in biuio alligent: asinus interim diuersorium non habet, non est qui in forum descendat: id tantummodo agitur, vt pullus vinciatur, & omnes domini eius seruandi causa, in proximo assident.* Infelicior sors esse non poterat miseri huius iumenti, hoc est infausti peccatoris, quàm vt adeò miser sit, qui tam immitibus, & sæuis seruire velit dominis; quibus hoc vnicum cordi est, vt capiant illum: in hoc adnituntur, vt seruent illum, captumque custodiant: hoc eorum omne studium, & nulli alteri intendunt negotio. Dimittebant miserum animal in biuio sub aperto aëre, temporis iniurijs expositum, vt nec vnus ei compateretur, atque in præsepe adduceret, vel saltem fœni manipulum, aut paleæ ad cibum exhiberet. Quinimò arbitratur D. Athanasius, vt illum tanto securiùs seruarent, ne ligaturas rumperet, in camo, fræno, & compedibus constrinxerunt: itaque miser asinus, dico peccator, manibus pedibusque stat vinctus. *Vnusquisque enim eorum vincula vinculis congeminauit, & omnibus modis; vt ipsis in tuto esset, omnem curam adhibuerunt, &, vt ego existimo, pedes eius concatenarunt.* Ecce, fideles, descriptam viuis coloribus hominis calamitatem, existentis in peccato mortali: qui præterquam quod captivus sit diaboli, velut servus ad triremes catenis oneratur & vinculis: & quidem meritò: quia tales licet captiui, continuò sedent in scamno culpæ in triremi remigantes, cuius portus est infernus.

*D. Athanas. ser. in illud: Profecti in pagum qui, &c.*

2. Illos igitur venit soluere, & libertati restituere Saluator noster: nam huic conformiter (vt dixit idem Dominus apud D. Lucam,) intelligi debent illa verba Vatis Euangelici, *Spiritus Domini super me, &c. vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Captiui sunt qui voluntatem suam imperio diaboli subiecerunt.* Interpretatur ita Hugo Card. Attentè considera compedes quibus nos cōstringit peccatum: nam de filijs ingenuis ac liberis, seruos nos reddit viles ferroque vinculatos.

*Luc. 4. Isa. 61.*

*Hugo Card.*

Curiosè notarunt D. Ambros. & D. Chrysost. phrasim qua S. Codex loquitur de domina illa Patriarchæ Ioseph & vxore Putipharis, lasciuas eius referens cogitationes, oculos impudicos quibus eum intuebatur, & quod maius est, obscæna verba quibus importunè adolescentem prouocabat ad adulterium. *Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph.* Ita S. Eloquium; sed septuaginta legunt: *Iniecit vxor domini oculos suos in Ioseph.* Nec his contenta, insuper apud virum accusauit, dixitque illi; quod cùm servus esset, ausus fuisset eam ad impudica sollicitare. Conclusum est igitur eum ergastulo concludere, in quo nemo non nouit, quæ passus fuerit. Ad punctum vnde diuertimus hæret præfati Sancti, quod scilicet Spiritus S. eam appellet vxorem domini: numquid conuenientius fuisset eam vocare dominam suam? vel dicere: Principissa fecit illud? Non, inquit D. Ambros. *Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ seruilis libidinis incentiua præstabat?* Addit ore suo aureo D. Chrys. non

*Gen. 39.*

*Ambr. l. de Ioseph*

non vacare mysterio, quod eam Spiritus sanctus priuauerit titulo dominæ; quandoquidem in seruilem degenerasset naturam. *Vxor Putiphar* (ait ille) *numquid erat Regina? Numquid maximam habebat potestatem?* Certè neutiquam: *Quia alio animæ morbo mancipata est, nempe iræ, quæ ratione non regitur.* Ne textui pertinax inhæreas: etenim irâ ac passione furens, in carcerem detrudi fecit castissimum iuuenem; eò quòd consentire noluerit illi, quod ipsa contra rationem & iustitiam petebat. Illa igitur passio & irâ, cui se submisit, mansit eius domina, & illa consequenter eius captiua. Cui hoc addo, conferens vtriusque Sancti sententiam, quod tot dominorum esset mancipium, quot fuerunt vitia, quibus seruiebat: libido illam subiecit, vindicta captiuauit; eaque de causa illam honorifico dominæ titulo priuarunt. Vt autem omnia vnico dicamus verbo, non nisi iumentum erat, tot vinculis captum & ligatum, quot erant peccata quibus mancipabatur.

*D. Chrysost. in Psal. 48.* — *Gen. 39.*

3. Permisit Dominus noster vt Hebræi in pœnam suorum scelerum subderentur Sesac Regi Ægypti. *Seruient ei vt sciant distantiã seruitutis nudæ, & seruitutis Regni terrarũ.* Discant quantũ intersit inter seruitutem Dei, & mundi, vel peccati. Quæro, in quo consistat hæc vnius ab altera differentia? Resp. Lyran. proposito nostro valdè congruenter: *Seruitus Dei suauis est, & consolabilis; seruitus autem humana, dura & incomportabilis.* Iugum Dei multum discrepat à iugo mundi: illud suaue est, pacificum & leue; hoc autem, grauissima tyrannis & pondus insupportabile: illud voluptate redundat & consolatione; hoc dolore premit & afflictione. Quid plura? dum Christianus Dei ac Domini sui seruitute se emancipat, manibus incidit crudelium dominorum, qui certatim omnes iugo suo conantur eum opprimere: vt verè dicebat D. Athanas. & solùm Dei sarcina suauis est & leuis.

*2. Para. 12.* — *Lyran. hic.*

Obseruauit curiosus Origen. quod Deus daturus populo suo legem, hæc eis verba dixerit, quæ S. Pagina describit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti:* & de ceruice tua iugum abstuli tyrannicum quo premebaris. Notat autem hoc primâ vice iam dici populum Israël è seruitute liberatum, qua detinebantur. Et ratio fuit: quia tunc ad montem Sina peruenerit, & diuinæ legi se submisit, in qua perfecta consistebat libertas. Quamprimùm Deo seruierunt, fuerunt ingenui, qui quo tempore ei non famulabantur, erant captiui. *Nam negotia sæculi, & actus carnis, domus est seruitutis; sicut è contrario relinquere sæcularia, & secundùm Deum viuere, domus est libertatis.* Mundo mancipati mille tolerant afflictiones & agonias: qui verò diuino sunt adscripti seruitio, fauoribus, delicijs & innumeris replentur bonis. Quid plura? Ita seruiunt ac si vera fruerentur libertate.

*Exo. 20.* — *Orig. Hom. 18.*

4. Semper admiratus sum quod, cùm mulieres iure diuino subditæ sint viris suis, & in omnibus eorum legibus subordinatæ, præcipiat tamen Deus Abrahæ Patriarchæ, vt in omnibus, vxoris suæ mandatis obtemperet: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Non est hoc quod Apostolus vxoribus iniungit, quando iubet vt viris suis tamquam veris dominis suis subijciantur. Porrò D. Ambrosius nos ab illo dubio soluit, ratione (licet allegoricâ) valde præclarâ.

*Gen. 21. Ephes. 5.* — *D. Ambr. l. 2. de Abrah. c. 5. cit. ab arbore vitæ, in hunc loc.*

ra. *Quæ seruitio delictorum se exuit, principatum habuit, non seruitium: rectè quidem: nam qui non peccat, non potest seruire, cùm Abraham aliam vxorem habuerit, nempe Agar, quomodo numquam imperans, sed semper obediens, imò semper ancilla vocatur: cùm hoc nomen sortiri non deberet vxor illius existens? Nota peccatoris typum gerere Agar; meritò igitur nomen ancillæ non amittit, quamuis libera sit, cùm accepta sit in vxorem ab Abraham: quia peccator, quamuis liber videatur, semper seruus est.* Cuius dominus crudelissimus est peccatum, qui continuò vociferatur, ne quis eum dissoluat.

5. Dei solummodo famulis non seruantur vincula, non clauduntur carceres. Insignis hic conceptus de promptuario prodit aureo D. Chrysostomi, ponderantis prodigiosum illud miraculum Babyloniæ. Rex Nabuchodonosor inijci mandat in fornacem ignis ardentem tres adolescentes, quos tres esse dixeris aureas pites: hic diuinum incipiunt inuocanus: hic diuinum incipiunt inuocare subsidium, & pij diuinas eius celebrare laudes. *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Et vix aliquis eorum perceperat verba, & ecce Dominus miraculosè voraces suspendit flammas; illi verò refrigerante perfunduntur rore, tanto gaudio & mentis alacritate delibuti, ac si Paradiso fruerentur deliciarum. Ilicò fama volat miraculi, Rex personaliter fornacem accedit, in quam illos iniecerat, & quasi tanto prodigio stupefactus exclamat: *Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei altissimi, egredimini & venite* in pace, congratulor vobis, quandoquidem nullum vobis ignis damnum inferre potuerit. Quid ais bone vel male Rex? Scisnè quid ab illis postules? Quomodo, vel qua via vis vt egrediantur? An illos vinctos non cernis, & vndequaque flammis circumdatos? *Quomodo egredientur, ò Rex? vinctos in ignem abiecisti, quomodo eos euocas?* (ita D. Chrysost.) *Iam præueniens dixi: serui Dei altissimi; seruis enim Dei omnia possibilia sunt.* Securi per flammas ambulent: iam enim securum eis do saluum conductum ea hora, qua ipsos seruos Dei altissimi appello; illis etenim qui tales sunt, nullum datur obstaculum: imò bona omnia, & fauores illos defendunt, nec enim datur vita suauior, aut dulcior libertas, quam seruire diuinæ Majestati, sicut nec sors datur infelicior, nec seruitus magis tyrannica, quam ea sit cui serui peccati subijciuntur.

Dan. 3. — D. Chrysost. hom. 11. in Ep. ad Ephes.

6. Huic correspondet doctus ac R. Magister meus Mendoza cõmentator in lib. Reg. ad illa verba Hierem. *Seruietis dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Quod typicè significauit Hebræorum laborem in Ægypto, qui de nocte coquebant lateres, de die paleas colligebant, ne vnquam à laboribus vacarent.* Quo verificatur illud quod appositè dixit D. Ambros. *Qui seruit peccato, semper in laqueis, semper in vinculis est: numquam liber à compedibus, quia semper in criminibus. Quàm misera seruitus seruire peccatis, naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fruitur suauitate.* Hæc vincula sunt quæ miser hic suis lucratur laboribus, & messis quam colligit de seruitute tam immisericordis Domini.

Hiere. 16. — Mendoza in lib. 1. Reg. c. 8. vers. 18. sect. 2. — D. Ambr. l. de Naboth. cap. 6.

7. Sed quàm distincta sunt lucra eorum, qui diuinæ se consecrant seruituti, & quàm incomparabilia sunt bona quæ possident! Coronidem imponat argumento Diuus Ambrosius, duas sententias sacri Eloquij conferens

ferens inter se: prima est ex Isaia, altera ex sancto Matthæo. De se loquitur Christus per Isaiam, quod egressus sit de vtero matris suæ servus Dei. *Formans me ex vtero servum sibi.* (*Isa. 49.*) Cùm hoc ita sit, notandum tamen cum D. Ambrosio, quod idem sit Dominus imò Rex, vt notat S. Matthæus, quærunt etenim Magi: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* (*Matt. 2.*) Quomodo igitur hoc esse potest? qua veritate sibi conueniunt ambo ista appellatiua servus & Rex, subditus & Dominus? *Aduerte mysterium*, quod tibi reuelabo, & difficultatem enodabo. *Ex vtero Virginis idem & servus exiuit & Dominus; servus ad operandum, Dominus ad imperandum: vt regnum Deo in hominum mentibus radicaret.* (*D. Ambr. præfat. in Psal. 35.*) Hoc est, vt homines doceat, qui seruire Deo satagunt, quod hoc ipso regnare desiderent: etenim tam gloriosa est seruitus, vt eos, qui Deo seruiunt, reddat ingenuos: ita vt illi tantum obtinere queant locum momenque Regis ac Domini, illisque solis gaudium, iucunditas, & quies seruetur. Væ illis qui tam abiecto famulantur Domino, peccato scil. per Euangelicum iumentum designato: cuius Domini non nisi illi ligando student, nemo qui ducat in stabulum ad præsepe, vbi à labore recreetur; nullus ad forum descendebat vt famescenti fœni vel herbæ manipulum compararet: omnes ei benefacere negligebant, nec erat qui non crudeliter eum exciperet. Solus Deus ei dissoluendo studet, & veræ laborat eum libertati restituere, idque per ministros suos, quos in eum finem eò destinat: *Inuenietis, &c. Soluite & adducite mihi.*

## *Ecce Rex tuus venit tibi.*

### CONSIDERATIO III.

*Ille principis officio satisfacit, qui propriæ commoditatis oblitus, subditorum tantùm inuigilat incolumitati.*

INsignis noster Oleaster interpretatus locum Isaiæ, & Zachariæ, de quibus illum citat D. Matthæus, ait: (*Isa. 62. Zach. 9.*) 1.
Promittens Deus quod filius suus venturus esset Rex & populo suo, illum ab illis Regibus discernit, qui subditis suis non sunt, sed sibi. *Cùm Dominus Messiam suum esset in orbem missurus, ciuitati suæ per Zachariam nunciauit, dicens: Ecce Rex tuus venit tibi: dixit, tuus: quoniam nouerat esse Reges, qui non sunt populi, sed sui, qui sic in omnibus quærunt quæ sua sunt, non quæ ciuium: Ecce Rex tuus venit tibi.* (*Oleast. ad c. 3. Isaiæ.*) Quantâ ratione mundo prænuntiat, quod veniet regnaturus illi: *Rex tuus venit tibi*; tanta potest ei dicere quod sit *Rex tuus:* nam Rex, qui tantùm Rex est quoad ea quæ subditos concernunt, & non sibi, solus hic verè Rex erit subditorum, *Rex tuus:* qui namque contrariũ egerit, non Rex, sed tyrannus erit, nec populus per talem rectus, erit Christi Respublica, sed Satanæ tyrannis. Videamus an pro vtriusque probatione diuinam possimus adferre Scripturam.

Expendit præfatus Auctor, id quod Moyses narrat: à Deo nimirum creatum solem, vt naturale quoddam esset orbis horologium; quem proinde cum alijs sideribus in cœlo statuit, tanquã signum temporis, æstatis, hiemis, veris & autumni, dierum & mensium: 2.

Gen. 1. matutini temporis, meridiei. *Vt sint in signa & tempora, & dies & annos, &c. & illuminent terram.* Opus autem illud diuini magisterij ad amores trahens, affirmat quod in illo Deus descripserit, & exemplar statuerit Regum ac Principum terræ; quandoquidem licet luminaria sint adeò formosa, & nobilia si spectes locum in quo consistunt, non dedignentur se inclinare, quo tam abiecto elemento, nempè terræ deseruiant, atque in abditissimos eius sinus, & profundissima concaua influere, ad eius omninò commodum, vt nec proprio tamen consulant, & à qua nullam habent dependentiam. *Vbi vides quæ & quanta terræ luminaria præstent, nihil lucri ex ea sperantes, neque dedignantur, cùm tam sublimia corpora sint, tam lucida, tam pulchra, infimo elemento terræ scil. tot præstare ministeria.* Seruiunt hæc Principum instructioni & doctrinæ eorum qui primas occupant mundi dignitates: qui tali modo ministrare debent bonum commune, vt numquam intentionis oculos ad propria deflectant commoda, nec aliquam à subditis suis sperent vtilitatem.

Oleast. hic.

3. Præcipit Moysi Deus vt Iosue constituat sibi successorem, eoque fine dicit ei: *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Hebræi secundùm Oleastrum legunt: *Et dabis ei de descensu tuo*; vel de tua humilitate & abiectione. Nec sibi repugnant hæ duæ lectiones: quia humilitas Moysi reddidit illum omni laude dignum & gloriâ sublimem. *Humilitas enim Moysi, laudabilem & gloriosum reddidit.* Hanc explicationem sequuntur communiter Expositores: ego autem cum eorum licentia luce aliâ verba hæc intuebor, descensum seu humilitatem, idque secundùm sacrã Scripturam, & Auctoris præfati doctrinam. Quare recurrendum est ad illum locum Exodi, in quo dicitur: Cùm populi Dei Ductor Moyses ageret cum Deo in monte, Moyse absente populus peccauit, & injungit Moysi Deus: Festina velociter: *descende, peccauit populus tuus.* Sufficit ô Moyses hæc tua cum Deo familiaritas, descende. Notat Oleaster; cùm enim Sanctus hîc maxima, qua posset, gauderet consolatione, cogit illum Deus vt descendat, & populo subueniat; quandoquidem sit eius Princeps, particulari bono bonum præferens cõmune. *Nihil jucundius diuino colloquio: hoc tamen priuatur Dux ob populi peccatum.* Nihil animæ gratius, ac lætius nihil, ipsâ cum Deo familiaritate: porrò populi peccatum Ducem his omnibus priuauit, quibus in vertice montis fruebatur, & quamprimùm sibi obuiarunt populi remedium, & proprium commodum, descendit ita sollicitus eorum, vt suiipsius obliuisceretur. Repetamus igitur locum Numeri: Dicit illi Deus: Communica spiritum tuum Iosue, eique de descensu tuo tribue; alludens ad descensum eius de monte, qua gloriam deseruit, in qua illum viderat, eo solo fine vt subditis suis subueniret, hoc est: *Dabis ei de descensu tuo:* spectans hoc: *Descende, peccauit populus tuus.* Ea de causa ambo hi Principes populi Israël secundùm cor Dei sunt efformati: quia semper semetipsos non attendentes, totum suum studium eorum impenderunt saluti, quos sibi sciebant esse commendatos.

Num. 27.

Oleast. hic.

Exo. 32.

Oleast. hic.

In Rege Regum Christo Domino Redemptore nostro optimam huius doctrinæ habemus probationem. Aduolat Angelus Gabriel purissimæ Virgini nuntiaturus Incarnationis Verbi diuini mysterium in castissimis eius visce- 4.

viſceribus: atque inter arcana alia verba, hoc illi futurum adſtruit, quod filium paritura ſit Regem, qui *regnabit in domo Iacob in æternnum, & regni eius non erit finis.* (Luc. 1.) Hic fige gradum, & attende verba, quibus Domina noſtra legationi conſenſum præbuit. *Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Quodnam eſt hoc idioma tam inauditum? Angelus ei prædicit quod enixura ſit filium, qui futurus ſit Rex: ipſa verò ſe nominat ancillam. Non capio. Certum eſt quod illum reddat hominum ſervum: quia quocumque modo ſit, partus ſemper ſequitur ventrem; ſuppoſito quod mater ſe vocet ancillam, etiam filius futurus erat ſervus. *Grandi myſterio altiſſimoq́; Deitatis inſtinctu conceptura Deum, ſui meminit ancillatûs, vt orientem à ſe filium mundi obſequio manciparet.* (Thom. à Villa-noua ſer. 1.) Ita loquitur conſuetâ ſibi elegantiâ S. Thomas à Villa-noua. Nulla quoque (licet primo obtutu ita videatur) eſt in hoc oppoſitio: nec ſibi contradicunt, eſſe mundi ſervum (*Ecce ancilla*) & eſſe quoque Regem (*Et regnabit*;) imò verò concinnè ſibi mutuo dant manus, & ita cõuertuntur, vt videantur vnum & idem, eſſe Regem hominum, & eorum ſervum; quemadmodum enim hic propriam non habet voluntatem, ſed nec proprium laborem quo deſudat; ſed omnia cedunt in lucrum domino ſuo: ſic & bonus Rex in Chriſto præfiguratus, totus eſſe debet ſibi ſubditorem, omnes eius ſollicitudines, ſudores, labores, vigiliæ eò tendant, vt ſubditos defendat, nihil ſibi reſeruans præter voluptatem illud faciendi; atque in hoc ſibi perſuadeat ſuam latere dignitatem, vt alius dixit: *Hoc habent Reges magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies, prodeſſe miſeris.* (Sene. in Medea.)

5. Acutè perpendit D. P. Chryſ. myſtica illa verba, quæ Prodigi Pater ſeruis ſuis dixit: *Adducite vitulum ſaginatum & occidite, &c. quia hic filius meus mortuus erat & reuixit.* (Luc. 15.) Mortem vituli coniunxit morti filij ſui, docens inter vtrumque conuenientiam. *Hiſtoriam loquimur; adhuc enim cogitamus arcanum nudare myſterium; mortuus filius vituli ſuſcitatur ex morte.* (D. Chryſol. ſer. 5.) Enodatum huius parabolæ myſterium educimus in lucem: mors enim vnius cauſa fuit vitæ alterius, hoc eſt, mors Chriſti cauſa extitit vitæ ſpiritualis hominis: nec enim ſolus D. P. Chryſol. ſed paſſim omnes Sancti per hunc vitulum, Chriſtum intelligunt Redemptorem, qui ab initio mundi paratus erat in eum finem, vt peccatorem Patri ſuo mediator reconciliaret, præfiguratus in nouello illo vitulo, quem Deus in libro Leuitici juſſit immolari pro peccato Sacerdotis & populi.

*Paſcitur in reditum veſtrum votiua juvenca.* (Horat.)

Ita canit Horatius. Vitulus eſt ſaginatus omnium gratiarum & virtutum ſaginâ incraſſatus. Hic igitur occidi pręcipitur, hoc eſt, vt moriatur in Cruce, quatenus humanum genus per culpam mortuum reſurgat ad vitam gratiæ: & quamprimùm ei inveſtituram Regis dederunt (vt diximus,) *regnauit in domo Iacob:* (Matt. 1.) ſtatim ei mundi ſalutem annexerunt, intercedente morte, ad ſuam coronam. *Ipſe enim* (addit Angelus) *ſalvum faciet populũ ſuum à peccatis eorũ*: & hoc idẽ Iſaias & Zacharias prædixerant: quod Rex futurus eſſet, non ſibi, ſed ſuis, nec propriæ ſtuderet vtilitati, ſed populi ſui redemptioni & ſaluti. *Ecce Rex tuus venit tibi.*

6. Idem incumbit terræ Regibus vt muneri ſuo ſatisfaciant: generoſus & honorificus conditionis ſuę character eſt

est pupilli defensio, necessitatē patientis auxilium, & tribulati solatium.

Ouid. l. 2. de Pont. Eleg. 9. *Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis.*

Alioqui subditorum habebuntur tyranni. Mecum coniunge duo loca sacrę Paginæ, veteris vnum, & noui Testamenti alterum: ex illis namque fortissimum cogito educere fulcrum mei discursus. De Ioram impijssimo Rege Israël, vero vtique filio Achab, narrat S. Scriptura, quod subditos cernens sanguineo certantes prœlio, quod illi Deo præcipiente Iehu inferebat, nouiter inunctus illi Regno Rex, eosque manifesto mortis periculo expositos, ita parum eos dilexit, vt vecors & imbellis animi, militibus non inclinatus, fugâ sibi consulere studuerit: notat enim S. Eloquium, quod terga vertens hosti, quo fugiens periculum euaderet,
4. Reg. 9. percussus interierit. *Porrò Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas.* Quod si aperta fronte dimicasset, vulnus ab anteriori corporis parte fuisset inflictum. Locum hunc obserua, & alterius recordare S. Ioan. in quo nobis asserit, quod postquam Christus Agnus innocentissimus vitam ignominiosâ morte commutasset, sacratissimum eius pectus cuspide lan-
Ioan. 19. ceæ fuerit apertum. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Itaque duo hæc loca conferendo, & vulnera inflicta Regi gloriæ, & Regi terreno, inter hæc discrimen hoc inuenitur: quod hic inter scapulas feriatur, Christus autem in latere. Et ratio est: cùm enim Ioram Rex esset tyrannus, vitam suam saluare studuit, parum sollicitus ne sui illam perderent: idcircò non ausus est inimico frontem exporrigere, sed corpus suum periculo suffuratus est: vnde retrorsum & quasi proditoriè sagitta cor eius penetrauit. *Et egressa est sagitta per cor eius.* Porrò Redemptor sicut conseruationi propriæ vitæ non studuit, sed vt mundus viueret, ita latus obtulit, melius dixero, cor inimico, quatenus in ipsum prius, quàm in sponsam verbera reciperentur, & furores irruerent: vt dixit quidam doctissimus Contemplativus: *Primum ictum suscipere in se voluit, vt minus læderetur Ecclesia.* Et hoc est mysterium quod in anteriori corporis parte fuerit vulneratus. *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* O quale Principibus documentum! Quàm salubris instructio Regibus, si velint iam incitari! Malon. in Addit. ad Alphon. Palaeot. c. 2. n. 9.

Timeo verò ne pauci sint Christi imitatores; plures autem habeant Ioram & Pharao sequaces. Gentilis hic Rex in arcto positum se dolens ob plagam ranarum, qua, prout effectu patuit, summè torquebatur, ad se citat Moysen & Aaron, & ille qui tantâ superbiebat arrogantiâ, vt Deo subdere se nollet eumque recognoscere, nunc humilis illos rogat: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.* manumque suam à tam diro releuet supplicio. Notant hîc nonnulli quod se populo præposuerit: quia pluris suam quàm subditorum vitam faciebat. Applaudo conceptui; sed insignior est assertio Lyrani, quærentis, quid causæ sit quod Pharao de prima plaga conuersionis aquæ in sanguinem conquestus non fuerit, nec à Moyse petierit illam auferri: de secunda vero tam anxius indoluerit: vnde colligitur, quod secunda grauius illum afflixerit. Audi responsum argumento nostro conforme: *Quia magis fuit afflictus de secunda:* quare & ab illa se liberari postulauit. Et scire licet quæ ratio fuerit, vnde magis illâ torque- 7. Exod. 8. Lyran. hic.

retur:

retur: *Nam ipsi & alij potentes bibebant vinum, & alios liquores, quos poterant bibere septem diebus, quibus durauit illa plaga; sed ab improbitate & fœditate ranarum non poterant se defendere.* Itaque quo tempore populus ex aquæ penuria peribat, alto somno pressus dormiebat Pharao, delicijs suis vacabat, damnoque suo reparando invigilabat, & tunc demum expergiscitur vt plagam sentiat, quando domum eius ingreditur, & de remedio consulit. Tyrannis hoc innatum est, vt non nisi de se curam habeant.

8. Postquam Apostolus Petrus gloriosam illam effatus fuerat confessionem, in qua Christum cognouit verum Dei filium, quem ille beatum idcirco prædicauit, atque in eius retributionem Ecclesiæ suæ Thiaram addixit, euenit, quod immediatè Magister diuinus dixerit, quod oporteret eum ire Hierusalem, & infame Crucis subire supplicium. Petrus hoc intelligens, cor nō habuit quo tale quid in ipso fieri pateretur, & inordinato amore ferues, Christo persuasit ne tale quid ageret. Sed Dñs noster insipiens, eius audiens consiliũ, satis acriter illũ reprehendit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Matt.16. Admirantur SS. PP. tam subitam magnamq; mutationẽ: quod ille, qui majora cognosceret, minora non intelligeret; & ille, qui sciebat Christum esse filium Dei, passionis illius non caperet necessitatem: & qui paulò antè ad tam sublimem euectus fuerat dignitatem, tantumque laudatus, modò tam seuerè puniatur. Alij suam dicant opinionem, ego sentio quod Christus docere voluerit Divum Petrum, quænam obligationes annexæ essent summo Sacerdotio. Iam eum Redemptor noster in Ecclesiæ suæ Principem designarat; sed adhuc onera tantæ dignitatis ignorabat: & ideo Christo conatur persuadere (qui tanquam bonus Princeps debet & vult dare animam suam pro populo suo) vt non moriatur: quia non scit quod quia Sacerdos est, ad hoc teneretur: nec hoc aliud erat, quàm illi consulere, vt commoditatibus suis studeret, & alienas vel communes negligeret. Christus igitur electi Principis inscitiam redarguit, vt eum de illo instruat, quod sui muneris est, quem Satanam appellat, iniquum intelligens Principem, qui particularibus suis tantum commodis vacans de loco suo cadit, & per hoc insinuans, quod amor proprius, & affectus ac studium ad bonum sibi singulare, certissima sit ad perdendam dignitatem via. Hæc ratio fuit, ob quam Christus, qui Petrum aliàs ita extulerat, & in vita beatificauerat, hîc Satanam accuset, & eadem ratione muneris sui ignorantem, ac proinde quasi iam de Pontificatu depositum. Audi Diui Hieronym. opportunè loquentem: *Vade retro me, hoc est, sequere sententiam meam: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum, & Patris (cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum salute moriari) tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multos fructus afferat.* Hieron. hic. Porrò maximus hic Ecclesiæ Doctor excusat Apostolum, in quantum, licet illi Christus primatum Ecclesiæ suæ promisisset, iam eius tamen non accepisset possessionem, quam in futurum reseruabat: si namque iam Pontifex fuisset, indubiè talem non commisisset errorem, nec officij sui munus ignorasset. *Quæ si statim dedisset ei, numquam in eo prauæ confessionis error*

*junenisset locum.* Si Petrus statim Pastoris officio functus fuisset, non dubito, quin quoad particularia fuisset admodum illustratus: & absit vt Christum à proposito deterruisset, imò potius se ipsum obtulisset, vt ad eius imitationem, idem ipse faceret.

9. Paruam vel nullam habent excusationem Reges & Principes Christiani, muneri suo non satisfacientes, subditorum salutis immemores, particularis autem sui cõmodi recordati: quandoquidem Oratores Euangelici toties illis prædicent, & doceant quid illis in tam graui munere sit agendum, vt obligationi suæ satisfaciant. Quanto magis, cùm Regni sollicitudines sint adeò manifestæ, vt ipsi Gentiles luce fidei carẽtes, illas intellexerint, sublimes nimirum mundi dignitates, status esse seruitutis; tantumque secum onus ducere, sceptrum habere in manu, quantum in pedibus compedes. *Scias imperium nostrum præclaram esse seruitutem*, asserebat filio suo Rex Antigonus, & quemadmodum servus (vt antè diximus) sui juris non est, sed Domini sui; ita bonus Princeps non est sui juris, sed subditorum: quia in tantum sui debet obliuisci, quasi non esset, & in promouendis eorum commodis omne studiũ suum impendere; nec enim Reipublicæ instituuntur ad Regum vtilitatem, sed Reges ad Reipublicę bonũ vnguuntur. Hæc mihi videtur esse ratio, quare dum Reges nominamus, soleamus dicere: Rex Castiliæ, Rex Portugalliæ, Rex Nauarræ, & nequaquam Castilia Regis, Portugallia Regis, Nauarra Regis: quia regna Regibus non sunt; sed Reges regnis: nec subditi vt eos Reges exspolient, sed Reges subditis, vt omnimodè proprijs impendijs eorum studeant incremento, illis laborent quasi serui forent emptitij.

*Plutarchus in Antigo.*

10. Ita Patriarcha Noë hoc intellexit, quando ob commissum in se crimen irreuerentiæ à filio suo Cham, illi maledixit, vt omnis eius generatio seruitutis jugo subiaceret. *Maledictus Chanaan, servus seruorum erit fratribus suis.* His non obstantibus lego cap. sequẽti quod Nemrod nepos Cham Princeps fuerit & Rex Babyloniæ: *Fuit autem principium regni eius Babylon, &c.* Compone binos hos textus ita sibi oppositos: quia si Nemrod nepos Cham Rex fuerit, & Dominus, quomodo verificatur oraculum, & completur maledictio qua illi Noë proauus maledixit, quod omnes posteri Cham seruituti perpetuæ subiacerent? Dubium enodat D. Chrysost. verbis suis aureis. Verũ est, inquit, quod Nemrod fuerit servus, vt prædixit eius proauus, fuit quoque Rex Babyloniæ: sed ipsum regnum genus est seruitutis, tantoque magis, quanto grauiores eius sunt obligationes & fortiores carceres. *Ista autem videtur esse libertas, seruitus tamen grauissima est.* Regnum apparenter tantum status est libertatis. *Ista autem videtur esse libertas:* sed in rei veritate status est captiuitatis, & strictæ quidem, ac prementis, si Reges suis velint satisfacere obligationibus.

*Gen. 9.*

*Gen. 10.*

11. Prô! quàm bene cognoscebat hanc veritatem Pompeius vir Gentilis! Proficiscebatur hic Romam cum subsidio panis eo tempore quo Roma fame premebatur. Cùm iam nauim ascendisset, sæua nimis oritur tempestas. Cui sic Nauclerus: Nauigare non expedit furenti pelago: vita quippe ipsius periculo subiacebat interitûs. Cui celeberrimus respondit Heros, quod dicere poterat Rex Christianissimus: *Vt nauigemus vrget necessitas, vt viuamus non vrget.* Quis vnquam ex ore Principis Catholici tale intellexit idioma? Quis

*Apoph. antiq. verbo Pompeius*

Quis eos vidit ita de commodo suorum subditorum zelosos, & sui-ipsius ita parum anxios? Etenim non solum magnam præcurrerent Pompeium, sed etiam summum Regem Christum imitarentur, adeò nostræ salutis auidum, vt sui quasi memoriam abijciat, quemadmodum sacra testantur Oracula per Euangelistam relata, dicentia, quod Rex esset noster, quia nobis venit: *Ecce Rex tuus venit tibi.*

---

*Venit pauper sedens, &c.*

## Consideratio IV.

*Catholici Principes in sibi subditis vires expendant, antequam illis imponant onera.*

1. Venit pauper (inquit Vates Zacharias) Saluator, quando sedens super asinam, ingreditur Hierusalem. Iurarem ego tunicam non fuisse multum, quando ferens erat adeò debilis. Alij hinc alios formabunt discursus: porrò mihi occurrit salutare terræ Principibus Regibusque documentũ: vt nimirum nouerint vires expendere sibi subditorum, illisque non grauius onus imponere quàm quod suauiter leuare potuerint.

Ad perpendiculum cadit hîc quod olim per Moysen Dominus locutus est, quo suauitatem ostenderet, qua diuina sua mandata possent obseruari, in quibus nihil esset graue, nihil onerosum. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, vt illi dicas: Quis ascendet in cœlum? Neque in abyssis constitutum, vt dicas: Quis descendet in abyssum? Sed propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Popule meus, mandatum hoc quod tibi iniungo magnam habet obligationem, at nullam difficultatem: quia vires tuas non excedit, sed eis est commensuratum. Non tibi præcipio vt in cœlum ascendas: noui namque te dicturum: Alas non habeo; nec vt descendas in abyssos; diceres enim: Est mihi hoc impossibile; nec vt trans mare migres, aut terram circumeas; obijceres: Quis hoc faciat? Sed id quod habes tecum, in corde tuo habitat, & in labijs requiescit. Adest modò magnus Oleast. & ait: *Et gratificandum Deo valde est, quod ea quæ sunt ad salutem necessaria, facilia fecit, & ad paruum semper redacta numerum; summauit enim & perstrinxit totam legem duobus illis præcipuis mandatis, scilicet in dilectione sui & proximi.* Benedictus sit Rex Regum, Deus ac Dominus animarum nostrarum, infinitæ dentur diuinæ eius bonitati gratiæ, quandoquidem tam piè, tamque benignè agat nobiscum: nec enim aliquid nobis iniungit, ex quo iustè possemus conqueri, sed quo nostram prouocet gratitudinem; tam parcum se monstret in eo quod à sibi subditis petit, vt in legibus suis magis attendat quid illis sit permissurus, quàm quid iniuncturus, magis beneficia quàm præcepta. 4.
Ratio autem est: cum enim Dominus sit adeò sapiens, cognoscit quousque vires nostræ protendant, nouitque simul quid cujusque præcepti grauitas ferat, vnde reddit illa suauia, nedum præmij pollicitatione (vt sunt illa, quorum hic meminit) sed etiam numerum eorum constringens ad duo tantum, ne fortè sub onere cadat asina.

Probè cognita ecce Dauidi suauis hæc Dei proprietas: huic etenim conformiter exponit Interpres Lusitanus Vegas versum illum Psalterij, 2.

Deut. 30.

Oleast. hic.

*Num-*

Psal. 93. *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* An fortè tibi, Domine Deus, adhæret aliquid iniquitatis, de iniustis hominum Tribunalibus? Vel sicut illi statuta condis grauissima, quibus oppressi corruamus? Omnino non: hoc quippe terræ Principibus innatum est, qui nihil aliud intendunt, quàm onerare suos subditos: ita vt insupportabili præceptorum pondere confringantur. Tu verò non sic: etenim de tuis fidelibus non plura postulas, quàm leuiter possunt facere, & eorum vires facilè tolerare. *Numquid es Princeps aliquis iniustus & tyrannus, qui fingis laborem in præcepto? hoc est, qui præcepta imponis impossibilia & ardua: vt per eam occasionem subditos possint opprimere? Quasi dicat: Minimè.* Liceret hîc dicere quod Psalmus spectare videatur lateres, quos Rex Pharao filijs Israël imponebat coquendos, ex quibus mœnia repararet ciuitatum suarum, vltra vires eorum humanas. Et notat D. German. illud injustitiam aggrauabat, & intolerabilem reddebat eorum laborem, quod tyrannidi tyrannidem adjungerent, volebatque Pharao vt miseri Hebræi paleas colligerent quibus fornax accenderetur, in qua lateres coquebantur. *Præcepit ergo in die illa Pharao præfectis operum, & exactoribus populi dicens: Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant & colligant stipulas. Grauis exactor, & inexorabilis impulsor*; ait pijssimus & doctissimus Germanus. Noua fuit hæc in mundo crudelitas: nec enim (vt aliàs expendimus) similem tulit mundus tyrannum, simile quid seruo suo præcipientem: seruus namque laborem suum sudoremque conferre potest, porrò quis vnquam ab eo materialia dari postulauit? Vnicus Pharao, quo sol non vidit iniquiorem: cujus asseclæ sunt omnes illi, qui petunt, exigunt, vel trahere nituntur de subditis suis, quod non possident, vel ad vitæ necessaria opus habent.

(Vegas in Apoc. cap. 12. Com. 3. Sect. 6.) (Exod. 5.) (German. Orat. de adorat. Crucis.)

3. Qui namque Dei naturam induunt, impossibilia viribus humanis numquam instituunt: imò verò quæcumque fieri præcipiũt, suauia sunt, & leuia. Expendit D. Pet. Damian. quod dum Moyses à populo peteret offerri necessaria fabricæ Tabernaculi eiusque ornatui, non determinauerit vt omnes idem offerrent, sed vnusquisque quod haberet, vel posset. *Omnis voluntarius offerat aurum & argentum, & æs, & hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pilos arietum*, vnusquisque pro medijs suis: & qui non potuerit offerre facultates, laborem suum ei contribuat: vt hic insigniter adnotauit Oleaster. *Tenetur quisque Deo offerre, quod potest, alij donaria, alij operas suas.* Contigit autem, vt aduertens populus quàm pauca Deus ab illis exigeret, nec vltra possibile postularet, tanta Deo consecrarunt, vt necesse fuerit quod operum artifices dicerent: *Plus offert populus quàm necessarium est.* Oportet, ô Moyses, populum hunc impedire: quia tam copiosa sunt eius donaria, vt iam ad fabricam necessaria superabundent. Ilicò proclamari jussit Moyses, ne quis plura posthac offeret: iam enim necessaria fabricæ à Deo præstitutæ sufficiunt. Modò loquitur D. Pet. Damian. *An non eumdem populum, velut immoderatè currentem, freno moderaminis coërcebat, tum illos ab offerendis muneribus prohiberet?* q. d. Perpende quanti referat vt Princeps suaui-

(Exod. 35.) (Oleaster hic.) (Exod. 35.) (D. P. Damian. l. 6. Ep. 24.)

suauiter & moderatè cum suis agat: nam eo ipso quo plura non petierunt artifices quàm iuxta singulorum facultates, licet pilos tantum arietum, vel quid vile his simile dedicarent, omnes infirmitatis vires eduxerunt, tantaque promi liberalitate contribuerunt, vt in offerendis muneribus moderationem non seruarent, & vltra necessaria offerent. Porrò cùm Deus non soleat grauare nos vltra vires nostras, supersedere iussit, & plura prohibuit offerri quàm ea quæ statuerat, quia oblata sufficiebant: non solum attendens ad præsentem fabricam, sed etiam ad media singulorum qui offerebant: cùm enim ad fabricam se exhaurirent, hinc tributa crescebant superflua, qualia Deus à sibi subditis non extorquet, nisi ea tantum, quæ sine proprio detrimento possunt offerre.

4. Quàm commensurata fuit petitio Dauidis Sacerdoti Achimelec! nam fame fatigatus & itinere, dixit illi Dauid: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris.* Et quoniam inermis discesserat, ab eo petit: *Si habes hic ad manum, hastam aut gladium: quia arma mea mecum non tuli.* Quam parca petitio! Frustum postulat panis, hastam vel gladium: hoc est, (interprete doctissimo Episcopo Barbastrēsi Lanuza) quod Deus ab omnibus & singulis petit fidelibus. *Id à nobis exigit, quod ad manum habemus.* Non exigit à nobis vt in eius obsequium plura faciamus, quàm quæ ad manum habemus: nec aliud rogat, præter id quod nouit sine damno nostro & facilè nos illi posse consecrare. Quocirca tantò grauior arguitur culpa nostra, dum Deo non damus quod à nobis postulat, quantò sunt faciliores Dei petitiones. Si postularet à te, vt dares illi quidquid possides: tu verò pauper cogereris mendicare, vel nudus ambulare ob vestes tuas nudo concessas, vel scapulas tuas flagellis dilacerares, vel alia similia valde ardua, posses te excusare propriam allegans infirmitatem, paruaque media: sed hoc tantum postulat: *Si quid habes ad manum:* non à te petit, nisi quod vales: vnde si negaueris hoc illi, nulla tibi manet excusatio.

1. Reg. 21.

Lanuza Ho. 24. §. 21.

Valde subtiliter expendit Clemens Alexand. verba illa Christi, *Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum meum suaue est, & onus meum leue, & discite à me; quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Constans est SS. Patrum doctrina, per iugum hoc, Euangelij legem intelligi, & vitæ Christianæ rigorem: vnde quātum respicit hominis fragilitatem, iugum est graue, videturque impossibile: quantum autem spectat gratiam ipsi præcepto vel consilio annexam, iugum suaue est & sarcina leuis. Hæc maximè cōmunis est SS. Interpretum expositio; sed præfatus Clem. Alex. ait verbum Græcum, quod respondet *Iugo*, æqualiter significat *Iugum* & *stateram*. Et referens illam Pythagoræ sententiam: *Stateram non esse transiliendam:* etenim refert pondus iustitiæ fidele esse & iustum. Addit: *Propterea Dominus, Tollite, inquit, iugum meum super vos: quoniam benignum est & leue.* Et hac de causa nominat Christus iugum suum stateram, quando dixit illud esse suaue. Primò: quia vires nostras expendit, & in statera iusta appendit, & statim ex altera parte legem opponit; & eius rigorem cōferendo ei quod possumus, vires nostræ legis pondus excedunt: idcirco vocat illam facilem & toleratu leuem. 5. Matt. 11.

Clem. Alexan. lib. 5 Strom.

6. Hinc facilè capies proprium sensum illius sententiæ, quam Christus suis sequacibus proponit, inuitans eos vt Crucem suam tollant: *Siquis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Trutinant Interpretes conditiones à Christo propositas ijs qui voluerint esse eius Discipuli: vt abnegent semetipsos & tollant crucem suam. Partem huius sententiæ seruemus in aliud tempus, & aliam ruminemus. Tollat crucem suam, præcipit Christus vero suo Discipulo: *Suam dixit, non meam* (ita Hugo Card.) *q. d. dolor meus non sufficit, nisi adsit vester:* id est, non mea sufficiunt merita, quibus salueris, nisi & his opera tua bona copulaueris. Hic planus est sensus. Porrò D. Leo Pontifex aliam mihi suggerit explicationem argumenti nostri robur valde validum. Non ait Redemptor noster (ita præfatus Pontifex) vt crucem eius tollamus, sed nostram: quia tam graui ferendo ponderi, Cruci nempè Saluatoris impares sunt nimisque infirmi humeri nostri; quisque Christianus suam tollat, id est viribus suis adæquatam: tantum quippè pondus, passionis nimirum Redemptoris, illius tantum humeri ferre poterant qui Deus erat & homo. Proferamus verba S. Pontificis. *Sicut ergo totius est corporis piè viuere, ita totius est temporis Crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique suadetur: quia proprijs modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur.* Nota verbum: *Proprijs modis atque mensuris* ferant singuli Crucem suam, quæ singulis commensuretur atque in justa diuinæ justitiæ statera appendatur: discant mundi Reges formam justitiæ, & æqualitatis quam erga subditos obseruare debent, non vltra modũ illos tributis grauantes, sed eorum semper se possibilitati medijsque conformantes: oppositum enim facere, esset vires de infirmitate educere, vel potius, crudelissimam exercere tyrannidem: quæ non minus in Principum redundabit detrimentum quàm in subditorum perniciem.

*Matt. 16.*

*Hugo Card. hic.*

*S. Leo Pont. ser. 9. de Quadrag.*

Balaam insatiabili victus auaritiâ tandem profectus est populo Dei maledicturus, & iniquam suam prosecutus intentionem: Deus autem, vt illum cohiberet, & à peruersa retraheret cogitatione, quando iam ardentiùs iter suũ prosequebatur, & frequenti duroque verbere asinam, cui insidebat, contundebat, oculos illi aperit, vt ipsa videat, quod ariolus ex malitia cæcus minimè videbat; nimirum Angelum stantem ex opposito nudato gladio, quem in pectus eius dirigebat: ita vt si vel ad passum vltrà progrederetur præstigiator, Angelus gladio cor eius penetraret. Substitit animal & quanto fortius illud instigabat, cedebatq; flagris, tanto minus procedebat. Nec mirum: detinebat enim illud Angelus. Iterum asinam percutit, ipsa verò quasi immobilis subsistebat: quando verò vidit se tam inconsideratè contundi, per miraculum os suum aperuit, & hæc illi verba proposuit: *Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce iam tertiò?* Cui Dominus Balaam: Optimè flagra meruisti: *Quia commeruisti, & illusisti mihi: vtinam haberem gladium, vt te percuterem.* Sed audi triste asinæ responsum. *Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? Dic quid simile vnquam fecerim tibi?* Certè non: nec in rei veritate imponere tibi possum proditionis aut inurbanitatis crimen in me hactenus commissum. Ilicò Balaam cernit Angelũ denudato gladio minantem sibi mortem, & prostratus in terra Angelum adorauit. Reprehendit 7.

*Num. 22.*

hendit

hendit illum acriter cœlestis minister quod asinam tam seuerè tractaret, iam tot annis illi seruientem, & nullâ datâ occasione: cui declarauit, quod si ipsa cernens Angelum de via qua gradiebatur, non deflexisset, indubiè ipsum occidisset, asina verò viueret: quia Deo repugnabat iter quò tendebat. Cognouit præstigiator culpam suam, & commissi peccati veniam rogat cum proposito emendationis. *Dixit Balaam: peccaui, &c.* Liceat mihi locum hunc ad mores trahere ad confirmationem præsentis Doctrinæ. Multis annis seruierat domino suo asina hæc, qua vehebatur ne ab itinerando fatigaretur, aut onus ferre cogeretur. Contigit vt vltrà non posset: cùm enim iter esset obstructum, quamvis vellet, non poterat progredi: quocirca illam punire & flagris cædere vt labori suo insisteret (suppositâ experientiâ fidelis obsequij sui) actus erat immisericordis crudelitatis. Quid aliud sunt subditi, nisi asini, quibus toto anno & vitâ rex vtitur? Quo tempore possunt, celeres aduolant ei famulaturi: & quacumque occasione illos quærit, paratos semper inuenit, qui vita & opibus illi famulentur. Ad illos accedunt terminos, vt vltrà progredi non valeant, viribus infirmantur, nec vllæ supersunt substantiæ; numquid consultum esset illos flagris & vi seueræ exactionis ad iter impellere? Certè nequaquam: imò contrarium maximi refert. Hoc est vt Princeps oculos aperiat illisq; compatiatur: credat autem & intelligat quod velle à subditis vltra vires & facultates, sit diuinis contraire statutis, Deique voluntati refragari: Hoc enim ipse aiebat, vt suauem suam & diuinam illi conditionem imitarentur: ne illi necesse sit omnem eis extrahere sanguinem, vel sicut ciuctum, seu murem odoriferum flagellare, vt hoc modo gratum referat odorem. Hoc quoque suo nos exemplo docet Saluator hodie dum pauper & asinâ vectus Ierusalem ingreditur: *Pauper & sedens, &c.* Onus reddit leue, ne asina, in qua sedet, nimis grauetur.

Coronidem argumento nostro imponat sententia regis illustrissimi Henrici tertij gloriosæ memoriæ: qui licet aliud non edidisset facinus, hoc vnicum poterat nomen eius famamque reddere æternam. Persuaserunt illi status Consiliarij vt novis gabellis ac tributis regna sua grauaret, quibus subditos contra inimicorum impetus fortius protegeret. Quibus ita respondit: verba eius prodigiosa sunt: *Populi mei ego execrationes amplius, quàm hostium arma formido.* O verba verè cordis animosi, & sublimis intellectus, imò digna Principe, quem magis filiorum patrem quàm subditorum dixeris esse dominum; verba inquam, quæ dignissimorum sibi successorum memoriæ merentur insculpi: quatenùs ex illo discant subditis sibi populis clementes esse & benigni, eorum timere lachrymas & maledictiones cuitare, certum etenim est quod dum subditi animo despondent, regnum non possit consistere, sed necessaria sequatur amborum ruina; vires illorum expendant, vt illis conformiter onus imponant, si Monarchiæ suæ velint esse consultum. *Venit pauper sedens, &c.* 8.

*Maria. l. 19. cap. 14.*

*Plurima autem turba sternebant vestimenta sua in via.*

## CONSIDERATIO V.

*Nemo præsentis vitæ transitorijs confidat prosperitatibus: si namque flammam attingāt, hoc fit vt in fumū evanescent.*

I. CONsiderans portentosam pompam, plenum gloria applausum ac celebrem triumphum, quo Christus hodie Ierusalem triumphator ingreditur, vt nobis Euangelista describit, & eodem tempore voces intelligens Hebræorum, quibus mortem eius, & mortem crucis ignominiosam postulant; *Tolle, tolle, crucifige eum:* valde mysteriosam inuenio hanc Ecclesiæ actionem, qua nobis ob oculos ponit, quàm parum humanæ liceat confidere gloriæ. Saluator nos idem docuit, qui paulò antequam in Cruce moreretur, vt rex fuit acclamatus: vt consideremus, si illi, licet Deo, in quantum erat homo, tam modico tempore honores Mundi durauerint, qui tamen illi & iure & ratione debebantur: quam nobis constantiā & fidelitatem possumus promittere, qui illos non nisi suppositios & mutuatos accepimus?

*Plin. citat.* Notat Plinius, quod super arcum currus triumphalis Imperatorum Romanorum penderet imago, seu simulachrum quod dicebant Deum fascinum, qui Deus erat, quem colebant vt advocatum contra fascinum oculorum, quo damnum inferre solent (vt aliàs ex D. Thoma notauimus) teneræ puerorum ætati, sicut solemus pueris appendere verpum, id est manum ex nigro marmore compositam, quæ pollicem habeat inter indicem & medium digitum; Hispanicè *Higa de azabache:* vel manum animalis: Hispanicè *mano de lejon*, contra fascinum oculorum; vt pateat quàm delicata & tenera sit mundi dignitas: quandoquidem soli liuoris oculi illā in momento possint corrumpere, & vitam adimere. Quare dicit Plinius de ijsdem agens triumphis, quod prope idolū illud ad latus penderet flagellum & ab alio latere campanula; flagellum denotabat ignominiā: dum enim vir flagris cæditur, notatur infamia; campanula ignominiosam præferebat mortē: quando namque antiquitus reus ad suppliciū trahebatur, præcedebat campanula, qua signum dabatur, vt omnes secederent, & nemo reum tangeret: quia qui reum tangebat, maculam contrahebat. Hæc omnia triumphatorē mouebant, vt periculum aduerteret, quo triumpho & gloria potiebatur: poterat enim inter hæc illum inuidia eo modo fascinare: vt non solum flagris velut infamis cæderetur, sed etiam vt malefactor morte damnaretur. Quid plura? Honores erant qui si ignem contingerent, in fumum euanescerēt, gloriæ ita volubiles & inconstantes vt transeant, & fugiant, antequam accedant, & securè quis eas possideat. Omnia hæc, Auditores, in Christo Domino nostro verificantur hodie: quandoquidem eo tempore, quo videmus illum applausu clamoroso triumphantē, etiam videamus illum Iudaicā inuidiā fascinatum, & nedum flagra patientem, sed insuper in cruce morientem, & supplicia perferentem, quibus ætas illa non habebat viliora, & quibus non nisi maleficos & infames solebant afficere. Quam clariorem postulas instructionem, vel argumentum quæris fortius instabilitatis, & mutabilitatis rerum huius vitæ, quàm quod adeò caducæ sint & perituræ, vt vix esse incipiant, quando iam non sunt? vt hinc discamus omnes illas flocci facere, nulloque modo eis inni-

inniti; quandoquidem annexam habeant inconstantiam, & maritatæ sint volubilitati.

2. Vt autē conceptus hic fundamentum habeat ex Euangelio, notate mecum festiuos hos triumphos, quibus ciues Hierusalem Regem gloriæ exceperunt, scribente S. Historiographo, contigisse *in via*, dum ipse progrederetur, non dum quiesceret, dum ambularet, non dum immotus staret; quo nobis innuitur quàm paruam habituri essent firmitatem; quandoquidem velut ambulantes, non quiescerent. Philo Hebræus expendit interrogationem qua Deus primum hominem in Paradiso citauit, vt ab eo rationem exigeret, post peccatum: *Adam ubi es?* Et ait: Adam formaliter non respondit propositæ sibi à Creatore suo quæstioni: responsio quippe adæquata debuisset esse: *Nusquam*; & rationem dat, iudicio meo, valde prudentem, & proposito nostro conformem: *Cùm res humanæ numquam in eodem statu maneant*: nec cuiuscumque conditionis sint, certum habent *vbi*: quia semper progrediuntur: & tantum in continua mutatione habent firmitatem; hodie in Paradiso, cras in exilio: hodie familiaris, cras alienus: hodie honoribus exaltatus, cras ad ima depressus miseriarum: hodie in throno sublimis, cras in cruce: hodie in vertice prosperitatis, cras in visceribus terræ.

Gen. 3.

Philo l. de somnijs.

3. Propheta Ioël optimatibus mundi loquitur, qui vitam delicijs & voluptatibus ita consecrant, vt nec semel vel minimæ meminerint aduersitatis. Hortatur igitur illos vt recordentur, nec ita stertant lethargici: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore vestro.* Stephanus Cantuar. trutinat verbum *Perijt*: nam loquitur de præterito, cùm ita sit, quod loqui deberet in futuro, vel saltem in præsenti; nam tendebat ad futurum: quandoquidem ipse Vates dicat, quod actualiter delicijs vacarent: *Bibitis*, & sagacissimè dubium soluit. *Signantius dicit, Perijt, quàm dixisset, Perit: quia adeo est instauranda delectatio, vt potius dicenda sit præterita, quàm futura, licet sit in præsenti.* Vinum denotat vitæ voluptates & delicias, & proinde mysticè Propheta loquitur in præsenti, *Qui bibitis*, quando illas iam euanuisse significat: *Quoniam perijt ab ore vestro*; nam quemadmodum celerrimè transuolant, citò ad terminum suum, id est, non esse, pertingunt.

Ioël. 1.

Stephan. in Allegorijs Tielman.

Propheta Regius virum iustum non talem esse canit, qualem describit peruersum, qui præsentia hæc quasi perpetua sumit, nec attendens quam fugitiua sint; iuxta illud D. Ioan. *Mundus transit.* Et D. Ambros. accommodè verba illa exponit: *In via peccatorum non stetit*. vbi vitam nostram appellat viam. *Etsi* (inquit) *non videmur corporaliter ire, progredimur: nam sicut in nauibus dormientes ventis aguntur in portus, & si nullus quiescentibus sensus est nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem, & impellit ignaros; sic vitæ nostræ spatio defluente, ad proprium vnusquisque finem cursu labente deducitur: tu enim dormis, & tempus tuum ambulat.* Hoc illis contingit, inquit Antistes Mediolan. qui sibi promittunt in temporalibus stabilitatem, & desides suis demersi iacent voluptatibus, quod nauigantibus, & in naui dormientibus, quia somno experrecti portum se mirantur attigisse; & siue dormiant, siue comedant, siue cantent, siue ludant, semper progrediuntur: ipsi resident quieti, porrò nauis numquam sistit, & error est, 4.

Ioan. 2.

Psalm. 1. D. Ambr. in Ps. 1.



quod

quod transeunte mundo eiusque rebus ita insensibiliter, tu sedeas vt illis diutiùs fruaris, quando hæc omnia cursu velocissimo præteruolant.

5. Alium quoque versum notaui ex Psalterio, qui nos apertè satis hanc declarat veritatem. *Mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient:* & ad altiora sublati, continuò deorsum corruent. *Mox*, Aduerbium hoc multa significat, quo momento fuerint exaltati, dissoluentur vt fumus. Hoc fumo proprium est, inquit Lyran. *Quo altius ascendit, eo citius euanescit.* Et à vento facilius dispergitur. *Ita felicitas temporalis, quo magis augetur, eo magis attenuatur.* Ita mundani, quo sedent sublimiores, eo magis casum sibi formident, & quando culmen ascenderint dignitatis, se præparent ad grauem fortunæ mutationem. Si crediderint contrarium, à vero aberrant, & promittunt sibi in viatore constantiam. Transeamus ad novum Testamentum.

Ps. 35.

Lyran. cit. à Mendo, in 1. Re. cap. 20. num. 27. sect. 1.

6. Orta est inter Discipulos Christi non leuis contentio; Quis eorum esset major. Aduertit autem S. Marc. contentionem hanc in via subortam. *In via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.* D. Hieron. casum hunc expendens, mysterium aduertit, eo quod in via contigerit. *Rectè in via tractabant de Principatu: similis enim est hæc tractatio loco.* Nam de mundi dignitatibus, & gloria temporali differere, negotium est viæ, proprium ambulantibus, qui non sistunt, sed continuò progrediuntur. *Similis est tractatio loco.* Et addit: *Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur, & quamdiu tenetur, labitur, & incertum est, in qua die finiatur.* Sicut enim in via non sistitur, sed omnia sunt intrare & exire; sic nulla est in gloria mundi constantia, sed continuus progressus: nam quemadmodum vita nostra nauiganti comparatur, ita necesse est vt honores etiam sint transitorij, & hoc ita verum est, vt illi, quibus Dei filius excipitur, in quantum homo est, non fuerint permanentes, sed *transeuntes in via.*

Marc. 9.

D Hiero. hîc cit. à Glossa.

Insignem ex D. Aug. notemus Allegoriam. Iter capiebat Dominus, & transeunte illo contigit duos cæcos secus viam sedere mendicantes: *Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus transiret: & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid.* Notanter aduertit D. Aug. quod Christum appellarint filium Dauid; nec otiosè quidem: quia legimus in Euangelistis, quod dæmonia frequenter Christum appellarint filium Dei: quare vel dicendum est cæcos fuisse minus vrbanos, & humanos quàm dæmonia, vel mysterium aliquod latere sub diuerso hoc loquendi modo. Ita censet D. Aug. & ratio fuit: vt enim audierunt quod Iesus transiret, ex ipso transitu sumpserũt occasionẽ credendi illum esse verum hominem, atque talem inuocandi; cùm proprium sit homini esse transeuntem seu transitorium. *Denique & illi cæci ad viam sedebant, vbi transeuntem senserunt, & clamando tenuerunt. In via ergo sæculi huius hoc transitorium sui Dominus operatus est, & hoc transitorium pertinet ad filium Dauid: ideo illi Domino transeunti clamarunt: Miserere nostri fili Dauid, tanquam si dicerent: Filium Dauid transeuntem cognoscimus, &c.* q. d. pij cæci: Quamuis ex hoc quod sis filius Dei, constans sis & immobilis, attamẽ patet te esse hominem, in eo quod transis, venis, & ambulas hinc inde progrediens, veri hominis est hæc conditioni proprium, est perpetuo motu ambu-

7.

Matt. 20.

D. Aug. in Ps. 109.

lare donec finiat: & eidem subiacent sorti omnes eius felicitates, secundique casus; vnde in via te Regem confitemur, filium & successorem in domo Dauid, in cuius fide Regnum tuum, quemadmodum & tu, semper progreditur. *In via.*

8. Egregiè conuenit hic discursus ingeniosus Amphilochij Doctoris grauis & antiqui, quem citat Papa Gelasius ad confutandos hæreticos veram negantes humanitatem nostri Redemptoris, & solam eius adstruentes
Ioan. 14. diuinitatem. *Si diligeretis me, gauderetis vtique: quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est.* Hinc manifestè patet (inquit præscriptus Auctor) in Christo fuisse veram humanitatem, nec veram solummodo diuinitatem: fuit verus Deus, & verus homo; vbi namque reperitur illa eundi, & veniendi varietas, necesse est vt & vera sit humanitas; hæc etenim tantùm substat mutabilitati: diuinitas quippe fixa semper est, consistens & immutabilis; vnde hoc sensu capiendum est, quod Filio Pater sit maior, hoc est, in quantum homo qui ab eo venit, & ad illum vadit: nam in quantum Deus, semper est cum illo, illique per omnia æqualis. *Maior est enim Pater eo, qui vadit ad eum, non eo qui est in eo. Sicut enim Deus cum Patre sum: sic vt homo vado ad Patrem: Illo ergo maior est Pater, qui vadit ad eum, non qui est in eo.* A vobis discedo, & iterum venio ad vos tamquam homo: quia in quantum Deus semper vobis adsum vosque concomitor. Itaque secundùm hanc doctrinam, passio inseparabilis homini est mutabilitas, & consequenter humana omnia sint oportet inconstantia.

Amphilo. apud Gelas. l. de duabus Christi naturis.

9. Perspectam habebat hanc veritatem, quamuis infidelis, Philippus Pater Alexandri Magni, qui ad summum cùm ascẽdisset prosperitatis verticem, & gloriæ supremum superasset gradum: eò quòd vno eodemque tempore tria reciperet lætissima nuntia, vnum de Natiuitate filij sui Alexandri: alterum de victoria quam equitatus suus in Olympico consecutus fuerat; tertium de celeberrima ciuitate, quam exercitus suus occupauerat: narrat vitæ eius conscriptor: *Quibus auditis in cœlum clamauit. Fortuna, moderare lætitiam, & felicitatem tempera: ne dein simul omnia caput hoc obruant aduersa.* Tanta namque prosperitas & tranquillitas prænuntia est tempestatis, & eo momento quo me considero tam felicem, intelligo quoque secundùm breuem temporalium durationem, aduenire, & breui adfuturum omnium mearum felicitatum finem. Tam instabiles sunt, tamque caduci mundi honores: tam fragiles & tam citò perituræ maximæ sæculi dignitates, vt vix adsint, quando iam esse desinunt: quare nemo obstupescat, si mundi honores & gloriæ, Christo Domino nostro licet ex jure debitæ, non fuerint illi fideles, nec vlla in eis inuenta constantia: sicut illud testatur, quod illis potitus fuerit *in via* progrediendo. Doctrina hæc fideles omnes maximè tangit, vt discant præsentis vitæ bonis gaudere, hoc infallibili præsupposito: quod, dum creduntur in optimo esse statu, sint peritura. *Plurima autem turba, &c. In via.*

Nuceus ser. Dom. in Ramis p. 3.

*Benedictus qui venit, &c.*

## CONSIDERATIO VI.

*Quamuis principia, quibus nos mundus inuitat, grata sint: extrema tamen eius sunt insipida.*

1. SI quis priora huius conuiuij, quo Ierusalem hodie Christum excipit, attenderit, dixisset nihil aliud hîc desiderandum. Iam illi congratulantur, iam aduentui eius applaudunt, iam regem appellant, iam benedictum Domini & Saluatorem suum acclamant, iam manifestas gaudij dant demonstrationes, sicut narrat Euangelista. Porrò perpende mala extrema: eodem namque tempore machinantur carceres, flagra, spinas, clauos, mortemque crucis ignominiosam. *Crucifige eum, crucifige eum.* Itaque in principio maximas offerunt illi delicias, sed ad vltimum amarissima seruant illi fercula, ad confirmationem conclusionis, quam proposuimus: quod licet principia, quibus nos mundus inuitat, sint vel videãtur grata & suauia, postrema tamen eius sunt admodum amara.

Iam aliàs & alia intentione locum expendimus Genesis, quando scortum illud impudicum vxor Putipharis, domina castissimi adolescẽtis Ioseph vultus illius pulchritudine allecta, eum ad impudica prouocauit, Deiq; offensam acriter instigauit: ait enim inuerecunda: *Dormi mecum.* & quamuis ille stu- Gen. 39. prum recusaret, grauesque produceret rationes, quibus motus petitioni eius non annueret; notat tamen Spiritus S. quod pluribus diebus importuna fuerit adolescenti. *Per singulos dies molesta erat adolescenti.* Blanditijs alliciebat & lenocinijs vtebatur, vt aduertit doctissimus Linconiensis: Filium suum vocabat charissimum, rogabat vt legem suam eam doceret, Deique sui notitiam proponeret: quia nihil ita desiderabat, quàm in illum credere eumque adorare: sed hæc omnia eo fine vt sub specie virtutis perniciosam suam exequeretur intentionem. *Priùs filium eum appellans ad se attrahebat: iam vt religionem suam cultumque Dei sui edoceret, suadebat, fingens & illius velle religionem sequi, vt sub pietatis specie sic frequentior esset familiaris accessus.* Sed tandem libidinosam suam aperuit illi cogitationem: *Postea suam aperuit mentem.* Constanter restitit illi castissimus iuvenis, vt quibuscumque licet blanditijs eum attraheret, regiam tamen eius constantiam emollire non potuerit, nec castrum expugnare castitatis. Linconien. apud Stell. hic.

2. Hac vna vsa est diligentia, qua superaret illum: postquam enim nullam omisisset diligentiam, nullo non vsa fuisset artificio, nullum non mouisset lapidem, nullum non tentasset medium: tandem, vt narrat Iosephus, die quodam festiuo finxit se infirmam, ne de domo egrederetur & solus cum sola remaneret, quo tempore cæteri communi ciuitatis festiuitate gaudebant. *Publico festo instante,* (sic ille) *cuius celebritatem fœminas quoque frequentare mos erat, fingit morbum apud maritum, captans solitudinem & ad Iosephum sollicitandum opportunitatem.* Nec his contenta, insuper die quodam inter duas lances *edulium misit quo eius mentem fascinaret*, & addit Bibliotheca Patrum, quamprimùm castissimus iuuenis lances aperuit, *vidit gladium acutum & vultum viri irati*; sic nam- 3. qui potentissimus Deus impudicissimæ lupæ delicias in ista conuertit. Qui fercula deforis fuisset intuitus, numquid

1. Reg. 1. Hugo Card.

Ioseph. lib. 2. antiquit. cap. 3.

Bibliot. PP. de testament. Patriarch.

quid judicasset dulcissimas in illis latere condituras? Ita ante hæc promittebat: verumtamen si postrema attendas, fel amarissimum inuenies, iratum vultum ancipitemq́; gladium: gladium, inquam, quo nouerit Ioseph libidinis effectum: gladium, inquam, ancipitem & duplici acie, qua nunc vitam auferat corporis, qua pòst animam interficiat. Vultum cernit iratum, vt cognoscat, quàm irato vultu Deus impudicum aspiciat, & mala nouerit, quæ subsequi solent illos, qui falsis eius fidunt voluptatibus. Terret illum gladio Deus, & vultus sui ira commouet, vt fugiat & à domina sua procul abscedat, nec principijs eius fidat, nisi velit extrema eius experiri: mellitum enim venenum, & toxicum mixtum condituris, quod primis labijs solummodo gustatum, gratum est & dulce; sed in fine occidit.

2. Notat Doctissimus Cardinalis Hugo, quod Princeps Ionathas parum gustauerit mellis, idq́ue *in summitate virgæ: quia cum virga sibi favum mellis attraxit*; si namque mel præfigurans mundi delicias, os eius obdulcauerit, lanceæ cuspis linguam eius vulnerauit; & si dulcedo mellis vitam illi reddidit, lanceæ tamen virga mortem illi minabatur. Et ita res se habuit: quamprimùm enim mel gustauit, illicò suspirare cœpit & mori se ingemiscere. *Ecce morior, ecce morior.* Quasi diceret: Non fuit mel adeò efficax, vt vitam mihi protelaret, quàm fuit summitas virgæ, vt mihi mortē acceleraret. *Ecce morior*, vitæ præsentis deliciæ mortis sunt philtra, istis occidit, & quod peius est, inopinatò: quocirca cautè viuendum est, ne mundus nos rapiat eo modo quo versutus piscator ignarum piscem escæ saginâ pendente in hamo.

1. Reg. 14. Hugo Card.

3. Difficilis est locus ex Iob, quem nunc expono, vt patet ex eius expositoribus: sed planum eum efficiam, duce vtens ad eius explicationem Doctore Angelico. *Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.* q. d. Dulces erunt arenæ peccatori & glareæ depictæ Cocyti: & hæc dulcedo omnem post se trahet hominem. Fabulas tangit antiquorum, qui Cocytum vocabant fluvium inferni, quem oriri dicunt de stagno stygio, in quo torquentur animæ, malamq́ue suam deplorant sortem. *Veritatem de pœnis malorum proponit sub fabula.* Ita D. Thom. Porrò nunc occurrit dubitandi ratio, quare dicat Iob, quod delicijs affluens sit in stagno, & non in ipso fluvio? Ratio est, quam docet experientia; quod mundus nimirum non habeat homines & ceteros inimicos animæ, vt illos decipiat, sed vt primò proponat illis quæ delectant, qui dum principia illis videntur bona, de fine parum sunt solliciti. Delectat illos modò venustas & refrigerium fluvij, qui ad superficiem & profunditatem fluvij non attendunt, arenæ Cocyti, quas calcant, amœnitate suâ illos recreant; at non aduertunt hîc vno tantum gradu se ab inferno distare. Hoc igitur plangit Iob: quod homines suauibus dicipi se patiantur, & fallacibus peccati mundique apparentijs deludi; cùm eius extrema sint amara, pœnaq́ue æterna.

Iob 21.

D.Thom. hic.

Ardenter monet nos, imò præcipit Spiritus sanctus ore Salomonis, vt à peccato quasi à facie colubri fugiamus. Multifariam explicant Interpretes hæc verba, sed placet mihi declaratio Vegæ Commentatoris Apocalypsis: docet enim ex aliorum sententia, fieri hîc allusionem ad serpentem Euæ tentatorem. *Non in-* 4.

*Vega in c. 8. Apoc. Com. 1. sect. 12.*

*concinnè plerique volunt ad serpentem illum alludi, qui Euā decepit.* Suppositâ hac doctrinâ refert declarare conuenientiam inter peccatum & serpentem, vt dicat Spiritus sanctus: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Magister sententiarum, S. Bonauent. Dionysius Carthus. & Beda relati ab eodem auctore, iudicarunt serpentem hunc tentatorem fuisse de specie illorum, qui faciem præferunt pulcherrimæ puellæ, corpus autem reliquum alios imitatur serpentes. Igitur intentioni nostræ conformiter doctissimus hæc scribit calamus. *Admoneri Adami posteros vt quasi à facie colubri, siue serpentis illius fugiant peccatum: id est, ne se decipi sinant primo eius aspectu in speciem pulchro; quoniam etiamsi facies ipsa, id est, initia speciosa videantur, verè tamen toto reliquo corpore serpens est, qui instillato per morsum veneno accedentes interimit, cùm primis ipsis delectationis illecebris pulchram, & amabilis virginis faciem mentiatur.* Et quando tibi videtur lenocinijs suis adulari, morsu suo lethali tibi mortem minatur.

Eccl. 21. Mag. Sent. Dion. Carth. Bonav. Beda.

5. Aptè nascitur hic locus ex Hieremia, quem licet aliàs expendimus, non tamen erit fastidiosus, eò quòd gratus admodum futurus sit. Minatur Dominus: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israël, &c. gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.* Noui quod Doctores variè circa hunc locum discurrant; siquidem inter illos singularis est expositio Cardin. Vitriaci, qui ad nostræ doctrinæ fulcimentum obijcit: Quænam est lingua hæc tam obscura, quam nullus capiat intellectus? Et respondet argumento nostro conformiter: *Hi sunt dæmones, quorum ignoramus suggestiones, quia dum suggerunt amarum, credimus dulce.* Dæmones sunt, inquit Eminentissimus Doctor, quorum linguam non capimus, & astutiæ eorum hæredes, qui sub dulcedine quorumdam verborum animæ nostræ venenum abscondunt. Testes huius veritatis, suo licet detrimento, fuerunt primæui nostri parentes, qui dum stultè nimis moueri se sinunt suppositititiæ diuinitatis cuiusdam adulatione, fortunam incurrunt omnium infelicissimam. Quàm insignis est præfati Doctoris comparatio, qua nobis astutias exponat, quibus diabolus ad nostram vtitur perniciem. Liceat mihi illam repetere, cùm hîc ad bolidem cadat. *Sicut præstigiator, qui creditur sub pileo ponere talentum, & inuenitur coluber.* Eo planè modo quo præstigiatores, vel oculorum illusores, solent in manibus viri alicuius nummum aureum vel annulum ponere: qui cogitans esse verum, illum de manibus suis soluere non intendit: & dum minus cogitat, animal inuenit immundum, aut serpentem venenosum. Hoc modo mundus, caro & diabolus verbis suis offerunt nobis aurum & argentum, & paulò pòst dolemus conscientias nostras mortaliter vulneratas, cordaque confossa. Prima culpæ facies, larua, quam ei ponit inimicus, plena saccaro est & melle, re admodum suaui: porrò dulcedo tantum est superficialis: intus enim dissimulat, & operit culpæ fel & amaritudinem.

Hiere. 5. Vitriac. serm. 2. Dom. 20. post Pent. D.T. in c. Iob l. 4.

6. Describit Propheta Regius Psalmo 103. admiranda diuinæ potestatis opera: cùm autem agit de mari, sic loquitur: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis: illic naues pertransibunt.* Mare manibus suis multa constringit: mare terram

Ps. 103.

terram amplectitur, & quasi in signum amicitiæ brachia illi inijcit, ne timeat. Pisces & reptilia omnem excedunt numerum: & licet infiniti sint pisces magni & parui, & nonnulli ex illis stupendæ magnitudinis, ibi nihilominus omnes magni & parui capiuntur, & liberum præbent nauibus transitum, illas non perturbant, aut impediunt, vel petunt naulum. Locutus autem in singulari de ceto, ait: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*; & ait, quod ludens ambulet per mare. Nonnulli Interpretes, & nominatim noster Hispanus, opinantur quod in sensu spirituali loquatur de diabolo, qui optimâ ratione cœlo comparatur: quamuis alijs vijs verba hæc illi approprient, quod proposito nostro non seruit: quare nobis in hac occasione assumemus doctrinam Diui Thomæ, dicentis; illusionem, qua diabolus homines decipit, illi similem esse, qua balæna pisces deludit. *Dicitur autem de ceto, quod quando multum esurit, vaporem odoriferum ad modum odoris ambri ex ore suo emittit, in quo pisces delectati, os eius ingrediuntur, & sic ab ipso deuorantur.* Miseri pisces odore hoc attracti viui perpetuum oris ceti carcerem ingrediuntur, & alienæ fami propriæ vitæ dispendio satisfaciunt, ignari quid agant.

D.Thom. in c. 41. Iob lect. 4.

6. Hic velut in speculo duæ nobis deteguntur fraudes famelicæ illius balænæ, Draconis infernalis, bestiæ insatiabilis, & crudelissimi dæmonis: etenim vt nos decipiat & capiat, & intentioni suæ satisfaciat, de ore suo emittit verba attractiua, blanda, adulatoria, res quæ gustui placent, subornant & alliciunt appetitum. Hic igitur esca, & deliciarum dulcedine prouocatus, quo pellicit & decipit illum diabolus, nares fumo replens odorifero, statim se periculis exponit, & cum detrimento salutis ac vitæ, sæpenumerò se manibus eius tradit. Quocirca maximi refert vt semper vigiles, semperque simus excitati, technas eius aduertamus, & insidias fraudesque detegamus: nobis hoc certissimè persuadentes; quod licet eius principia, quæ nobis propinat, sint suauia, & prima fercula odorem exhalent, postrema tamen amara sint, quorum exitus est æternum animæ monumentum. His consequenter soli Deo, fidelissimi Auditores, fidamus; nam in ipso tutissima est salus nostra: cuius quamuis anteriora sint amara, finis tamen est maximè delectabilis.

Epilogum huic considerationi, & 7.
Tractatui faciat grauissimus conceptus Doctoris Angelici. In Cana Galilææ ad nuptias deficit vinum: notans hoc pijssima Virgo, Filio suo benedicto defectum indicauit (varias omitto circumstantias ad rem nostram non facientes) præcipit mensæ ministris vt hydrias repleant aquâ, quæ continuò per miraculum versa est in suauissimum vinum. Bibit ex illo Architriclinus, & vinum percipit gustui gratissimum; sponsum vocat, & facti illum redarguit, ignarum nuptiarum, & conuiuiorum insimulat: in quibus oportet primò vinum propinari optimum, eò quòd tũc gustus sit multò delicatior: nam postmodum malum videtur bonum: ipse verò contrarium fecerat; quia vinum optimum vsque in finem seruauerat. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* In hac par- Ioan. 2.

 ticula

ticula aduersatiua, *Adhuc*; latet huius sententiæ eminentia. Omnis homo, inquit, in principio proponit ea, quæ gustui magis accepta sunt: sed tu non fecisti hoc sicut homo, hoc est, sicut purus homo. Quomodo ergo? Sicut homo Deus: vel vt clariùs dicamus, sicut Christus, qui est Deus & homo: qui in principio aceti propinat amaritudinem, & in fine vinum quod inebriat ad gloriam. Loquatur

D.Thom. hic. Angelicus Doctor: *Christus verò non primùm vinum ponit; quia ab initio amara & dura proponit.* q. d. Conditio hominis illi ex diabolo mundoque adhærens, ea est, vt ad portam domus suæ omnes suas educat & proponat facultates, diuitias & pulchritudinem, quibus simplicium & ignarorum rapiat oculos: abscondat autem & tegat amaritudinem & turpitudinem, quibus perterrentur, eliminantur, & timore concutiuntur. Porrò Deus animarum sponsus in conuiuio quod instruit, primum quod offert ferculum, est myrrha: sed postrema deliciæ sunt sapidissimæ; nempe lactis, mellis, vinique pretiosissimi: per quæ veniunt gratissima quæque & iucundissima. Hoc enim Psalmista canit: *Potasti nos vino compunctionis.* In principio vinum nobis propinasti, sed visceribus acetum; postmodum autem *inebriasti ab vbertate domus tuæ.* Tanta Ps. 36. erit vini, quod illis fundes, suauitas, vt illos extra se rapiat: ita vt omnes clarâ diuinæ tuæ essentiæ absorpti visione, æternâ sint gloriâ fruituri; *ad quam nos perducat, &c. Amen.*

---

# TRACTATVS XIX.

## DE BONO LATRONE.

*Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Amen dico tibi. Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23.

### SALVTATIO.

Celebramus, Auditores, hodie diem festum primi Sancti canonizati, quem noua habuit Ecclesia, & gratiæ lex honorauit. Canonizatus est, inquam, non per Christi Vicarios in terra, vt reliqui Sancti, sed per summum Pontificem Christum Iesum: quem hoc nomine compellat D. Paul. qui in Cathedra Crucis ore proprio beatum illum Latronem Dismam canonizauit & Sanctorum albo inscripsit. Fuit Hebræ. 5. hic primitiæ pretiosi sanguinis Redemptoris: primus extitit, secundùm opinionem sancti Arnoldi, qui cœlum intrauit Deo fruiturus, quamprimùm Christus cœli ianuas aperuit: *Apertis feris antiquis, latro primitiæ derelictorum, introducitur in regnum cœlorum, aperiente Christo.* Arnold. Saluator noster Dux præcessit, & bonus Latro primus illum secutus est. S. P. Damian. rationem adfert adeò piam ac deuotam de miraculosa huius Latronis conuersione, vt omnibus esse debeat maximæ consolationi. Ait igitur sanctus

ctus hîc Cardinalis: Hanc egit sacratissimæ Virginis Deique Matris Mariæ patrocinium : cùm enim ad pedem staret Crucis, versùs illam partem, vbi Latro crucifixus pendebat, susceptricem eius egit atque pro eo apud Filium intercessit; vnde felix hic peccator, primus omnium eius intercessione ac patrocinio salutem assecutus est. *Stans Virgo ad dexteram, pro Latrone preces effudit, primusq; extitit peccator, qui Sanctissimæ Mariæ rogatu resipuit.* Supposità ergo hac doctrinâ quasi certâ, Virgini huic incumbit fauere nobis, eamque obtinere gratiam quæ nobis necessaria est, qua de Sancti huius, & eius adoptiui conuersione disseramus. *Aue Maria.*

---

*Domine, memento mei. Amen dico tibi.*

## Consideratio I.

*Beati Latronis confessio, non solùm peccati veniam illi comparauit, sed insuper gloriæ securitatem.*

1. P. Damian. serm. 1. de Dedicat. EX Doctrina S. P. Damiani discursum hunc eduxi, cuius hæc sunt de confessione verba: *Hæc est via communis ad Deum: fons tam iustis, quàm peccatoribus patens : puteus, qui criminum abundantiam abundantiore liquore detergit. Primam reddit innocentiæ stolam, & fugitivum filium in paternos reduxit amplexus. Ex hoc fonte felices Apostoli lachrymæ profluxerunt : in hoc peccatricis feminæ dæmonia sunt submersa : per hunc adulter & homicida Dauid, spiritu principali legitur confirmatus : in hoc felix ille volutatus est Latro, qui breui fonte crucis de patibulo ad regnum, de supplicio in Paradisum translatus est. Consummatus in breui, expleuit tempora multa :* breui tempore perfectionem acquirens, quam alij vix multis annis valde difficulter adepti sunt. Non tantum igitur peccatorum indulgentiam per confessionem obtinuit, sed etiam securam sibi reddidit animæ salutem; eundem effectum assequetur fidelis ille, qui ad eius imitationem Deo humiliter peccata sua confitebitur.

*Reuela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet.* Ita canit Propheta Regius. Non me latet, quod in sensu litterali significet: Nihil agas, nec pedem moueas, nisi priùs cum Deo communicaueris: illi reuela abscondita tua, cuncta tua negotia eius manui committe; *& ipse faciet*, & omnia vt facta habeo, omnem tuam sollicitudinem in eum exonera. Permitte illum agere, néc alium in mundo quære tibi adiutorem: ipse namque Deus vnicus est noster negotiator, hoc est omnium. Sed D. Ambros. Hugo Cardin. & alij declarant illa verba de Confessione Sacramentali, & spiritualibus fructibus, quos ex ea colligimus. *Quis enim reuelat viam suam, nisi qui Deo, occultorum suorum arbitro, interiora sui pectoris confitetur?* Et quis inde fructus, obsecro, ex confessione facta Deo, cordis secretorum arbitro, meorumque internorum? *Et ipse faciet.* Et quid scimus quid acturus sit? Dicat hoc idem Sanctus, vel Doctissimus Hugo pro ipso: *Intelligendum de proprio eius officio, quod est misereri, dando veniam eorum criminum, quæ* fueris illi confessus, te in gratiam suam

2. Ps. 36.

D. Ambr. & Hugo hic.

restituendo, certissimum tuæ saluationis signum: & hoc maximum est quod velle potes, & omne quod potes desiderare.

Nescio num curiosi notarint be-
3. nedictionem, quam Moyses tribui Iuda impertijt, in qua magna illi bona apprecatus est, atque inter cætera, vt Deus vocem eius exaudiret:
Deut. 33. *Audi Domine vocem Iudæ.* Notat autem Rabbi Salomon non inanes fuisse eius apprecationes: quia communiter Deus Regum Iuda orationes exaudiuit. *Nec vana fuit precatio:*
R. Salom. hic. *nam Reges Iuda frequenter à Deo audiebantur:* quod varijs sacræ Scrip-
2. Reg. 3. turæ locis confirmat. *David quidem singulis ferè Psalmis se à Deo exaudi-*
2. Paral. 14. *tum gratulatur: Salomon exauditus fuit, Deum orans pro sapientia obtinenda:*
2. Paral. 20. *Asa pro exercitu Æthiopum profligādo. Iosaphat pro Ammonitis, & Moabitis,*
4. Reg. 19. *& Idumæis repellendis: Ezechias pro Assyrijs deturbandis, & sic de alijs.* Supposita hac doctrina tanquam indubitata, modò quærit doctissimus Lyran. quam ob causam Dominus tam libenter, tamque beneuolè preces exaudiuerit Iuda, eique petita concesserit? Et confugiens ad sensum mysticum, rationem adfert proposito no-
Lyran. in locum Deutero. cit. stro adæquatam. *Per Iudam, qui confitens interpretatur, verè pœnitens significatur, qui non abscondit, nec excusat peccata sua, sed ea fideliter confitetur: propter quod dignus est exaudiri, iuxta*
Prov. 28. *illud: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Qualem consecutus est bonus Latro, quem propriæ culpæ confessio non solùm dignum reddidit remissionis: sed insuper meruit, eo modo quo dici potest, esse socius Christi in regno suo. *In regnum tuum.*

Huic accedat alia sententia de Iu- 4.
da valde accepta. Patriarcha Iacob morti proximus, filijs suis voluit benedicere, & quæ posteritati suæ futura contingerent, prænuntiare: cùm autem benedicturus esset filijs Iudæ, sic ait: *Iuda, te laudabunt fratres tui:* Gen. 49.
*manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui, &c. Non auferetur sceptrum de Iuda.* Id est, suprema regnandi & iudicandi potestas. Insignem planè quæstionem mouent hic Interpretes, cur Regnum translatum sit à primogenito Ruben in quartum filium Iuda. Diuus Isidorus opinatur, quod ratio, ob quam ex diuina prouidentia tribui Iuda data fuerit inuestitura Regis, ea fuerit; humilis nimirum confessio, quam eius caput Iudas fecit de peccato suo. Erat Patriarcha Iudas iudex in populo, cuius nurus erat Thamar vidua, quam non cognoscens, carnaliter agnouit, quod ipse à nemine sciri sibi persuadebat: ex quo illa concepit. Post circulum dierum apparuit Thamar vterum gerere: ipse socer sententiam tulit vt viua combureretur: qui tali namque piaculo se polluit, viuere non meretur. Intimatur illi mortis decretum, & ait: Dicite Iudæ; quod si oculos habeat, quibus meum videat peccatum, illos similiter aperiat, vt suum videat: sciat quoque quod si ego contra castitatem deliquerim, ipse culpâ non careat: quodque ex signis huius annuli & baculi facilè cognoscet, ex quo conceperim. Quamprimùm pignora vidit, ait sacra Pagina, confestim delictum suum humiliter agnouit, aitque: Sinite illam abire. *Qui agnitis muneri-* Gen. 38.
*bus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo.* Conceptum suum nunc explicat Archiepiscopus Isidor.

Isidor. aitque Deo ita placuisse hanc Patriarchæ Iudæ confessionem, vtique in mundo adeò raram, vt quasi deuinctum se iudicaret, qui propter eam illi faueret, eumque extolleret, quem idcirco vt-pote bene meritum regno dignum iudicauit. *At verò Iudas, qui quartus erat, propter integrum iudicium, ac rectam sententiam, regiam dignitatem obtinuit. Quoniam enim plerique delicta sua occultantes, alios condemnant; sic autem seipsum condemnauit, eamq;, quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberauit: ob eam causam, haud iniuriâ regiam dignitatem est assecutus.* Quo dato Latro non immeritò fiducia plenus, postulat Christi in regno suo consortium: cùm certum sit veram confessionem omni præmio condignam.

Isid. l. 2. Ep. 49.

5. Duos lego versus in Psalterio, qui in hac materia sunt id omne quod desiderare possemus: Primus est: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: lætentur & exultent gentes; quoniam iudicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis.* Audit psallentem Dauid Diuus Augustinus & aduertit quod postquam nos hortatus est vt peccata nostra Deo confiteamur, addat, vt exultemus & gaudeamus: quia Deus in æquitate iudicat. Et ait Doctorum Aquila sensum hunc esse Prophetæ Regij: *Tristis esto antequam confitearis: confessus exulta, iam sanaberis: dum confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies; iam exulta, iam lætare.* Diem age festum, quasi fores in Paradiso deliciarum, iamque Deo beatus frueris: hæc quippe omnia bona secum adducit bona confessio: nam idcirco respondit Christus Latroni confitenti: *Hodie mecum eris in Paradiso*, hoc est, quod ex nunc locum habere possit inter beatos.

Ps. 66.

D. Aug. hic.

Audi Regij Cantoris alium versum: 6.
*Confitebimur tibi Deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuum.* Peccata nostra, Domine, confitebimur, atque ad hoc inuocabimus auxilium tuum, teque semper vocabimus proprio tibi nomine; nimirum, quod propitius sis & clemens, & largissimus præmiator: quodque ea de causa mille merearis laudum præconia. Quid hoc? quærit Doctissimus Cassiodorus: an tibi sic feliciter successit peccatorum tuorum confessio, vt nos ad illam adhorteris? Tantùmne fructum collegisti, eò quòd diuino conspectui tuas præsentaueris culpas, vt nobis idem faciendum persuadeas? Attende quid agas, quid nobis consulas; etenim non raro in delicti negatione vita consistit; cuius confessio solet mortem accelerare. Porrò iam video quid meæ respondeas obiectioni: nempe, valde diuersam esse praxim modumque procedendi in diuino tribunali, & hominum: in iudicio cœli, & iudicio terræ: nam in hoc sufficit vel semel peccatum confiteri, vt reus mortem incurrat: in illo autem millies licet peccata fatearis, nullum non est periculum; imò verò secura tibi est vita, certaque saluatio. *Illud inspiciamus? quoniam mortem plerumque generat, vel semel terreno iudici crimina confiteri: Deo autem frequentata confessio non parturit periculum, sed salutem.* Tribunal fuit Crux Saluatoris, vt ait D. August. in qua qui pertinax suam subticuit culpam, damnatus est; qui verò pœnitens illam est confessus, absoluitur, & insuper Paradiso remuneratur.

Ps. 74.

Cassiodor. hic.

Loqui-

7. Loquitur Spiritus Dei per os Salomonis de labijs Ecclesiæ, veræ sponsæ Agni Christi, eaque comparat vittæ coccineæ: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Noui non conuenire Interpretes in huius sententiæ explicatione: ni iudicio fallar, qui melius hanc explicant, opinantur allusionem fieri ad funem coccineum, de quo mentio fit in lib. Iosue. Exploratores missi à Iosue ingressi sunt Iericho, suscepit illos ac defendit ab ira, qua perciti quærebant illos vrbis vicini interficiendos, mulier meretrix nomine Rahab. Illa præsentiens quod Hebræi totum illum populum haberent vt inimicum, ac de illo vindictam sumerent; dum hospites dimittit, obnixè rogat, vt in nomine populi sui præstent juramentum, quod vrbem Iericho ingressi, eamque gladio & igne devastantes, parcerent, vitaque donarent, & ipsam & omnes eius domesticos. Vt autem strictiùs illos deuinciret, signum expetijt securitatis: *Detis mihi verum signum, &c.* Quod illi libenter concesserunt; *Si ingredientibus nobis Terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eum in fenestra, &c.* ne timueris, salua tibi tuisque vita erit: ad conspectum enim funiculi mitescet omnis noster furor, parcemus tuis, atque vt amicos excipiemus. Occurrit modò D. P. Damian. & aperire satagit conuenientiam inter os Sponsæ & fenestram Rahab: vel in quo consistat hæc mystica similitudo inter illa duo, & subtiliter respondet fenestram illam Rahab oris implesse officium: per hanc etenim dum exeunt insidiatores, illaque in hoc fidem suam demonstrat erga verum Deum, pœnitentem se de præteritis fatetur erroribus: & quasi per fenestram eijciens exploratores, simul quoque per os peccata veteris eijceret infidelitatis; ita vt quasi duo officia vna eademque res obiret: si namque militibus exeuntibus fenestra seruierit, peccatis suis os fuit illa confitens: quia sicut illi saluati non fuissent, si per fenestram non exijssent; sic nec illa æternam euasissent damnationem, si meretrix Rahab illa per os suum non eiecisset. Hæc est igitur (teste P. Damiano) inter fenestram Rahab & os Sponsæ conuenientia: nam quemadmodum illa fenestra velut quoddam os extitit, quo confessa est peccata Gentilitatis, fuitque eius pœnitentia manifesta; sic labia Sponsæ fenestra erant, per quam interiora domus manifesta erant, suaque peccata reuelabat. Et quemadmodum Rahab hoc stratagemate temporalem euasit mortem: ita Sponsa in illo tuta, per idem stratagema vitam consecuta est æternam. *Sola autem domus Rahab meretricis euasit, quam funiculus coccineus in fenestra discreuit. Domus autem illa vnam figurat Ecclesiam, quæ purificata est à turpitudine fornicationis, in sanguine remissionis per fenestram confessionis.* Ita S. P. Damian.

Iosue 2.

P. Damian. Ser. 57.

8. Postquam euidentissimis rationibus probasset Saluator quàm exemptus esset à soluendis vectigalibus ac tributis; cùm illi tributum deberent omnes creaturæ, tamquam supremo suo Creatori: nihilominus præcipit Petro, ne populo det scandalum: *Vade ad mare, & mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, &c.* In sensu Allegorico, secundùm D. Ambros. piscis ex natura sua animal mutum, latens in profundo maris absconditus, denotat peccatorem, qui in abysso criminũ suorum latet mutus: & nihilominus

Matt. 17.

ex aperto ejus ore mandat Dominus extrahi ſtaterem exactoribus ſolvendum; quô datur intelligi, quòd de ore peccatoris muti, extrahenda ſit confeſſio, quâ debitis ſuis ſatisfaciat, à peccatis abſolvatur, & in ſtatum reparetur ſalutis: *Didrachma non otioſe in ore piſcis inventum eſt, ex ore enim tuo juſtificaberis. Etenim pretium noſtræ immortalitatis eſt noſtra confeſſio*: quòd probatur ex illo Apoſtoli: *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

D. Ambr. l. 4. in Luc. c. 5.

Rom. 10.

9. Ingenioſè admodùm advertit Galfridus Auctor antiquus lamentabilem eventum miſeri illius hominis, qui nuptias ingreſſus veſte nuptiali non ornatus, eâque de negligentiâ à Rege reprehenſus, obmutuit: *At ille obmutuit*, qui tandem ad tenebras damnatus eſt exteriores, ligatis manibus ac pedibus, & omni ſpe redemptionis privatus. Quærit hic Auctor, cur tam ſeverè à Rege plectitur? Quia quòd male veſtitus inter convivas appareat; ea non poteſt eſſe cauſa: quandoquidem eo non obſtante, ut amicum compellet, *Amice.* Alia ergo ratio nobis inveſtiganda: quarè hanc eſſe judico, quòd quia taciturnus, graviter ſit punitus: ſi namque loqueretur, Dominus ejus fuiſſet miſertus: ſed taciturnitas illa tam ſeverum illi contulit ſupplicium. Vnde poſtquàm dixiſſet Euangeliſta: *At ille obmutuit*, addit: *Tunc*, id eſt, eo inſtanti quo ſiluit: *Dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Tunc videlicèt, non ubi ille ſine nuptiali veſte introivit, ſed poſtquàm admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* Peccator hic computus ſuos non rectè conſtituit: ſi namque peccata ſua confeſſus fuiſſet, ſecurus Regis ſui ſocietate gaviſus fuiſſet, & deliciis gloriæ potitus; ſed quia illa ſubticuit, illis privatus eſt, atque ad ultrices damnatus inferni flammas. Longè aliter fecit Latro, qui prout notat D. Auguſtinus, primo locutus eſt, & publicam fecit criminum ſuorum exomologeſim, ſocium adhortatus, ut eandem quoque faceret, & à Domino poſtularet: *Memento mei cùm veneris in regnum tuum. Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Notat Aquila Doctorum myſticam hanc connexionem: *Et dicebat, non eſt auſus antè dicere: Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum, quàm per confeſſionem iniquitatis præteritæ, ſarcinam peccatorum deponeret.* Confeſſio dedit illi animos & fiduciam, quâ gloriam prætenderet, & hæc eadem illi ejus ſecuritatem aſſeruit.

Matth. 22.

Galfrid. in Allegor. Tielm. in c. 22. Matth.

Luc. 23.

D. Aug. ſerm. 130. de Temp.

Modò capiemus (ſiquidem illud intendo exponere) difficilia quædam verba Drogonis de beato hoc Latrone: *Tu Petrus in Cruce fuiſti, at Petrus in domo Caiphæ latro.* Sententia prima luce videtur obſcura: quia nobis repræſentat convenientiam inter latronem in Cruce, & Petrum in domo ſummi Sacerdotis. Ob quam rationem dicit Sanctus hic, ſortes mutatæ ſunt, & chartæ. Dicam meam in hoc opinionem: in hoc latet convenientia: quòd ſicut Apoſtolus Petrus glorioſa illa ſua confeſſione Divinitatis Chriſti claves regni Cœlorum promeruit, ita Latro illa de peccatis ſuis, & fide quam habuit de Chriſto, eaſdem claves ſibi rapuit, quibus cœli portas aperuit, & primus in illud intravit; & ita audivit ex ore Domini: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quòd ſi percuncteris quid Petrus in domo Caiphæ furatus ſit, ut eum S. Drogo latronem apertè ſugillet? Reſpondeo, quòd in triplici illa nega- 10.

Drogo de Paſſ. Domini.

tione se clavibus reddiderit indignū, quas Dominus illi in præmium confessionis addixerat: & cum illis furtum de seipso commisit, in cujus pœnam merebatur, ut latro bonis quæ receperat privaretur. Quocirca requirebatur, quatenus restitueretur officio janitoris regni cœlestis, ut alia triplici amoris confessione se purgaret: nec enim sibi, nec aliis claves ampliùs illi cœlorum committerentur, nisi pro illo confessio sponderet, de qua dicit Albertus Magnus, quòd porta sit, per quam animæ cum Latrone Paradisum ingrediuntur: *Confeßio est porta, per quam intrant animæ in Paradisum.*

*Alb. Mag. serm. in die Ciner.*

---

## *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.*

### CONSIDERATIO II.

*Latro hic in sua petitione generosas ostendit cogitationes: quandoquidem non petierit à pœnis, quas patiebatur, liberari, sed ea consequi bona, quæ desiderabat.*

1. CONsideratio hæc S. Drogonem habet Auctorem, non me: nam petitionem boni Latronis expendit, quam cùm comparâsset cum infelicis ejus socii verbis, prorumpit in hæc verba: *O magna fides! ô magna spes! ô magna charitas! Orat pro futuris, non præsentibus; non vult de Cruce deponi, sed in regno Christi reponi: quid enim est aliud dicere: Cupio dissolvi & esse cum Christo? Nescio quid Paulus major illo latrone cupierit.* Magnam sine defectu fidem, parem spem, nec minorem charitatem in sua petitione Latro monstravit: quandoquidem præsentium oblitus, futurorum tantùm meminerit: nōn petiit à Christo, sicut alter ille perversus, ut à pœna corporali liberaretur, quam in patibulo tolerabat, sed ut illi placeat consortem eum reddere regni sui. Plura non rogavit Apostolus Paulus tot emensos annos in Dei famulatu, atque in virtutis semita plurimum progressus: quamvìs enim eorum verba videantur diversa, in substantia tamen paria sunt: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, & *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Vnum & alterum resolvitur in desiderando & petendo locum in cœlo, & animæ salutem. Hoc igitur ex his colligimus, quod in verbis utriusque latronis pateat uter eorum fuerit sanctus, vel peccator; ille namque quem Deus spiritu suo moverat, nihili faciebat præsentem vitam, sed tantùm regni cœlestis meminit, quod sperabat: *Domine memento mei.* Hic autem in quo nulla vigebat fides, remedium huic vitæ procurabat, æternæ non recordatus: *Salvum te fac & nos.* Quarè tam optatum retulit responsum unius petitio, & audita non fuit alterius. Nobis ergo sit rogandi formula petitio boni Latronis: ut sciamus qualiter cum Deo debeamus agere: & quales nostræ debeant esse coram divina ejus Majestate petitiones, ut nobis quod postulamus largiatur: *O si mei peccatoris meminerit Iesus, cùm venerit in regnum suum!* Ita precabatur piissimus Bernardus. Verba sumpsit ille ex ore boni nostri Latronis, quibus desiderium suæ salutis exprimeret: per hoc nos instruens, quales nostræ esse preces debeant, quas offerimus Deo, qualesque petitiones, ut (sicut ille) clementer exaudiamur: hoc est, ne vitæ temporalia, bonaque terrena postulemus, sed criminum remissionem, animæ nostræ salutem: sit saluti,

*D. Drogo de sacr. Domini Passio.*

*D. Bern. hom. 3. super Missus.*

patiatur

patiatur corpus, vitaque pereat temporalis; sed æterna periculum non incurrat.

4. Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Facilia forent intellectu verba hæc, nisi in aliis Originalibus quasi contraria legerentur: *Declinavi cor meum*; ita legit D. Hilarius. Porrò statim occurrit ratio dubitandi quomodò sibi conveniant: *Inclinare, & declinare?* Appropinquare & elongare. Ad plenam loci hujus expositionem, expedit supponere intelligentiam alterius sententiæ Ecclesiastes: (Eccles 10.) *Cor sapientis ad dexteram, & cor stulti ad sinistram*, ita legunt Septuaginta, (70. Interpr.) & habetur in fonte Hebraico. Quòd si locus hic benè inspiciatur, videtur stultis magìs favere quàm sapientibus: quia cor stulti in loco situm est magìs conformi naturæ: nam cùm ita sit, quòd fixus locus, quem anatomici dant cordi, sit in medio pectoris, inclinatio tamen ejusque spiritus vitales ad sinistrum latus inclinant: (Galen.) *Cordis declinatio aliquantulum est ad sinistram partem, ut amplificet locum hepati*: sic Galenus. Sit hoc ita; verùm respectu Dei, fideles, aliæ dantur leges: in sinistro latere, ad quod natura inclinat, designantur bona carnis ac sanguinis, honor, vita, divitiæ, deliciæ; in dextero autem suprema cœli bona denotantur: ita D. Hieronymus interpretatur. (D. Bern. Serm. 3. super Missus.) Stulti cor naturæ conformiter ad sinistram tendit, sequens carnis vires, & sanguinis impulsus, sicut perversus Latro. Prudens autem, & qui Deum quærit cum bono latrone, torquet cordis inclinationem, seque segregans à carne, sanguine, ejusque passionibus, nempè sinistro latere, & illud dirigit ad amorem Dei, bonorumque æternorum ad dexteram. (D. Hilar. hic.) Priorem repeto sententiam: *Inclinavi cor meum; declinavi cor meum*: declinavi cor meum à sinistra, & inclinavi ad dexteram: declinavi illud à carne & sanguine, ne discursus ejus percipiam, & inclinavi versus spiritum, ut ejus audiam admonitiones. Quòd si caro, sanguis, vitæque præsentis temporalia me perturbant, ab illis cor declino, & ad te inclino: quarè oportet ut optatum referam responsum: *Propter retributionem.* Hæc omnia dicit S. Hilarius ad hunc versum: *Natura quidem & origo carnis suæ eum detinebat, sed religio cor ejus ad justificationum opera declinat*, justificatio namque animæque salus refert plurimum; reliqua verò vel parum, vel nihil. Rogo te, Domine, non pro vita temporali (inquit bonus Latro) quamvìs ad hanc natura me inclinet, sed retortâ inclinatione, pro æterna te deprecor: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*

Hierosolymis ad mortem infirmabatur Ezechias Rex piissimus: cui Vates Isaias ex Dei nomine propinquam prædixit mortem: ploravit ille, petiitque Dei misericordiam: misertus ejus Dominus datam revocavit sententiam, datô verbô, quòd infrà triduum Templum Domini sanus ascenderet, vitam ejus ad quindecim annos protelaret, ab Assyriorum manu liberaret, quietem ei pacemque largiretur: *Ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos, sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te.* (4. Reg. 20. Isai. 38.) Vt verò securum eum de promisso redderet, signum dedit illi, quòd Sol, qui velociori jam cursu tendebat ad occidentem, decem lineis retrorsum graderetur: & ita factum est: cùm enim jam in horologio palatii umbra longissimas extenderet lineas, diesque occumberet, reversus est sol, & denuò cursum suum repetiit. Interpretes in

 hoc

hoc casu dignum hoc notatu censent, quòd, promittente Isaiâ ex ore Dei tria; nempè adorationem in Templo Dei, vitam quindecim annorum, & liberationem de manu Regis Assyriorum, optimus Rex signum tantùm petiit adorationis in templo: *Quod erit signum, quod ascendam in domum Domini?* De cæteris autem non meminit. Respondent hoc eum indicâsse. Spirituale tantùm magni facio, reliqua vix æstimo: Iachrymis vitam temporalem redimere, mens non erat; hoc autem optabam quod Dei conveniebat obsequio, meæque salvationi: desideriorum meorum hic scopus est, quæ verò vitam temporalem concernunt, obliviscor: non enim nisi bonorum appellativum habent. Ejus nomine loquatur nobis D. Ambrosius consuetâ suâ prudentiâ: *Nibil bonum Scriptura, nisi quod honestum est, asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam indicat, quæ neque augetur bonis corporis, vel externis, neque minuitur adversis: nihilque beatum, nisi quod à peccato alienum sit, plenum innocentiæ, plenum gratiæ Dei.* Cor hoc est indubiè magnanimum, & verè Regium, quandoquidem temporalia contemnens, & sanitatis vitæque corporis immemor, spiritualia tantùm intendat, eòque mentem suam votaque dirigat: *Quod erit signum, quia ostendam in domum Domini?*

D. Ambr. l. 2. Offic. c. 3.

4. In mystica illa lucta Iacob totâ nocte, sivè cum ipso fuerit filio Dei, ut vult Concilium Sirmiense, & Divus Thomas, sive cum Angelo specialiter illum referente, quod tantùm intentioni nostræ militat, reipsâ Dominus vinci se passus est. Iacob victoriâ potitus, gloriosus exultat: sicut dum duo longô satis tempore luctantur, & hic alterum supplantat: qui superat, triumphat, suamque exaltat animositatem: petit ab illo Angelus: *Dimitte me.* Cui Iacob: *Non dimittam te; nisi benedixeris mihi.* Gen. 32. Colligit hæc verba D. Bernardus, eaque confert verbis Sponsæ in Canticis, quæ, inventô Sponsô, ait: *Tenui eum, nec dimittam;* quibus hæc sequentia sua valdè gravia subjungit: *Ita Sponsa Sponsum non vult dimittere: & fortè magìs quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem: siquidem ille benedictione acceptâ dimisit eum; hæc autem non sic: nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te.* Fortem se Iacob ostendit in luctâ, sed in conditione parùm prudentem: nec enim illi sufficere debebat benedictio, sed benedicens. Prudentiorem illi præfero benedictam illam animam Dei Sponsam, dicentem: non nisi te quæro, cedo benedictioni: *Tenet autem Sponsa fidei firmitate, tenet devotionis affectu.* Contentus est Iacob, ei congratulor, Sponsi benedictionibus, sive de cœlo sint, sive de terra: ego verò (inquit illa) eum solum desidero, & nemo nisi ille cordi meo poterit satisfacere. Nolo benedictionem tuam, sed te. Non opto vitam, non quæro sanitatem, honores non ambio, divitias non concupisco, nec alias similes oro benedictiones, nisi hoc tantùm, quô beatificâ fruar ejus præsentiâ, eique comes sim in regno: *In regnum tuum.*

Cant. 3.

D. Bern. serm. 29. in Cant.

5. Aliud attende acumen D. Bernardi, prosequentis suum argumentum. Interpretatur Doctor mellifluus Psalm. 90. & ubi pervenit ad illa verba: *Quoniam tu es Domine spes mea;* subtiliter valdè notat, à Davide non dico: spero in te Domine, sed *Tu es spes mea, Domine:* quo clarè patet eminentia amoris, & desideriorum ejus perfectio: in Deo namque sperare, vel in eo spem suam ponere, hoc multorum est; sed ipsum Deum habere, ut spem suam, per-

Psalm. 90.

perfectorum solummodò est: qualis erat David, cùm eò usque pervenisset: *Cæterùm quòd dicit: Tu es Domine spes mea, fortè amplius aliquid sonat, & sublimius: quod videlicèt non modò in eo speret, sed eum: convenientius siquidem spes nostra dicitur, quòd speramus, quàm in quo speramus.* Nonnulli sunt, inquit, qui desiderant ut Deus illis bona temporalia vel spiritualia communicet; porrò tales longè distant à perfectione, quia in Deo tantùm spem suam collocant: sed virtutis eminentia & charitatis perfectio consistit in eô, quòd anima à Deo nihil præter Deum expostulet. Et ad perfectum hunc charitatis gradum, teste D. Bernardo, David ascenderat: cui addo, & ipse bonus Latro eò pervenerat, de quò sic D. Damianus: *Consummatus in brevi explevit tempora multa. Sunt autem fortè nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia, seu spiritualia quælibet concupiscunt: sed perfecta charitas solum sitit, quod summum est, tota desiderii vehementia clamans: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hæc verba æqualia sunt verbis sancti Latronis: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Deus & Dominus cordis mei, tui solius recordor, nec volo, nec à te peto quidquam, nisi *Memento mei*, & tuô merear in regnô, tuô conspectu gloriari.

D. Bern. serm. 9. in Psalm. qui habitat.

P. Damian. cit.

Psalm. 72.

6\. Sed dolendum valdè est, paucos inveniri boni Latronis imitatores, multos autem, imò innumerabiles latronis obdurati sequaces. Trutinate, inquit D. Gregorius, quod de Cain dicit Spiritus S. *Et ædificavit civitatem, &c.* Non vacat ingenti mysterio, quod Spiritus S. calamo Moysi scripserit fratricidam hunc maledictum primum fuisse civitatis fundatorem: quô datur intelligi, secundùm D. Greg. id, quòd ille tantùm, qui primus de cœlo desperavit, primus esse posset qui civitatem ædificaret in terra: *Vt aperte monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate cœlestis patriæ alienus fuit.* Nec enim magnum erat quod desideraret in hâc vitâ perenniter vivere, qui spem non habebat alterius vitæ bona consequendi: quare nec miremur, quòd boni nostri Latronis collega, de vitæ temporalis tantummodò conservatione sollicitus fuerit, quandoquidem æternam non speraret. Hoc autem me rapit in admirationem, nonnullos dari Christianos, qui salvari confidunt, ita tamen vitæ præsentis commodis inhiantes, Deique immemores, ut numquàm meminerint divinum ejus invocare subsidium. Huic convenienter appendit D. Augustinus illa verba Prophetæ Regii: *Deum non invocaverunt.* Talibus non probabitur, inquit Psalmista, quòd Deum habere voluerint adjutorem, numquàm eum vocârunt, nec sanctum ejus nomen invocârunt. Primâ facie non videtur hoc verum: quem enim invenias fidelem, quantumvìs perversum, qui se Deo non commendet, ejusque non quærat auxilium? Sed respondet D. Augustinus, quòd hoc non sit invocare Deum, sed vitam, corporis valetudinem, vel divitias quasvis domum tuam intrare: Deum non vocas, ut illam ingrediatur, sed ut tibi mittat quæ desideras, & hoc est mali latronis vestigia calcare, qui plura non optabat, quàm ut Christus salutem ei mitteret corporalem: *Salvum fac temetipsum & nos. Non invocat Deum, qui ut dives fiat, Deum invocat: hoc enim invocat, quod ad se vult venire. Quid enim est invocare, quàm vocare: nam cùm dicis, Deus det mihi divitias: non dicis, ut Deus veniat ad te,*

Gen. 4.

D. Greg.

Psalm. 13.

D. Aug. hic.

*sed vis ut divitiæ veniant ad te; quod ergo vis ut veniat ad te, hoc invocas. Ergo isti qui propter sæcularia commoda invocant Deum, non invocant Deum.*

7. Torquebatur ardentissimis tartari flammis infelix Epulo, tantâque premebatur calamitate, ut coactus fuerit à paupere illo rogare subsidium, cui panis analecta in hoc mundo negaverat. Notat ingeniosus D.P. Chrysologus quòd petierit ab Abraham, & in illo à Deo: *Mitte Lazarum, ut intingat extremū digiti sui in aqua, &c.* Quomodò ter miser ille de loco isto tormentorum non poposcit liberari, & introduci in possessionem bonorum, quibus locus ille felicissimus abundabat, & Lazaro in requie comes adjungi? Peccator hic erat, respondet Archiepiscopus Ravennas, conditione servilis, qui licèt in tormentis, perversam adhuc conservabat indolem, quam vivens habuerat, bona animæ non petiit, nec locum in Limbo, qui regnum erat eo tempore, quo fruebantur futuri quondam beati in regno Domini; sed aquam solummodò ad levamen doloris quô corpus angebatur: *Adhuc divitem malitia non deserit, qui non se ad Lazarum deduci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci:* valdè similis obdurato Latroni, qui tantùm salutis corporis fuit sollicitus, quantùm oblitus animæ salutis. Bene sit sancto Latroni, ob lectionem quâ nos instruit, quomodò cum Deo agere debeamus, & formulam exhibet quam nostræ sequi debeant petitiones, ut salubriter exaudiantur: non expostulans à pœnis corporalibus, quas patiebatur, liberari, sed bona consequi sempiterna, quæ desiderabat: *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum.*

Luc. 16.

D. P. Chrysost. serm. 122.

*Domine, memento mei, &c. Hodie mecum eris, &c.*

## CONSIDERATIO III.

*In piissima B. Mariæ protectione tutissimam gloriæ suæ spem peccator considerat.*

I. TAnto me demulcent solamine, in quantū peccator sum, verba, quæ in Salutatione retulimus ex P. Damiano, ut ex illis argumentum tertiæ hujus considerationis sumpserim: *Stans Virgo ad dexteram pro latrone preces effudit, primusq; extitit peccator, qui Sanctissimæ Mariæ rogatu resipuit.* Faustus adeò fuit Latro, qui proximus SS. Virgini fuit, quando illa juxta Crucem filii sui constantissima stabat, fuitque illi tanti momenti ejus vicinitas, ut piissima Domina ejus miserta, suâ illum intercessione adjuverit, & pœnitentiæ donum impetraverit: fuit autem primus peccator, qui meritis ejus extitit salvatus. Salutare plane documentū, quo nos peccatores provocemur ad dulcissimæ hujus Dominæ devotionem: cùm videamus nequissimum latroné, qui in asperis montibus homines occidebat, facultates prædabatur, in ultimâ vitæ suæ periodo, Virginis B. patrocinio veram invenisse pœnitentiam. Quarè nemo mihi objiciat, quòd criminum suorum gravitate perterreatur, & ob internam cordis duritiem, quā sentit, animo despondeat, quâ divinis perpetuo resistit vocationibus: quia fortius hîc emicat hujus Dominæ misericordia; quinimò idcirco hodiè in tam nefario peccatore primitias ejus ostēdit: ut qui tales sunt, animū concipiant, fiduciam suam excitent: nullusq; sit in hac vita qui quātumvis sceleratus, & perditæ vitæ, de ejus protectione diffidat, hoc sibi proponens exemplum, & incomparabilem ejus erga peccatores cernens pietatem. Ad

D.P. Damian.

2. Ad hoc duo notavi loca ex Hugone Card. unum antiqui, alterum novi Testamenti. Creavit Deus Solem & Lunã: Solem vocavit luminare majus, & Lunam luminare minus. Et quamvìs Sol multis titulis Lunam præcedat, ratio tamen, quam ex S. Textu colligimus majoratus unius, & minoratus alterius, ea sit: quòd Sol de die splendeat: Luna verò de nocte: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti.* (Genes. 1.) Hoc est secundum litteralem, ait Carensis: porrò liceat mihi, addit, cogitationem attollere, & ad mores attrahere duo formosa hæc luminaria: *Luminare majus Christus, qui præest diei, id est justis: luminare minus, id est Maria, quæ præest peccatoribus.* (Hugo hic.) Præest Maria nocti peccatorum, & causas sceleratorum tuetur: sicut enim nox, deficiente splendore Lunæ, tristis est & nubilosa, ita & peccatores, si protectio illis & intercessio deficiat SS. Virginis, caligine & confusione criminum suorum obruuntur; si verò peccatores divinâ protectionis suę luce illuminet, ilicò se divinô gaudent lumine collustratos, ut patet in hoc latrone, cujus advocata fuit B. Virgo: nam statim fidem habuit, quâ carebat, & perseverantem gratiam, quâ salutem suam consecutus est.

3. Perpendit dilectus Christo Discipulus in suo Euangelio, quod divinus suus Magister traditurus in manus æterni sui Patris animam, prius caput inclinaverit: *Inclinato capite tradidit spiritũ:* (Ioan. 19.) quod expendens Hugo Card. præmissis variis, doctisque rationibus, hunc addit in firmissimam assumpti nostri probationẽ. Nimirùm quòd inclinans caput suum, quasi nos hâc actione ad SS. Matrem suam dirigit: *Quasi dicens: Per ipsam veniam petite, ipsa est oraculum misericordiæ.* (Hugo hic.) Quasi dicat: Peccatores, datò quòd me crucifixistis, tantâ tyrannide & crudelitate in me sæviistis: ecce hîc porta, vobis patens ad misericordiã & criminũ vestrorum indulgentiã, scil. Mater mea: per illam petite gratiam, & remissionẽ; hoc agite, ut ipsa vestra sit singularis mediatrix, unica vestra Advocata, quâ intercedente criminũ vestrorũ indulgẽtiã, & animæ vestræ salutem obtineatis.

Verbi recordor quod legi apud D. Epiphanium, quod prima facie videtur intellectu difficile: quia SS. Virginem nominat: *Hami divini Escam:* hamum vocat divinitatẽ Christi, & SS. Virginem Escam: quô datur intelligi, ut Deus homines quasi pisces capiat, uti soleat Matre sua SS. Nisi me studiũ fallat, alludit D. Epiph. ad sententiam Vatis Habacuc, quâ dicit, quòd Dominus veniens in mundũ, homines ad se attraheret, quemadmodùm piscator pisces solet expiscari: *Facies hominis, quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducẽ, &c. Totũ in hamo sublevavit.* (Habac. 1.) Homines piscibus conferuntur: sicut enim hi superiorẽ non habent, cui se subditos cognoscant, sed hinc inde discurrentes saltus edunt super aquas, vitam suam nutrientes ex iis quæ deferunt aquę: ita reperientur peccatores ita mundi rebus absorpti, aquis amarioribus ipsis pelagi aquis, & ventorum turbine modò in hanc, modò in alteram partem celeriùs delatis, qui numquàm illis exire scient, sed in ipsis demersi vivent, velut in proprio hospitio domoq; contenti. Porrò Deus illos ex hoc profundo hamo suo expiscabitur: ut autẽ sciamus quodnam futurum esset illicium, quo ad hunc effectum uteretur, declarat S. Epiphanius Virginem SS. ejus Matrem, & Advocatam nostram escam hanc essẽ, cujus interventione perditissimi salvantur peccatores: Quisnam piscis sylvestrior, minusq; domitus, quàm hic viarum grassator, insolens & omni pietate dissolutus? Hunc autem hodie Re- 4.

demptor noster cœlestis patrocinio Reginæ expiscatur, eumque sibi tam domesticum fecit, ut eum in domum suam induxerit: *Hodiè mecum eris in Paradiso*; ad confirmationem ejus, quòd qui non implorat ejus auxilium, nec ab eo petit, ut subveniat, etiam non experiatur ejus favorem, graviores superet difficultates, & ad meliora proficere se sentiat.

5. In hâc materiâ, spiritu suo & devotione omnibus nota, proposito nostro conformiter scripsit gloriosus Bernardinus Senensis. Ruminat dici à Iob, quòd inter admiranda Dei facinora, hoc sit non minimum: *Lapis solutus calore in æs vertitur.* Fusor accipit lapidem metallum, quem ipsa experientia docet esse durissimum, in fornacem injicit, ignem accendit, & brevi temporis intervallo dissolvitur, & convertitur in molle & liquidum æs, instar aquæ. Hoc est: *Lapis solutus calore in æs vertitur.* Sed confestim occurrit ratio dubitandi, quomodo res tam parvi momenti & factu facilis, etenim quilibet operarius potest illam efficere, narretur à Iob velut quoddam divinæ potentiæ prodigium? Dubium dissolvit Contemplativus Bernardinus, recurrens hôc modô ad sensum spiritualem: *Lapis solutus calore in æs vertitur: id est, qui durus & obstinatus antè fuit, per Mariæ dulcedinem emollitur.* Quando Iob, patientiæ speculum, præfata verba dixit, ejus consideratio cortici eorum non inhæsit, sed altiùs evolavit; undè & nos mente sursùm ascendamus, ut insequamur, & capiamus mysterum quod comprehendunt. Peccator durum est metallum, sed dum fornaci injicitur, hoc est, societati & custodiæ Sanctissimæ Virginis, Deus in eo præclarum edit facinus, igne namque suæ efficaciæ illum emollit, liquefacit, & ad salutem suam præparat; & ita verificatur sententia Iob; *Lapis solutus calore in æs vertitur:* qui namque prius pertinax fuerat, & edurus, huic Latroni similis, ex dulcedine piissimæ Matris Mariæ, solvitur, & ita emollitur, ut ex eo summus artifex, quod voluit, fecerit, quandoquidem nefarium antè peccatorem in maximum converterit Sanctum.

*Iob 28.*

*Bernardinus Sen. Serm. 1. de Nomine Maria, Tom. 1.*

Modò patebit ratio ob quam Spiritus Sanctus dicat Sponsæ suæ, ut pascat hædos suos, eorumque diligentem habeat curam: *Abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.* Advertit industriè Guilielmus Abbas, quòd Sponsus cœlestis ei commendet hædos, ut illos pascat. Non me latet, inquit, quòd D. Petrus pastor institutus sit ovium, curæque illius commendati sint agni: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quomodò igitur Virgini pejor grex commendatur, & qui tantùm distat à regno Domini, Apostolo autem Petro ille, qui pertinet ad Deum. Alii suam proferant opinionem; mea autem hæc est, (inquit) non incongruè D. Virgini præcipitur, ut pascat hædos, quatenùs illos convertat in agnos; ita ut illi, qui sunt à Deo segregati, hæredes etiam sint Regni: *Quæ Matris hædos vocat, non quia ipsa facit, vel vult esse hædos, qui statuuntur ad sinistram, sed quos magis magisque convertit in oves, ponendas ad dexteram.* Deo nota est potentissima protectio, & suæ Matris intercessio, quâ nefandissimos reducat nebulones, qui ob crimina sua, cum hædis, in extremo judicio ad sinistram rejiciendis, conferuntur: ut autem illos transponat ad dexteram, ubi stabunt oves, id est, justi, idcircò hos ei pascendos commendat: hæc enim tam mirabilis mutatio, & miraculosa conversio, ab ipsa sola, post Deum, efficaci suâ intercessione dependere noscitur. 6.

*Cant. 1.*

*Ioan. 21.*

*Guilielm. Abb. apud Delrium.*

Do-

7. Dan. 1. Domina nostra sic de seipsa in præfato Cap. loquitur: *Posuerunt me custodem in vineis.* Verba hæc primo intuitu suam habent difficultatem: constans etenim est Sanctorum PP. & Interpretum doctrina, per vineam hanc intelligi regnum Dei: de quo Christus asseruit esse vineam in singulari, & nequaquam in plurali: *Plantavit vineam: Auferetur à vobis regnum Dei.* (Matth. 21.) Quomodò ergo dicit serenissima Princeps, quòd custos instituta sit plurium vinearum? Ab hoc dubio nos liberat Rupertus, & egregia sunt ejus verba: *Posuerunt me custodem in vineis: id est, in gentibus: quæ non quidem erant: sed ex mea custodia factæ sunt vineæ.* (Rupert. hic.) Verum quidem est, quod extra Dei vineam omnia erunt inculta deserta, spinetaque aspera, qualia sunt gentiles mundi, gravesque peccatores: porrò quàm primum meæ sunt commendata custodiæ, quæ prius dumeta erant sterilia, vineæ facta sunt fertilissimæ. Quia qualiscumque fuerit rhamnus anima, qualis erat illa hujus Latronis, quàm primum SS. Virgo illam in suam recipit tutelam, convertit eam in fœcundissimam vineam, fertilissimis virtutum fructibus redundantem.

8. Præcepit Moysi Deus: fac serpentem æneum, eumque in altum attolle, ut morsi à serpentibus venenosis, illum intuentes, pristinam recuperent salutem: *Qui percussus aspexerit eum vivet.* Dei præceptum Moyses implevit: & idem erat, attollere oculos in serpentem, & à verorum serpentum morsibus curari: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percusi aspicerent, sanabantur.* (Num. 21.) Quod serpens hic Christi tulerit figuram, ita manifestum est, ut ipse Dominus ore suo hoc affirmârit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* (Ioan. 3.) Quærunt nunc Interpretes: in quem finem exaltatus est hic serpens? Et communiter respondent: ut tanto facilius ab omnibus videretur. Optime. Sed S. Andreas Mediolanensis factum hoc mystice exponens, ait, quòd lignum hoc, sive columna, ita legit, in qua Moyses mysticum exaltavit serpentem, figura fuerit SS. Virginis, cujus suffragiô precibusque morbidi per culpam, integram consequuntur salutem: *Tu columna* (ita præfatus Doctor) *cui ad sanandum populum, serpens est impositus in eremo.* (And. Mediol. de Excel. dig. Virg. apud Novar. in Vmbr. l. 4. Excurs. 80.) Nisi namque fieret per columnam, fieri non poterat, ut populus, cujus numerus ad sexcenta millia virorum excrescebat, absque pueris, mulieribus, & senioribus, serpentem videret, & salutem, quâ carebat, adipisceretur. Sed nec peccatores, malo culpæ vulnerati, sanari possent, si columna vicina serpenti non inveniretur: hoc est, SS. Virgo Maria vicina staret Christo Salvatori in serpente denotato: *Iuxta Crucem.* (Ioan. 19.) Quocirca consequenter non est quod miremur Latronem perfectam animæ salutem obtinuisse, ex conspectu hujus serpentis: hoc est, ei adstante cœlorum Regina, cujus intercessione vulneribus animæ suę virtus est attributa medicinalis.

Apostolus Petrus negabat, pejerabat, anathematizabat, atque in profundam mergebatur tenebrarum abyssum, quem Redemptor noster solo intuitu sic illustravit, ut eum ex illâ retraxerit: *Et conversus Dominus respexit Petrum, &c. Et egressus Petrus foràs flevit amarè.* (Luc. 22.) D. Laurentius Iustinianus mirabilem hunc admiratus oculorum Christi effectum, quærit: Quid hoc? tam modico tempore tanta mutatio? Modò negat, & subitò pœnitet: jam nunc maledicit, & subitò lachrymas fundit? Vtique, inquit Patriarcha: quia 9.

præter infinitam efficaciam, quam ex se habent oculi, aliam quoque habent singularem: quòd nimirùm eorum visus per Mariam Dei Matrem & Dominam nostram transierant: ut ipsa in suo Cantico fatebatur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et hæc specialem illi virtutem communicavit, deditque propensionem tractandi de conversione peccatorum: *Eodem quippe modo respexit Petrum, quo respexit humilitatem ancillæ suæ, sed non pari affectu.* Vocat autem Sanctus hic hunc oculorum intuitum *Pietatis intuitum*; non quòd reipsâ Christi oculis necesse foret primo in Matre suâ requiescere, ut pietatem ex illâ discerent, sed ut probemus quàm suavis sit Virgo peccatoribus: nam casu quô Dominus non tam benignus illos aspiceret, sufficeret obtutus suos tetigisse Sanctissimam Matrem suam, ut essent misericordes, & unico conspectu cor illuminaretur obscurissimum. Palpabilibus, imò obscurioribus Ægypti tenebris Latro tenebatur: auxilium verò & Sanctissimæ Virginis intercessio cor ejus sic illuminavit, ut jam in actus Fidei, Spei, & Charitatis valeat prorumpere, ut unico volatu se transferat in gloriam: *Domine, memento mei. Hodiè mecum eris in Paradiso.*

*Luc. 2.*

*Iustin. de triumph. Christi agone c. 8.*

---

*Domine, memento mei, &c. Hodiè mecum eris, &c.*

## CONSIDERATIO IV.

*Cùm nullam habeamus vitæ securitatem, stultum est differre pœnitentiam.*

EVsebius Emissenus Homiliam composuit de bono Latrone, quam monile dixeris pretiosissimis lapidibus compositum; intèr alia verò verba magni momenti, nec levioris instructionis, addit sequentia: *Latro nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta ultima infelici fraude posuit; nec redemptionis suæ in desperationis novissimum reservavit, nec religionem antè, nec Christum scivit.* Quàm primùm Christus Iesus clarissimis divinæ lucis suæ radiis intellectum hujus Latronis illuminavit, atque ab eo tenebras, quibus obcæcabatur, fugavit, & dignitatem illius Domini quem offenderat, agnovit, nec non criminum suorum fœditatem intellexit: non remisit in ultimos vitæ suæ terminos, infelici nimìs fraude, gravissimum suæ salutis negotium; sed nec redemptionis suæ spem in ultimam desperationis horam distulit, sed confestim absque morâ exclamavit: *Domine, memento mei* peccatoris, quô nullus in mundo sceleratior. In hoc instanti te cognosco & confiteor Dominum meum: quem si priùs agnovissem, priùs fuissem confessus, agoq; pœnitentiam de gravissimis peccatis contra divinam tuam Majestatem à me commissis. Salutare consilium, Auditores, non differre de die in diem vitæ correctioñe, fallendo diem hodiernum, & crastinum exspectando. Cùm certum sit (inquit præfatus Doctor) quòd dilationes in conversione soleant damna adducere non reparabilia: ob quam rationem sollicitus noster inimicus, & versutus animarum nostrarum hostis nihil magis intendit & urget, quàm ut in futurum, mortisque tempus, locum remittamus pœnitentiæ: ut hoc modo nostra spes eludatur, & ipse nostram certam habeat damnationem.

*Euseb. Emissen. hom. de Latrone.*

Introducit Propheta Sophonias peccatorem, qui ex una parte suam velociter intendit conversionem; sed ab alia

alia parte fallit illum diabolus, & persuadet illam linquat in aliud tempus, Sophon. 2. verbaque hæc proloquitur: *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari.* Huic cantat in fenestra corvus, & in postibus domus suæ vociferatur; corvus in civitate populosa prodigium est: etenim juxtà mare & in campis solent aves illæ commorari: quis umquam in domo sua corvum aluit, sed nec ad sui recreationem transennis inclusit. Vox illa corvi mœrorem potius & nauseam adferre solet, quàm lætitiam & recreationem. Si Philomela vel Alauda cantaret, facilè locum intelligerem: tales namque similesque aves communiter aluntur in domibus ad cantandum: porrò quod corvus canat, mysticus debet hic esse cantus. Doctissimus Cardinalis Vitriacus nobis hoc dubium solvit in sensu morali proposito nostro æquali: Vitriac. serm. Dom. 17. post Pent. *Vox cantantis in aure cordis, vox corvina, est vox diaboli, qui clamat: cras, cras pœnitebis.* Dicit igitur communis animarum hostis quando nos advertit de nostra conversione sollicitos: non hodie te convertas, differ in crastinum: non agas hodie pœnitentiam, sed illam in crastinum remitte. Miser peccator illi obtemperat, & cantans velut corvus, numquàm concludit quid agendum sit, & tandē cum corvo foris remanet: quia sicut ille tempore Noë sic evolavit de arca, ut numquàm ad eam sit regressus: ita peccator infelix cum hàc infernali musica in ore foris manet, & à regno cœlorum excluditur: etenim antiqua proverbia, sunt quasi parva Euangelia: unde bene dicit Latinus: *Cras, crastinando præterit tempus, nescio quando.* Quarè prudentis est ex præsenti proficere, quòd solùm possidemus, & nequaquam appellare in futurum, ad quod ne scimus, utrum simus perventuri.

3. Aliquoties perpendi mystica illa verba Psalterii, quibus David insinuat pœnitentiam solis juvenibus incumbere: *In quo corrigit adolescentior viam suam?* Psal. 118. Quid hoc, quærit D. Aug. fortè soli juvenes culpas habent quas defleant, & defectus quos emendent: ut dicat David quod illi juventutis suæ spiritum refrænent? Non capio: siquidem enim verum sit quòd adolescentes potissimum duci se patiantur illius ætatis virore: tamen etiam verum est, quòd seniores defectus habeant quos corrigant, & peccata, de quibus pæniteant. Quomodò ergò Propheta regius floridis annis adscribit vitæ mutationem morumq; reformationē? Nodum dissolvit D. Aug. cùm sit ejus auctor: *An fortè admonitio est, qua ætate fieri debeat?* D. Aug. Conc. 5. in hunc Psalm. Docere nos voluit Propheta verbis illis, quòd pœnitentia magis accepta, & vitæ emendatio securior sit, quæ statim à peccato sequitur, quàm quæ differtur & procrastinatur, & cùm fiducia culpas accumulat, sibi persuadens, quòd omnia simul postmodùm remittentur; & hoc aliud nihil est, quàm velle mori impœnitentem, prout solet evenire sæpè mors inopinata.

4. Propheta Rex hoc nobis dat consilium, quòd ipse sibi sumpsit: licèt etenim verum sit, quòd sicut fragilis miserabiliter cecidit: etiam certum est, quòd sicut prudens statim surrexerit, nec diu pœnitentiam distulerit, ut multi differunt peccatores. Huic convenienter intelligit S. Epiph. illa ipsius verba: *Qui perfecit pedes meos tamquàm cervorum.* Deus hoc me beneficio prævenit, ut pedes mihi daret celeres instar cervorum: unde celeriter cucurri. Alludit ad cervos qui nonnumquàm vesci solent venenosis serpentibus: & quam primum malo hoc alimento gravari se sentiunt, festini convolant ad

aquas, quibus ardentem extinguant sitim ex veneno ortam: quòd si intra trium horarum spatium hoc defensivo se non tueantur, infallibiliter moriuntur; porrò si ex illis bibant, vitam ad multos annos prolongant: *Accurrit autem ad fontes aquarum: quòd si trium horarum spatio aquâ se explere non potest, moritur. Si autem aquæ potus attingat, ad annos denuo 50. vitam protrahit.* Itaque trium tantum horarum tempore cervus venenum visceribus inclusum tenet: quòd si illud prætergrediatur, moritur. Quocirca & ipsius naturæ instinctu propellitur ut citissime damno suo quærat remedium. Hanc ergo ejus proprietatem imitatus est Propheta pœnitens: quamprimum enim se sensit culpæ veneno infectum, ilico contendit illud extinguere, & mediante pœnitentia delere, nulla ponens inter illam & peccatum interstitia: quia hoc modo voluit certissimam sibi facere salutem, timens ne mors inopina illum invaderet. Hoc idem nobis agendum, ne subitanea hinc morte rapiamur, & ruina nostra sit irreparabilis.

*Epiphan. in Physiolog. c. 5.*

5. Abraham Deo filium suum oblaturus, brachium sustulit, non tamen percussit. Caput convertit & *vidit post tergum arietem cornibus hærentem inter vepres, quem assumens obtulit holocaustum pro Filio:* hic libravit ictum, quem priùs in filio tentaverat. Offertur mihi dubium, quam ob causam non patiente Isaac statim aries occidatur: cùm ita sit, quòd ambo figuram prætulerint Redemptoris? Doctores communiter respondent: Isaac in hac occasione denotabat divinitatem, aries autem humanitatem Christi: & quemadmodum Dominus in hac erat passurus, & nequaquam in illa: idcircò Isaac superstes mansit, & passus est aries. Vna porrò superest vincenda difficultas: unde nimirum eò venerit vel adduxerit aliquis arietem? Resp. Lyranus, Hebræos opinatos, quòd Deus illum ab ortu mundi ibi collocâsset, hoc est, à sexto die, quo creavit animalia: *Dicunt Hebræi, quòd ibi fuit paratus ab initio creationis mundi, scilicèt sexta die in qua Deus formavit animalia.* Sed hoc (ita Lyranus) *nec ratione, nec scriptura habet apparentiam: & ideò reputandum est fictitium. Propter quod dicendum quod fuit adductus ibi ministerio Angelico.* Expendo dictum Lyrani, quod nimirum sententia Hebræorum nullam habeat apparentiam veritatis: velim autem ostendi in quo consistat hujus doctrinæ falsitas? Et præsumo (idque non sine fundamento in S. Scriptura, & doctrina Sanctorum) quod ratio ob quam ex opinione Lyrani, nullam habeat apparentiam, ea sit, eò quòd sicut aries ille figuram prætulit Christi, & hic venit in mundum nos salvaturus, non expediret: quòd tantò tempore hæreret, & operi manum non adhiberet, nosque sanguine suo de servitute redimeret peccati: ut autem opinio mea fundamentum habeat, assumam mihi locum alium ex Novo Testamento.

*Gen. 22.*

*Lyranus hic.*

6. Vidit divinus ille Præcursor Agnum sine macula sacrificandum in Ara Crucis pro peccatis totius mundi, & totus exultans ex tam jucundo hilariq; conspectu, ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Alias expendimus cum Theoph. quod non locutus sit de præterito, sed de præsenti. Nunc cum Glossa Interlin. dico quod magnus ille Baptista loquatur in præsenti & non in futuro: *Non dixit, tollet, sed tollit.* Quasi dicat: non promittit quod peccata de futuro sit sublaturus, sed quod in præsenti illa tollat: ut ex illo discant peccatores agere in præsenti pœnitentiam, & nequaquam eam differre in futurum;

*Ioann. 1.*

*Glossa Interl.*

turum; sibique persuadeant, quòd si Agnus Dei præfiguratus in Ariete Abraham, quàm primum venit in mundum, ilicò pati cœperit, nec effusionem sanguinis sui pro peccatis nostris distulerit, hôc ipsô suô nos exemplo doceat, illa statim ac commissa sunt puniamus, nec ullis utamur tergiversationibus, quibus summum inest periculum. Benè dixit Lyranus, quòd Hebræorum delirium nullam haberet verisimilitudinem, eò quòd Agnus, qui sanguine suo homines esset docturus pœnitentiam, tanto tempore non congruenter suam differret passionem, quia certô quodam modô pœnitentiæ peccatorum multam suaderet dilationem.

7. Adveniebat proditor ille discipulus Iudas divinum suum Magistrum pacis osculo traditurus; occurrit illi Dominus obviam, & ait: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Notare solent hîc Interpretes, quòd graviorem facti malitiam intulisset, si dixisset: *Filium Dei. Iuda, osculo Filium Dei tradis?* Sed respondent cum D. Ambros., conveniebat id, quod Salvator dicebat, cõfusioni proditoris, ostendens illi ad oculũ abjectam suam ingratitudinem ex debiti sui consideratione, quandoquidem venderet, & traderet Filium hominis, hoc est, illum, qui cùm esset filius Dei, factus esset filius hominis, ut ejusdem hominis gratiâ pati posset: *Illud planè confutat ingratum,* ait magnus ille Mediolanẽsis, prudentissimè hoc expendens. Sed D. Cyrillus Hierosolymitanus reflectit super hæc duo verba: *Iuda, & tradis. Iuda* significat Confessionem (ut jam notavimus ex D. Paschasio) & *tradis* denotat traditionem in præsenti, atque ex illâ connexione Traditionis & Confessionis educit D. Ambrosius lucidissimum conceptum, quòd illi Salvator noster quasi dixerit: Modò cùm tradis Filium hominis, tibi in memoriam reduco cõfessionem, teque admoneo, ut quandoquidem tam graviter me offendas, delicti tui non differas providentiam, sed idem sit illud commisisse, & agere de ejus confessione: *Hoc ad ipsum dicit, admonens eum per nominis appellationem: intellige, accepisti argentũ, confitere citò.* Sed infelix proditor, quasi non intelligeret, non convertitur, atq; in dilatione pœnitentiæ damnationem sibi acquisivit; prius etenim lamentabilis ejus accessit mors, quàm veram faceret confessionẽ.

*Luc. 22.* *D. Ambr. hic.* *Cyrillus Catechesi 22.*

Sed unum videtur huic doctrinæ objici posse argumentum, hoc scil. Dum Prodigus ille vitæ suæ libidinosæ jam pertæsus, in se reversus, proposuit paternam domum repetere, hujus propositi executionem distulerit in futurum, dicebat enim: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi.* Hugo Card. judicat quòd melius dixisset: *Surgo, eo, & dico:* peccavi, secundũ id, quod practicavimus, & nihilominùs non ita fecit, sed in futurum omnia servavit. Verum est (inquit præfatus Auctor) quòd in præsenti non sit confessus, sed in præsenti veram elicuit de peccato suo contritionem, ob quam patri suo est reconciliatus, & confessionem distulit in futurum; prout illis contingit, qui in peccata lapsi sunt, & de iis conteruntur, & nihilominus statim non confitentur, quamvìs propositum habeant illud faciendi, vel quando ex Ecclesiæ præcepto tenentur, vel datâ ad hoc opportunitate. Quocircà verum est dicere, quòd Prodigus quàm primum lux divinæ gratiæ cor ejus illustravit, interruptâ omni morâ contritionem elicuerit, cum firmo proposito confessionis; & hoc illi satis fuit ut verus esset pœnitens, atque in piissimi Patris gratiam restitueretur. Proferamus Carensis verba: *Videtur temeraria* 5. *Luc. 15.* *Hugo Card. hic.*

*deliberatio illius, qui deliberat se dicturum Deo; sed non temerè deliberat, quia etsi præcedat in pœnitente motus contritionis, adhuc tamen expectat Deus vocem confessionis.* Tunc temeraria fuisset Prodigi deliberatio, si non præcessisset actus cōtritionis, quia totum pœnitentiæ negotium remisisset in futurum; sed eô momentô, quô de præsenti fuit contritus, quamvis confessionem in aliud tempus distulerit, indubiè vera fuit ejus pœnitentia, & eâ mediante, ad benigni Patris gratiam reversus est.

9. Auditores fidelissimi, pœnitentiæ lamenta nō procrastinemus, cùm ex hoc nobis tantùm dependeat, & estote certi, quòd vitæ correctionis dilatio, signum sit te nolle pœnitere. Ex Prodigo discite deflere crimina contra Deū cōmissa, & ex Latrone illa eo instanti cōfiteri, quô Dei gratia cordibus vestris illuxerit: nemo quippè dubitaverit, quin quò citiùs crimina tua sis deplāćturus, eò divinis oculis gratior futura sit tua pœnitentia. Solet procrastinatio gratiam minuere quę nonnullis datur. Hęc ratio fuit, inquit D. Ambrosius, ob quam Latro postulans à Christo Domino, *Memento mei dum veneris in regnum tuum*, statim ab ipso audierit, *Hodiè mecū eris in Paradiso.* Videtur sufficiens fuisse, si dixisset, me ibi videbis, ut gauderet optatum se tulisse responsum; sed hoc Christo dixisse non sufficiebat, sed ait: *Hodiè mecū eris in Paradiso*, in regno meo: censebat enim angustum nimis hoc beneficiū, si vel minimam includeret dilationem. *Potuit dicere: Mecum eris in Paradiso; sed addit Hodiè, ne dilatione gratia minueretur.* Eadem sit sententia de obsequiis Deo consecratis, & nominatìm de pœnitentia, quæ differtur in ultimū vitæ terminum: nam eô ipsô quòd tarda advenit, non erit tam grata Divinæ Majestati, nam procrastinatio rescindit

*D. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 8.*

ejus meritum. Superest non longas nectere pœnitentiæ moras, stultitiam quippè superet, cùm omnes probè noverimus, quàm inopinatò possit nos mors opprimere. Huc usque nos duxerunt verba Eusebii Emisseni, quibus fundata fuit hæc nostra Consideratio.

---

*Tibi.*

CONSIDERATIO V.

*Prætendere velle in eo justitiam, quod est gratia, nedum est intellectûs imprudentia, sed etiam præsumptuosa temeritas.*

DOctrinam propono contemplativi Doctoris D. Bernardi, quâ docet singularem Christi Domini misericordiam huic exhibitam Latroni, in verbo illo *Tibi*: tibi hoc concedo beneficium, & hanc gratiam, non alteri, tibi dico & promitto, quòd hodiè mecum eris in Paradiso: *Si bene memini* (sic D. Bernard.) *in toto Canone Scripturarum unum latronem invenies sic salvatum*: atque ex illo antecedenti sequentem elicit conclusionem: *Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum.* Quocircà cunctis fidelibus hoc do consilium, ut in negotio tanti momenti, nempe æternæ salutis, tutissimè ambulent, nec fundamenta jaciant super alienâ felicitate; est enim periculo illud exponere contingentiæ, à quô tantùm dependet, & quod super omnia desideramus. Quasi dicat Bernardus: Nemo producat in exemplum divinæ misericordiæ Latronem hunc, qui talis semper vixit, cùmque jam in Cruce supremum duceret spiritum, unico *Domine, memento mei*, consecutus est Paradisum, sibi promittens talem, qualem illi, concedendam indulgentiam: nec enim enormior dari potest imprudentia, nec stolidior amentia, quàm si quis sibi

*D. Bern. Serm. 38. ex parv.*

sibi velit hoc securũ & ex justitiâ,quod aliis ex merâ fuit gratiâ concessum.

2. Hæc ultima & principalis stultitia fuit, quæ calamitatibus tyranni Pharaonis finem imposuit, superbiam ejus delevit, & ruinam ejus conclusit, dum nimirùm credidit, quòd Deus in ejus gratiam hoc faceret, quod fecerat Israëliticis,illique, sicut illis,subveniret. Omnibus notum est, qualiter Dei populus egressus de Ægypto,ad extremas redactus fuerit angustias: ex unâ quippè parte coarctabat illos mare,ex altera verò inimicorũ exercitus extremos premebat agminis: unô verbô,quid agerent, omninò nesciebant. 1. Accurrit Moyses ad Deum, & divinâ faciente potentiâ,pelagus illis aperitur, dividitur mare,&, juxtà Sapientem: *Ex aqua quæ antè erat, terra arida apparuit, & ex mari Rubro via sine impedimento,& campus germinans de profundo nimio.* (Sap. 16.) Quarè per viam quasi floribus tempore Maii stratam, sicco vestigio populus transivit: (D. Bern. serm. 38. ex pari.) persuasit sibi Pharao, omnesq; duces, quòd ipsi quoq; per eamdem quâ alii, viam possent ingredi, & huic fidentes, mare Rubrum ingrediuntur, idq; tantâ confidentiâ & securitate, ut passim omnes arroganter,& præsumptuosè dicerent, quòd omnes Israëlitas delerẽt, & occiderent: *Persequar,comprehendam, dividam spolia, & implebitur anima mea.* (Exod. 15.) Porrò cùm jam per maris Rubri medium graderentur, eccè aquæ utrimq; cõfluunt,omnemq; Pharaonis demergunt exercitum: *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus mare,& induxit super eos Dominus aquas maris.* Observat celebris noster Oleaster hunc casum, & paucis verbis multa proloquitur: *Non debent inimici Domini credere bonis successibus.* (Oleaster hic.) Credebat enim Pharao,ejusque sequaces,quòd Deus, qui filios Israël salvos de mari eduxerat, idem in eorum gratiam faceret, & felici pede mare transirent; sed sua fefellit eum opinio, & argumentum sibi proposuit,quasi rationis usum non haberet: etenim inimici Dei exspectare non debent de divinâ manu beneficia, quæ præstare solet suis amicis:& quãvis illi tales non essent,semper tamen à recto aberrat judicio, qui ex eô, quod Deus uni contulit beneficium, indicat sibi jus esse ad idẽ petẽdũ & sperandũ.

Mors repentina,quâ Deus Ozan punivit,Interpretibus multã dedit multa dicendi occasionem; contigit autem hunc ea morte castigari, quandò Arca Dei curru vehebatur, quem boves trahebant, illique calcitrantes, ita currum agitârunt,ut ad casum Arca declinaretur; quô visô, *Extendit Oza manum ad Arcam Dei,& tenuit eam,&c. & percussit eum Dominus super temeritate suâ.* (2 Reg. 6.) Quale crimen commisit Oza retinens Arcam, ne laberetur, ut Deus illum tam horrẽdo plecteret supplicio? Dicunt nonnulli (prout superiùs diximus) fuisse punitum, eò quòd,cùm Arca Domini deferri deberet Sacerdotum humeris, ipse judicâsset expediens, ut curru veheretur,quem boves traherent. Ita sentit Theodoretus: *Nam cùm Deus jussisset, ut Sacerdotes Arcam suis ferrent humeris, præter legem,eam tulit in plaustro.* (Theodoretus hic q. 20. in 2. Reg.) Et hæc est communis Doctorum opinio: quòd autem annectit præfatus auctor,singulare est, & notatu dignum: *Hoc autem eum fefellit, quòd ea sic emissa ab alienigenis, nemini nocuit.* Ozæ temeritas,vel error temerarius, in quẽ lapsus est; (nam ita legit secundùm Textum Hebraicũ Card. Cajetanus) *super facto erroris*,in eô fuit, quòd erraverit ex eô, quòd vidisset infideles, qui similitèr Arcam Domini,jam captam,plaustro detulerant, non fuisse punitos: undè persuasit idem sibi eventurum, sed oppositum illi

3.

con-

contigit: Dominus enim, qui pepercit illis, noluit cum illo convivere; imò verò si illos voluit misericorditer perferre, hunc severè castigavit. Vt ex alieno capite capiamus experientiam, nec velimus legem statuere divinæ misericordiæ, quia nonnumquàm huic illam concedit, quam negat alteri.

4. Fuit Rex Manasses omnium peccatorum, quos Scriptura commemorat, flagitiosissimus, ut patebit curioso Lectori. Tótâ vitâ suâ persecutus est Prophetas, magnum Isaiam serrâ dissecuit medium, templa dedicavit Idolis, eaq; adoravit, contra Deum, cœlumq; bellum gessit, denique, unicô verbô, portentum fuit iniquitatis. Ad extremas redactus angustias, carcere & vinculis constrictus, justô Dei eum urgente judicio, se convertit ad eum, & erratorũ veniam flagitavit. Pepercit illi Deus, idque signis adeò manifestis, ut subitò descenderit ignis de cœlo, qui compedes, manicas, & seras dissolverit, quibus corpus ejus totum quasi vinctum tenebatur. Apertum fuit hoc judicium suorum scelerum remissionis. Succedit illi in regnum filius suus Amon: notat autem S. Eloquium, cum fuisse tantæ nequitiæ reum, ut vestigia patris sui sit

4 Reg. 21. v. 20, 21. imitatus: *Fecitq; malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus, & ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus, servivitque immunditiis, quibus servierat pater ejus.* Sed quomodò res illi successit, respondet S. Scriptura, *Tetenderuntq; ei insidias servi sui, & interfecerunt Regem in domo suâ.* Quando vivebat sollicitus, à servis suis proditoriè occiditur, ut Deum invocare non potuerit. Quærit S. Clemens Romanus,

Clemens Rom. l. 2. Constit. Apost. c. 26. & 27. quæ causa fuerit, ex quâ Amon tam infaustâ hinc morte discesserit? & respõdet: *Cogitavit Amon cogitationem transgressionis malam, & dixit: Pater meus à juventute suâ multa fecit iniquè, & sic concupiscet anima mea, & postea revertar ad Dominum.* Amon hunc inivit compactum: Deus mihi minus non præstabit, quàm patri meo; liberè vacare possum voluptatibus meis, & fræna dare meis appetitibus, dum vixero: postmodùm enim petendo veniam, omnia, sicut pater meus, obtinebo. Verumtamen erravit à scopo, persuadebat enim sibi, quòd Deus eâdem illi parceret misericordia, quâ patri suo pepercerat: sed in cõtrarium illi successit; etenim nedum præmatura fuit ejus mors, sed etiam in peccato defunctus est: nec enim vult Deus, ut faciamus hoc justitiam, quod ex merâ ejus benignitate descendit.

Quàm egregiam nunc depromo ex mellifluo Doctore sententiam. Desiderabat anima illa Sponsa Dei quærere illũ in altissimo visionis beatificæ vertice, cùm adhuc viatrix esset: undè die quodam ita Sponsum deprecatur: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* 5.

Cant. 1. Sponse, & Domine mi, quàm ardenter desidero per claram ambulare visionẽ, eâ nimirùm viâ, per quam ambulant Angeli & beati. Sed nota Sponsi responsum: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.* Acerrima fuit hæc Sponsi reprehensio; cùm enim esset adhuc in ejus obsequio novitia, postulat & intendit ut instruatur in viâ altissimæ Dei cognitionis. Dicit præfatus Bernard. *Reprimenda censetur propter præsumptionem, & de suiipsius commovenda cognitione, in quâ visa est aliquatenùs caligare, quæ tantæ se æstimat idoneam visioni.* Quasi dicat: Ne sphæram tuam transgrediaris, nec nimiùm præsumas; ambula tuô itinere, & pasce gregem tuum, nec sic anticipatam ambias gloriam. Hôc ipsô autem (ita Bern.) illam quasi perterruit, ut obstupesceret, non

amplius talem expetens semitam, sed posthac per humiles gradiatur vias. Do vobis ejus verba: *Terribiliter intonat in dilectam, non tanquam Sponsus, sed tanquam Magister: & non quasi iratus, sed ut territa purgaretur, & purgata idonea redderetur huic ipsi, cui inhiat visioni.* Sed expendi quod Sponsus Sponsam, id est, animam redarguat quasi temerariam, & præsumentem. In quo, precor, erat illa præsumptio. Si fortassis illa intellexerit, quòd aliæ animæ potitæ sint, etiam in hac vita, clara Dei visione, quales fuerunt Moyses, & Paulus, familiares Deo amici, secundùm probabiliorem sententiam D. Aug. & Angelici Doctoris; quare non posset illa similiter prætendere, & sperare à Spōso suo idem beneficium quod aliis concessit? Ob eandem hanc rationem arguit illam ut audacem: si quis enim fundare voluerit ut justitiam id, quod alter ut gratiam accepit, crassâ peccat ignorantiâ, & supinâ delirat amentiâ: Deus etenim facultatum suarum Dominus est, easque illi dispertit, cui placuerit, & juxtà divinæ suæ decreta voluntatis: velle autem Deum adstringere ut illi gratiam faciat, quia illam aliis concessit, intolerabilis est mentis hebetudo.

Cant. 1.

5. S. Petrus Apostolus in monte Thabor audiēs misceri colloquia de morte, tormentis, & Cruce, ait: *Bonum est nos hîc esse*: præstat hic maneamus: quodnam melius possumus desiderare bonum præter id quo fruimur? *Faciamus hîc tria tabernacula*, & perpetuo maneamus. Audit illum loquentem Timotheus Antiochen. de numero antiquorum Patrum, & perpendit quid illi Salvator responderit: *Quid ais, Petre, simul me & Dominum, & similem servis facis? Occasionem blasphemiæ Arrio præbes, quando cum creaturis mihi habitationem vis assignare.* Quid diceret (inquit) Petrus intra se, excusans se in hoc casu? Domine, tempus novi, quô intrâsti domum Abrahæ, nec dedignatus es hospitium tibi in ea eligere: quare, & hic poteris te accommodare, & esse servorum tuorum socius. Audi, argumento D. Petri respondet Doctissimus ille Pater: *Ita est Petre, ingressus sum in tabernaculum Abrahæ, & ingressus mansi: sed enim adverte fidem, & scientiam, & victoriam Abrahæ.* Quibus Abraham tale beneficium merebatur. Repeto priora verba: *Ita est Petre, &c.* quæ videntur hunc sensum formare. Transeat, gratiam hanc præstare volui Abraham, quâ dignatus sum apud eum hospitari: sed non bene sequitur; quod quia beneficium hoc illi contuli, nunc idē tibi tuisque conferam sodalibus. Nec enim bona est agendi cum Deo praxis, Domine, mihi negare non poteris, quod aliis concessisti: hoc enim est velle id justitiam facere, quod est mera Dei gratia.

Matth. 17.

Timoth. Antioch. de Mysterio Transfigur.

Accedunt Iudæi cum militum turmis capturi Redemptorem nostrum, ut vidit autem D. Petrus quod manus illi injicerent, etiam suam gladio adjecit, & uni ex illis amputavit auriculam. Contine manum tuam, ô Petre, & remitte gladium in vaginam: nolo enim me defendere: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Omnes illi nedum me defenderent, insuper & inimicos meos severissime punirent. Movent hic quæstionē Interpretes: utrùm D. Petrus in hac actione peccaverit? Et suppositâ Christi reprehensione, videtur hæc actio fuisse peccaminosa. Ita censet D. Aug. quem sequuntur gravissimi Doctores. Alii vero adhærentes D. Ambros. eum excusant, fundati ejus ratione, nimirùm, 6.

Matth. 26.

D. Aug. l. 22. contra Faust. c. 70.

rùm, quòd affectuosus Petri erga Dominum suum zelus, & bona intentio, quâ id fecit, excusent eum à peccato. Petrus intellexerat, quòd in occasione honoris Dei præmio affecta fuerat actio Phinëes, quâ sacrilegos interemerat: cujus meminit S. Pagina, quâ provocabatur ad simile quid modò tentandum: *Petrus eruditus in lege, promptus affectu, qui sciret Phinëe reputatum ad justitiam, quòd sacrilegos peremisset, percussit Principis Sacerdotum servum.* Ita Mediolan. Antistes. Ego cum ejus licentia, utar hac ejus ratione ad roborandam sententiam D. August. eamque probo ex hâc discursu: unde dico: quod hoc ipso peccaverit D. Petrus, qui volebat se conformare illi quod acciderat Phinëe, & audacter exemplar sumere ad idem faciendùm; quod optimè proposito nostro quadrat, quia Deus in ultima vitæ suæ periodo misericorditer latronem unum convertit, fuitque hic adeo fœlix, ut de patibulo transierit ad gloriam: vacabo deliciis meis recentioribus, meisque diutiùs inhærebo peccatis, mihi persuadens quod ultimâ vitæ meæ horâ misericordiam, sicut ille, sim inventurus: meæque petitioni, sicut & illius, benignum dabitur responsum. Malum argumentum, parum secura fiducia: quid enim ego novi utrum sim illudendus, vel reprehendendus cum Petro, confidens idem mihi quod Phinëe obventurum.

D. Ambr. lib. 12. in Luc. c. 22.

7. Prædicit, & minatur Deus Regi Nabuchodonosor atrocissima supplicia, fatalemque Regni sui ruinam. Oraculum hoc intelligit, seu potiùs salutarem hanc instructionem, & Danielem interrogat: utrum malo huic aliquod supersit remedium? Multum dubito, (respondet Propheta:) nihilominùs hoc tibi consulo: *Quamobrem, ô Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis*, vitam statumque tibi conservabit. Quid est, ô Vates sanctissime? ita D. Salvian. Numquid in dubium vertis indulgentiam peccatori? An ignoras quanta sit Dei misericordia? Et quàm facilè ad unum cordis contriti suspirium, unamque oculorum lachrymam, revocet, quam contra illum tulerat, benigne sententiam? Numquid firmiter asseveravit: *In quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non recordabor amplius?* An ignoramus quòd David, gravissimus licèt adulter, & homicida, unico *Peccavi*, consecutus fuerit, Interprete Samuële, delicti veniam? Imo verò idcircò respondet Salvian. ne talia exempla videantur legem statuere, hoc modo Propheta spem excitat Nabuchodonosor, ut tamen fiduciam non affirmet. Dubio exponit criminum ejus remissionem, quia peccator erat inveteratus; nec enim vult Deus, ut tales ejus exemplo diutius in peccatis suis remaneant, fidentes quod in fine dierum securam habituri sint criminum suorum indulgentiam: *Quod dicit, forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest, quàm difficile, jam in supremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint. Quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam.* Eandem Christus habuit intentionem in determinanda misericordia, quam Latroni concessit, dum ait: *Amen dico tibi*; beneficium individuans quod illi salutis suæ conferebat; ut hinc omnes discamus proprias non fidere fœlicitates prosperis aliorum eventibus. *Amen dico tibi.*

Dan. 4.

Ezech. 18.

2. Reg. 12.

Salvian.

Hodiè

*Hodiè mecum eris in Paradiso.*

CONSIDERATIO VI.

*Deus dolorem suum mitigat ortum ex eô quòd unus bona sua perdat lætitiâ, quâ eadem aliis communicat.*

CHristus in medio dolorum suorum Paradisi meminit, quando Latroni parcit, conjungens memoriam deliciarum, quas Paradisus significat, felli, & aceto, sibi ab alio Latrone convitiis suis propinato; bonus autem Latro indulcoravit eum dum peccatorum suorum recipit veniam. Præterea, ut advertit D. Ambros. irridere voluit diabolum nimis exultantem, sibique congratulantem, quasi insignem cepisset prædam, dum Iudam proditorem ad desperationis laqueum induxisset. Noveris igitur, inquit D. Ambros. *Plus amisisti, quàm sustulisti, quoniam Latronem vides in Paradisum translatum.* Deridebat Christus diabolum, quia Latronem videbat, velut domesticum, Paradisum ingredi (nec enim hoc ita graviter ille sentiebat Sanctos intrare Paradisum) sed hoc nihil aliud fuit (inquit D. Ambr.) quàm quòd Redemptor vindictam ab eo sumere voluerit, & dolorem lenire ex unius salute propter alterius damnationem conceptum. Triumphabat diabolus, quòd Christo Apostolum suum, Iudam nempè, abstulisset. Sumat igitur Dominus vindictam, & pariter se consoletur, dum de diabolo unguibus latronem eruit, quem securum sibi tenere subditum credebat: quare in permutatione Latronum abstulit illi diabolus unum, quem etiam hodiè omnes execrantur, & alterum perdidit, quo multis datur de salute fiducia, illos ducit ad Cœlum, & bono Latroni multum omnes afficiuntur.

*D. Ambr. in Ps. 39.*

Benedicta sit semper Dei nostri bonitas, cùm eo usque procedat, ut lenimen capiat doloris ex quorundam ruina procedentis, per lætitiam quam illi profectus adfert aliorum. Primum argumentum oculis nostris obvium ad discursûs hujus probationem, est miraculosus eventus sacrificii Abel, & circumstantiarum, quas S. Eloquium enarrat. Offert innocentissimus adolescens Deo sacrificium: *De primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Evidens hoc est argumentum, & manifesta affectus animæ suæ probatio: quandoquidem Deo quod habebat optimum, dedicaret. Sed novi quàm gratum hoc Deo fuerit, quandoquidem S. Pagina testetur: *Respexit Dominus* (benigno oculo) *ad Abel, & ad munera ejus.* Oleaster dicit in litterali loci hujus legi posse, & debere, secundum litterã Hebraicam: *Quievit Deus, seu requievit in Abel, & in munera ejus.* Sed occurrit dubitandi ratio: quis Deum fatigavit, vel quis illi molestiam intulit, ut Scriptura dicat, quod Abel Deo lenimen, & quietem attulerit: & juxtà translationem Aquilæ, consolationem: *Consolationem accepit Dominus.* Dabo rationem, inquit illustris Oleast. *Quievit Dominus, seu requievit in Abel, & in muneribus ejus delectatus: scilicèt in bonâ volũtate Abel, & etiam in fumo sacrificii ejus, etsi illud pro peccato fiebat.* Primo homini Deus justissimè indignabatur, perversam illius detestatus correspondentiam, & abjectam nimis sentiens ingratitudinem: cùm eo usque pervenerit, ut maluerit creatoris sui potius amicitiam perdere, quàm mulieris suæ repugnare voluntati. Cùm videret igitur virum alterum ita muneris sui sollicitum, & divinis gratum adeò beneficiis, ut in reverentialem cultum devotus illi optima

*Gen. 4.*

*Oleaster ex Hebrao hic.*

ma quæ habebat, offerret, consolationem aliquam accepit, sciens quod ludicro reverentialis obsequii Abel, modicæ reverentiæ Adam jactura restauraretur. Quinimò multò clariùs præcurrens Oleastrum dixerat hoc Procopius Doctor gravis, & antiquus, secundùm versionem prædictam Aquilæ:
Procop. hic. *Consolationem accepit; docet placatum, & deposuisse iram, quæ exarserat in Adam.* Quasi fumus ille, qui de combusta victima sursum ascendebat, paropsis fuisset beneolentibus redundans aromatibus, quibus se Dominus recreabat, à molestiis quasi respirans, quas illi fœtor culpæ patris ejus Adam intulerat, & victima gratissima, qua divinum suum cor consolationem accipiebat, quod ex ea tristitiam contraxerat, & desolationem.

3. Huic loco valdè similis est alius ex Genesi, ex quo constat Enoch à morte fuisse præservatum: *Ambulavitque*
Gen. 5. *Enoch cum Deo, & non apparuit.* Quid de illo factum est? Adhuc vivit, verè namque dixeris quod vecors mors eum tangere non præsumpserit. Sed statim occurrit interrogatio: quare Deus tam cito dispensavit in decretis suis, dubio sententiæ suæ impletionem exponens:
Gen. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris?* Non ita temerarius ego fuero, qui velim divini hujus decreti profundum perrimari, vel divinas investigare intentiones: sed illud tantum dixero quod ex ore aureo D. Chrysost. in hoc casu intellexero; verborum ejus notate energiam:
D. Chrysost. in c. 5. Gen. *Vide boni Dei excellentem misericordiam: nam quia invenit aliquem, qui potuit peccatum Adæ revocare, ministrando reipsa, quia non volens mortem humano generi invehere, propter mandati transgreßionem, eum qui mandatum acceperat, condemnavit, nunc viventem transfert.* Quasi dicat: Ostendere voluit Deus quàm involuntariè, contra mentem suam, ex cordis sui dolore sententiam mortis contra eum pronuntiaverat, qui primum mandatum transgressus fuerat; vix enim invenerat Enoch, qui peccatum Adæ revocavit, quando ad consolationem suam illum à morte præservavit: quo pignus nobis mirandæ suæ dedit bonitatis. Sed quid dicere voluit D. Chrysost. his verbis: *Invenit aliquem qui potuit peccatum Adæ revocare?* An fortè pro illo satisfecit? Vel posteritatem ejus de culpa liberavit? Vel ejus causa deletus fuit reatus? Certè neutiquam. Hoc igitur intelligamus ex alia actione Adam, quæ primam peccati ejus secuta est. Cùm enim audiret Deum accedentem, & per Paradisum terrestrē ambulantem, absit ut se lateralem illi conjungeret, imò ab illo fugit, & diversis incedens viis, se ab illo ad non parvam ejus injuriam abscondit: *Cùm* Gen. 3.
*audisset vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso, abscondit se.* Enoch hanc Adæ actionem revocavit: quare ut homines doceret, quod numquam se separarent à latere Dei, semper illi constans adhæsit: & ita dicit S. Pagina: *Cum Deo* Rupert. l. c.
*ambulavit:* quâ suâ actione divinæ Majestati summoperè placuit. Dicit ergo Deus: hic eò quòd mihi proximus adhæserit malam Adæ methodum stylumque revocavit, qui longè fugit à me: Si Adam, quia fugit, mortem invenit; Enoch, quia proximus accessit, vita prolongetur: *Cum Deo ambulavit, & viventem transfert.* Et hoc ad ejus confirmationem, quod hac considerатione perpendimus: quod nimirum Deus leniat dolorem, quando aliquis dona sua dilapidat, gaudio quod aliis ea communicet.

Molestum non est S. Eloquio pec- 4.
catum sacrilegorum filiorum Heli Sacerdotis 1. Reg. 2

cerdotis

cerdotis exaggerare, avaritiam eorum exponere, & non tolerandam extollere perversitatem. Eo ipso tempore quo nebulonum horum aggravat peccatum, etiam laudabiliter de puero Samuële loquitur: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coràm Domino, quia detrahebant homines sacrificio Domini. Samuël autem ministrabat ante faciem Domini, &c.* Abbas Rupert. expendit mysticam S. Paginæ connexionem: quia simul meminit sacrilegiorum filiorum Heli, & obsequii ac religiosi ministerii pueri Samuëlis. Et postquàm dixit, hoc factum esse, ut pateret omnibus ad quàm miserandum decidisset statum Dei cultus: quandoquidem id quod optimates Ecclesiastici profanabant, tenellus adolescens sua pietate conservaret, hoc addit: quod per hoc docere voluerit Spiritus S. consolationem, quam Deus inter tot gravissima peccata recipiebat: quandoquidem, dum nonnulli in templo irreverenter illum offendunt, sanctissimus non defuerit adolescens, qui honorem ejus defenderet, & humiliter illi debitam tribueret venerationem, quam illi nequam insolenter auferebant: *Samuël autem* (sic ipse) *ministrabat ante faciem Domini puer. Ac si aperte dicat: Sacerdotibus viris contemptibile sacrificium reddentibus, reliquus erat unus puer, de quo tanquàm pax illo modico tota pendebat restitutionis spes, in quo Dominus injuriam patiens, aliquas sui honoris reliquias appenderet.* Hujus itaque veritatis exempla in omni sæculo reperimus in S. Litteris: quibus constat, quod Deus consolationem accipiat tædii ex aliorum ruina, propter gaudium ex aliorum profectu provenientiens.

1. Reg. 2.

Rupert. l. 1. c. 6.

5. Inter SS. Patrum annotationes, hanc propriam posse velim annumerari: si, quia mea est, non indigna censeatur.

Narrat Spiritus S. quomodo postquàm Saül perversam viam ingressus est, Deus illum deseruerit, Deique Spiritus ab illo recesserit, & addit continuo, quòd quàm primum abiisset à Saül, Davidem invaserit: *Et recessit Spiritus Domini in Saül, & ferebatur in David.* Hìc aliquid notavi, cujus alii SS. Interpret. non meminerunt, nimirùm, quod eo instanti quo Spiritus S. recessit ab anima Saül peccatoris, continuo habitaculum fecerit in anima justi David: quasi Deus hac nos actione instrueret, quod dum uni suas, propter ingratitudinem, aufert facultates, non hoc eo faciat animo, ut eas sibi resumat, sed alii concedat: quo lenimen accipit ex molestia quam patitur, quòd videat alium illis privatum. Hoc mysterium continet memoria studii quo Deus gratiam à Saüle ablatam Davidi conferre dignatus est: *Et recessit Spiritus Domini è Saül, & ferebatur in David.* Nec enim tempus habet quo majori mulcetur lætitia, quàm id quo videt aliis bonum hoc proficere ad salutem, quo alii uti neglexerunt. 1. Reg. 16.

6. Modò patebit ratio, ob quam Deus ita festinatò miserit Prophetam Samuël, ut Davidem ungeret in Regem Israël. Constat ex S. Eloquio quod quàm primum Deum pœnituisset quod Saülem creâsset regem ob perversam ejus ingratitudinem, & divinis præceptis inobedientiam: *Pœnitet me quod constituerim Saül Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non complevit.* Abrupta omni mora Samuëli dixit, qualiter Saülem gratia sua privâsset: quocircà festinus pergeret in Bethlehem, & unum ex filiis Isai ungeret, quia elegerat eum illi populo regem: *Veni, ut mittam te ad Isai Bethlemitem: prævidi enim in filiis ejus mihi regem.* Quarè Deus in hoc casu ita festinavit? Respondet 1. Reg. 15. 1. Reg. 16.

celebris noster Oleaster: Fecit hoc Deus ut dolorem alleviaret ex Saülis condemnatione ortum, ex electione David, quem præsciebat notissimè salvandum: *Vbi primum Saülem abjecit, elegit Davidem, ut dolorem qui ex reprobatione unius illi acciderat, profectus alterius deliniret.*

7. Vt certum suppono, quod dum dicimus: Deus dolet, tristatur, indignatur, loqui nos metaphoricè: quandoquidem ex veritate Catholica constat omnibus Deum subjectum non esse mutationibus, aut peregrinas posse suscipere impressiones. Hôc ita concessô, prosequamur discursum nostrum gravissimis dulcissimi Bernardi verbis. Probat hic Sanctus, quòd Deus creaverit magnum illum Baptistam, ut tædium sopiret quod habuerat vel habere voluerat, si non implicaret, ex peccato primi Angeli. Sententiã adducit Isaiæ, qua Vates asserit vidisse se duos Seraphinos ardentes, assistentes ante thronum Dei. Et conversus in apostatam Luciferum mordacibus cum deridet verbis: *Vt quid ergo qui mane oriebaris Lucifer, in veritate non stetisti?* Adesto stultissime, superbissime: numquid naturalibus tibi viribus ascendere præsumpsisti, & esse similis altissimo voluisti? Iusto Dei judicio cadis miserabiliter, & tua te stultitia præcipitat deorsum. Non nego, Lucifer es formosus: porrò tibi persuades quòd Deo deficere possit alius te pulchrior, quô dolorem suum leniat qué ex lapsu tuo concepit? Noveris igitur quòd amicum habeat alium multò fideliorem, aliumque Seraphinum multò ardentiorem, qui nedum oculos tuos, sed etiam omnium sequacium tuorum effugiat. Et quis, obsecro, hic ille fœlix est? S. Ioannes Baptista: *Quàm melius Ioannes Baptista! Siquidem & ipse Lucifer fuit, non sua præsumptione, ne & ipse fur esset, & Latro: sed Dei Patris authoritate præmissus est ante Dominum. Ecce ego mitto Angelum meum. Stat enim Ioannes: neque enim arundo est vento agitata: stat quia amicus: stat quia ardens est, & Seraphin stare describuntur. Verè amicus Sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam: fidelis Lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare velit, sed pronuntiare splendorem.* Quasi dicat: Injuriam tulerat Dei honor ex rebellione superbissimi Luciferi, illam voluit delinire, eôque animo in lucem producit humilem Baptistam: qui licèt humanus Seraphin, & resplendens Lucifer, absit ut velit vel intendat divinos obscurare splendores, ut etiam data opera suos sit occultaturus: ut Sol justitiæ Christus Dominus, verus animarum Sponsus lucere possit, totumque illustrare mundum, tantumque Deo placebit profunda hujus Angeli humilitas, ut refrigerio futura sit molestiæ, qua primus illum affecit.

Isa. 6.

D. Bern. Serm. 3. de Isaia.

Advertit curiosè S. Hilarius, quòd dum summus Sacerdos Christum interrogaret utrum esset Filius Dei, Christus illi responderit: *Tu dixisti*, in præterito, & idem ab eo petenti Pilato præsidi, responderit: *Tu dicis*, in præsenti. D. Hilarius, has ambas inter se conferens responsiones, non leve in eis reperit mysterium: *Per fidem præsentis confessionis, salus Gentium est, quod hoc de se, qui anteà ignorabat, loquatur: quod hi negent, qui anteà loquebantur.* Iam infiniti propemodùm effluxerant anni ex quibus Hebraicus populus confessus fuerat Christum esse Filium Dei, & Regem Iudæorum in sacrificiis, Prophetis, Psalmis, tota lege, sacrisque oraculis: & nunc ea occasione, qua confiteri illum debuerat, 8.

Matth. 26.

Matth. 27.

D. Hilar. Can. 32. in Matth.

tunc

tunc illum negat, & ideo dixit illi Christus: *Tu dixisti*, in præterito. Porrò Gentilis, ut ignorans, nunquàm illum cognoverat, & nunc illum confitetur: idcircò respondet: *Tu dicis*. Itaque qui à tot annis illum adoraverat, modò negat: & qui non agnoverat, modò confitetur. Quibus hæc addo, inhærens utriusque sententiæ collationi, & temporis ex D. Hilario: quòd, nimirùm, Christus Dominus ex industria eodem tempore verba mutaverit, & dixerit quòd Hebræi præteritis illum temporibus confessi fuerant, quem Gentiles in præsenti confitebantur: *Tu dixisti, Tu dicis*. Quasi dicat: Hoc me solatur, quòd si tu Iudæe, qui præterito tempore me cognovisti, modò me neges; Gentilis hic, qui tunc me ignorabat, nunc me confiteatur, & me adoret: ut dolor, quem tu fidei passus naufragiū, mihi causâsti, ex consideratione novorum illorum fidelium attemperetur.

9. In Actibus Apostolorum refertur, quod omnes Discipuli bona sua venderent, & eorum pretium ante pedes ponerent Apostolorum: *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vēdentes afferebant pretia eorum*. Et addit Textus, quod vir quidam nomine Ioseph, quem dicebant Apostoli Barnabam, Cyprus genere (fuit hic individuus comes S. Pauli) possessionem suam vendiderit, & fecerit quod reliqui facere solebant. Cap. sequenti narrat D. Lucas, quod Discipulus quidam nomine Ananias, cum uxore sua Saphira, vendidisset quoq; agrum suum, nec tamen omne pretium ejus, quod acceperat, detulerit, mentitus sit D. Petro, & per ipsum Spiritui S. dicens, hoc omne esse venditionis agri pretium: in cujus mendacii pœnām tam ipse, quàm uxor morte repentina corruerunt. Quæro nunc à curiosis, & qui censentur magìs eruditi: quæ necessitas coëgerit fieri mentionē ejus quod fecit Barnabas: cùm idem fuerit quod reliqui fecerunt? Et quare potius illius quàm aliorum S. Pagina meminerit? Si mihi dicerent, quod ob eandem, ob quam de Anania, & Saphira fit mentio: non congruè loquerentur, quia casus hic magìs narrari dignus erat, cùm in rei veritate casus fuerit particularis, & maximæ instructionis. Dubii hujus enodationem mihi suggerit D. Lucas, & mihi servit tanquàm hujus sententiæ Commentator: perpendit enim, quòd Barnabas significet filium consolationis: *Quod interpretatum est filius consolationis*. Hoc est, vir aptus dare consolationem. Quasi dicat: Hæc causa fuit ob quam ejus in hac occasione mentio fiat: quia si quis ex lectione hujus Historiæ tristaretur, ob repentinum Ananiæ interitum, ex alia parte considerans factum Barnabæ, consolationem acciperet: quandoquidem ipsi Deo solamini fuerit, qui molestiam liniret quam illi malus dedit, delectatione cujus, alius, isque bonus causa fuit. Et idem Christo Domino contigit (inquit D. Ambros.) in conversione boni Latronis, cui hodiè dicit: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso*, quasi mitigans dolorem, quem ex eo conceperat, quòd Iudas Apostolus suus locum subjecto illo præparatum amiserat, ex eo quòd cum peccator intraret, qui prius tantum ab eo obtinendo, Deique gloria fruenda distabat: *Ad quam nos perducat, &c. Amen.*

TRACTA-

# TRACTATVS XX.

## DE LACRYMIS
# SANCTI PETRI.

*Et conversus Dominus, respexit Petrum, & egressus foràs flevit amarè.* Luc.22.

## SALUTATIO.

APud Salomonem in Proverbiis verba nonnulla legimus, prima facie satìs difficilia intellectu, quæ tamen obscuriora fiunt ex variis Interpretum expositionibus: *Septies in die cadet justus, & resurget.* Sed quomodo fieri potest hoc? si justus est, quomodo cadit? & si cadat, quomodo justus est? Iustus est (inquit D. Hieronymus) quia si cadat, velocissimè resurgit, nec ideò perdere meretur nomen justi, qui tanta sollicitudine contendit à casu resurgere: *Septies in die cadet justus, & resurget. Si cadit, quomodo justus? Si justus, quomodo cadit? Sed justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiã semper resurgit.* Sancti, quando peccabant, elocabant se, sed non vendebant. David, quando peccabat, elocabat se, & continuò resurrexit. Idem dicendũ de Primicerio Apostolorum D. Petro, atque in hoc valdè excelluit: nam ad unum signum oculorum Christi se cõvertit: etenim per illos redemptor illi loquebatur, nec aliud necessarium fuit signum, quô datô resipisceret. Fuit sanctus hic, & quilibet justus, velut dies mense Iunio: peccator autem, velut dies mense Decembri. Diebus mensis Iunii nox est serena, & clara, & illicò transit: talis est justus, magnos habet dies: etenim semper piè vivit: si cadat, & noctem patiatur, illicò finitur. Peccator est velut dies Decembris: Noctem habet longam, & diem etiam nebulis, & pluviis obscuram, & quando confitetur, tot impletur impedimentis, ut numquàm clara dies illi splẽdeat. Porrò Sancti, qualis fuit D. Petrus, etiam peccata sua habent lucida, velut mundum corpus, etiam mortuum patet formosum; ita similiter justus in peccato, & lapsu suo ostendit qualis sit: etenim raro peccat, & cum verecundia, & prudentia, & confestim obsurgit majori humilitate, & cautela: nec non statim valedicit occasioni, & hâc sublatâ, divinâ suffultus gratiâ, peccatum suum amarissimè deflet. *Ave Maria.*

---

*Et conversus Dominus respexit Petrum.*

### CONSIDERATIO I.

*Sicut in Deo intuitus officio linguæ fungitur; ita veris obedientibus signa pro vocibus serviunt.*

NArrat S. Lucas tantàm fuisse Christi Redemptoris nostri misericordiam, & benignitatem: ut circumcinctus, & ab inimicis suis ita crudeliter exceptus, quamvìs longiùs distaret,

distaret à Petro, vultum tamen suum ad illum inaduertenter conuerterit, eumque sit intuitus: quo conspectu reduxit illum, lucemque illi infudit, qua peccatum suum agnosceret. Vnde quamprimùm diuini illi oculi, Petri cor penetrarunt, inde statim egressus amarissimè, & perfecta contritione, nec non intimo dolore, quod talem offendisset Magistrum, flere cœpit. Cùm æqualis sit efficacia oculorum Christi virtuti diuini sui verbi, *Christus respiciens in Petrum, vocem dimisit per ipsum intuitum: non eum ore locutus est, sed per oculos dimittens vocem, quasi diceret: Petre &c.* Oculi Saluatoris soles quidam exstiterunt; qui reflexi in Petrum, talis lucis radios evibrarunt, vt Petri tenebras illuminarint: quo factum est, vt recordaretur eius, quod Dominus illi prædixerat: & casum suum agnouit, egitque de eo pœnitentiam.

D. Chrysost. Ho. 9. de Pœnit.

2. Appositè quadrat hîc mystica illa Prophetia Iacob, qui locutus de filio suo Iuda, atque in ipso de Redemptore mundi, dixit: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Metaphorica hæc verba multas patiuntur explicationes, ob difficultatem quæ primo intuitu sese offert: eò quòd inter oculos & vinum non videatur esse similitudo, cuius respectu Messiæ oculi vino comparentur. Magister meus vener. Benedictus Lusitanus in suis moralibus commentarijs, ait similitudinem non in visibili, sed occulto consistere: *Solùm igitur fit comparatio inter efficaciam vini, effectusque, ac inter virtutem oculorum Christi, qui vino longè antecedunt.* Nihil est, quo citius cor elanguens vires recipiat, quàm haustus vini, ob virtutem & efficaciam, quam illi natura concessit. Sed quæ comparatio virtutis & efficaciæ vini cum oculis Saluatoris? quandoquidem vix illos in Petrum deflexerat, iam animi patientem deliquium, quando confestim sibi redditus, culpam suam amarissimè defleuerit, viresque spirituales, quas amiserat, recuperauerit. *Respexisti peccatorem illum, qui ter ausus te suum Magistrum & Dominum negare: subitoq; tuis vulneratus oculis egressus foras fleuit amarè.* Tam efficaces & potentes sunt, vt persuadeant oculi diuini, vt Deus illis vti soleat, quando promptissimam vult obedientiam.

Gen. 49.

Benedict. serm. in cap. 49. Gen. lect. 14. n. 16. 17.

1.

3. Erat Elias (omnibus notum est) vir iustus, intimus Dei amicus; ejus voluntatem implebat, atque in nullo alio sic eminebat, quàm vt in omnibus diuinæ voluntati promptissimè obediret. Porrò notandum, quomodo Prophetæ constaret de voluntate Dei, vel quibus verbis & signis hæc illi significaretur. Si consulamus S. Athan. Episcopum, dicet nobis, ex ipsa Scriptura satis colligi, quod Deus oculis illi loqueretur, & ipsos vates aspiceret; non autem verba attenderet, vt sciret quid sibi in Dei obsequio faciendum esset. Dixit olim: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto.* Quibus verbis docet suam diuinis mandatis conformitatem. Notat prædictus Auctor hæc verba, *in cuius conspectu sto*, duplicem habere posse sensum; licet quantum ad substantiam, in idem incidant: vel quod Deus Eliam semper intueretur, eumque oculis suis, quid muneris sui esset, admoneret: vel quod Elias, cùm iam idioma Domini intelligeret, qui per illos loquebatur, suos à diuinis numquam auerteret, vt in omnibus illi festinus obediret, eiusque diuina mandata compleret: in quo obedientiæ illius eminentia, virtutisque perfectio

3. Reg. 17.

fectio consistebat; quia multo maius est absque comparatione, & maiorem indicat animi promptitudinem seruire signis oculorum Domini, quàm eius obtemperare verbis. Do vobis præfati Præsulis verba sequentia: *Talem se præbere cupiebat Elias, qualem sciebat Dei dignum esse conspectibus: purum corde, & præparatum obedire voluntati eius.*

D. Athana. in hūc loc.

4\. Porrò quod dico signa oculorum Dei sufficere? multò, adhuc minus sufficit vt ei quis obediat. Pastores primi fuerunt, quibus Deus aduentum suum in mundum annuntiari iussit: eo enim fine misit illis Angelum, qui secundùm aliquos, fuit Gabriel Angelus, cuius muneri committebatur id quod spectabat sublimissimum Incarnationis Dei & Natiuitatis mysterium. Apparuit hic cum signis gloriæ, splendidus totus & formosus. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos*: quibus locutus, læta noua de Saluatore nato prædicauit. *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum.* Hic siste gradum; veniunt ab oriente tres Reges eundem adoraturi Dominum, & cultum ei delaturi reuerentialem, tamquam humiles veriq́ue subditi pensum obedientiæ soluentes: & ne quis fortè peregrinam hanc miretur nouitatem, dicunt. Non hoc rapiat vos in admirationem quod agimus, nec quod postmodum agemus, coronas nostras ad pedes vnius pueri demittentes, gazasq́ue nostras vnius puellæ famulatui consecrantes: nec enim casu fortuito venimus, nostram dimisimus quietem, nostraq́ue regna leui de causa deseruimus. Hoc scitote, quod in oriente stellam vidimus, quæ corda nostra in eius paruit amorem. *Vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Reuertamur ad id quod dimisimus, & subtiliter cum D. Chrysolog. differentes huius euentus circumstantias annotemus. Pastoribus Hæbræorum, in quibus omnes significabantur, mittit Deus Angelum, qui sigillatim eis natiuitatem suam anuntiet, signaq́ue det particularia, quibus eam credant: cùm ita sit quod tot annorum centurijs illum exspectarent, haberentq́ue S. Scripturæ testimonia, quibus venturus promittebatur. Principibus autem gentium, quibus nulla erat Dei lex, nulla cognitio, mittit stellam quæ muto suo magisterio doceat illos, & quamprimùm illam viderunt, ac si clarè & distinctè loqueretur illis, itineri se accinxerunt illum adoraturi. Quid hoc? (quærit D. P. Chrysolog.) Oppositum fieri debere, videbatur magis consultum: vt nimirum Pastoribus stella mitteretur, & Angelus Regibus destinaretur legatus. Non capio, inquit; an ignoras Pastores pauca scire, Reges autem esse sapientes? hoc enim significat nomen *Magi*, & non præstigiatores, seu incantatores: vt etiam notauit Imperfect. *in Matth. Magi apud illos, non malefici, sed sapientes intelliguntur.* Igitur Pastoribus vtique rudioribus, ad tam leuem obedientiam, nempe qua de monte descendant in vrbem, diuinum adoraturi Infantem, sunt necessariæ voces, & Rhetorica Angelica, qua ipsis hoc Angelus persuadeat: Principibus verò prudentioribus sufficiunt mutæ voces vnius stellæ, quæ per signa tantum illis loquitur, vt tam onerosam aggrediantur obedientiam: qua sc. de terris suis egrediantur, & per externas proficiscantur mille expositi periculis. Verba Doctoris audiamus: *Pastoribus ortum Dominicæ Natiuitatis annuntians, locuta est vox spiritualium ministrorum: illis stella tanquam lingua cælorum*

Luc. 2.

Matth. 2.

Imperf. Hom. 2. in Matth.

D. Petr. Chrysol. serm. 154.

*lorum, &c. Accedunt ergo illi de proximo, isti veniunt de longinquo.* Cœlum plus fidit obedientiæ Principum sapientum, quàm hebetum pastorum: cùm hos multiplicatis verbis instruxerit, illis autem signa proposuerit, tacitè loquentia, & quid agere deberent indicantia. Symbolum hoc verò obedienti proprium: qui vocibus non indiget, vt diuinam cognoscat voluntatem: sed quodcumque cæleste signum illi sufficit, vt diuinæ cum D. Petro vocationi obtemperet.

5. Vix vitæ ductor natus fuerat in humili stabulo & vrbe Bethlehem, quando in somnis Angelus apparuit Ioseph purissimæ Virginis Sponso, mandans ei, vt cum ipsa, & infante nouiter nato fugam illicò capiat in Ægyptum, qua furentis Herodis tyranni manibus puer saluus eripiatur, (quærebat enim ille animam pueri) maneatque ibi vsque dum aliud insinuet. Omnia Ioseph ad amussim impleuit. Postquam defunctus esset primus ille Diocletianus, iterum apparuit illi Angelus. *Matt. 2.* *Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto.* Notat hic singulariter D. Chrysost. circumstantiam Euangelistæ, quod scil. Angelus Domini apparuerit Ioseph in somnis: an satius non esset, vt loqueretur illi in vigilia: quia multò certiùs cognosceret quid agere deberet, nec vllum illi moueretur ex somno dubium: etenim certum est, quod ea quæ in somnijs audiuntur, malè sæpiùs intelligantur: vnde difficulter perfici possunt? Et proposito dubio respondet: Fecit hoc Deus ex industria: vt tanto manifestius pateret eminentia obedientiæ Ioseph, cui non requirebatur vt iam exporrecto Angelus loqueretur, illique, velut alijs, ex parte Dei diceret, quid eius obsequio conduceret, vt illud impleret; sed imperfecta sufficiebant signa quibus confestim obediret. *Erat vir prorsus fidelis, & manifestiori reuelatione non indigens.* *Chrysost. hic.* Vero Dei seruo necessariæ non sunt aliæ reuelationes manifestiores: sufficit quomodocumque diuina illi voluntas innotescat: vel sit, quod Deus oculis suis hoc illi dicat, sicut D. Petro; vel in somnis reuelet, sicut Ioseph: quocumque modo fiat, diuinas suas audiunt vocationes: ita vt non requirantur repetita verba ad obediendum. In quo summa consistit perfectio resignationis sui-ipsius, & subiectionis diuinæ voluntati: vt quocumque modo hæc illis manifestetur, illam cupiant ad implendum.

Christus omne nostrum bonum è Crucis arbore suspensus pendebat, & 6. notat D. Ioan. quod priusquam moreretur, *inclinato capite tradidit spiritũ.* Primò caput suum inclinauit, & de- *Ioan. 19.* inde tradidit spiritum; cuius oppositum communiter in nobis contingit: primò namque tradimus spiritum, & sequitur capitis inclinatio: porro in Christo aliter factũ est; præcessit enim inclinatio capitis emissionem spiritûs. Intendunt SS.PP. mysterium hoc enodare, & nominatim S. Athanasius, qui *D. Athan. in qq. ad Antioch. q. 78.* mouet hanc quæstionem. *Quidnam illud est: Inclinato capite spiritum tradidit? nam omnes moribundi moriuntur primùm & tunc demum inclinant capita.* Respondet autem dubio suo in hæc verba: *Respondetur: Sola mors adhuc restabat, atque hoc metuens, appropinquare non audebat: ideo Christus inclinato capite vocauit eam: antequam enim inclinasset caput, propiùs accedere verebatur.* Sed huic doctrinæ obijcitur difficultas; nempe quod S. Matthæus *Matth. 27.* dicat: *Iesus autem iterum clamans voce*

*magna expirauit.* Quæ igitur fuit ratio, ob quam mortem clamando non vocauerit, sed solis signis & capitis inclinatione præceperit illi vt accederet? *Inclinato capite.* Non leuis hæc apparet difficultas: verumtamen doctissimè eam resoluit Theophylact. ait enim: Voluit Redemptor noster vt hominum memoriæ tenaciter inhæreret æternum prototypon obedientiæ mortis, quæ in re adeo graui, & quam tantopere metuebat; nimirum, vt vitam tolleret vitæ auctori: opus non habuit vt formali præcepto hoc illi mandaretur: sed satis illi fuit inclinatio capitis, vt licet inuita & proprio damno obediens illum inuaderet. *Ex quibus omnibus patet, quod ipse fuerit dominus mortis & secundùm potestatem fecerit:* q. d. quod in hoc actu suprema Dei potestas innotuerit: obedientia quippe, quæ præstatur viuæ præcipientis voci, & obligantis præcepto, non ita dominium imperantis extollit: illa verò quæ in negotio tam arduo & difficili, visis tantum signis eius, obseruatur, indubiè summam declarat operantis potestatem.

Theophy lact. hic.

7. Modò patet mihi ratio quæ Dauidem mouit, ne biberet aquam, quam tres robustissimi milites illi de cisterna Bethlehem attulerant. Casus fuit hic; Rex in castris versabatur, & siti exarescens optauit haustum aquæ de cisterna Bethlehem; cuius desiderio vt satisfieret, tres exercitûs sui inuictissimi duces & amici integerrimi, per media hostium agmina perrumpentes, aquam hauserunt, regiq́ue sitienti donum attulerunt. Hæsit attonitus rex, & exclamat: O quàm pretiosa aqua, quæ vt mihi adferretur, vita trium militum exposita fuit periculo! Aquam quæ sanguinis periculo stetit, iniquum est voluptati meæ deseruire: Dei tantum obsequio digna est consecrari. *Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere, sed libauit eam Domino.* Sapientes mille considerationes formant hîc sibi SS. PP. sed nominatim D. Ambros. cuius verbis vulgariter relatis, modò nouam & particularem addemus expositionem. *Libauit illam Domino: dignum enim tanto munere fuit, vt quæ erat diuinæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium.* q. d. Dauid in illa aqua considerauit eminentissimam militum suorum obedientiam, qui non exspectato regis sui præcepto, sed audito tantùm aquæ desiderio, manum operi applicuerunt, & oblata paruipendentes pericula, illam regi detulerant. Ait igitur Dauid: Sacrificium ita rigorosum, & obedientia tam stricta soli Deo debetur, ille solus meretur cui visis tantum signis obediamus: reuertatur ad Dominum suum quod eius est: etenim diuina tantum Maiestas, & non humana potest & debet talem recipere obedientiam: & ipsa sola meretur tam fideles, tamq́ue obedientes habere seruos, qui cogitationibus eius obediant, nec opus sit vt verbis præcipiat illis, sed ad vnicum oculorum intuitum illi, velut D. Petrus, obediant: quandoquidem certum sit quod dum Deus intuetur peccatorem, hoc ipso aliquid ab eo requirat vt faciat, sitq́ue hic intuitus vox, qua ad animam eius loquitur, vt se conuertat.

2. Reg. 23

D. Ambr. Apoc. 1. Dauid c. 7.

Deus per Ezechielem loquitur populo Israël, vel animæ in synagoga sub metaphora puellæ, quam fortuitò princeps inuenit vix matris visceribus egressam, nec à sanguine & sordibus mundam, quibus de loco 8.

illo prodire solet infans, in platea iacentem, hominum, imò bestiarum trāseuntium pedibus protritam, quam sic alloquitur: *Vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo: Viue.* Proferant Interpretes suum de hoc casu iudicium, ego, date mihi hanc veniam, opinor diuersas non fuisse actiones, qua Deus vidit Ierusalem statu hoc miserando prostratam, & qua dixit illi: *Viue*: sed quod vtrumque solo intuitu fecerit, idemque fuerit, videre illam, illique vitam infundere. Dolet Deus dum cladem cernit quam diabolus in anima effecit, imagine sua & Sanctissimæ suæ Trinitatis similitudine, videturque oculis illi dicere: Quales fuerunt illæ manus, quæ tibi pulchritudinem tuam, tuamque sustulerunt imaginem? Sponsa mea dilecta quis te veste spoliauit nuptiali, & de thalamo deiecit nuptiali? Quis dona tua surripuit? Quis gemmas sponsi tui furatus est? Quis te dominam, reddidit ancillam? Quis liberam captiuauit? Quis priùs tam pulchram tamque nitidam reddidit carbone nigriorem? Itaque (Auditores) pietas oculorum Dei lapso porrigit manum, & de miseria sua liberat: ea est quæ te seruat ne de malo corruas in peius, & demum in tartara deuoluaris; vnde idem est eius intuitus & subsidium. *Vidi te, & dixi tibi: Viue.* Ita Christus hodie Petrum in consistorio Caiphæ respexit: *Conuersus Dominus respexit Petrum* &c. eiusque misertus est dum columnam illam Ecclesiæ vidit ab ancilla conculcatam: eius inquam, qui paulò antè tanta de amore suo, fideque iactauerat: nunc autem tam leui occasione solo prostratus iacebat: vnde oculis illi dixit: *Viue*: hoc est, vt in morte culpæ suæ non perseueraret, sed illam deflendo, perditam gratiæ vitam recuperaret; vt reipsa contigit: confestim etenim amarè peccatum suum defleuit: vt maneat hæc asserta veritas, intuitum diuinorum Christi oculorum linguam esse euidentissimam & maximè persuasiuam: deinde seruis Dei non opus esse vocibus: quandoquidem quodcumque eius signum illis sufficiat. *Conuersus Dominus respexit Petrum,* &c.

Ezech. 16.

8.

---

## *Egressus foras.*

### CONSIDERATIO II.

*Vt bona mundi reperiantur, oportet ea quærere, vbi perdita fuerunt: porrò fieri non potest vt Deum inueniamus ibi, vbi illum perdidimus.*

EXpendit D. Hieron. egressum Petri de atrio Caiphæ, vbi diuinum suum negauerat Magistrum, vt ageret pœnitentiam de peccato suo, & ait: Aliud facere non potuit Apostolus: si namque locum non mutasset, impossibile fuisset illi inuenire Dominum, vbi illum amiserat. *In atrio Caiphæ sedens non poterat agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, vt pauidæ negationis sordes amaris fletibus lauet.* Festinatò discessit ab illis, qui fuerant illi causa corruendi, atque ab illis velut à peste fugit; sed nec in loco, vbi commissa erat culpa, diutiùs mansit. Quamprimùm Dei gratia cor eius illustrauit, & peccatum agnouit quod fecerat, statim abruptâ omni dilatione locum, in quo stabat, deseruit, & in alium secessit, amarè delictum suum defleturus; & addit Beatus

1. D. Hier. hic.

*Drogo serm. de Pass.* tus Drogo. *At vbi de domo Caipha foras egressus est, in domum Christi intromissus est*; ad confirmationem eius quod hæc docet consideratio: quod ille nimirum, qui Deum prætendit inuenire, quærere non debeat eum, vbi perdidit: modo prorsus opposito rerum aliarum quas perdidimus, quæ solemus inuenire, vbi illas amisimus: Deum autem eo loco quærere non debemus, vbi illum perdidimus, sed loco contrario.

Valde congrua est intento nostro annotatio Arnoldi Carnotensis. Misertus Deus calamitatis Adam, & de eius remedio sollicitus, eiecit eum foras de Paradiso. *Gen. 3.* *Dimisit illum Dominus Deus de Paradiso voluptatis*, vt de peccato suo pœnitentiam ageret. Adam nónne poterat in Paradiso culpam suam deflere? Non, inquit ille. *Arnol. de oper. sex dier. ad fin.* *Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur: quia voluptas & luctus non bene cohabitant: nec delicia & religio ad inuicem complectuntur.* q. d. Sufficiebat vt Paradisus fuisset locus, in quo commissa fuit culpa, vt in illo sperare non possemus eiusdem emendationem. Exeat ergo de loco deliciarum, vbi diuinæ gratiæ tulit iacturam, & in aliam secedat exul regionem: nam sicut in loco non erit, vbi peccauit, ita facile erit ei bonum recuperare perditum: sed quo tempore fuerit in loco in quo deliquit, locum nomenque non potest habere pœnitentis.

2. Si causam velimus asserere expulsionis primi hominis, inueniemus non exiguam eius rationem fuisse, quod commisso peccato se fugitiuus absconderit. Venit Deus diem ei dicturus, & hoc ab eo primum quærit, vt dicat, vbinam sit: *Adam vbi es?* Respondit propriâ conuictus conscientiâ, quæ testis est omni exceptione maior: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* *Gen. 3.* Vocem tuam, ô Domine, cōminatoriam intellexi: quam timens abscondi me. Magna insipientia, ait Hugo de S. Victor. *Hugo de S. Vict. hic.* *Quomodo si in esca inuenisti falsitatem, in folijs requirebas veritatem?* Perdis teipsum, pater mi, dum vitam in ipso loco quæris, qui tibi mortem ingessit. Si in fructu fraudem inuenisti, quid in folijs quæris veritatem? Satis stultè peccas quod te abscondas, protectionem quærens & remedium in eo quod causa fuit ruinæ tuæ & perditionis. Hoc tibi conducit, vt de loco isto fugias, nec ibi sistas, & constanter maneas, vbi occasionem habuisti perdendi Deum: si mediante pœnitentiâ illum satagas inuenire: quare festinanter hinc te proripias, vt tua compleantur desideria; nam ad curandum capitis dolorem infirmo expedit mutare cubiculum & domum. Itaque si in vna parte malum contraxit, in alia quærenda dicitur medicina. Deum in Paradiso perdidisti; in eo quippe anima tua mortalem contraxit infirmitatem: vt autem conualescat, & sanetur, an optimum erit remedium, & medicina salutaris, si in eodem relinquatur loco, vbi mortaliter corruit, & in ipsa parte vbi Deum perdidit? Certè nequaquam. Quare ergo, vel in quem finem te abscondis quasi qui nollet inde egredi? Eia, prodi foras: *Egressus foras*: nec enim magis salutaris præscribitur medicina, nec efficacius vllum remedium, quàm mutare locum, & ab illa parte longiùs abire, quæ tibi causa fuit infirmitatis: Et hoc est: *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso.*

3. Verumtamen vnam obiectionem patitur

patitur hæc doctrina, quæ sumitur ex loco quodam Canticorum, vbi colligi videtur oppositum: *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Verba sunt Amantis Dei, dixero melius Amasij Dei, Sponsi animarum, ad benedictam Sponsam suam, quando gratiarum & virtutum ornata varietate spiritibus cælestibus erat in admiratione, quando accedebat ad delicias cælestis Hierusalem & triumphantis, & ex hac peritura vita progreditur vt æterna perfruatur; sub arbore malo; vbi corrupta est mater tua, tu quoque propter peccatum corruisti mortua, hîc te suscitaui, tibique vitam infudi. In eodem igitur loco, quo perdidit anima Deum, eundem inuenit; ergo non benè dicimus, quod ad inueniendum Deum amissum modus esse debeat oppositus quærendi res quas perdidimus; illas etenim ordinariè ibi inuenimus, vbi eas amisimus. Sed Deus talis non est: si nostrâ namque negligentiâ, nobis perijt, eumque velimus inuenire; eum non inueniemus vbi illum perdidimus, sed alio loco, imò contrario, vt fecit sanctus Petrus.

Cant. 8.

Sed huic obiectioni satisfacit subtilis Honorius, notans verbum hoc; *Suscitaui te*, propriè significare: ibi vim tibi intuli, vt de loco illo egredereris, in quo peccaueras. Hac loquendi phrasi vtitur S. Pagina: *Suscitabis eum quasi locustas.* Quare non hoc dicere voluit animæ Sponsus, quod ibi vitam illi dederit, vbi mortem inuenerat: sed quod illam de loco, vbi peccauerat, eduxerit, vt eam suscitaret: quasi vitam illi dare non posset, nisi ipsa prius inde discederet. *Animam sub arbore malo Christus suscitauit, iuxta illud Apostoli: Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Necessariò requiritur vt anima exeat de obscuro culpæ sepulchro, vt luce diuinæ gratiæ illuminetur: nec enim vita potest in loco mortis inueniri: nec possibile est vt ibi damna sua resarciat, vbi ipsa cum matre prostrata iacuit. *Ibi* (addit Honor.) *corrupta est mater eius in peccato concupiscentiæ, quam Christus adhuc suscitabit, & incorruptibilem faciet.* Primò ponit elongationem à loco corruptionis, & postmodum beneficium immortalitatis: quo docet quàm necessarium sit nobis vnum, vt alterum assequamur: hoc est quanti referat fugere locum vbi Deum amisimus, quatenus illum inueniamus.

Iob 39.

Honor. apud Delrium

Ephes. 5.

4. Misit Abraham seniorem familiæ suæ seruum cum plenaria potestate eligendo filio suo Isaac sponsam, in Mesopotamiam in ciuitatem Nachor patriam & terram natiuitatis suæ: sed instruit illum, monetque contractum ita fieri, vt Isaac filius suus nullatenus teneatur eò proficisci sponsam suam quæsiturus, sed ipsa veniat illum in maritum receptura, & cum eo in domo sua victura. *Caue, ne quando reducas filium illuc.* Ruminant Interpretes sagacem hanc instructionem, qua Oeconomum suum præuenit Abraham, & intentionem conantur asserere, ex qua noluit vt filius suus proficisceretur in Mesopotamiam: imò potiùs sponsa veniret ad terram, in qua tunc morabatur. Et quamuis multas & valde præclaras adferant rationes: ea tamen quæ est Procopij, probat id quo nobis opus est ad nostri

Genes. 24

Procop. hic. stri discursus affirmationem. *Haud fugiebat Patriarcham fore, vt si puella longiùs à paterno genere fuerit submota, & in piam domum deducta, obliuia faceret paterni erroris.* Senex hic Patriarcha tale sibi formauit argumentum, vt viro prudentiâ claro conueniens: Mesopotamia regio est idololatrarum: quod si filius meus eò tenderet, fortasse peruerteretur, & vxor eius parentum suorum infidelium erroribus tenax adhæreret: quæ si locum mutauerit, de terra sua secesserit, atque inter fideles denique amicos vixerit, fieri facile poterit, vt naturalibus renuntiet erroribus, Deo vero credat, seruiat, eumque cum illis adoret. Sed numquid (obsecro) non potuisset Rebecca ibi hanc facere mutationem? Non nego: etenim omne quod non implicat contradictionem, Deus potentiâ suâ absolutâ potest facere, & ibi posset, si vellet, eam conuertere: sed si communem spectemus cursum rerumque ordinem, erat quasi impossibile Deum inuenire, vbi illum perdiderat; quocirca cùm in terra idololatrarum illum perdidisset, ab illa discedat, & ad terram veniat fidelium, vt illum inueniat.

5. Dolens & anxia anima sancta dilectum sibi, dulcemque quærebat sponsum, & non parum afflicta quod illum perdiderat, & inuenire non poterat, notissima illa protulit verba: *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni.* (Cant. 5.) In lectulo meo molli, in quo castè & amicè quiescere solebamus, illum quæsiui, sed eo modo se nunc absentauit, vt eum nequeam inuenire. Et postquam enarrasset quas in via molestias fuisset passa, quomodo eam vigiles vulnerassent, læsissent, & pallium abstulissent, ilico subiungit, quod illum inuenerit. *Vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi. Inueni quem diligit anima mea.* Huius sententiæ communis habet expositio, quod Deus non inter delicias mundique voluptates, sed inter aduersitates laboresque inueniatur. Et hac conuenientia illam explicant Cassiodor. Beda, Anselmus & alij multi PP. sed intentioni nostræ seruit annotatio singularis Brunonis Signiniens. cuius verba profero: *Quæ in lectulo quærit, in lectulo se amisisse cognouit: nemo enim quærit, vbi se amisisse non intelligit.* (Bruno Signini. in hunc locum.) Et certum est quod illum ibi non inueniet, quia ibi eum perdiderat: in loco contrario illum quærere debebat, ne labor suus redderetur inutilis, & sua diligentia effectum non haberet. *Amittitur Deus in mollibus, in delicijs & in noxijs blandimentis, & inuenitur in aduersis.* Conuenientissima est hæc doctrinæ, quam exponimus, confirmatio: qui namque Deum inuenire satagit, in eo non sistat loco, vbi illius iacturam passus est.

Curiosi & docti objicient mihi quod huic sponsæ sententiæ alia ex Psalterio Dauid contradicat: vbi & alia anima sancta fatetur quod illum, quemadmodum & alia, quæsierit, sed statim inuenerit: hoc enim inferunt verba hæc: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & nocte contra eum, & non sum deceptus.* (Psal. 76.) Omnia mihi pro voto contigerunt, nec spe meâ frustrata sum: Deum enim vt optaueram ita reperi. Sed quomodo fieri potest hoc? quod hæc illum tam citò inue- 6.

inuenerit: illa verò, quæ de nocte quoque illum quærebat, & ardenter amabat, non inuenerit? Huius audi
Carpophor. solutionem ex ore Carpophori Commentatoris antiqui & docti. *Quia ista etsi manibus & voce, in lectulo tamen quæsiuit, & in lectulo suo singulari quietem agens; illa autem de tribulatione clamauit & de angustia.* Ratio fuit quod ista manibus & vocibus, id est operibus & verbis sponsum quæsiuit; sed in loco deliciarum & quietis, vbi amittere eum solemus: alia verò, licet verum sit quod nocte & ijsdem quæsierit actionibus; non ibi tamen vbi illum perdidit, sed in alio loco multum diuerso, hoc est in medio tribulationum, vbi qui quærit illum, certam habet eius inuentionem. Quare constans semper manet hæc veritas: quod Deus in molli lecto appetitus inordinati perdatur, & qui illum in eo quærit, diligentiam non adhibet qua inueniat: imò verò maiores vires quibus illum perdat. In loco mortificationis & asperitatis quærendus est vt inueniatur: nec enim inuenitur vbi perditur, si quis illum putet inuenire postquam perdidit.

7. Acumen fuit pium Victoris Antiochensis, quo ponderat quod Angelus in aurora resurrectionis Dominicæ mulieribus venientibus vt Christi corpus in sepulchro quærerent,
Marc. 16 dixerit: *Surrexit, non est hic.* Primo verbo se satis Angelus declarauerat: quare secundum addit vt deuotæ mulieres illum intelligerent? Battologia videtur, siue superfluitas verborum: sed tamen non est, inquit ille; imò verò clarum mysticæ nostræ resurrectionis argumentum: hoc est, quod si quæramus vitam, mutemus locum, & de mortis sepulchro recedamus: nec enim Iesus rediuiuus inuenitur, vbi mortuus erat & sepultus. *Surrexit: vnde hoc notum? Quia non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum.* Ita doctissimus Antiochensis: quibus verbis arbitratur Christum Dominum præfigurasse hîc peccatorem, qui postquam Deum perdidit, vitæ mores mutat vt illum inueniat, & de morte peccati transeat ad vitam gratiæ: quam consequi non potuit nisi loci mutatione, & non viuens vbi antea erat mortuus. Mysterium hoc signant verba hæc, *Surrexit, non est hic.* & hæc quoque, *Egressus foras fleuit amarè.* Etenim de Diuo Petro dicit Diuus Hieron. quod egressus sit de domo in qua magistrum suum negauerat, vt peccata sua deflens emendaret, sciens quàm difficile esset Deum inuenire, vbi illum perdidisset. *Egressus, &c.*

Victor Antioch. hic.

---

## *Fleuit amarè.*

### Consideratio III.

*Petro ad criminum suorum emundationem lachrymæ seruierunt pro baptismo: quandoquidem ita mundus euaserit, postquam illa defleuerat, ac si numquam ea commisisset.*

Cardinal. Petr. Damian. mirabilem hunc expendens effectum quem benignissimi Saluatoris oculi operati sunt in Apostolo qui illum negauerat, præclarissima hæc dicit verba: *Vide quid dicat Scriptura: Respexit Dominus Petrum &c. Respectum* 1.

S. P. Damian. Serm. de S. Martino.

*Christi sequitur fletus Petri, & lachrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat.* Itaque tantum abfuit vt aliquid de pristina virtute & præterita iustitia Petrus amitteret; vt etiam purus adeò sanctusque fuerit, ac si non peccasset: hoc enim significat illa instauratio seu antiquæ reparatio dignitatis.

Insignem nefas est præterire Glossæ Interlin. annotationem. Præcipit Deus in Leuitico, vt in ipso altari holocaustorum, sacrificium pro peccato offerretur, quod ibi sanctum appellat. *Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est.* (Leuit. 7.) Quomodo Deus tale quid præcipis? Ignominia videtur inuri holocausto, quod est sacrificium tui nominis laudi consecratum, quod sanguine misceatur animalis, quod pro delicto moritur illud offerentis. Si animalia personas denotent suorum dominorum, quomodo statuis peccatorem, qui in eodem sacrificio se vt talem confitetur, lateralem cum viro sancto? Audi responsum: magno namque seruit leuamini pro peccatore. (Glossa Interl.) *Quia æquè placet Deo virtus iustorum, & digna pœnitentia peccatorum.* q. d. Ne peccatorem pœnitentem vocaueris peccatorem, sed iustum: non illum reputes reum qui peccata sua deflet, sed sanctum; & nedum sanctum, sed etiam sanctissimum: hoc quippe significat *Sanctum sanctorum*, id est. valde sanctum. Glossa doctrinam hanc hausit ex Theodoreto: sed non aduertit notatu dignius, quod Doctor hic annectit. Vocat hoc ita Deus, & hunc assignat sacrificio locum, *ad demulcendos oblatores: vt cognoscant, se non alienos esse à Sanctis, cum per pœnitentiam sanantur*, & sibi certò persuadeant quod in album referantur Sanctorum, ac si numquam peccato fuissent inquinati.

2. Aliquando notaui mysticum effectum, quem in principe Naaman balnea Iordanis operata sunt. (D. Ba. Orat.) Omnibus innotuit qualiter diues hic, & regis Syriæ minister fidelissimus, leprosus fuerit, veneritque ad Prophetam Elisæum, vt eius intercessione à lepra sua mundaretur. Hoc illi remedium Propheta præscripsit: *Vade, & lauare septies in Iordane atque mundaberis.* (4. Reg. 5.) His acquiescens circumstantijs, abijt Naaman, *descendit & lauit in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli: & mundatus est.* (Hom. 4. §. 26.) Conueniunt SS. PP. leprosum hunc symbolum esse peccatoris: vt etiam aduertit doctissimus Episcopus de Lanuza: nam ea de causa præuidens vates Isaias Christum peccatis nostris oneratum, ait: *Vidimus eum quasi leprosum.* Hic se purificat in aquis Iordanis: id est, secundùm D. Hieronym. *fluuio iudicij*, & veræ pœnitentiæ significatione, in qua de peccatore reo iudicium fertur & iustitia. (D. Hier. in c. 47. Ezech. Isa. 53.) Multa se offerunt hîc notanda: porrò hoc tantum notauero quod S. Pagina dicat de Naaman, *Et restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli.* Mouet autem mihi difficultatem quî fieri possit vt vir maturâ ætate carnem resumpserit pueri paruuli.

3. Ad dubij huius enodationem cogor vti doctrinâ sancti Basilij Magni, quem aliàs citauimus. (D. Greg. Hom. 1. in Ezec.) Notat hic rationem, quam Deus Ionæ reddebat, ob quam parceret ciuitati Niniue, cui tam grauia minatus fuerat. *Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum* (Ionæ 4.)

viginti

*viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam?* Ne tibi videatur (inquit D. Basil.) quod illi simplices & ignorantes, sint pueri; imò viri sunt iam adulti & 
2. pœnitentes: etenim per pœnitentiam ad statum primæ innocentiæ 
D. Basil. Orat. 2. redierunt. *Esto peccatores damnes; quid habes quod recèns natos incuses? Et peccatores facti pœnitentes reuerere, & recèns natorum reuerentiam habe.* Probat autem insigniter conceptum suum: quia quomodo Deus per Prophetam addixit morti Niniuitas, iam inter illos innocentes viuebant pueri, & ex consequenti dicendum quod inculpabiles isti pueri, sint eorum parentes, quibus criminum suorum pœnitentia statum restituit innocentiæ. Nunc igitur intelliges quid S. Scriptura dicat de Principe Naaman: *Et restituta est caro eius, sicut caro pueri*: hoc est, quod anima eius per pœnitentiam ita pura, iustificata mundaque euaserit, ac si fuisset anima pueri, qui nullum admisit peccatum. Hoc mysterium verba prædicta comprehendunt: *Restituta est, &c.* Suprema hæc est pœnitentiæ potestas, qua antiquissimus peccator ad dies illos reuertitur, in quibus nascebatur.

4. Sententiam dixit Salomon in Proverbijs suis primo intuitu difficilem 
Prou. 18. & obscuram intellectu: *Iustus prior,* seu *in principio est accusator sui.* Noui varias ab Interpretibus his verbis expositiones adferri, alijs intentionibus congruas: sed ea quæ D. 
D. Greg. Hom. 1. in Ezech. Gregor. habet auctorem, hîc ad bolidem cadit, suntque præclara eius verba: *Iustus prior accusator est sui: quilibet enim peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse incipit, cùm cœperit accusare quod fecerit.* Quantum sapio, Diuum Petrum oculis mentalibus intuebatur, dum hæc diceret. Peccator iam pœnitens vocari potest iustus, nullâ habitâ ratione status præteriti: tantam enim mutationem facere possunt tam breui tempore lachrymæ pro peccatis effusæ, vt nequissimum peccatorem iustum efficiant inculpabilem.

Eâdem omnino conuenientiâ sumit Diuus Ambros. alia verba Spiritus sancti, eodem ore eodemque calamo Salomonis exarata: si quidem alio sensu illa dixerit: quibus deplorat animam post peccata ita contentam, vt comedat, bibat, viuatque admodum quieta, quasi nihil mali perpetrasset: *Talis est & via* Prou. 30. 
*mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Colligit D. Ambros. verba hæc, & eorum sensum detorquet ad animam peccatricem, sed facti pœnitentem, quæ contritionis lachrymis delicti sui sordes ita mundauit, vt fidenter dicere possit: *Non sum operata malum*: quia per pœnitentiam meam ita purificata sum, tamque pura reddita, ac si numquam peccassem; quinimò putat D. Ambros. hunc esse litteralem verborum sensum. *De hac igitur dixisse Prophetam puto: Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis: quæ cùm se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac planè dictum est, quæ postquam est fonte abluta Saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit.* Et addit quod ex adultera fiat virgo, & innocens de peccatrice. *Hæc enim virtus Christi est Domini: vt quamuis peccator, qui eius se vnda abluerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit ante quod fecit, & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiam*

D. Ambr. ser. 1. de Samaritana.

5.

*centiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitq; virgo fidei Christi, qui fuerat adulter corruptionis peccati.*

6. Fortissimus est conceptus & proposito congruus, quem nunc expono, nisi me fallat scientia. Angelus ille, qui loquebatur D. Ioanni in Apocal. eique mandabat vt Episcopo Asiæ scriberet, hanc illi formam litterarum præscripsit: *Angelo Ephesi.* & statim: *Age pœnitentiam.* Videntur hæc verba, primâ facie apertè sibi contradicere: duo námque dicunt, quæ nullatenus sibi possunt conuenire: quia ex vna parte Episcopos vocat Angelos: *Angelo dic*; & ex altera illis iniungit, vt agant pœnitentiam. Si peccatores sunt & crimina habent, quæ deplorent, quomodo vocantur Angeli? si puri sunt & absque macula, & aliqua turpitudine, sicut illi, quomodo iniungit illis morum emendationem? Optimè proponitur dubium: sed soluet illud doctissimè D. Ambros. *Angelus dicitur, cui pœnitentiæ studium demandatur: vt nihil amisisse de pristinis meritis intimetur.* Vocantur Angeli Episcopi, quibus pœnitentia facienda præcipitur ad consolationem peccatorum pœnitentium: Quasi dicat: Ne despondeant animo peccatores, quia peccauerunt: si namque ante lapsum fuerint virtute Angeli, eo momento, quo dignam de peccatis suis egerint pœnitentiam, ad priorem, quem habebant, statum reuertentur, ac si numquam deliquerant. Ita sententia habet Pet. Damian. loquentis de Petro: *Lachrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat.*

Apoc. 2.

Ambros. hic.

7. Quàm appositè nobis occurrit consideratio D. Ennodij perpendentis beneuolentiam, & affectum, quo pater prodigum filium excepit reuertentem: etenim antequam serui illum viderent, vestiri iussit: vt soli patri pateret eius nuditas, cui tam grauis erat & amara. *Citò proferte stolam primam & induite illum.* Quærit Præfatus Auctor, quam ob causam pater voluerit primam adferri stolam? An alia quæcumque non sufficeret illi qui tam malè se gesserat, & totus laceris vestibus sordidus accedebat? Non, inquit, sed esse debebat prima: nunc per primam intelligitur principalis, nunc antiqua, qua filius in principio splendidus incesserat: per quam intellige gratiam, vel charitatem: etenim quamprimùm illum vidit ex corde contritum, illum excipit ac si numquam aberrasset. *Ad stolam candidum, ad annulum pretiosum, ad diuitias illas paternæ possessionis, quasi semper seruasset iussa, reuocauit.*

Luc. 15.

Ennod. in Euchar. de vita sua.

8. Difficile est intelligere quomodo verificari possit illud, quod Christus Dominus pridie passionis suæ dixit D. Petro: *Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Simon esto vigilans: noueris enim quod Diabolus vos cribrandos expetierit: sed preces pro te fudi apud æternum Patrem meum, vt fides tua semper fixa permaneat. Quomodo esse potest hoc, cùm ex Euangelio constet, quod vix Christus hæc verba protulerat, quando Petrus in fide titubauit? Quæ virtus fuit hæc & efficacia orationis Christi, si paulò pòst hæc columna vacillauit? Respondet huic dubio sanctus Hilarius: *Sed orat, vt Pater saluatos per se, nunc in nomine suo saluet ipse: & adeo saluat vt Petri fides, pœni-*

Luc. 22.

S. Hilar. lib. 10. de Trin.

*pœnitentia subsequente non deficiat.* Non inanis fuit oratio Redemptoris, licet Petrus titubauerit: quia per ipsam Dominus veram illi impetrauit pœnitentiam, quæ Petrum in priorem restituit gradum, tamque pura mansit eius fides per lachrymas, ac si firma semper constansque mansisset. *Luc.15.*

9. Et ita concinnè notauit D. Chrysost. quando Dominus Petrum rigoroso illi subiecit amoris sui examini, & ab eo quæsiuit: *Diligis me plus his?* vt illi oues suas committeret. *Ioan.21.* Quæsiuit ab illo, vtrum iam in præsenti plus cæteris eum diligeret, præteritæ negationis immemor. *Tamquam negationis obliuisceretur, fratrum curam illi committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias.* *D. Chrys. Hom.87.* Tam benignum dulcis Magister se Discipulo pœnitenti præbuit, ac si offensæ in eum commissæ non recordaretur, quando tertiò illum abnegauerat, & debitæ fidei, amorique non respondit: tam amicè tamen illi loquitur, & fidenter, ac si numquam amori suo defuisset; non fuit de merito in Petro culpa præterita, vt illi Christus non faueret: imò verò creat eum gregis sui Pastorem, vt omnibus innotescat, quod culpa lachrymis eluta, quasi non commissa habeatur. Hæc omnia assumptum nostrum efficaciter probant: lachrymas nimirum Apostoli sic eum purificasse, vt tam mundus fuerit, ac si numquam deliquisset. *Ennod. in Euchar. de vita sua.*

8.

*Luc.22.*

*S. Hilar. lib.10. de Trin.*

---

### *Fleuit.*

### CONSIDERATIO IV.

*Prudentem se Petrus ostendit dum criminum suorum veniam peteret, non locutus; sed oculis vsus: lex etenim est prudentium, vt vtilitatis suæ suspectam habeant causam, id quod aliquando damnum illis intulit.*

NVlla refert historia Petrum locutum fuisse, sed obmutuit, linguæ suæ dans voces, & oculis exclamans. Quæro, Qui ad negandum potuit illam soluere, numquid posset eam ad confitendum dissoluere? Dauid pœnitens dixit. *Peccaui*: Publicanus orat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Iob exclamat: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Solus Petrus tacet, ille qui loquendo deliquerat. Non capio. Numquid non audet? Numquid illi spiritus deficit & animus? Numquid peccatum suum leue credidit? Numquid de diuina fidit misericordia? Numquid socordia est & diffidentia? Quis nouus affectus linguam eius inquinauit? Quis obsecro linguam illam verbis priuauit, quæ tam copiosa reperit, vt illis Magistri sui diuinitatem extolleret? Loquatur Petrus in bonum suum, si potuit & nouit loqui in damnum suum: & si locutus est, quando tacere debuerat, quare tacet, quando ratio loquelam exigebat? Certum est, Auditores, mysterio non carere profundum hoc moris Petri silentium, si laudem mereatur flentium oculorum eius elo- 1. *2.Reg.12.* *Luc.18.* *Iob 7.*

quentia. Dicat hæc omnia S. Maximus Episcopus, qui in hac materia reliquis elegantiùs locutus est. *Et ideo Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non crederetur ad confitendum, quo vsus fuerat ad peccandum: & per hoc mavult causam suam flere quàm dicere: & quod voce negauerat, lachrymis confiteri.* Indubiè tam sanctum quàm prudens fuit Petri consilium: ore suo peccauit Magistrum suum Dominum negans: in hac igitur parte ita perdiderat auctoritatem, vt si illam instrumentum suæ faceret confessionis, pœnitentiam suam redderet suspectam. Oculis non deliquerat: vnde illis fidit. Culpata fuit lingua, innocentes sunt oculi: verba fuere proditoria, sed fideles lachrymas effundunt oculi. Sunt igitur lachrymæ gratiæ & remissionis impetratiuæ, si verba culpam attulerint.

S. Maxi. Hom. 3. de pœnit.

2. *Adam vbi es?* Ita Deus primum hominem post peccatum interrogauit. *Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei: Adam vbi es?* Quis hoc non expenderit: quærit Deus, quasi non sciret, cùm de fide sit, nihil infinitam eius latere sapientiam. Mille proferunt SS. PP. elegantias ad huius dubij solutionem. Sed facile hoc mihi soluitur, si supponamus doctrinam Hugonis Victor. quem paulò superiùs aliâ intentione citauimus: nimirum, quod Adam iuxta eandem arborem se absconderit, cuius fructus ei occasio fuerat inobedientiæ: quod S. Textus insinuat: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.* Rogat igitur ab illo Deus: *Adam vbi es?* quasi qui non credat, quod clarè videt, & velut admirans ait: *Quomodo si in esca inuenisti falsitatem, in folijs requirebas veritatem?* q. d. Satis insipienter peccatum commisisti: sed in eo multo imprudentiùs errasti, quod ei te fideris, quod tibi calamitatis tuæ fuit occasio. Si arbor hæc infortunij tui fuit instrumentum, quo sensu tibi persuasisti, inde tibi venire posse bonum? Quomodo speras in eo sanari, in quo peccasti? Quomodo eò velut ad asylum confugis, vbi deliquisti? Hinc foras Adam: nec enim maior dari potest amentia, quàm si homo securus eò reuertatur, vbi vitam illi tulerunt, & Dei sui gratiâ spoliarunt: sicut non potest maior dari prudentia: quàm si quis commodi suspectam habeat occasionem, ex qua certam incommodi sui passus est occasionem.

Gen. 3.

Duas sententias notaui ex Patriarcha Iacob, fortissimum (ni fallar) discursui nostro fulcimentum. Hic Dei famulus ex vna parte molestias patiebatur ex auaritia Tyranni Laban: ex alia plures habebat vxores, multamque prolem, atque à Deo quoad temporalia superaffluenter benedictus. Stat animo nocte discedere, sic vt ignoret socer discessum: rem domesticis suis communicat, & opportunè captaque occasione proficiscitur: *Noluit Iacob confiteri socero suo quod fugeret.* Fugientem igitur Laban assequitur, expostulat, cur fugam illi non indicauerit, & absque eius licentia discessisset; atque inter alia Iacob hanc illi fugæ dedit rationem: *Timui, ne violenter auferres filias tuas; meas nunc vxores.* Notat hic Rupert. Respondit Iacob ad soceri sui obiectionem, quasi stultè fecisset: *Stultè operatus es.* Vt autem illi significaret, 3.

Genes. 31.

ficaret, quod non insipienter, sed sapienter fecisset, hæc illi verba respondit: *Timui*, &c. q. d. Ne stultitiam argueris, sed prudentiam laudaueris, si tibi non fiderem mihi priùs fidem frangenti: mille me calumnijs irritasti, contractum inter nos initum, præuaricatus es: verbo tuo fidelis non stetisti, obsequijs meis non satisfecisti, decies mihi tulisti, quod sudore meo mihi comparaueram, & dare tenebaris: vltra vires laboraui. An ergo magna non fuisset simplicitas, si meam tibi reuelassem determinationem, tanti mali in me commissi reo? Nemo negat: quis enim vnquam stultiùs operatus est, quàm qui beneficium ab illo sperauit, qui tanta illi damna prius intulerat? Timui, tamquam prudens; si namque resciuisses, sicut bona mea rapuisti, ita quoque vxoribus me spoliasses. Nihil cum Laban, soli Deo fidere, in quo nulla potest fraus reperiri. *Quod nescio te profectus sum, non solùm iniustitiæ non est argumentum: verumetiam stultitiæ repugnat, sapientiæ, vel rationis effectus est: stultus namque is iure dicendus est, qui malum vnde sibi sentit imminere, non cauet: ego autem mihi cauendum à te non dubius sciebam: quippe, cùm tu immutaueris mercedem meam decem vicibus. Si igitur mihi non cauissem, vt inscio te proficiscerer, & cælesti meipsum tutelæ committens, & credens custodiæ, quam mihi pollicitus est, tunc ego stultus potiùs, damnis meis arguentibus, inuenirer.* Fusius est originale, quisque sibi inde ea sumat verba, quæ magis placuerint. Rupert. l. 7. c. 43.

4. Quomodo filij Iacob secundò profecti sunt in Ægyptum empturi triticum, fame & panis inopiâ illos acriter vrgente; grauiter apud patrem, at potissimùm Ruben, institerunt, vt traderet illis fratrem suum Beniamin: quia proregi Ægypti polliciti fuerant se eum adducturos, vt Simeonem libertati restitueret, quem vinculis captiuum detinebat. Sed vir sanctus & senex multam illis obiecit difficultatem: & quantumcumque precibus, & rationibus premerent, pati tamen noluit filij discessum. *Non descendet filius meus vobiscum.* Gen. 42. Enimverò causam Textus indicat. *Ne fortè in itinere quidquam mali patiatur.* Pignora sunt hæc amoris Iacob erga Beniamin, quod non assentiat, eum periculo exponi. An ergo non attendit quid alijs in via mali possit euenire: nec periculum, cui vita eorum apud barbaras Nationes exponebatur: & tantum sistit in Beniamin filio formosissimæ Rachel? Sed hoc proposito nostro non militat: illud autem bene, quod acutè notat Theodoret. Nam cùm ita sit, quod tandem omnium petitioni annuerit, tradideritque Beniamin eò cum ipsis abiturum; noluit tamen eum Ruben nominatim fidere. Quare? Cùm enim pater Iacob recordaretur iniuriæ, quam sibi filius hic incestuosus intulerat, veteres canos suos non reueritus, & doctus experientiâ, noluit se periculo exponere, ne malè Ruben custodiret Beniamin: habebat enim eum vt pupillam oculi sui: & quæcumque ei promissa faceret, suamque personam oppignoraret, quod incolumem eum reduceret; non credidit tamen, quod in eo ei placeret, aut esse posset boni alicuius occasio, ille, qui tam graue illi malum intulerat. Theodor. *Iacob hic. filium*

*filium suum Beniamin committere recusabat memor sceleris atque incesti*: ait prudentissimè Theodoretus.

5. Adducunt igitur inuito patre secum fratrem Beniamin, cum eo veniunt in Ægyptum, ad conspectum introducuntur Gubernatoris: quos sic interrogat: *Sanúsne est pater vester senex?* Responderunt illi: *Adhuc viuit.* Attende (inquit Oleaster) non à vobis hoc quæritur: nec formalis est ista responsio: hoc scire desiderat, an sospes sit, supponens quod sciat eum viuere. Satis intelligunt interrogationem, sed ex industria rationibus pepercerunt, & in verbis suis succinctè responderunt, inquit Oleaster: meminerant enim damni ac periculi quod paruâ suâ cautelâ prius incurrerant, & quomodo responderint ad non interrogata: idcirco nunc multo minora respondent, quàm ab illis petatur. *Quia antè liberaliores in verbis plusquam oportet fuerant, interrogatis tantum respondere iam didicerant.* Indubiè hac occasione prudenter se habuerunt, nec linguis suis, nec paucis suis fidentes verbis: quia præsens aderat illius malum quod ex nimia loquela prius incurrerant, docuit illos experientia (vt vnica vice dicamus) prudenter agere, qui prius ex præcipitantia corruerant. Oleast. hic.

6. *Præceptor salua nos, perimus.* Ita Discipuli Christum inuocant, dum ex sæuissima pelagi tempestate mortis periculum sibi formidant, vt refert Sanctus Matthæus. Ilico Surrexit, ventos compescuit, vndas sedauit, & mari dixit: Obmutesce. *Surgens imperauit ventis*: ita vt nullum prætenitæ tempestatis vestigium remaneret: cùm naturale sit mari, paulatim sedari: & ita dicit S. Luc. *Facta est tranquillitas magna.* ita vt Christus non imperauerit ventis, vt abirent, sed tantum vt quiescerent. Hic siste, inquit acumine sibi solito D. Greg. Nicen. & mecum proficiscere in hortum florũ virtutum dilectæ illius Sponsæ Dei, & audi quid dicat Aquiloni, illi infensa ob damnum floribus, herbisque amœni sui horti illatum. *Surge Aquilo, & veni Auster.* Apage hinc Aquilo, nec volo vt intres amplius & perfles hortum meum. Quid hoc est, Sponsa sanctissima? An non tibi satis est imperare Aquiloni vt cesset & à flatu quiescat, vt Christus in simili casu fecit; sed cur præcipis vt abeat, nec amplius in tua societate versetur? An fortassis est hoc velle, vt imperium tuum superet illud Sponsi tui præceptum? Sufficiat tibi vt turbines non excitet, nec velis vt abeat. Age, Spõsam non intelligis (inquit magnus Nicenus;) vt enim propriam nouerat infirmitatem, prudenter se timidam ostendit: quod Sponsus eius ventis imperet vt obmutescant, non autem vt abeant, nemo miretur: diuinam enim fortitudinem euertere non possunt, quantumcumque illi approximent. Sponsa verò se tenellam & debilem considerabat: sciebat autem Aquilonem esse asperum & floribus horti sui perniciosum, quique aliàs non leue intulerat illi damnum. *Ab Aquilone panditur omne malum.* Quare licet in præsenti se compesceret, si non abiret, denuò reuerteretur idem facturus: vnde prudentiam non sapit, bonum ab illo opus sperare, qui tibi tot intulit mala. Dicat, congratulor, Christus turbinibus vt quiescant, qui quamuis maneant vbi erant, illi nocere nequaquam possunt; porrò Spon-

Luc. 8. Cant. 4. Hier. 1.

Sponsa, cui, quia fragilis est, nocere possunt, non eis fidat, dicat illis vt ab horto suo discedant: vt tanto securiùs flare posset benignissimus, suisque floribus fauens Auster. *Non enim eum iubet quiescere, quomodo in maris tempestate iussit Dominus fluctibus quiescere, & silentium agere: sed imperat vt recedat, & fugiat: vt absque vllo impedimento fluat Auster, nullo aduerso flatu obsistente eius impetui, dicens: Surge Aquilo.* Ita præfatus Nicen.

Nisen. Hom. 10. in Cant.

Nonnumquam substiti ad tantam incredulitatem, quantam ostenderunt Apostoli, & nominatim D. Petrus eorum primipilus ad noua sibi à mulieribus de rediuiuo Domino relata. Casus hic erat: Dixerat mulieribus Angelus, quæ venerant ad sepulchrum vncturæ corpus Domini, quod iam surrexisset à mortuis: & confestim cucurrerunt hoc Apostolis nuntiare: & licet eorum nemo crediderit; Petrus tamen minus omnibus illis fidit: etenim (attestante Luc.) *cucurrit ad monumentum*, illud inspecturus, timens esse falsum (vt sunt faciles ad credendum) id quod mulieres asserebant. Quæ ratio obstare poterat, ne Rector Apostolici Collegij dare vellet fidem mulieribus tam læta nuntiantibus? Dixit hoc alius Petrus, nempe Chrysolog. verbis prope miraculum preclaris. *Veteranus Petrus feminam non facile audit feminis nũtiantibus, tarde & vt veteranus deliberat, ne vt puer incurrat.* Experientia magna est magistra: & læsi discimus prudentiã (*De los acuchillados, se hazen auisados.*) Iam Petrus experientiâ didicerat, nec facilè credere voluit mulieribus: qui à tam modico tempore fuerat ab illis deceptus: velut veteranus miles decipi se non est passus: & velut vir cordatus ac prudens, vt suspectam habuit boni sui causam, illas quas damni sui tulerat instrumenta.

8. Ob eandem rationem quando Christus eum examinauit in materia de amore, & ab eo quæsiuit: *Diligis me plus his?* Respondit (vt notat D. August.) illi *Diligis*, & ad illud *Plus*, tacuit: cùm ita sit quod Dominus, non solum petierit ab illo, num eum diligeret, sed plus alijs socijs, hoc est cum differẽtia & singulari amore. *Tu scis, Domine, quia amo te:* non autẽ addidit, *plus his*. Et addit Textus Petrum contristatum: *quia dixit ei tertiò: Amas me?* Indoluit, quod tam arctè funes constringeret: sed plura non dixit, nisi hoc tantum, *Tu scis quia amo te.* q. d. (sic intelligo annotationem D. Augustini:) Heu Domine mi! quàm odiosæ sunt istæ comparationes! & mihi cum illis valde malè successit: recordor enim, quod licet me iactassem, imò promisissem mori me velle tecum, quamuis omnes te desererent: *Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego numquam scandalizabor*: tamen primus fuerim, qui fidei & amori non satisfeci, quem tibi debebam: nolim vt modo mihi simile quid eueniat: hoc expedit, pauca loqui, dicere sufficit: *Tu scis quia amo te.* An non aduertis quàm parcus quamque prudens sit in lingua, sibique timeat? *Non addidit plus his*: idcirco tantum: quia semel illum lingua decepit: suo nos exemplo docens, vt semper suspectam habeamus nostræ salutis causam, id quod damnationi nostræ seruiuit instrumentum.

Ioan. 21.

Matth. 26.

*Fleuit amarè.*

## CONSIDERATIO V.

*Lachrymæ eo tantum fine creata sunt, vt criminibus impendantur: earum autem detorquet inclinationem, qui illas extra hanc necessitatem impendit.*

1. MAlorum omnium maximum culpa est: quia bono omnium maximo priuat, nempe Deo: & cùm Deus possit, quæ potest, non tamen tantum potest inferre malum: omne namque tartari malum, minus est illo, & valde pauca nouit ille, qui leuioribus pœnis vlceratus, & grauibus oneratus culpis, dolenter nimis deflet pœnas, & peccata leuiter pertransit. Quapropter ne in tam grauem labamur errorem, docet nos Spiritus S. exemplo Sanctorum, vt eos imitemur: si namque velut infirmi ceciderint, vt prudentes surrexerunt, & lachrymas suas nouerunt dignis impendere studijs: cùm illas non effuderint ob iacturam facultatum, honoris, sanitatis, vitæ, aut rei alicuius temporalis, vel creati respectus; sed quia diuinam offenderunt maiestatem; & tales fuisse prædicamus D. Petri lachrymas. *Audi igitur* (ex D. Chrysostom.) *vt Petrus amore Christi victus, ardeat, & animæ, & vitæ, & omnibus rebus illum anteponens, quem dum abnegasset, non ob supplicium luxit, sed quod, quem amabat, eum se negasse videret.*

D. Chrys. Ho. 5 in Epist. ad Rom.

2. Mysterijs abundat illa maledictio (secundùm grauissimos Doctores) qua Dauid montes Gelboe perstrinxit. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: &c. Ibi abiectus est clypeus fortium, &c. Omnes montes in circuitu eius visi, & Dominus; à Gelboe autem transeat.* Quales sunt istæ imprecationes, quærit Theodoretus? Quo iure potest montibus istis maledicere, talemque imprecari pœnam, si nullam in morte Saul & clade exercitus Israel habuere culpam? Inordinatus admodum videtur hic eius dolor ex morte Sauli inimici, quo non habuit infensiorem, qui vitæ illius toties insidias struxerat, & cuius interueniente morte periculis omnibus iam liber euaserat. Quis iucundior Dauidi dies illuxit, quàm ille, in quo pacificam regni Israel possessionem iam obtinebat? Quomodo igitur tam effusus in lachrymas, ob mortem inimici? Respondeat Theodoret. *Admirari oportet Prophetam & Regem maleuoli viri audita cæde: non solum luxit, sed etiam acerbè est lamentatus.* Hic scopus non fuit, quò lachrymas suas Dauid collimabat, temporalis scil. mors aulis: hanc enim mundanus quilibet lugere poterat: sed altiora mens eius ascendit. Planxit Dauid Saulem in peccato mortuum: nec tantam vim habuit Regni sui certitudo, qua lætaretur, quantam condemnatio Saulis, qua tristaretur.

2. Reg. 1. — 4. Reg. 28 — Theodor. q. 3. in 2. Reg. — D. Hier. ep. 25. ad Paul. de obitu Blesillæ.

3. Alius procedat locus Dauidis eidem intentioni non minus opportunus. Notat maximus Ecclesiæ Doctor Diuus Hieron. quod Spiritus sanctus dicat, quod supposito, quod Dauid tenerè diligeret filium primogenitum ex Bethsabee natum, & consequenter non minori affectu vitam

4.

eius habuerit: vt satis ostendit ex pietatis operibus, quibus ex toto corde iucumbebat, dum langueret infirmus: attamen dum ei mors pueri denuntiatur, cilicium exuit, quod induerat, lachrymas absterſit, parerique ſibi mandauit menſam iam totus alacer. *Nunc autem* (reſpondet) *quia mortuus eſt, quare ieiuno?* Porrò dum intelligit Abſalonem filium in bello cecidiſſe, planctum edidit amarum. *Aſcendit* cœnaculum portæ & fleuit: *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon: quis mihi det, vt ego moriar pro te?* & morte mea vitam tibi redimam? Quid hoc? inquit Diuus Hieronymus; fierine poteſt vt Dauid plus contriſtetur de morte filij proditoris quàm innocentis pueri? Non capio. Hic amor ordinem non ſeruat, nec iuſtè dolorem ſuum impendit. Illi quod hoc ita conſiderat, videtur ſic eſſe; porrò ne Regem ſanctiſſimum impedias: ſatisfacit enim muneri ſerui Dei verique patris. *Scribitur Dauid iuſtè fleuiſſe filium parricidam, qui alium paruulum, quia ſciebat eum non peccaſſe, non fleuit.* Defleuit Dauid mortem Abſalonis filij vtique in malo ſtatu mortui, non autem temporalis vitæ iacturam: vitam animæ planxit quam perdiderat, & non mortem corporis, quæ vtrique contigerat. Doleat grauiſſimè Dauid filium, qui moriens damnatur; lætetur autem in morte innocentis, qui ſaluatur.

2.Reg.1

2. Reg. 18

Theod. q. 3. in 2. Reg.

D. Hier. ep. 25. ad Paul. de obitu Bleſillæ.

4. Neſcio an aliquis attenderit illi maledictioni, quam Iob primo natiuitatis, imò etiam conceptionis ſuæ diei imprecatus eſt. *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.* Audit illum Diuus Ambroſius, & quaſi admiratur, quod ſanctus hic vir illi maledicat diei, in quo minus habuit quod doleret, & non vitæ ſuæ diebus, in quibus aduerſitatum, calamitatumque diluuia paſſus eſt? Reſpon. Ratio fuit quod ſicut dies quibus Iob vixit, dies fuere ſpirituales, hoc eſt dies impeccabiles, in quibus nullam commiſit culpam, ob quam diuinam perderet gratiam, ipſomet teſte: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*; idcirco nullam oſtendit triſtitiam, eò quòd illis vixerit; verumtamen dies conceptionis eius & natiuitatis, fuere dies, in quibus anima ipſius erat peccato inquinata: illos autem ſolummodo dignos cenſet omni dolore & triſtitia. *Nam quod maledicit diei, dicens: Pereat dies in qua natus ſum, ad prophetam pertinet: pereat, inquit, dies ſæcularis, vt dies ſpiritualis oriatur.* Non inhæret Iob malis pœnæ quam patitur vt ex illa contriſtetur (ita D. Ambr.) ſed malum expendit culpæ quam defleat. Paratum habebat reſponſum, vt alius prudentiâ clarus conſulebat, ad omnium bonorum temporalium iacturam. Ad diuitias ita reſpondebat: Noueram caducas eas eſſe & perituras; ad honorem: Præſciebam illum à me auferre poſſe eum qui dederat. Ad mortem filiorum & amicorum mutationem: Nec hoc me latebat, eos eſſe homines, ac proinde mutabiles & incõſtantes. tantum in amiſſione bonorum ſpiritualium lachrymas neſcit reprimere, neſcit mitigare dolorem: hoc eſt, *Pereat dies in qua natus ſum.*

Iob 27.

D. Ambr. l. 4. in Luc. ad c. 4.

In Pſalterio ſuo deſcribit Propheta Rex profectionem filiorum Iſrael, quando captiui deducebantur in Babyloniam. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Quando pedites & diſcal- 5.

Pſal. 136.

 ceati,

ceati, victorem sequentes ad verticem montis accessimus, ex quo Babylonia videbatur, eiusque apparebant fluuij dulcem renouantes memoriam pulcherrimæ nostræ Sion, sedimus & fræna lachrymis laxauimus, exilium nostrum plangentes, quibus lachrymæ itineris erant leuamen. Duo hîc curiosè notauit Os aureum Diuu. Chrysostom. vnum, quod non leuiter & modico tempore fleuerint, sed diu: vt denotarent copiosas, quas effundebant lachrymas: aliud autem, quod temporalem non deflerent tribulationem quam patiebantur: sed absentiam à domo Dei, quam propter

D. Chrys. cit. à Mendoza in l. 1. Reg. c. 24 n. 22. in exposit. litt.

peccata sua meruerant. *Quasi damnum temporale multo leuius, quam spirituale sustinerent.* Quo probatur eos non afflictos fuisse ob damnum corporale, sed spirituale planxisse: non mala pœnæ molestè ferebant, sed culpæ tantum sentiebant, optantes diuinæ gratiæ posse restitui, qua demerito suo carebant. *Fleuimus dum recordaremur tui Sion.*

6. Ecclesiasticus rem dicit notatu di-
Eccl. 22. gnam. *Luctus mortui septem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* q. d. Qui moritur, septem dierum meretur luctum: sed peccator (& stultus toto vitæ tempore plangatur. Satis acutè perpendit Cardin. Vitriacus distinctionem quam Spiritus S. ponit inter mortem eius qui moritur, & mortem peccatoris: ac si non esset mors illa vnius ac alterius: quandoquidem velit vt lachrymæ illius suos habeant limites, alterius verò nullam admittant mensuram. Vult autem indicare, vt eum qui corporaliter moritur, septiduo lugeamus: illum verò, qui secundùm animam, quamdiu vixerit. *Magis enim dolendum est & lugendum de his qui per peccata egrediuntur, quàm de his qui corporaliter moriuntur. Vnde Ecclesiasticus luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ eorum:* & meritò; nec enim leuem saperet amentiam, tam molestè lugere corpus, de quo decedit anima, & non deflere animam, ex qua Deus decessit.

Vitria. Dom. 6. post Pent. serm. 6.

De se testimonium perhibet Daniel, quod oculi sui fontes essent lachrymarum, nec placeret illi cibus aut potus, nullumque corpori suo iam fatigato daret refrigerium quando socius populi Hebraici captiuus sub potestate tenebatur Assyriorum, ita vt trium hebdomadarum spatio à lachrymando se non contineret. 7.

Dan. 10.

*In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum: sed neque vnguento vnctus sum.* Quærunt Interpretes, quam ob causam Propheta tam amarè luxerit? Quia licet verum sit, quod absentia patriæ sit molesta, & memoria familiaris aëris semper occlamet, certum tamen est hanc rationem ibi non valuisse: quia licet extorris esset, Regi tamen erat familiaris, honoribus & beneficijs, si quis alius, ita promotus, vt materiam haberet sufficientem qua pœnas suas alleuiaret, & mœrorem à corde diuerteret; sed nec ratio illi suppetebat, dolendi pro populo: quia ea occasione qua lugebat populus, iam Daniel litteras habebat libertatis, & saluum conductum reuertendi in terram Israël: occasio hæc erat magis populum recreandi quàm lamentis eum prosequendi. Quænam igitur tanti luctus ratio? Illam dat Theodoret. ad litte-

litteram, & proposito nostro conformem. *Verumenimverò si quis hæc singula diligenter examinaret, hæc eadem comperiet Danieli doloris caussa fuisse; cùm enim Rex omnibus quicumque cuperent, libertatem ac reditum in patriam concessisset, complures, qui sibi in Babylone domos construxerant, earum quasi vinculo devincti, neglecto in patriam reditu, externam patriæ regionem prætulerunt. Hoc itaque beato Danieli maximum attulit luctum.* q. d. Si rem penitiùs inspiciamus, sufficientem habuit Daniel causam vt Ieremiæ lamentationes assumeret: quandoquidẽ oculis suis cerneret quod eo tempore, quo nonnulli gratia vtebantur illis à rege concessa, qua in pristinam vindicabantur libertatem, illorum multi ita malis libenter inhærebant, & opibus quas ibi congregauerant ita captiui afficiebantur, vt mallent ibi captiui viuere quàm liberi in terram natiuitatis reuerti. Cùm autem Propheta sciret societatem & communicationem malorum admodum esse contagiosam: nec non intelligeret propensionem qua Hebræi ad Idololatriam inclinabant: certissimè sibi persuasit futurum, vt facilè moribus eorum se conformarent inter quos viuebant, ritusque barbaros & gentiles sequerentur. Hoc autem grauiter indoluit: hæc ei causa lamentandi, non temporalis captiuitas, cui voluntariè se subijciunt, sed spiritualis animarum, quam illis, vt prudens, formidabat; idcirco tribus hebdomadis in luctu perseuerat. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus:* quo doceamur peccata tantum deflere, siue propria, siue aliena, siue realia, siue imagnaria: etenim perditio Dei malum est adeò grande, vt quascunque effuderint omnes lachrymas, extra illam rationem, minus bene impendantur.

Theodor. Orat. 10. in Danie.

8. Modò causam noueris, ex qua Christus Dominus ore Dauidico lamentatur, quod neminem repererit in tribulationibus suis consolatorem. *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.* Gratissimum mihi fuisset in acerbissima passionis meæ tempestate, si inter tantos saltem aliquis mei fuisset misertus: porrò nullus mihi condoluit, nec vir aliquis verbum locutus est consolationis. Quid ais Domine mi & animæ meæ Redemptor? Ita Diuus Augustinus. Numquid piæ illæ mulieres Ierusalem dolebant & flebant, quando transeuntem te amaritudinis plateam inspexerunt? Nónne sanguineas effudêre lachrymas tuam intuentes innocentiam tam acerba pati, tam iniustè torqueri? Imò lachrymas eorum abstersisti, & effundi interdixisti. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, &c.* Qua igitur veritate dicis: *Et sustinui qui simul contristaretur,* & lachrymis meis se socium adiungeret, & non inueni? Textum intellige, inquit Diuus Augustinus *qui simul contristaretur.* In illo Aduerbio *Simul* latet conceptus quem quærimus, quod significat *ex eadem causa.* Ita Doctorum Aquila. Non inueni qui ploraret, séque affligeret ob eandem causam, ob quam ego dolebam & plorabam: lachrymæ filiarum Ierusalem ex naturali oriebantur compassione, vel feminea teneritudine; compatiebantur enim mihi super id quod corporaliter tolerabam; sed super peccata non flebant, propter quæ actualiter patiebar, & ploraui etiam in Cruce

Psal. 68. Luc. 23. D. Aug. hic.

Hebr. 5. ce clauis confixus. *Cum clamore valido & lachrymis.* Quocirca licet in flendo & dolendo conueniemus: caussæ tamen sunt admodum diuersæ: fundebant illæ lachrymas tormenta mea lugentes: à quo ego tantum aberam, vt non nisi peccata plangerem. Docet nos exemplo suo Saluator studium, cui lachrymas nostras debemus impendere, propria deflentes peccata: quandoquidem hic tanta pateretur pro alienis. Iacturas temporales non plangamus: cum per lachrymarum media sunt irreparabiles: sed animæ damna lugeamus cum Apostolo Petro, vt, sicut ille gratiam, quam ex Dei offensa perdidimus, recuperemus.

---

### *Fleuit.*

### CONSIDERATIO VI.

*Qui sincerè peccata sua dolet, per totam vitam lachrymas fundit: illas etenim tantum hic & nunc fundere, nihil est aliud, quàm interstitium facere doloris peccatorum.*

1. QVoties in pulpitum ascenderunt verba S. Leonis Papæ, quibus congratulantur Apostolo Petro de lachrymis, quas effudit: quia tam felices, vel ipse propter illas tam felix, vt seruierint illi pro Baptismo. *Felices lachrymæ tuæ, sancte Apostole, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere Baptismatis.* (S. Leo de Pass.) Communis sententiæ huius explicatio ea est, quam docet Grammatica; hoc est: quod sicut per Baptismum mundatur anima à peccato originali: An Petrus amarè flens per pœnitentiæ lachrymas, ab actuali fuit debito purgatus. Optimè dictum. Sed opinor ego verba hæc Summi Pontificis mysterium aliud multo sublimius includere; nempe illud: Felicitas lachrymarum Apostoli hæc fuit, quod ita aliquando cœperit flere, vt numquam à flendo destiterit: imò ita ab oculis erant inseparabiles lachrymæ, ac si fuissent character indelebilis, illi similis, quem in anima imprimit Sacramentum Baptismatis. Ne verò videatur conceptus hic in aëre, nulloque niti fundamento, memini legisse me similem loquendi modum apud Diuum Ambrosium, explicantem Psalm. 50. (Ps. 50.) in quo Dauid peccata sua deflet, & fatetur: *Peccatum meum contra me est semper*: vel *coram me est semper*: nam ita legit littera Originalis. Verba Diui Ambrosij sunt sequentia: *Habet ergo culpa characteres suos, & apices quibus proditur,* fixos & impressos. (D. Amb. Apolog. Dauid c. 26. & 29.) Si recurramus ad Theologos, cum D. Thom. & ab illis quæramus, Quid est character, quem tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt? Resp. *Est signum quoddam indelebile in anima*: (D. Thom. p. 3. q. 50. a. 4 ad 3.) hoc est, signum impressum indelebile & permanens, quo distinguitur & cognoscitur ille, qui hæc recepit Sacramenta, ab eo, qui illa non recipit: qualitas est in anima, ita radicata, vt etiam post mortem & in inferno perseueret, supposita breui hac & concisa doctrina Diui Thomæ: dum dicit Diuus Ambros. quod culpa habeat characterem, non affirmat quod peccati reatus, velut character perpetuò maneat animæ impressus: sed quod iustus, postquam sibi remissa scit esse peccata, ita gratus sit, vt numquam è me-

moria sua sinat culparum suarum labi recordationem, vt eas defleat, quasi numquam sibi fuissent remissæ. Et hoc indicat Euangelista, quando de lachrymis D. Petri dixit: *Cæpit flere*: incepit flere; non dicit, quod à fletu destiterit, tunc, aut alio quolibet tempore: sed tantum, quod inceperit: quia nullum habuit balneum hoc terminum, donec illa vita finiretur: nam fuerunt lachrymæ interruptæ, sed continuæ tota vita Petri durantes.

2\. Mysterijs abundant verba illa Dei ad Adam diuini præcepti transgressorem: *In laboribus comedis.* & statim Gen. 3. adiungit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* hoc est, quod in sudore vultus sui panem suum comederet. Ratio nunc occurrit dubitandi: Si Deus illi dixerit, quod in laboribus comederet: vt quid modò repetit, quod semel illi dixerat & ait: *In sudore vultus tui pasceris pane tuo?* Multa hic SS. PP. congerunt: ego verò inhærens doctrinæ Philonis Alexandrini, arbitror, quod Dominus hic duplex cogitauerit alimentum, quo homo post peccatum indiget ad sui sustentationem, conforme duplici vitæ, qua viuebat, animæ & corporis: & huic conuenienter Deus illi dederit alimentum mortificationis & pœnarum animæ, & panis corporis: q. d. Idem effectus, quem panis efficiet in corpore, eundem operabitur in anima pœnitentiæ & austeritatis vitæ seueritas. Vel etiam (quod maximè proposito nostro seruit) quod sicut pro modulo vitæ dirigitur alimentum, & tantumodo per mortem finitur: ita quoque de peccatis pœnitentia finem haberet cum vita. Hæc omnia videtur Philosophus his verbis indicasse. *Equidem existimo laboris, cibiq́, eandem esse vim: nam sicut à cibo tota vita pendet, ita à laboribus, quidquid in rebus bonum est.* Philo l. de sacrif. Cain & Abel. Et conceptui nostro multum fauent addita verba Creatoris, *omnibus diebus vitæ tuæ.* q. d. quod pœnitentia illius non interrumperetur, sed per totam vitam remaneret.

Sacrum Eloquium perseuerantes narrat lachrymas Jacob Patriarchæ 3. ex imaginaria morte filij sui Ioseph, quas dicebat se socias habiturum vsque ad mortem. *Descendam lugens in infernum.* Gen. 37. Nota S. Veteranum verbo suo stetisse, quando quidem nullum lachrymis dederit interstitium, quo tempore nesciuit Ioseph superviuere: labitur annus vnus, sequitur & alius, nec modum ponit lachrymis. Spiritus sanctus narrans calamitates varias fatalesque successus, quos Ioseph iuuenis perpessus est, quomodo venditus fuerit semel & iterum, & cætera quæ notissima sunt: ad finem cap. 37. notat quod patris Iacob lachrymæ non fuerint abstersæ, quo tempore Ioseph abfuit. *Eo autem perseuerante in fletu,* &c. Clausulam hîc noto non notatam ab Interpretibus, nisi à solo Caietano, qui mysterium hîc inuenit, firmissimam nostri discursus approbationem. Notentur subsequentia grauia verba: *Narratur, quod fecit pater, ad differentiam aliorum qui à luctu cessarunt.* Non sine graui mysterio aduertit Spiritus sanctus Iacob nullam fecisse lachrymis suis interpolationem, vt illas à falsis filiorum suorum discerneret: q. d. Sicut lachrymæ boni patris erant filiæ intimi doloris cordis sui humillimi, ob perditum filium Ioseph:

seph: ita ea de causa pluribus durarunt annis; lachrymæ porrò fratrum, vt erant fictæ, quas non amor, sed dolus elicuerat, vt patri suo complacerent: ita idcirco modico tempore durarunt, atque post diem vnum aut alterum nullum in eis doloris vestigium, aut pœnæ videbatur apparentia: sunt lachrymæ fictæ, illæ, quæ facillimè siccantur, & veræ sunt illæ, quæ durant & perseuerant: Tales esse debent veræ pœnitentiæ, quæ de corde prodeunt humiliato & contrito, quale nouimus fuisse Petri Apostoli.

4. Aliquando indicaui (primò tantum intuitu) Magdalenam certa quadam occasione, circa bonam educationem, & nobilium vrbanitatem deliquisse: nimirum quando mœstissima plorabat ipso die resurrectionis Dominicæ: quando apparuerunt illi duo Angeli, percunctantes: *Mulier quid ploras?* Illa verò respondit: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Notat autem D. Ioannes, quod his dictis statim Angelis terga verterit. *Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum.* Quid hoc sanctissima Domina? vbi leges? vbi vrbanitas? numquid fortasse sibi repugnant virtus & vrbanitas, sanctitas boniquè mores? planè non; imò verò optimè conueniunt, & sunt serui Dei vrbani valde, & iusti benè ciuiles. Quomodo ergo in hac modo delinquis vrbanitate? Quid esse potest, quod terga vertas Angelis, & illos audire nolis nec videre? Cupio doceri. Ego igitur, inquit Origenes, Magdalenæ factum defendam. *Si causam Angeli non ignorant, pro qua ploro; cur dicunt mihi: Quid ploras? An ideo me interrogant, vt me plorare prohibeant? quæso, non hoc mihi suadeant, non hoc moneant: alioquin interficient.* Quia licet peccata mea mihi sint remissa, non idcirco à plorando desistam. *Cœpit rigare.* Nam si lachrymæ peccatricem me de morte peccati reuocarunt ad gratiæ vitam; nunc cùm propter illas viuo, timeo, ne denuo moriar, si plorare desiero; *alioquin interficient.* Quocirca si Angeli satagant meas abstergere lachrymas, in vanum laborant: quia ob eam causam videre illos & audire non sustineo. *Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum.* Non sunt temporales lachrymæ meæ, sed perpetuæ, & proinde vitæ totius comites indiuiduæ.

Ioan. 20. — Origen. Hom. in hunc loc. — Luc. 7.

Alia nunc consideratione placet expendere casum Naaman, quem paulò superiùs trutinauimus. Venit in terram Israël Princeps hic vt miraculosam impetraret salutem, Dux Regis Syriæ. Vidit illum à longè venientem Vates Elisæus, quem ille quærebat, cui Deus causam aduentus eius reuelauit, & antequam accederet locuturus, misit illi sequentia nuntiari. *Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Modò nobis opus balneo septenario, quod Propheta Principi Naamam ad salutem præcepit. Iam diximus Consideratione 3. Iordanem symbolum esse pœnitentiæ, iuxta doctrinam Diui Hieronymi citati. Nunc autem expendo septenariam lotionem illi præscriptam à Propheta in mystico illo fluuio: *Vade & lauare septies in Iordane.* Stupendum est hoc negotium: violentum & admodum forte esse debet hoc lauatorium 5.

4. Reg. 5.

septies

ſepties repetitum: an vtile non foret, ſi fortè non toties lauarer? Nequaquam, reſpondet Doctiſſimus
*Lanuza* Lanuza: ſepties lauetur oportet, id
*Hom. 42.* eſt perſeueranter, totaque vita. Sup-
*§. 26.* ponit doctrinam S. Gregorij, quod
*D. Greg.* *Numerus ſeptenarius ſignificat vitam*
*Hom. 33. in Euan.* *noſtram*; quæ ſeptiduo hebdomadæ voluitur. Tota igitur vita perſonare debet de offenſo Deo contritio; ne vera non ſit pœnitentia. Myſterium hoc includit ſeptenaria Naaman lotio in Iordanis flumine. *Vade & lauare ſepties in Iordane.* Hæc omnia
*VValric.* prior dixit Walricus Doctor anti-
*apud titel. in allegor.* quus. *Si tamen ſepties lauet, totumq́; ſe plenius & ſæpius mergat, non moratur ſalutis effectus: ſed prô dolor! quantaq́; eſt noſtri temporis miſeria: quia ſi ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundati! At Eliſæus non ita ſentit, ſed ſignanter exprimit: Septies lauare, & mundaberis.*

6. Modò rationem ſciemus quare fidelibus legis Gratiæ, quorum vita eſſe debet perpetua pœnitentia, proponatur Iob ex veteri Teſtamento & in nouo Saluator noſter. Huic conformiter declarat D. Thomas illam ſententiam S. Iacobi in Canoni-
*Iaco. 5.* ca ſua. *Sufferentiam Iob audiſtis & finem Domini vidiſtis.* Oculos conijcite in patientiam Iob, qua tot pertulit aduerſitates, & in finem quem illæ habuerunt, quas Chriſtus pertulit. Nos monuit (inquit Doctor Angelicus) vt intueamur finem laborum Iob: quia in hac vita finem acceperunt, atque in ea Deus illos remuneratus eſt, duplicata reſtituens illi bona, & ſalutem multò validiorem. Vide, inquit, patientiam Iob vt illam imiteris, & finem Domini attende, qui in hac vita præmium laborum ſuorum non accepit: imò verò hi ſemper incrementum ſumpſerunt, vſque dum in Cruce moreretur. Eodem planè modo ferenda tibi eſt Crux pœnitentiæ vſque ad mortem, nec animo frangaris: hoc enim ſignificat illud *Sequatur me*, quod nobis proponit Euangelium. Præclariſſima lubet audire verba Doctoris
Angelici. *De Iob & Chriſto ſpeciali-* *Matth.*
*ter exemplificat: quia horum duorum* *16.*
*patientia laudabilis eſt; Iob in veteri* *D. Thom.*
*Teſtamento, Chriſtus in nouo. Quo-* *hic.*
*rum vni reddita ſunt temporalia, alteri æterna. Sufferentiam Iob audiſtis, quanta ſcilicet ſuſtinuit, &c. & finem Domini vidiſtis, in Cruce pendentem, longanimiter patientem.*

Ne precor faſtidio ſim, ſi denuo 7.
proponam locum ex Eccleſiaſtico,
quo nos docet: *Luctus mortui ſeptem* *Eccl. 22.*
*dies; fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* An non ſufficit eodem modo deflere peccatorem, quo mortuum? Non, inquit Cardin. Vitriac. defunctus enim ſeptiduo & ſtatuto tempore lugendus eſt: peccator autem, qui Deum offendit, iuſtum eſt, & rationi conſonum, vt tota vita ſua plangatur: & tantum, quando hæc finitur, ceſſet dolor & de
delicto eius ſatisfactio. *Magis enim* *Vitriac.*
*dolendum & lugendum de his qui per pec-* *Dom. 6.*
*catum egrediuntur, quàm de his qui* *poſt Pent.*
*corporaliter moriuntur.* Fundantur *Serm. 2.*
felici omine lachrymæ prô iactura vitæ temporalis: ſed quæ pro peccatis effunduntur, ſint velut characteres indelebiles.

Olim dixit Chriſtus dilecto ſuo 8.
Diſcipulo S. Ioanni; quod fideles primitiuæ Eccleſiæ Epheſinæ plurimum ſibi placerent, eo quod muneri ſuo perfectè ſatisfacerent: ſed referre multum illos admoneri, vt ſemper lachrymis inſiſterent: hoc erat,

vt recordarentur se aliquando deliquisse. *Sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam.* Sibi sumit locum hunc inuictus Christi Martyr Cyprian. & rationem inuestigat huius Saluatoris nostri admonitionis: & ait: Sæua exorta est in Ecclesia persecutio, & postmodum pullulauit etiam tempore S. Cypriani cum magno animarum detrimento; sciendum est, quod lachrymæ pro peccatis cessare deberent eo momento, quo reus pœnituisset. Cæterùm igitur errori huic & adeò pernicioso obuium præmaturè monet & docet in memoria nostra perpetes esse debere culpas, earumque pœnitentiam: ita vt numquam ille lachrymas suas abstergat, qui semel Deum offendit. Cyprianum Rhetorem audiamus: *Impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, vt lamentatio conquiescat, vt dolor sileat, vt delicti memoria euanescat, vt comprimatur peccatorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum grauiter offensum, longa & plena pœnitentia deprecemur: cum scriptum sit: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam.* Nihil amplius intendit diabolus, quàm de anima nostra præteritorum contra Dei Maiestatem criminum extirpare memoriam, vt eorum pœnitentiæ non recordemur. Porrò suadet nobis fides, docentque nos exempla, quanti referat in ea semper perseuerare, semperque lachrymas fundere ad exemplum Apostoli Petri: cuius lachrymæ fuerunt, vt diximus, charactericæ. Tales quoque sint oportet omnium fidelium: cùm omnes deliquerimus & omnes quoque ad æternæ vitæ gloriam adspiremus. *Amen.*

*Apoc. 2.* — *D. Cypr. de Lapsis.*

---

# TRACTATVS XXI.

## DE MANDATO.

*Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.* Ioan 13.

### SALVTATIO.

VErba hæc, seu melius dixero, ardentes amoris diuini carbones agunt de discessu, & vltima valedictione Christi Domini nostri discipulis suis, cùm iam ad illam accessisset horam, in qua transiens per mortem crucis, ad Patrem reuerteretur. Cùm autem eius diei dolor spectaret magis ad Euangelistam, qui illum describit, eique præ cæteris tenaciùs inhæsit, velut discipulo præ cæteris à Domino magis dilecto: non miror, quod ordinariè velut Aquila reliquis superuolitans Euangelistis, in huius

validictionis argumento, superet seipsum. Licet consideratâ mysticâ huius historiæ relatione, imaginem eius aliquam in sacris Litteris inueniamus. Patriacha Iacob ad mortem se præparans, vt vidit illam iam vicinam, velut homo timuit, multumque trepidauit: sed cum tantopore, diligeret filium suum Ioseph & intelligeret eum adesse, vim talem sibi intulit, vt licet pulsu debili & animâ ad discessum preparante, surrexerit tamen & in lecto resederit. *Confortatus sedit in lectulo.* Quam eius actionem expendens Diuus Chrysost. ita fatur: *Vides quomodo amor erga filium senem firmabat, & alacritas vincebat infirmitatem*: q.d. Vires illi ministrabat amor, & licet morti traditus, animum resumpsit, quo confortatus assurgeret, & sederet in lectulo, in quo velut pulpito cœpit duodecim filijs suis, quos tenerè diligebat, prædicare. Notat S. Pagina, multumque extollit heroicum robur amoris fortissimi Iacob, iam ad mortem tendentis: in figura veri Iacob Christi Iesu Magistri nostri & Domini, nec non totius omnis nostri boni: de quo scribit Euangelista, quod dum morti iam traditus esset, nouas amor eius vires resumpserit contra ipsam mortem: tunc amor illius se feruentissimum ostendit, quando mors iam erat in ostijs: tunc cœnam filijs, quos affectuossimè noster diligebat Iacob, instruxit: tunc ab illis discedit: tunc lauat illis pedes: tunc benedicit: tunc prædicat: tunc dona confert illis eminentissima, & Sacramentum exhibet Corporis & Sanguinis sui: ditissimum fuit hoc depositum thesaurorum & deuitiarum gratiæ. *Aue Maria.*

*Gen. 48. D. Chrys. apud Lipoman.*

*Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat.*

CONSIDERATIO I.

*Non mouebat ad dolorem Christum ipsa mors, sed absentia: vt enim ita hominibus afficiebatur, acerbiùs illum affligebat discessus ab eis, quàm ipsa mors.*

PRædicare contendit Diuus Augustinus amorem Dei erga homines, quantique illos faciat: atque in eum finem metaphoram adfert prudentiæ suæ conformem, & licet multis notam, à paucis tamen intellectam. Idem est (inquit Diuus Augustinus) Deus animæ, quod anima corpori. *Sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus est.* Non tantum vult dicere, quod sicut anima dat corpori vitam, ita Deus animæ vitam det: sed hoc potissimum docere intendit: animæ nihil ita placet, & in tota natura gratum est, quàm in proprio suo morari corpore, dando illi esse, vitam, motum, & omne, quod habet, bonum: quia hoc est proprius eius locus, ad quod tantam habet, naturæ propensionem, quantam lapis ad centrum, & ignis ad altiora: quocirca quamuis Deus illam vniret adamanti, vel parti cæli, vel splendidissimæ stellæ; imò etiam ipsi soli: non esset contenta, sed semper quasi vim pateretur, si extra corpus suum esset. Constans est hæc adeo doctrina, vt idem August. dicat, quod etiam postmodum exposuit D. Thomas, quod animæ Sanctorum in cœlo 1.

*D. Aug. l. 3. de ciuit. Dei c. 15. & l. de Nat. & grat. c. 16.*

*Aug l. 12. de Gen. ad lit. c. 35. D. Thom. 1. 2. q. 4. Art. 5.*

lo regnantium, & per consequens, quarum appetitus iam satur est, & impletum desiderium: semper desiderent vniri denuo corporibus suis: idque eo modo, vt si aliquid posset in aliquo infinitum diluere gaudium, hoc foret, quod se videant corporibus suis non vnitas, in quibus earum singulæ, velut in centro suo requiescunt. Hinc est, quod numquam anima primò agat de deserendo corpore velitque ab eo discedere: si primò nulla præcedat contraria dispositio, quæ ex parte corporis illam eijciat; velut grauis infirmitas, qua spiritus vitales suffocantur, quibus conseruatur, vel cor opprimatur, vbi illa sedem habet, vel caput vulneretur, vbi magis operatur. Hanc igitur secutus doctrinam dicit Diuus Augustinus: *Sicut vita corporis, anima est, ita vita animæ Deus est.* q. d. sicut animæ nihil est iucundius quàm manere in corpore: ita Deo maiorem nihil adfert lætitiam, quàm in animabus nostris habitare. Locus hic est eius habitationis, lectus eius quietis, & centrum eius recreationis: & quemadmodum anima hoc fert molestissimè, quod à corpore elongetur: ita Deus (nostro loquendi modo) ægerrimè hoc patitur, quod abesse debeat ab animabus nostris: hoc quidem in quantum Deus est: nam in quantum homo, non sistit hic amoris sui eminentia: *Cùm dilexisset suos:* quia infinito quoque illi constat, quod corporali hominum præsentiâ careat.

2. Euangelista non sine mysterio circumstantiam scribit temporis, quo Christi amor tam extraordinarios ostendit amoris modos: nimirum ea potissimùm hora, in qua transiturus erat ex hoc mundo ad æternum Patrem. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Non dixit (vt notat doctissimus Brixianus) *sciens quia venit hora eius, vt moreretur*: sed *vt transeat*: hora qua discederet: quo declaratur, Christum in hac hora grauius afflictum, eò quòd suos, quos diligebat, deserere deberet, quàm pro illis mori. Nec tibi videatur hæc esse hyperbole: vt enim docet D. Thom. primus amoris affectus est vnio: nec quidquam ardentius amantes diligunt, quàm vnionem; & consequenter nihil ita formidant quàm diuisionem, vtpote contrariam vnioni, quam tantopere desiderant. Hoc ita verum est, vt etiam in sensibilibus, quorum amor non est verus, sed naturalis, idem experiamur: si namque perpendamus, omnia, ex diuisione & elongatione ab eo, quod amant, cruciantur. Hinc guttæ ceu lachrymæ vitis & arborum quando resecantur: hinc fragores in diruptis nubibus, quos vocamus tonitrua: hinc tremor, ceu terræ motus cum diruptione ædificiorum: omnia hæc amorem clamant ex diuisione rerum quas amant, & qualis est dolor in elongatione: tale quoque est omnium desiderium reuertendi ad vnionem: itaque maxima molestia inter amantes, est absentia. Est, vt doctissimus quidam dixit, amici absentia, desiderij incrementum, & quo quis desiderat aliquid ardentiùs eo grauiori dolore caret eius præsentia. Et cùm esset Christi amor erga nos homines perfectissimus: idcirco grauiter ita tulit ab illis separari, vt mortem illi postposuerit. *Vt transeat, non vt moreretur.*

*Brixian. hic.*

*1. p q. 20. a. 1 ad 3. 2. 2. q. 28 a. 1. in Cor.*

An-

Annuntiatur Patriarchæ Iacob mors dilecti filij sui Ioseph: vltra modum indoluit, & licet vndecim alij superstites essent & sani, nulla tamen in hoc suo dolore admittere voluit consolationem: lamentis se dedit, protestatus, se his vsque ad mortem vacaturum. Hoc verbis illis indicauit (vt credo Ruperto:) *Descendam lugens in infernum: id est cum vita mea præsentem finiam luctum.* Modernus quidam Auctor locum hunc expendens ait: Tam difficile erat & operosum amantissimo patri, viuere absente filio suo dilectissimo, vt mortem optaret, qua interueniente filium suum videret, eiusque aspectu gauderet: q. d. tanto tempore lugebo, donec moriar, & vadam visuris filium meum, cuius absentiam habeo intolerabilem. *Tamdiu lugebo, donec descendam ad Infernum mortuus, & videam filium meum.* Ita vt inter duo hæc mala constrictus, mortem & absentiam, Patriarcha mortem potiùs elegerit, vt minus malum arbitratus mortis calicem bibere, quàm charissimi sibi filij carere præsentia.

*Brixian. hic.* *Gen. 37. Rupert. hic.* *1. p q. 20. a. 1 ad 3. 2. 2. q. 28 a. 1. in Cor.* *Arbor vitæ Concion. concept. 90.*

4 Quando Dominus Deus delere voluit Hebræos adorationis vituli reos, opposuit se defensorem Deo Moyses, illique loquitur, si non inordinata libertate, mirabili saltem confidentia: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* q. d. Domine mi, nisi populo peperceris, amodo tibi dico: moriar etiam cum illo, & nolo amplius esse amicus tuus. Quid hoc Moyses sanctissime? tam eligis mori potiùs cum populo, quàm viuere sine illo? feruens indubiè hic amor est, inquit Oleaster: quandoquidem minus censeat tormentum pati mortem, quam ab eo populo separari, quem ita feruenter amabat. *Magna huius viri erga populum charitas, vt velit de libro Domini deleri, si ei peccatum non admittatur.* Ad quid vitam ego desidero (ita Moyses) si illi morituri sunt, & ego sine illis victurus? præstat semel mori, quàm absque eorum viuere societate, quos ita dilexeris. *Oleast. hic.*

Quam insignis proposito nostro locus? *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis: nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit illam, quæ perierat, donec inueniat illam?* quam cum inuenerit, caulas adit aliorum pastorum, eisque immensum suum communicat gaudium. Locum hunc expendit Vener. Beda, notat autem quod pastor, quia ouem vnam perdidit, totum relinquat gregem, & ita perditam quærat, ac si omnes perdidisset: & hoc non communi modo, sed inuentam proprijs ferat humeris, tanto suo labore, tantaque lætitia. Per nonaginta nouem oues intelligit V. Beda nouem choros Angelorum, quos diuinus Pastor reliquit in monte Cæli; & per ouem errantem, hominem perditum. Notandum quod Christus cælum appellet desertum: vt enim homo culpâ suâ fuit illo eiectus, & Deus esset absque homine, quasi in deserto fuit & solitudine: cùm autem amor eius non pateretur vt esset absque societate hominum, de cælo descendit in terram, passurus & moriturus, eo tantum fine, vt hominem possessioni, quam perdiderat, restitueret. *Dimisit nonaginta nouem oues in deserto, qui illos summos Angelorum Choros reliquit in cælo: Cur* 5. *Luc. 15.* *Beda. hic.*

*autem cœlum desertum vocat, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem homo deseruit, cùm peccauit.* Et notes (ad confirmationem eius quod discursu nostro quærimus) prærogatiuas, seu potius extrema amoris Dei erga hominum genus: cùm enim nouem haberet Angelorum Choros, à quibus in Cælo colebatur, & adorabatur: solus homo tantum illi defectum causauit, & ita solum se sine homine Deus arbitratus est, vt hæc duo sibi repræsentans, vel mori, vel hominem non habere secum, mortem potius passionemque elegerit, vt eum ad cælum reduceret, haberetque sibi socium, quam non moriendo, non patiendo, sine illo manere velut in deserto: quasi Deum grauior crux affligeret hominis absentia in cœlo, quàm illa, in qua crucifixus expirauit.

6. Magnificum inueni apud Diu. Basil. Seleuc. conceptum, & argumento nostro id omne quod optare possum. Expendit Sanctus hic attentissimam & feruentissimam Christi Domini orationem ad Patrem in Horto Gethsemani. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* (Matth. 26.) Quid hoc audio Deus meus, & Dominus vitæ meæ? Vbinam feruida illa mortis desideria, quibus diuinum tuum & amorosum cor inardescebat? An fortè hoc est de numero esse illorum, qui in pace sunt leones, & in bello cerui? Non credidero: nouit enim Redemptor meus sibi mansuram victoriam, & infernum esse vincendum. Vnde præsumo, inquit, quod ista retrocessio, illa quæ videtur socordia, timor sit quo veretur ab hominibus separari. Nouit Dominus, & certus est, quod mediante morte suâ resurrectionem corporis sui gloriosi sit obtenturus: quam statim subsequetur Ascensio in cœlum anima & corpore: quodque homines eo interim tempore mansuri sint in terra: qua de causa mortem diuertit, quia timet in cælo sine hominibus inueniri: turbines non metuit cruciatuum qui ipsum manebant: eos enim à multo iam tempore desiderauerat; sed suorum absentiam, quos tenerè diligit: hæc illum grauiùs affligit. *Quid causa est, cur si euidens est victoria, recusetur passio? An vt ascensum præpediat, Christus passionem subit illubens?* (Basil. Seleuc. Orat. 32.)

7. Si bene memini prima amoris eminentia, quam mundus audiuit, ea fuit, quam Adam pater noster vxori suæ testatus est. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ.* (Gen. 2.) Loquitur hic Adam pro se, & alijs, vt acutè notat Tertullian. Pro alijs dico: quia cum Adam non haberet patrem, non matrem, quos relinqueret, propheta fuit amoris alieni, hoc est, filiorum suorum & posterorum; (Tertull. de velar. Virgin. c. 5.) & cùm Apostolus Paulus magnum inueniret fundamentum, quo amorem hic probaret Christi erga Ecclesiam suam, dixit verba sequentia: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* (Ephes. 5.) Porrò non minorem ego inuenio cohærentiam, melius dixero maiorem repugnantiam (si hoc primâ facie consideretur) quia licet clausula secunda huius impletionis, assistentia nempe & præsentia Christi cum Ecclesia sua, fuerit maximè suprema & intima, cui nulla potest alia comparari, potissimum autem in Vener. Sacramento Altaris, in quo ne

Deus

Deus fidelibus suis desit, sui-ipsius infinitas fecit præsentias, quod nemo fecit, nec facere potest; nihilominus deserere patrem & matrem ob amorem Sponsæ, rigorosè loquendo, non poterat Christo conuenire. Quomodo relinquere poterat Patrem suum: cùm vnum sit cum illo? *Ego & Pater vnum sumus.* Amare & præsentem se sistere Sponsæ suæ, actus est libertatis, qui esse & non esse potest. Porrò non relinquere, nec diuidere se à Patre, actus est necessitatis, qui non poterat non esse propter identitatem naturæ, in vna & altera persona: Quomodo igitur quod non potest diuidere se, relinquet se, & quod non potest relinquere se, diuidet se?

Ioan. 10.

8. Bifariàm huic dubio respondent Interpretes: quidam sequentes D. Hieronym. alij D. Laurent. Iustinia. qui vt Apostolicam hanc doctrinam saluaret, & eius difficultatem dissolueret, ad illud recurrit, quod S. Theologia, fidesque Catholica nos docet de identitate & vnitate diuinæ naturæ, & distinctione Personarum: atque ex huius consequentia dicit: *Propter hanc relinquet homo &c. Nempe Dominus Iesus Dei & hominum mediator, ipse est qui ob amorem Sponsæ immaculatæ Ecclesiæ, reliquit in cœlo Patrem suum, reliquit & matrem, dum Synagogam, de qua carnis trahens originem, propter infidelitatis demeritum repudiando contempsit, suæq; adhæsit vxori, cùm in Cruce pendens, dato sanguinis pretio, atque aquæ lauacro, sibi eam inseparabilem copulauit: cui etiam pro amoris pignore, proq; fœdere maritali, corporis & sanguinis sui Sacramenta concessit: vt non solum in spiritu, verum etiam essent duo in carne vna.* Nosti in quo melius hoc Adam oraculum verificetur? In mediatore Dei & hominum Filio Dei Christo Iesu, qui amore ductus, quo Ecclesiæ Sponsæ suæ afficiebatur, Patrem suum reliquit, mutauit cœli ornamenta, in humilem hominis habitum, & priuilegia infiniti pensionibus humanis dissimulauit: præterea & matrem suam reliquit Synagogam in pœnam pernicaciæ suæ & infidelitatis. Et tunc Sponsæ suæ se vniuit, quando ligno Crucis affixus illam sanguine suo pretioso purificauit, sibique arctissimis amoris vinculis copulauit. *Cui etiam* (Notate verba.) *pro amoris pignore, proq; fœdere maritali, Corporis & sanguinis sui Sacramenta concessit: vt non solum in spiritu, verum etiam essent duo in carne vna.*

Laurent. Iustinia. de triũphali Christi agone. Idem Chrysost. & Aug. in Glossa & alij.

Arbitratur Patriarcha Venetus, quod hac via amor Christi vnicus erga fideles suos, qui sunt eius sponsa, satis extollatur: & locus Diui Pauli, cum eo qui, Genesis est, bene sit comparatus. Sed multò sublimiorem nobis suggerit conceptum D. Hieronym. non vsus Theologicis distinctionibus. *Argumentatur Apostolus exemplo Adæ, tanquam de impossibili:* q.d. Tantus fuit amor Christi, quo desiderabat manere cum hominibus, & Ecclesiæ suæ continuò assistere; vt si in illo possibilis foret separatio, seu non vnio cum Patre, illum relinqueret, ne amori & vnioni cum fidelibus suis deficeret: & cùm rescindere deberet alterutram præsentium, vel Patris, vel Sponsæ, mallet prima priuari, quàm carere secunda: ita vt, quod nunc asserimus (ad argumenti nostri probationem) amorem 9.

rem

rem & assistentiam Sponsæ suæ, Dei Verbum pluris fecerit, quàm reliqua omnia: & pro conclusione, quod (si possibilitas hoc pateretur) Patrem relinqueret in cœlo, ne assistentiam & præsentiam in Sanctissimo Sacramento cum suis fidelibus in terra relinqueret; cùm enim illos tam feruenter diligat, cor eius nullam tolerat ab eis separationem: vnde supposito, quod absentia tam carò illi constet, vt eam ipsâ morte molestius ferat: *Vt transeat* ad eius alienationem, manet cum illis in Sanctissimo Sacramento, procurans omnimodo possibili, structissimam & maximam propinquitatem.

10. Cuncta hæc amoris pignora nobis hodie proponit Mater nostra Sancta Ecclesia: vt boni simus gratique corrèspondentes, & immemores adeo manifestis non deficiamus obligationibus. Intellexit Christus, ex nuntio sibi misso per Martham & Magdalenam sorores Lazari, quod hic ad mortem infirmaretur. *Ecce quem amas, infirmatur*: quare dixit Discipulis suis: Reuertamur in Iudæam, cui respondent: *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Desere Iudæam & moriatur siue non moriatur Lazarus, illum non videas. Audit hoc Sanctus Thomas, & verba Christi suscipiens confidenter ait: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Vener. Beda animo sum hoc Thomæ propositum attendens, fidei eius constantiam multum extollit, & eminentiam prædicat amoris; in quo cum hinc occurreret illi mors, & illinc Magistri sui absentia, censuit vt omnes illi comites adhærerent, vtpote minus arbitrati damnum, eius amore mori, quàm tam dilecti Magistri carere præsentia. *Sed Thomas præ omnibus socios hortatur, vt irent & morerentur cum eo, in qua magna eius videtur esse constantia.* Perfectio est hæc indubiè magna, & digna quam omnes imitentur fideles, supremo alioquin amori Christi Domini nostri iustissimè debita; & vinculorum exoneratio quibus deuincti sumus: quandoquidem nos tam ardenter amauerit, vt illi non mors grauissimam intulerit mœstitiam, sed à suis absentia cor eius vlcerauerit. Et hæc ratio fuit, ob quam Euangelista Ioann. absentiæ, seu transitus eius faciat memoriam, tacitè mortem præteriens. *Sciens quia venit hora eius, vt transeat.*

Ioan. 11. — Beda hic.

---

*Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.*

## CONSIDERATIO II.

*Christus vt eum amaret, à quo patiebatur iniurias, vsus est sapientia sua: quia solus hic amor adeo sapiens tantam perferret ingratitudinem.*

1. AD altiora stylum suum extollit hic Sanctus Gregorius mysticam hanc considerans connexionem verborum Euangelistæ: etenim vix dixerat, quod Dominus suos diligeret, & statim adiungit, quod probè nosceret sibi omnia à Patre suo tradita, & non solum hac vice, sed tertiò repetit, *Sciens, Sciens, Sciens*: in quo Sanctus Gregorius insignem eructat conceptum. *Ecce in manu persequen-*

S. Greg. l. 3. mor. c. 11.

*sequentium iturus, sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat: qui enim omnia accepisse se nouerat, constat, quia & ipsos, à quibus tenebatur, tenebat; vt ipse in se ad vsum pietatis intorqueret, quidquid eorum contra se malitia permissa sæuiret.* Nouerat Christus Dominus, cuius infinitam sapientiam nihil latet, quod sibi Pater potestatem super omnia tradidisset, & consequenter super inimicos suos, quibus tradendus erat: & præsciebat quod ab eis esset crucifigendus: nihilominus hac noluit vti potestate, seuerè puniens eorum malitiam, sed piè, sed modestè calumnias sustinens: quo demonstrauit se pari gradu sapientem esse & patientem: semper enim optimè comites sibi sunt patientia & sapientia: & solus ille qui multâ pollet sapientiâ, vires habebit vt offensorem suum diligat. Veteres Philosophi iactabant se velut patientes, eorumque præclarissima insignia erant patientia & tolerantia. Porrò Diuus Cyprianus videt illos, vtpote dolo deceptos; cùm indubitatum sit, patientiam annexam esse sapientiæ, & tantum, quando hæc non esset falsa, vera futura est illa: & sicut Philosophi falsam habebant sapientiam, ita nec veram habere poterant patientiam, quantumlibet se patientes gloriarentur. *Hanc sectari Philosophi profitentur: sed tam illic patientia falsa est, quàm & falsa sapientia.* (D.Cypr. l.de bono patient.) Sola sapientiæ Christianæ prærogatiua animosam confirmat patientiam, fortemque tolerantiam.

2\. Nonnumquam expendi metaphoram, qua vtitur Spiritus sanctus, comparans Ecclesiam turri Dauid in arce Sion (de illa namque fit hîc mentio;) huius autem meminit sacra Pagina & veteres Historiograghi: (2.Reg. 5.) cuius pulchritudinem & eminentem structuram tantum admirata est antiquitas. *Sicut turris Dauid collum tuum, qua ædificata est cum propugnaculis.* (Cant.4.) Et addit turrim hanc plenam esse clypeis munitamque scutis. (Ioseph. l. 6. de bel.Iud. c.6.l 7. de antiq. c.7.& l. 14.c.26.) Pagnin. ex Hebræo transtulit: *Ad docendum transeuntes*: q. d. Turris hæc officio fungebatur Magistræ, & docebat transeuntes: atque idcirco intelligunt nonnulli sermonem hîc fieri de Doctoribus & Magistris; hi namque defendunt Ecclesiam. (Cor.Tac. an.21. in descrip. Hierus.) Modò conceptus meus aperitur. Si hac turri denotabatur Ecclesia, Præceptores, & viri sapientes; quare non alijs armis, nisi solis clypeis muniebatur? Alij suffragium suum ferant: ego sentio rationem esse, eo quod (Pagn. hic.) turris sit sapiens, turris quæ doceat, cui non conuenit alia bellorum habere instrumenta quàm clypeos, scuta, thoraces, armaque defensiua, quibus sagittas glandesque excipiat inimicorum: hoc est, habeat patientiam, qua toleret persecutiones, ad confirmationem eius, quod ille maiorem habeat patientiam, qui maiori pollet sapientia: & ille solus qui multum sapiens est, est & multum patiens.

3\. Dum Iacob Patriarcha morti iam proximus, duodecim filijs suis benediceret, benedicturus Issachar, hæc illi verba dixit: *Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod esset bona, & terram quod esset optima, & supposuit humerum suum ad portandum.* (Gen.48.) q.d. Iuxta communem Sanctor. Interpretum expositionem Issachar inescatus quiete, & fertilitate terræ, vtpote pinguissimæ, seruum se reliquis Tribubus subiecit,

cit, & velut fortissimus asinus humeros suos labori submisit: quod significat; fortes habent oportet humeros ad patientiam: nullum etenim pondus, nullumque datur onus cui se, ex sua electione non addicat. Modò quærit doctissimus Magister meus Benedictus Lusitan. In quo plus cæteris Tribubus laborauit Issachar? Et intentioni nostræ valde conformiter respondet: *Hebræi tradunt hanc Tribum Issachar studijs sapientiæ deditam fuisse, idq; ex l. 1. Paralip. c. 12. colligunt, vbi hæc ipsa scribuntur. De filijs quoque Issachar viri eruditi, qui nouerunt singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israël.* Quandoquidem nota sit causa laborum eius, sufficit quod habeatur eruditus, vt videatur ex labore fatigatus. Omnes eum persequentur, & tribulationes sustinebit: sed arma habet optima, cùm sapiens sit, benè præmunitus est clypeo patientiæ, vt ictus glandesque retundat aduersariorum; & præterea reliquos docet quid eis agendum referat ad salutem.

Benedic. Ferd. hic. Sect. 14.

4. Scribæ & Pharisæi, dum Redemptor noster eijcit dæmonium è miseri hominis corpore, accedunt, petuntque videre signum: quibus mansuetissimus Agnus respondet inter alia: *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ, &c.* Quod Regina quoque Austri, & viri Niniuitæ in die iudicij accusabunt affectatam eius ignorantiam: quandoquidem in quibusdam tantam inuenerit obedientiam ad mutationem simplex vox viri vulgaris & Hebræi, in habitu vili & abiecto, qui eiectus de cœlo voce clamorosâ desolationem inimicæ ciuitatis præco nuntiabat. Et sicut Regina Saba venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, quamprimùm hæc ei nuntiata fuerat. Ipsi verò cum præ manibus oculisque haberent Iona meliorem, & Salomone sapientiorem,, non ei tamen, quam debebant, detulerunt auctoritatem. Hic sisto quod Saluator noster sapientiam suam conferat sapientiæ Salomonis: *Ecce plusquam Salomon hic.* Vt autem detur intelligi, in quo præcedat sapientia Saluatoris, probare necesse est in quo prærogatiua Sapientiæ Salomonis consisteret.

Matth. 12.

5. Si Sac. Textum inspiciamus, inueniemus quod Spiritus sanctus illam laudans, dicat: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.* Hoc est (secundùm communem SS. Interpretum sententiam) dedit illi cor magnanimum ad præclara opera, expensas magnificas & immensas. Ædificauit castella, turres; plantauit hortos, nemora, eduxit fontes, stagna, familiam habuit multam nimis, seruos & ancillas: beneficia contulit amplissima, nullus hoc reprehendit: porrò melior occurrit mihi expositio ex Philone Alexand. ratio quoque conuenientior, quare sapientia Salomonis comparetur arenæ maris ventorum turbinibus expositæ, vbi dissolui frangique solent, quando furor eorum solet esse sæuissimus. Quid hoc habet mysterij, quærit hic Philosophus, quod S. Scriptura sapientiam Salomonis comparet arenæ maris? Primâ facie parum conueniens videtur inter duo adeo distincta hæc comparatio. Ad pleniorem huius sententiæ declarationem adducitur

3. Reg. 4.

tur

tur ab Hebræo locus alius ex Gen. vbi
Gen. 22. Deus sic Abrahæ benedicit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris.* Et addit sequentia
Philo Alexan. hic. verba: *Progenies sapientiæ cum arena confertur: quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit.* Insigni proprietate comparat Deus sapientiam Salomonis immobili arenarum monti; eiusque posteros lucidis stellis, arenisque constantibus: quia cum hoc onere dat Deus viro sapientiam, vt in illa repercutiantur omnium furores, quemadmodum ad maris arenas commotissimi pelagi turbines: ita vt sapientibus maximè incumbat malorum tolerantia.
Reg. 4. Nunc igitur intelligas verba Domini nostri, quibus sapientiam suam præfert sapientiæ Salomonis: *Ecce plusquam Salomon hic:* quibus significat, Salomonis sapientiam suæ non posse conferri; quandoquidem in patientia non possit ei comparari: & quâ mensurâ Dominus patientiam excedit Salomonis, eâ quoque excedit eius sapientiam. Quod autem illa fuerit incomparabilis, euidenter patet ex signo, quod etiam illis adduxit de Iona: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, &c.* Figura fuit hæc omnium præcipua mortis eius, in qua potissimum se Dominus exhibuit fortissimam patientiæ columnam.

6. Legisse me memini apud Tertullianũ, verba quædam nonnullo tempore mihi obscura: dicit enim vir eruditissimus, quod diuina Patientia incarnata fuerit: hoc est, Diuinum Verbum, secunda Persona SS.
Tertull. de pat. c. 3. Trinitatis: *Quibus datum est patientiam Dei esse naturam effectam.* Hæreo in eo quod vir doctissimus Patri non dederit attributum patientiæ, nec Spiritui sancto, sed Verbo: quia *Verbum caro factum est*, passum est & Ioan. 1.
mortuum nostræ salutis gratiâ. Quare, scire cupio Verbum incarnatum est secunda Persona, & non tertia Spiritus sanctus? Cùm enim esset amor essentialis & personalis, & qui peccata remittit, videtur prima luce nobis futurus conuenientior. Dubium hoc mouit Ioachim Abbas doctus & antiquus Pater, & responsio præfert suum Auctorem. *Factus* Ioach. in Apoc. c. 1. ad illa verba: Ita. ver. claues mortis.
*est homo Sapientia Patris, id est, Filius, non Dei charitas, qui est Spiritus sanctus, quia nos in addiscenda sapientia laboramus, in amando autem non.* Hoc inuenitur discrimen inter sapientiam & amorem, quod illa attribuatur filio, hic autem Spiritui sancto. Amor non adfert laborem, & sapientia carò constat. *Qui addit* Eccles. 1.
*scientiam, addit & laborem.* Cùm autem Redemptor noster tribulationes esset passurus, multamque hominum toleraturus ingratitudinem, ratio suadebat, vt sapiens fieret homo: nam licet omnes tres Personæ sapientes sint; nihilominus specialiter Filio sapientia attribuitur, cùm sit sapientia Patris, & solus ille, qui antonomastice est sapiens, potest eminenter esse patiens malorumque tolerator. Atque per hoc capiemus verba Tertulliani, quæ primo intuitu videbantur obscura. *Quibus datum est patientiam Dei esse naturam effectam.* Vocat Dei Patientiam, Dei sapientiam hoc est Verbum Dei: q. d. quia ipsi particulariter attribuitur sapientia, idcirco sibi assumpsit malorum tolerantiam.

Conferamus verba quædam S. Lucæ Euangelistæ, verbis alijs Prophetæ Regij, loquentis de puero illo 7.

 Deo

Deo, eiusque tenera adhuc ætate, qui referens qualiter per momenta singula cresceret ætate, & clariora daret sapientiæ suæ signa, quantum
Luc. 2. ad effectus, sic ait: *Proficiebat sapientia & ætate.* hoc est: ad annorum numerum crescebat (in prædicto sensu) eius sapientia. Folium modò complica, & audi loquentem David in persona eiusdem Domini: *Pauper ego sum, & in laboribus à iuuentute mea.*
Psal. 87. Transfert Genebrar. ex Hebræo: *Cum ætate crescunt calamitates meæ.* q.d. Dum accrescunt anni, crescunt & aduersitates. Quomodo igitur hoc copulari potest, cum eo quod ait Diuus Lucas? Ille dicit: Augetur cum annis in perferendis aduersis tolerantia: hic verò quantum ætate proficiebat, tantũ quoque proficiebat sapientia. Itaque quod hic dicit sapientiam, alter vocat patientiam: q.d. Quanto magis in Christo crescebat experimentalis scientia, tantum clariora dabat patientiæ suæ indicia: quare eleganter sibi manum porrigunt præfati duo textus, *Proficiebat sapientia & ætate.* & *Cum ætate crescunt calamitates meæ.*

8. Expendit Diuus Gregorius quod diabolus scire desiderans vtrum Christus esset filius Dei, tentauerit eum in deserto, conatus persuadere, vt de lapidibus panes faceret, & se præcipitans, diabolum adoraret; cui tamen Christus asperum nihil, seuerumque dixit, nisi vt os illi obstrueret, S. Scripturam adduxit: *Scriptum est: Non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*
Matt. 4. Deuter. 6. Verba sunt hæc prolata à Moyse: quod Deus non adstringatur soli pani, quo nutriat hominem, sed eo omni possit, quo sibi placuerit. Simile dedit responsum secundæ tentationi: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum:* q.d. Ne velis potentiam eius, bonitatemque experimento discere. Hæc verba loco supradicto Deuteronomij scripta referuntur. Quam ob causam (quærit D. Gregor.) Redemptor noster diabolum asperâ responsione non procul ablegauit, eique exprobrauit, quod insolenter merebatur: imò verò tantâ respondet benignitate? Audi responsum optimè conditum. *Tentatus à diabolo Dominus sacri Eloquij præcepta respondit: & qui eo verbo, quod erat, tentatorem suum mergere in abyssum poterat, virtutem suæ potentiæ non ostendit: sola diuinæ Scripturæ præcepta edidit; quatenus suæ nobis patientiæ præberet exemplum.* D. Greg. Hom. 16. in Euang. Poterat Dominus Iesus vnico verbo diabolum ad tartara destinare: sed supposito quod doctissimum se ostenderet in Sacris Litteris, conueniebat, vt patientiæ suæ nobis exhiberet exemplum, ad exonerationem muneris, quod est viri sapientis.

Apostolus Corinthios hortabatur, vt cautè viuerent, nec facilè cuilibet fiderent: eò quòd plures venturi essent lupi, pelle ouina contecti & laruati: vt tanto securiùs pro voto suo gregem Domini diriperent. Ad huius confirmationem monet, vt simplicitatis meminerint, qua sit inter illos versatus, nihil vnquam ab aliquo recipiens, nec aliud intendens, quàm honorem Dei, & spiritualem animarum profectum. Parcite mihi, Discipuli mei (si vobis hoc idioma videatur esse ignorantis) licet vobis modico steterit, meas perferre necessitates. Rationem autem ad hoc eis dat planè insignem: *Libenter enim suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* 9. 2. Cor. 11.

tes. Modò non expendo intentionem, qua Paulus hoc scripsit, si vera fuerit, vel non ironica: hoc enim proposito nostro non quadrat. Notat Doctor Angelicus medium, quo Apostolus vsus est, vt libenter & pacatè perferrent, quæ illis dicebat, suisque conniuerent inurbanitatibus, si forte quasdam in illo iudicarent: hoc est, quod illis sufficeret esse sapientes, vt essent patientes. D.Tho. hic. *Possent dicere: Quare debemus te supportare, si es insipiens? Et dicit Apostolus, quod ideo, quod cùm vos ipsi sitis sapientes.* Tacitæ eorum obiectioni respondet, ex eo quod sapientes sint, suam tenentur exercere patientiam, & magni esse malorum toleratores: semper etenim viri sapientes & pollentes intellectu, fuerunt obligati ad patientiam. Et quemadmodum Christus Dominus noster non solum sapiens fuit, sed etiam ipsa Dei sapientia; ita idcirco non illi satis fuit patienter inimicorum suorum iniurias tolerare, sed insuper fuit ipsa patientia, vt ait Tertull. quod est amplius quàm quod notauit Diuus Gregor. quod vsus fuerit sapientia sua ad amandum, & inimicis suis benefaciendum. Mysterium hoc est, quod Euangelista notauit, dicens non semel, sed tertiò: *Sciens, Sciens, Sciens* Dominus Iesus, ne videretur aliena & peregrina eius patientia, dum supertolerat iniurias, amat, suisque benefacit offensoribus. *Sciens,* &c. *Cùm dilexisset suos, &c.*

---

*Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

## Consideratio III.

*Christum vna præcellens amoris actio mouebat ad alias. cùm securissimum sit sperandi dona pignus, eorum receptio.*

1 Diuus Ioann. Euangelista binos in Christo Domino amores distinxit: vnum, quem nobis in Natiuitate sua demonstrauit: alterum in patiendo & moriendo pro nobis. *Cùm dilexisset suos,* pertinet hoc ad primum amorem: *In finem dilexit eos:* hoc ad secundū spectat: q.d. Christus Dominus hac hora oculos ad præterita reflexit, eaque considerauit: *sciens, quia à Deo exiuit:* & ea multa contemplatus est, ad quæ illum amor deuinxit, qui illum de paterno euulsit pectore, coëgitque priuilegijs renuntiare diuinitatis, mortalemque fieri: & ad considerationem eius quod in præterito fecit, amor illi accenditur ad patiendum ea omnia quæ sibi in præsenti occurrebant. Amor quo venit, mortalem eum reddidit, & hic idem ad mortem eum impellit: vnaque amoris actio pignus est alterius: hoc est: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

2 Hæc omnia prædixerat ad litteram vates Euangelicus Isaias, his verbis: *Angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & leuauit eos cunctis diebus sæculi.* Vel sicut cla- Isa.63.9.

 riùs

rius, & intento nostro conformius transferunt Septuaginta. *Non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos: eo quod diligeret eos, vt parceret eis, ipse redemit eos, suscepit, exexit.* Deus alteri quàm sibi, non fidit humani generis redemptionem: & quia diligebat homines (verba sunt hæc æquiualentia illis Euangelistæ: *Cùm dilexisset suos*) non satis illi fuit ipsis parcere, sed insuper redemit eos & iam redemptos, non desistit donec in cœlum secum perducat. Itaque semper diuinus amor noua dedit pignora: iudicabat enim quod si in benefaciendo statueret interstitium, vel accusaretur vt languidus, vel appellatiuo amantis derogaret, cui proprium est actione beneficâ ad alias se oppignorare.

3. Profectus est Patriarcha Iacob de terra Canaan, vt suauissima dilecti filij sui Ioseph societate gauderet. Morabatur hic in Ægypto: quamuis bonus senex nonnihil sibi formidaret, eo quod viuere posthac deberet inter palatij confusiones, à quibus tantum abhorrebat, quantum abhorrere solent vitæ solitariæ professores. Et notat Moyses, quod timorem suum Deo communicaturus, secesserit ad locum dictum *Puteum iuramenti*: hîc Domino victimas obtulit: à quo & nouas & Mysticas accepit versiones: *Profectus igitur Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis vocantem se & dicentem sibi: Ego descendam tecum.* Quærunt DD. cur Iacob locum hunc præ reliquis elegerit, vt in eo sacrificium Deo dedicaret? Diuersi diuersa respondent: sed Glossa intentioni nostræ conformiter. Protoparentes eius Abraham & Isaac in eodem loco non parua liberalitatis diuinæ dona receperant, imò & ipse Iacob in eo fugiens fratrem suum Esau, mysticam contemplatus fuerat scalam; vnde iustè inferebat preces suas non posse non benignum ferre responsum, eo potissimum loco, in quo consueuerat diuinis recreari visionibus: Deus etenim ex vna, quam alteri confert, gratia, ad nouam se adstringit: nec à scopo aberrauit Iacob; pro voto namque suo cuncta euenerunt. *Ideo voluit illuc ire ad deprecandum Dominum pro suo itinere: sicut & fecit, quando iuit ad Laban.* Et Dominus, qui in primo itinere comes illi adfuit auxiliaris, non defuit in secundo quasi ex primo teneretur. *Glossa Ordin. hic.*

4. Peccat ingratus populus Israël eisque Deus ruinam minatur: ait igitur Moysi: Dimitte me & delebo eos, *faciamq; te in gentem magnam*: hoc est, creabo te ducem populi multo numerosioris. Nullum aderat iam remedium nisi Moyses medius intercessisset. Domino replicat & feruenter ac sæpè instat pro populo: tandem hanc illi proponit rationem: *Aut demitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Fateor quotiescumque sanctam hanc considero libertatem qua Deo Moyses in hac occasione loquitur, totus obstupesco, & primo intuitu nullam inuenio verbis eius audacioribus excusationem; quod enim dicat: Fidi beneficio, quo Deus me prosequebatur: non satisfacit: habet enim suos amicitia limites, soletque stultis multa conuersatio adferre contemptum, non autem prudentibus, qualem nouimus esse Moysen, quem vt talem inscribit sancta Pagina, potissimum quando familiaritas est cum Deo, cui pro- *Exod. 32.*

prono pectore, maxima submissione, & profundissima humilitate, etiam sublimissima loqui debet maiestas: & qui familiarius cum illo agunt, tanto humiliùs illum venerantur, tantoque decentiùs illum reuerentur. Quomodo ergo Moyses audet tam manifestis deficere obligationibus? Ne Moysen condemnaueris (inquit Abbas Rupertus;) vt enim tam probè nouerat suauissimam Dei conditionem, sunt eius verba velut executoria, quibus deuincire Deum intendit vt concedat illi quod petit: q. d. *Videlicet quia ego peccator fui*: ideo Domine mi infallibiliter debes populo huic delinquenti ignoscere: quia ego similiter te offendi, & mei misertus es, mihique peccatum meum remisisti. Optima responsio: sed suam patitur obiectionem. In quo (scire desidero) fundat Moyses libelli sui supplicis iustitiam? Qui recipit, ille est qui debet: qui dat, ille est qui obligat. Ergo tu Moyses ille es qui Deo debes, à quo recepisti: Deus autem qui beneficia tibi præstitit, velut creditor, te habet sibi deuinctum. Hoc quidem concedo respondet Moyses, inter homines fieri: sed oppositum omnino in Deo: dando namque manet ad dandum obligatus, & priora eius dona, pignora sunt secundæ liberalitatis: vnde primum beneficium quod mihi contulit, certissimum fuit eius pignus, quod mihi modo conferre debet. Et quemadmodum magnanimam eius cognosco naturam, idcirco confidenter postulo, & optatam mihi promitto responsionem. Benedicta sit infinita eius bonitas: quandoquidem idem in eo sit incipere alicui benefacere, & obligare se ad eius prosecutionem.

Rupert. hic.

5. Dormiebat Iacob viditque mysticam illam & toties repetitam scalam: sic enim loquitur Textus: *Vidit Dominum innixum scalæ* (vel *stantem*, vt habet alia littera, *super scalam*. q. d. stabat super primum scalæ gradum: & si ibi stabat, indubiè descendere cogitabat: quia non habebat quo ascenderet: vnde contemplatus illum Patriarcha, vocem attollebat, dicebatque: *Si Dominus Deus meus dederit mihi panem ad vescendum*. Doctissimus Vatablus in suis Scholijs legit sine illa conditionali: *Dabit mihi Dominus panem*. Vnde hoc infers, optime Iacob? Quia Deus per scalam descendere vult, & ad terram venire. Quod autem descensus hic denotet Incarnationis mysterium, ita manifestum est, vt videri posset tempus malè impensum, si in illo probando diutius velim immorari. Vidit igitur sanctissimus adolescens Deum incipientem descendere per scalam, & sublimes diuinitatis suæ spiritus demittentem, tantumque se humiliantem, vt humanam susciperet naturam. Subsiliens igitur præ gaudio Patriarcha, ait: Nunc, ita nunc certus sum de vitæ alimento: *Dabit mihi Dominus panem*. Securi esse possumus, quod panem nobis sit elargiturus: ex vno quippe sequitur aliud: & quandoquidem descendat spiritualem nobis vitam daturus, necesse est vt nobis det panem, & alimentum vitæ conseruationi requisitum: & bene infertur ex hoc: *Vidi Dominum stantem super scalam*, illud: *Dabit mihi Dominus panem*: vna namque amoris eius actio, aliam vt pignus obligat.

Gen. 28.

Doce-

6. Docebat diuinus Magister classis suæ discipulos ad eorum instantiam formulam precandi: *Doce nos orare*: illa verò fuit, quam omnes nouimus & recitamus: *Pater noster*: in qua clausula quædam comprehenditur, qua sic oramus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; siue panis hic intelligatur corporalis, quo nutrimur: siue Sacramentalis, vnicum animarum nostrarum delicium: nam vtrumque sentiunt Interpretes. Hoc autem modo mihi occurrit notatu dignum ex textu græco, quem moderni Commentatores adferunt, qui sic habet: *Panem nostrum crastinum da nobis hodie*. Nescio qualiter hæ duæ lectiones combinari possint primo intuitu adeo sibi contrariæ: *Da nobis panem hodiernum*, & *Da nobis panem crastinum*: tam quia sunt res diuersæ: tam etiam, quia, vt videtur, hæc versio non conuenit doctrinæ Christi nobis à D. Matth. propositæ: *Nolite solliciti esse in crastinum*: vt magis diuinæ prouidentiæ, quàm nostræ fidamus sollicitudini. Suam alij dicant sententiam: ego intelligo, quod Spiritus S. non ideo panem vocet crastinum, quia illum hodiernum petere debeamus in crastinum: sed quia eo instanti, quo nobis concedit alimentum huic diei necessarium, se quoque obstringat, vt det similiter in crastinum: tamquè securi esse debemus; nam limitatos fore eius fauores, vt ex consideratione eius, quod nobis hodie facit, securi esse possimus eius, quod nobis cras est facturus: quocirca manum sibi dant hi duo textus, qui videbantur oppositi, *panem nostrum quotidianum, & panem nostrum crastinum*.

Luc. 11.

Tolet. hic annot. 11.

Lect. Græca relata à D. Hieron. apud Tolet. annot. 11.

7. Huic correspondent verba Psalmistæ: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*. Noui communem horum verborum expositionem eam esse, quod dies diem doceat, & nox noctem, omnia, quæ scire possimus de Deo in rebus naturalibus. Etsi diem hunc videas, siue noctem hanc in cœlo, videntur tibi vna pagina translata de littera ad litteram, de nocte & die præteritis, & de altera pagina, quæ tibi patuerat in cœlo. Responsum est optimum. Porrò iudico spiritum Prophetæ sublimiora meditatum, & hoc indicare voluisse: Dies mortis Saluatoris manum dat diei suæ Incarnationis: & nox vltimæ Cœnæ, in qua SS. instituit Altaris Sacramentum, nocti temporalis suæ natiuitatis, in qua hominibus homo in terra apparuit. Quare notandum, quod idem Spiritus sanctus, qui ore Salomonis, nobis indicauit, quod Dominus nocte natus sit: *Cùm quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*. per os Diui Pauli notauerit, quod noctu Sanctissimum Sacramentum Altaris instituerit: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* quasi dicens nobis, harmoniam vnius diei cum altero, & noctis cum altera: quodque mysteria tunc celebrata fuerint pignora eorum, quæ modò celebrantur, primusque amor certissimum fuerit secundi pignus: nam hoc ipsum indicat Euang. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*.

Psal. 18.

Sap. 18.

1. Cor. 11.

8. Discursui huic imprimat sigillum fortissimus S. Paschasij conceptus. Orabat in horto Christus Dominus æternum Patrem, & considerans grauissima tormenta, quæ passurus erat, subsannationes, & iniurias sibi tolerandas,

randas, timente carne, & tremente inferiori portione, ita supplicat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste: verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: non mea, sed tua voluntas fiat.* Notat eruditissimus Doctor, quod dilectissimum sibi filium non exaudiat, idem sit ac si dicat Salvatori, quòd rem petat impossibilem, sibique concedi non posse, quod postulat: quia amor ejus fecit hoc, quod possibile erat, impossibile; quandoquidem quando discipulis suis dedit Sacramentum corporis, & sanguinis sui, dixerit illis: bibite calicem hunc qui pro vobis, totoque mundo fundendus est: *Calix qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Et suppositô, quòd tunc ad moriendum se obstrinxerit, jam mortem evadere non poterat, sed necessè erat, ut staret verbo suo: quantò magìs, quòd multò ante Dominus ad hoc tenebatur, quandoquidem homines creâsset: & eo ipso, quod in creatione pignus illis dedisset, necessariò tenebatur illos salvare. Itaque creatio hominis pignus fuit Redemptionis, & Sacramenti Eucharistiæ institutio novum vinculum, quo pro ipsis mori tenebatur: *Impossibilitas ista de justitia venit, & bonitate Dei: quia sic est omnipotens, ut justus sit, & bonus, & misericors: & ideò quantum ad utramque spectat naturam impossibile erat, ne nos bonitate sua, suaque justitia, & misericordia salvaret, quos creaverat.* Hæc omnia nostrum probant assumptum: hoc est, quod amor, quo venit Filius Dei, illum mortalem effecerit, & hic idem ad mortem eum impellit, utque cum suis maneat Sacramentatus, dum una amoris sui actio ad alteram eum obstringit: hoc est, *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

Matth. 26.

D. Paschas. lib. 12. in Matth.

---

*Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

## CONSIDERATIO IV.

*Qui sincere diligit, illi penè adulantur: pati namque est amoris contestatio.*

Parum novit de amore, qui dolet, dum pro amato patitur. Dupliciter manifestatur amor, vel largiendo bona, vel patiendo mala. Porrò indubitatum est, quod nullam habeat comparationem, si comparemus eum qui dat, illi ipsi, qui patitur: si namque magnum se monstret amatorem, quando largitur, multo tamen majorem, dum patitur. Ita sentit D. Basilius, quando reprehensus ab aliquibus de superfluo errore quô festinabat, ut amicum suum carcere constrictum solveret, & libertati restitueret: verba respondit omni ponderatione dignissima: *Aliter amare non didici, nisi ut vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum, liberare opus est.* Si alia sit ars amandi, ego (inquit ille) eam non didici, nec scio, quid aliud sit amare, quàm vitam suam pro liberando amico exponere, quem video periculis expositum. Non novi cognoscere illum, nisi tanto amore in eo, quod amicis damus, quanto in eo, quod pro illis patimur. Quocircà constantissima est hæc veritas, quod mensura ejus, quod illis volumus, sit id, quod amore eorum toleramus. Hôc modô didicerũt Sancti amare à divino magistro Christo Iesu, & animarũ nostrarum Redemptore: cujus amor pridie ceu ad vesperas mortis suæ ad vivum eminentiam suam ostendit, quando in acerbissimis pœnis, & acutissimis

1.

Basil. apud Chrysost. l. 2. de Sacerdot.

simis doloribus patientiam suam ostendit perfectissimam; hoc est: *In finem dilexit eos.*

2. Appositè nascitur hic Allegoria S. Gregorii Magni. Inter pretiosa ornamenta, quibus Deus templum suum adornavit, non minimum fuit mysticum illud candelabrum, cujus descriptionem dedit Moysi, præcipiens ei, ut ex auro purissimo, & ductile, multo

*Exod. 25.* malleorum verbere illud efficeret: *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo.* Non me latet varia hujus candelabri apud Interpretes moralisatio: sed in hoc conveniunt omnes, symbolum fuisse Christi, de quo noster Eu-

*Ioan. 1.* angelista testatur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum.* Concessa hâc communi doctrinâ, sequitur particularis S. Gregorii conceptus. Duo habuit hoc candelabrum, quod nos illuminavit: vel duo, quibus posset nos illuminare, nimirùm, quod ex auro esset, & ductile. Norunt omnes aurum denotare cha-

*Apoc. 3.* ritatem: *Suadeo tibi emere aurum ignitum;* & eodem quoque signari constantem patientiam (ut advertit Lucas Abbas) quia nullum datur metallum adeò molle, & artificis manui

*Luc. Abbas ad illa verba Cant. 5. Caput ejus aurum opt.* subjectum, quàm aurum: *Auri materia, quà deduxeris, suâ mollitie sequitur.* Quantò fortius percutit illud aurifex, tanto plura ex illo folia colligit. Dicit igitur D. Gregorius, significatum hujus candelabri est humani generis Redemptor, qui in natura humana habuit (ut illuminaret) lucem divinitatis, & hôc modô candelabrum mundi fieret; & quo precor nos illuminavit? vel quo nos docuit, cùm ex auro, & malleo sit elaboratus? Quo? Ardenti sua charitate in verberibus flagrisque receptis, pari pede currente ejus amore, ejusque patientiâ: quia solum auri metallum tot potest pati verbera, & solus divinus amor potuit esse tam patiens, tantasque mei gratia injurias, tantosque pati dolores: *Quid in candelabro, nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humana infulsit lumen divinitatis, ut mundi candelabrum fieret. Ductile autem feriendo producitur: quia & Redemptor noster passionum dolores pertulit.* Ita fatur eloquentiæ Romanæ Corona. *D. Greg. Hom. 61. in Ezech.*

Aliquando substiti ad blanditias illas, licèt teneros affectus divinæ voluntatis: melius dixero, amantissimos divini pectoris ardores erga Hierusalem, ab Euangelico Isaia relatos: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Ne timeas, ô Hierusalem, amoris mei flammas aliquando extinguendas. Quod certius postulas amoris mei erga te pignus, quandoquidem oculos meos à te numquàm avertam? In manibus meis descriptum gesto, affectum meum, tuamque pulchritudinem: omne quippè bonum, quod habes, amori meo debes. Si quæramus à D. Cyrillo Alexandrino, quinam sint descriptionis hujus characteres in Dei manibus? Dicet nobis esse vulnera clavorum, & dolorum signa, quæ pro nostra salute pertulit: hæc enim omnia clara sunt argumenta, & manifesta divini erga nos amoris indicia: *Vestimentum sanguine rubricatum, & plagas in manibus ostendit: non quod illas abjicere non queat, sed ideò characteres, cicatricesque retinuit: ut Principibus, & Potestatibus in cœlestibus patefieret.* Ex animi proposito (ait ille) voluit illa Christus secum in cœlum deferre, ut non solùm homines de terra, sed etiam Angeli in gloria scirent, quantum Deus homines dilexerit: cujus amore dolorum, plagarumque se vivum exhibuerat prototypon, ut ex illis manibus declarabat: *In manibus*

3. *Isa. 49.*

*D. Cyrill. Alex. in Exeg. ad Achat. habita, Tom. 6. Ephes. 6.*

*nibus meis descripsi te.*

4. *Ioan. 3.* D. Ioannes exprimens quanto Deus amore mundum dilexerit, sic ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Vt nasceretur, viveret, & moreretur pro mundo. Itaque prædicare intendens summum Dei erga nos affectum, ait, quod nobis maximum illud donum concesserit. Ad quod reflectens Iobius Pater Doctus, & antiquus in Bibliotheca relatus à Photio, notat ab Euangelista non dici, quod Deus mundum, id est, hominem dilexerit: ita ut eum divinis suis manibus efformaverit, eum ad imaginem, & similitudinem suam creaverit, aliaque multa contulerit ei beneficia, quæ si quis enumerare velit, numquàm finiet; sed quod dederit illi filium suum sanctum Redemptorem, & Salvatorem. Quare igitur hæc omnia silentio præteriit, & hoc tantum ita proposuit? ita sciscitatur Doctor ille. Quia voluit, ut divini amoris pignoris omnium maximi numquàm oblivisceremur, quòd non ita clarè patet in hominis creatione, sicut in eo quòd nobis proprium tradiderit filium, ut vitæ suæ dispendio nostram procuraret salutem:

*Iob lib. de Incarn. Christi c. 14.* *Qui inseparabilem Dei erga nos amorem ostendere conatur, non hoc memorat, quod ab initio hominem formaverit, neque quod suam ad imaginem hunc effinxerit, ut nec quod magnum aliquod, aut admirandum opus susceperit. Quid igitur? Filii ipsius per carnem adventum refert, per quem utique nostra est patrata reformatio. Sic enim, inquit, Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quasi dicat: Non patebat summa divini amoris eminentia, quod hominem condidisset, hoc enim nullo stetit ei labore; sed quod eum sudoris, pœnarumque pretio redemerit, cujus tormenta testabantur ejus amorem.

5. Idem amoris Discipulus nobis enarrat: postquàm Dominus Iesus Apostolis suis lavisset pedes, & sanctissimo suo corpore ac sanguine pavisset, & pro conclusione longam satìs habuisset concionem, in qua quasdam materias maximi momenti tractaverat, tandem illis ait: *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc:* *Ioan. 14.* Vt omnibus innotescat nullam in me dari resistentiam. Memini, quod in alio libro de SS. Virgine locum hunc expenderim: sed meo judicio, huic discursui optimè quadrat. Si percunctemur ab Euangelista, quo tendit (inquit Rupertus) Salvator? Respondebit, ad hortum Gethsemani: quòd si causam quoque sciscíteris hujus itineris (addit idem Rupertus) idem eam indicat: *Quasi quæreres, cur illuc intraverit? Sciebat enim & Iudas, qui tradidit eum, locum.* *Rupert. hic.* Hoc est, ita festinè profectus est Christus ad hortum: quia locus hic erat, quo præsciebat Iudam adventurum, quia frequenter illuc conveniebat cum Discipulis suis oraturus: nec voluit ut Iudas intento suo frustraretur. Itaque iter hoc Salvatoris conformitas quædam fuit ordini ac voluntati Patris sui cœlestis. Sed statim occurrit difficultas. Si Christus Dominus à suis cognitus fuerit ut Messias, & Redemptor, quem æternus Pater voce de cœlo delapsa dilectissimum sibi Filium declaraverat; quare hac occasione tantam in obediendo illi promptitudinem ostendit, ut eum tanquàm Patris amatorem cognoscerent: *Quia diligo Patrem.* Eusebius Emissenus dubium movit, quod & solvit: *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, factus sum obediens Patri usque ad mortem: &* *Euseb. Emissen. hic.*

 sicut

*sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quasi dicat: Mundus licèt cognoscat quod Pater me diligat, simque illi charissimus: modò tamen volo ut amorem cognoscat quo Patrem diligo, videatque me illi gratissimum, & velle nostrum esse reciprocum, amoremque mutuum: quandoquidem invicem diligamus: ut autem pateat hæc veritas, festino passurus, non levia quædam, sed mortem Crucis: quoniam solus ille multa patitur, qui multum amat, & (sicut in titulo argumenti diximus) passio sigillum est amoris.

6. Addiscamus hinc quomodò diligere debeamus Deum, ut amoris debito satisfaciamus, cui adstringimur. Nescio si quis perpenderit legem à Deo latam in Exodo, satisque manifestam: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis. Quod se dixerit servus: Diligo Dominum meum, uxorem ac liberos, non egrediar liber, &c. erit ei servus in sæculum.* Et sciendum signum quo notabantur servi, tunc non fuisse S, & clavum, quo nunc utimur, sed aures habere perforatas. Igitur nunc audi quid lex adjungat: *Si dixerit servus: Diligo Dominum meum, & nolo esse liber, applicabitur ad ostium, & perforabit aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum.* Adducetur coràm justitia (ita locum hunc exponunt Doctiores Interpretes:) quia ad portas civitatis seu villæ erecta erant tribunalia, ibique notabatur, aures ejus perforando. Quid hoc, Domine mi? Servum coactum non præcipis signari; eum verò qui voluntate, & pro libitu suo servit, præcipis ut statim his signis gravetur. Captum meum hoc superat: etenim oppositum dixerim esse rationi conformius: hoc est, ut ille qui coactus servit signo denotetur; ille verò qui voluntariè, nullum ferat signum. Quid igitur lex in hoc voluit, quem sic appositè præcipit illa fieri? Novi quid docti proferant Interpretes, inter quos eminet noster Oleaster: nimirùm, hoc fieri in pœnam, quòd rem adeò pretiosam, scilicèt libertatem, flocci faceret: *Quanti facienda sit libertas, optimè docet locus iste, & quas pœnas subire debeat qui ea non utitur cùm possit.* Cum bona ejus venia censuram meam apponam, nisi, quia mea est, repelli mereatur. Dico igitur quòd Dominus in hâc lege, primâ luce satìs severâ, spectaverat amoris naturam, quæ novit ex dedecoris veste, *Hispanice Sambenito*, gloriari, infamiam ut honorem habere, ignominiam censere gloriam, & pati ejus gratiâ, quem diligit. Clamant omnes nihil servitute ignominiosius, vitamque servilem abjectam esse, laboriosam, & molestam. Mandat ergò Deus, ut qui necessitate coactus servit, nullo stigmate inuratur: huic etenim sua sufficit infamia, & molestia servitutis, nec opus est, ut aliud illi signum superaddatur, aut superscriptio, quo magìs dedecoretur, & contristetur: ejus defectus nequaquàm volo in publicum deferantur; cæterùm ille qui ex amore, quo Dominum suum prosequitur, servire vult, & fatetur se eum diligere: *Diligo Dominum meum*; in hâc occasione, occasio præbeatur illi cruciatum, & ignominiam sustinendi, quæ licèt adeò abjecta sint, tales attamen sunt amoris affectus, ut ex his ita vilibus ornatum sibi componat, triumphum excitet, suamque ducat gloriam, & omnia libentissimè tolerat, ut his amorem suum prodat: ut enim passio est amoris mensura, quo plura pertulerit amans, tanto manifestiùs amorem suum declarat: quinimò quia

Exod. 21.

Oleaster hic.

quia tam fervententer amat, voluntariè labori se dedicat, & idem faciendum est ex toto corde Deum diligentibus.

7. Intempestivè, cùm nox esset, egrediebatur Sponsa, dilectissimum sibi quæsitura Sponsum, sed non levis, & ea nota quidem accidit ei calamitas. *Tulerunt* (sic illa conqueritur) *pallium meum, percusserunt me, vulneraverunt me, &c.* Occurrit filiabus Ierusalem sociis suis, & ubinam sit dilectus suus, inquirit, & obnixe rogat: *Adjuro vos filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectũ, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Soto Major insignis sacræ Scripturæ Interpres, perpendit quòd in hâc occasione, qua Sponsa tam dira toleravit, suum publicet amorem: videtur quod non tam confidenter ausa fuerit loqui, nec ore pleno buccinare suum erga Sponsum amorem; nisi postquàm ejus gratia tam acerba pertulisset, & meritò; amor etenim suspectus est quem non excoluit exercitium, & ille censetur verus, cui dolores fidem dederunt, & authoritatem: *Crescebat magìs, & magìs animus cum ipsa ærumnarum, quas pro Sponso patiebatur, difficultate: pulchrumque putabat vulnerari, & mori pro charitate dilecti.* Ita celebris Lusitanus.

Cant. 5.

Soto Major hic.

8. Nonnulla leguntur verba in sermone Christi Domini de Mandato, quæ primo intuitu sunt intellectu difficilia: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Objiciunt hic curiosi Interpretes, quâ veritate Christus dicat Discipulis suis, atque in eis nobis omnibus, novum hoc esse, & singulare de dilectione mandatum, quòd illos docebat: cùm ita sit, quod in Decalogo contineatur, imò & in lege naturæ hominibus injungebatur, ut invicem fraterna charitate diligerent. Diversas incedunt vias, & multifariam respondent, sed proposito nostro non conformiter. Solus Divus Cyrillus Alexandrinus in hoc mihi favet: ait enim novum hoc, & particulare mandatum non consistere in mutuo amore, sed in eo amore, quo Christus nos omnes dilexit: *Sicut dilexi vos, ut ergo novitatem præcepti facilè intelligamus, rimemur diligenter, quomodò Christus amavit.* Et quomodò nos Christus amavit? Quomodò? Respondet D. Paulus: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc igitur est quòd nobis Deus noster, & prædicat, & mandat; ut nobis satis non sit, proximos nostros quocumque modo diligere, sed ita amemus illos, ut si rogat necessitas, pro illis vitam fundamus, ad exemplum Salvatoris: etenim veri tunc erimus amantes, quando magni fuerimus patientes: *Novus atque inauditus hujus dilectionis modus, quo nos affici jubet, nihil omninò dilectioni fratrum anteponentes, non gloriam, non divitias, non corporis hujus mortem, si opus fuerit, pro salute fratris mori.*

Ioan. 15.

Cyrill. Alex. in Ioan. c. 23.

Philip. 2.

Modò lucem accipiet antiqua loquendi Phrasis: *Amicus usque ad aras.* Verba sunt hæc quibus Philosophus Pericles, respondit amico suo petenti ab eô quod justitiæ, & rationi repugnabat. Amicus (inquit) tuus sum, sed hoc intellexeris in licitis, & sanctis, & quod Deo, ejusque altari non contradicit. Dico sententiam hanc novam pati posse expositionem, hoc est: *Amicus usque ad aras.* Vsque ad sacrificium vitæ meæ super altari pro amico: amor enim qui ad omnes se non inclinat difficultates amici causa, nondum eminentiam suam probavit. Ad rem adfert 9.

Tertullianus, quod adolescenti cuidam contigit: qui cernens domum patris sui igne succensam, audax per medias irrupit flammas, & patrem, ne mortis periculo subjaceret, incolumem eduxit: & advertens matrem quoque eidem periculo subjacere, reversus est per ignem, quam inveniens, salvam servavit (licèt oculorum suorum jacturâ.) Expendit Orator hanc actionem, & ejus occasione verba hæc pronuntiat: *Minùs in utroque parente fecerat, nisi perdidisset oculos.* Nondum ostenderat, quo parentes affectu prosequebatur, dum illos de periculo incendii, quòd illis imminebat, liberaverat; sed in hoc affectum suum testatus est, quòd lucrifecerit oculorum privationem, modò vitam eis, à quibus illam acceperat, redderet incolumem. Sententiæ Quintiliani inhæreo, quâ dicit adolescentem hunc supremum amoris sui affectum ostendisse, non in eo, quòd parentes suos periculo eruerit, sed quòd ex actione oculorum cæcitatem contraxerit: & ratio est; quia primum fuit, illis benefacere, quos diligebat: secundum autem ex affectu erga illos acerba pati: amor autem clariùs patet adversa patiens pro illis, quos diligit, quàm illos ex adversis eripiens. Optimè dixit igitur sanctus Ioannes, quòd Redemptor noster, accedente mortis horâ, clariora dederit amoris sui signa: quia ejus patientia patuit evidentius; hoc est: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

*Apopht. antiq. Verb. Pericles.*

---

*Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

## Consideratio V.

*Quia Amor Christi fuit tam antiquus, illum ita qualificavit, quia perseverantia, & continuatio dat authoritatem voluntati.*

Semper cantat suaviter cygnus, sed in horam mortis suaviorem servat cantum: 1.

*Cantantes sublime ferent ad sydera cygni,* ait unus ex veteribus. Ego semper hoc habui potiùs allegoriam quàm Historiam: sed tunc plenius intellexi, quando legi in sancto Gregorio Nazianzeno, qualis sit ejus musica, non vocum, sed instrumentorum; formosa canit avis, non spiritu, non aëre, quem os trahit è pectore, sed illo, quem in alis suis ex suavi vento recipit. Vndè videtur magìs dulcius cantare fistulis, quàm vocibus: *Carmẽ contexit olor, cum pennis velut fistulis quibusdam in auram explicatis, modulos facit.* Ita prædictus Gregorius: estque tam suavis harum fistularum harmonia, & ordo, quo avis musica pennas explicat in auram, quas eadem aura concutit, ut alio loco dicat Nazianzenus, quando his ludunt fistulis, libere potes valedicere musicis Principum, ut olores audias juxtà flumina in deserto decantantes: *Sunt quorum gratia, vel in solitudinem quis accesserit, ut musicam audiant, cum favonio alas expandunt, ut jucundum quid ac consonum inspiret.* Cùm igitur cygni musica non vocibus excitetur, sed alis, quæ in hac ave sunt brachia, significant opera. Idcircò mihi persuadeo, quòd antiqui suaviora illa in morte sua fecerint: quia in rei veritate musica,

*Vincent. Belvac. in spec. de cygno.*

*Nazianz.*

*Nazianz.*

musica, & harmonia, quæ in morte animas maximè consolatur, verbis non fit, sed veræ Christianitatis operibus, quæ gratia favorque Spiritus Sancti tangit, movet, & inspirat.

2. Talia, dicebat ille Dei Amasius Rex David, sua esse debere, velut oloris musicam, qua Deo placeret. Hoc sensu intelligo ejus verba: *Vesperè, & manè, & meridie narrabo.* Scio (Psal. 54.) litteralem horum sensum in translatione Hispanicæ nostræ Paraphrasis significare: omnes orationis meæ horas (quæ fieri solebant tribus diversis temporibus, vesperi, manè, & meridie, præponam negotiis meis, Deoque miserias meas, & necessitates sigillatim enumerabo, tutusque fidam, quòd exaudiet me, & citò petita concedet. Porrò ego (hanc mihi date veniam Interpretes) arbitror, quòd moraliter intellecta significent, quod David primo vesperi, quàm manè Deum accesserit (cùm ita sit, quòd contrarium fieri oporteret: quia præcedit hoc illud, manè, vesperam) quia totâ vitâ suâ amare Deum, & laudare satagebat; idcircò dixit: *Manè, & meridie.* Manè, ad sextam, & ad nonam tibi laudes decantabo; sed vesperas his omnibus præfero. Magni facio incipere, & in laude tua continuum esse; sed multò magìs desidero te laudando finire, atque in morte velim suavior esset mea musica: quinimò idcircò, quia decursum vitæ meæ desidero amori tuo impendere, ideò finire volo cum cygno, qui in ultima suæ vitæ periodo suavissimè modulatur, & eam ob causam priùs dicit: *Vesperè*, quàm *manè, & meridie narrabo.* Nonnulli tempestivè Deum diligere incipiunt; verumtamen, quia non perseverant, potest de illis dici: *Cùm dilexissent*, sed non, *In finem dilexerunt.* Alii in amore Dei finiunt, sed ita tarde incœperunt, ut dato, quod de illis dicatur: *In finem dilexerunt*, dici tamen non potest: *Cùm dilexissent.* Qui tarde incipiunt, parum sunt fœlices, qui in finem perseverant, sunt omnium fœlicissimi. Vnum, & alterum quærit ab amore nostro Deus; ut maturè, & manè incipiat, æternum suum imitando: *Cùm dilexisset*, & perfectam habeat usque in finem perseverantiam, ad imitationem amoris, quem habuit Dominus Iesus, qui tunc ostendit se ferventiorem: *In finem dilexit eos.* O venustissime cygne, & ipsa nive candidior! Quis non desideraret adjuvare te in cantu (non dico planctu) quô propè flumina sanguinis tui in altissima crucis arbore, alis, id est, brachiis tuis extensis, & venis ac cordis tui fidibus mundum suavissima tua musica in somnum provocâsti: *In finem dilexit eos.*

Hôc modô vult, Auditores, ut Deum nostrum diligamus, ut quantò ferventius illum amamus, tantò sit amor noster ardentior. Appositè refert sanctus Thomas à Villa Nova, mysticam illam visionem, in quâ Deus Abrahæ mundi remedium aperuit, quòd Messias, ex ejus progenie nasciturus, ultimis temporibus operaretur: *Apparuit Clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Modò notat S. Archiepiscopus, quod Abraham primo viderit clibanum ignis non ita incensum, quandoquidem fumaret, & postmodum ignem ardentem, in qua visione præclarum reperit mysterium: *Abraham in illo extatico sopore, in quo repromissionem accepit, prius clibanum fumantem, deindè lampadem ardentem intuitus est.* Quasi per hoc Deus illum doceret methodum, quam in serviendo illi amandoque servaret; quòd de clibano 3.

(Gen. 15.) (Thom. de Villa Nova in Cant. ad illa verba: Quæ est ista? Cant. 3.)

clibano transire deberet ad ignem; ita ut quantò Deum magìs diligeret, tantò deberet ejus amor esse ferventior; & si in decursu vitæ multùm amâsset Deum, in ejus termino cor suum esse deberet ardētissimus ignis, ad imitationem illius Domini, cujus mysteria in illa extasi illi fuerunt revelata: nam cùm ejus amor, quantum ad effectus, in Incarnatione fuerit: *Clibanus fumans*, in morte *Lampas ardens*, tantum abfuit, ut cum tempore deferveret, ut etiam tantò ferventiùs accenderetur, quantò propiùs ad finem accedebat: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

4. Semper anhelavi scire rationem, ob quam Deus olim præceperit, ut nunquàm ignis in altari deëffet, sed semper coràm eo arderet, quô datur intelligi (ita D. Gregorius) quod velit amorem semper in corde nostro fervere, nec umquàm intermitti: *Ignis au-* Levit. 6. *tem in altari semper ardebit*, ait S. Pagina, quam sic exponit eximius ille Doctor: *Altare Dei cor nostrum est, in quo* D. Greg. lib. 25. Mor. c. 7. *jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere.* Laudo conceptum: sed velim ego paulò profundius locum hunc perscrutari, ad argumenti nostri probationem: quocircà proprietatem ignis expendo, ut ex illa proprietatem inferam, quam Dominus vult habeat amor noster erga Deum. Constans est in Philosophia dogma, quod elementum hoc ignis quantò ascendit altiùs, tantò motus ejus fit rapidior, tantoque vehementior: quinimò docet nos experientia, dum candela jam nunc exstinguitur, clarior, & ardentior flamma ejus appareat. Talem quærit Deus amorem nostrum; hoc est, ut non solum delapsu temporis non deferveat, sed quantò diutiùs ignis perseveraverit, tantò copiosior fit ejus ardor: & quantò velocius tendit ad finem, tantò sint flammæ ejus ardentiores. Audiamus hanc ex ore alterius, nimirùm D. Gregorii Nysseni Doctrinam: *Sic* Gregor. Nyssen. *anima, cujus natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus, ardentior fit velociusque pertransit ad sublimiora semper conscendens.*

Psalmo 44. loquitur Propheta David de Ecclesia Dei, sive anima sancta, dilecta sibi Sponsa; ut autem virtutis ejus extollat prærogativam, & sanctitatem animæ prædicet, ait, quòd viam in vita præsenti videatur ipsi Sponso latus cingere. Assistit, inquit, Regina ad dexteram tuam, quam videris tibi ex nunc æqualem reddere, optima, imò pretiosissima illi tradis, quæ possides: *Astitit Regina à dextris* Psal. 44. *tuis, in vestitu deaurato, in fimbriis aureis, &c.* Hoc dico, eò quòd videam illam tunica talari, & inaurata vestitam, cujus fimbriæ purissimum sunt aurum. Notat hic subtilis Abbas Paschasius, à Davide dici: quod cùm benedicta hæc anima omni vitæ suæ tempore vestitu deaurato ornata procederet, fimbriæ tamen, seu ejus extremitas auro primo fulgeret; eò quòd taliter seipsam excederet, ut cùm sanctè, & lucidabiliter cursum suum absolvisset, totâ charitate inflammata discessisset: *Fimbriæ cùm aureæ dicuntur,* D. Paschas. hic. *divinior sensus introducitur: quia cùm superius Regina vestitu deaurato adstare dicatur, hic fimbriæ ejusdem vestis aureæ dicuntur; ex quo intelligitur, quia perfectior, & pretiosior semper esse debet finis vitæ, quàm principium; hæc quippè vestis, dum vita hominis super terram versatur, semper texitur:* ita proposito nostro convenienter D. Paschasius.

6. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquàm Sponsus procedens de thalamo suo:* 7. In Psalm. 18.

*suo : exultavit ut gigas ad currendam viam : à summo cœlo egreßio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* Si sententiæ hujus litteram inspiciamus, loquitur Propheta de Sole: quasi dicat: Creavit Deus formosissimum hunc Planetam sibi habitaculum, ut videndo solem, omnem videant, & cognoscant Deum, nec possit domûs ejus majestas & magnitudo latere. Ex solis intuitu cognoscitur quis sit Deus, potestas ejus patet, formositas & magnitudo, fitque tam clarus ac ipse sol; Deus enim est esse quoddam perfectissimum. Itaque conjiciunt omnes oculos suos in Sponsum, quàm ornatus, quàmque prodeat insignis: ita solem cuncti semper intuentur velut virum animosum, generosum, & fortem, in suâ pulchritudine & vigore se gigantem ostendens, nec attendens quàm longum debeat iter perficere, exultat, gaudet, tripudiat, unôque cursu iter suum perficit. Prodit de altissimis cœlorum, & eâdem velocitate eò revertitur: *Nec est qui se abscondat à calore ejus.* Penetrat usque ad profundissima terræ, nemoque valet ejus subterfugere calorem, nec eo se loco statuere, ubi virtus solis non eum attingat. Mirabilis est hujus Planetæ efficacia, quâ producit aurum, lapides pretiosos, & stupendos in visceribus terræ operatur effectus. Hæc est horum verborum paraphrastica explicatio, & id quod sonat littera.

7. *In Psalm. 18.* Verùmtamen D. Augustinus hæc de Christo intelligit; hoc autem indigemus ad roborandum discursum nostrum: & tunc hunc referunt sensum: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquàm sponsus procedens de thalamo suo.* In sole posuit tabernaculum suum, quia totum solem vestivit, contexit, & sanctissimâ suâ humanitate conclusit. *Exultavit ut gigas:* Giganteis gressibus de cœlo ad terram descendit, & iisdem triginta tribus annis ætatis suæ profectus est. *Et occursus ejus usque ad summum ejus,* & denuò reversus est ad Patrem, undè venerat. Hoc enim indicat Euangelista: *Sciens, quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Ita censuit D. Augustinus in tribus hisce versibus totam Christi Redemptoris comprehendi vitam ab Incarnatione usque ad mortem. Et quàm primum Propheta ad hanc pervenit horam: *Vt transeat,* attende quid addat: *Nec est qui se abscondat à calore ejus.* Quasi dicat: In abscessu divini hujus Solis, in absentia à suis, nullus à calore ejus excipitur, omnes ardentissimo suo amore succendit. Nota, cùm ita sit, quod sol iste semper nos calefecerit, ejusque amor numquàm fuerit otiosus: *Cùm dilexisset suos;* ubi tamen lucidius emicuit, ubi universale concitavit incendium, hora fuit mortis ejus: *In finem dilexit eos.* Hîc audita fuit suavior cygni hujus cantilena, quamvìs semper cantâsset, tantòque fuit amor ejus ardentior, quantò antiquior, talemque vult ac desiderat amorem esse erga eum suorum fidelium.

Mystica planè fuit illa actio, quâ 8.
Salvator noster inter Crucis brachia vitam finivit: *Inclinato capite tradidit* *Ioan. 19.* *spiritum;* ita charissimus illi Discipulus. SS. Interpretes subtiliter hîc objiciunt, quid significet, quòd Christus caput inclinet jam moriturus? Quærit & respondet Hugo Card. Inclinavit caput, quo se obedientem ostenderet Patri suo. Quasi dicat: Ex obedientiâ tuâ, ô Pater, morior. *Quasi diceret: Inclino caput, quia per obedientiam morior.* *Hugo Cardinal. hîc.* Sed nulla videbatur hîc urgere necessitas, quandoquidem hanc fecisset actionem, antequàm homo fieret, quandò

verba illa protulit tantæ submissionis, quæ Vates illius David refert: *Aures autem perfecisti mihi*; vel cum Glossâ Dionysii Carthusiani: *Aures obedientes dedisti mihi, quoniam factus obediens usque ad mortem pro homine perferendam.* Quanti igitur est momenti hæc capitis inclinatio, si tam anticipativè obedientiam suam impleverit? Alii suum ferant suffragium, ego innixus doctrinæ nostri Hugonis Cardinalis, dico, ut principia convenirent fini, & egressus ingressui, inclinat Dominus caput suum, quasi de novo se offerens ad obediendum. Obedientiam (moriens) expleverat Patri suo æterno debitam, sed amori, quo nobis afficiebatur, non satisfecerat: undè quandò moritur, actiones ejus facit, qui tantum incipit obedire, eò quòd amor, qui videtur, quòd antè sibi satisfaciebat moriendo: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor usque dum perficiatur*: nunc, quandò videt eum morti proximum, clariores ab illo postulet demonstrationes. Videtur quasi verecundari (dicamus ita ad animarum nostrarum consolationem) quòd in morte sisteret, & urget illum, ut etiam ultrà illam se extendat; in cujus fidem caput inclinat obediens: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Et si nostri Redemptoris actiones (teste D. Augustino) sint nostra doctrina, per hoc docere nos voluit modum, quô eum diligamus, nimirùm semper ad ulteriora aspirando; ita ut amor noster in fine vitæ sit ardentissimus & perfectissimus.

*Psal. 39.* *Dionysius Carthus.* *Luc. 12.*

9. Modò patebit ratio, cur Redemptor noster antè mortem vocem extulerit: *Iesus autem clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Omninò ei contrarium quod communiter accidit: quantò namque morti sumus viciniores, tantò magìs vox elanguescit, & obmutescit. Ad spiritum, in hôc casu, recurrit pius doctusque Cassianus: *Vox est morientis hominis, & transmigrantis de mundo.* Hæc vox in illâ horâ adeò robustâ & canorâ nobis prædicat, qualis esse nostra debeat, quandò ad illum devenerimus terminum: hoc est, licèt enim dum vivimus, non sint nostræ ad Deum voces adeò sonoræ, in ultimâ tamen vitæ periodo, sint oportet solitô robustiores; & si amor nostro in corde cusus tam fervens non fuerit, nunc esse debet ignis incendium; alioquin veri futuri non sumus discipuli Magistri amoris Christi Redemptoris animæ nostræ: qui quamvìs semper suos amaverit, in hâc tamen occasione amor ejus ad summum charitatis gradum ascendit.

*Matth. 27.* *Simon Cassianus hic.*

10. Quàm diversus est noster erga tam suavem Dominum? *Vtinam frigidus esses, aut calidus!* Dolorosæ sunt hæ, licèt amorosæ querimoniæ, quas apud D. Ioannem efferebat, & quemdam carpebat Christianum. Vtinàm aut totus esses frigidus, aut totus calidus! sed cùm tepidus sis, de meâ gratiâ te foràs ejiciam; nec enim stomachus meus ullam patitur in amore vel obsequio meo tepiditatem. Quæro, de quô calore hîc agitur? De charitate. An ergò satiùs non est, ut Christianus unum vel alterum habeat gradum caloris, quàm nullum? & sit parùm tepidus, quàm totus tepidus? Vtique. Quarè ergò Dominus dicit, quòd malit congelatum illum præ frigore fidelem, quàm hunc tepidum? D. Bernardus eleganter solvit hoc dubium, quod primâ luce non carebat difficultate. Litteras dat puero Fulconi amico sibi integerrimo, qui post aliquod transactum in Monachatu tempus, retrocessit, Religionem deseruit, mundumque repetiit: & postquàm Deo servire militâsset, multumque in ejus amore profecisset, ad vete-

*Apoc. 3.*

11.

veterem delapſus eſt tepiditatem. Vtinam, inquit, numquàm cucullum induiſſes, ſed ſemper in ſæculo frigidus manſiſſes: multò namquè facilior extitiſſet tui de hoc ſtatu reductio, & de frigore ad calorem inflammatio, quam ab eo, in quo nunc verſaris, poſtquàm divini amoris calorem perdidiſti: & modò ita languens es & tepidus, ſicut antè eras; quarè non niſi ſummâ difficultate poteris denuò calefieri: *Vtinam te calidum aut frigidum inveniſſem. Hîc oſtenditur apertè, quàm minus tepidus places, quàm ſi vel, quales illi ſunt, frigidus eſſes. Illos utique Deus patienter expectat de frigore quandoque ad calorem proficere. Te ergo indignans advertit, de calore jam in teporem defeciſſe.* Non loquitur Spiritus Sanctus de tepiditate tendente ad calorem, ſed de calore qui deficit ad tepiditatem; & concludit meritò tales à Deo evomi, quos cor ejus non patitur: cùm juſto ejus judicio fiat, ut qui gratiam ejus evomuerit, in criminis ſui pœnam, illâ privetur: *Et quia tepidum te inveni, incipiam te evomere ex ore meo; & meritò: quia tu ad tuum vomitum rediiſti, quia tu ejus gratiam evomuiſti.*

11. Imitemur omnes Chriſtum, Dominum, & Redemptorem noſtrum: cujus erga nos amor tantò fuit ferventior, quantò antiquior: nec eorum peccatorum, quos retulimus, veſtigiis inſiſtamus, ne tam infauſta ſit ſors noſtra, quàm illorum. Semper præ oculis habeamus amoris Dei noſtri præcellentiam, ita de tempore victricem, quod tamen omnia mutare ſolet, ut quandò videtur pati debere deliquium, tunc ardentiorem ſe monſtret & conſtantiorem; & omnibus argumentis in hoc caſu proponendis, eâ ratione reſpondet, quâ nobilis ille Romanus, quem ita colit antiquitas; cùm enim filius ſuus primogenitus eum ob quaſdam contentiones pugione vulneràſſet, & fugâ ſibi conſuleret, pater jam exſpirans, citò vocari juſſit Notarium, & cœpit hâc formulâ condere teſtamentum: Ego talis, integro adhuc conſtans judicio, & prænoſcens mortem meam, hodiè tali die menſis, animam meam Deo commendo, & hæredem inſtituo filium meum. Accurrit Notarius, & adſtans populus, dicentes: Domine, non intendis aliud quàm ut honor tuus, bonaque nominis fama pereat, quam hactenùs viri ſapientis habuiſti & prudentis. An filium parricidam hæredem inſtituis? Reſpondit vir prudentiſſimus: *Filium, quem genui, non quem expertus ſum, hæredem inſtituo.* Non attendo qualis mihi meus fuerit filius, ſed hoc ſolummodò conſidero, quòd illum genuerim, ſimque ejus pater. Audite Chriſtum Dominum noſtrum condentem teſtamentum. Ego Ieſus æternâ meâ ſapientiâ, *Sciens Ieſus*, & mortem meam prænoſcens, *Quia venit hora ejus*, vigeſimâ quintâ Martii, *Antè feſtum diem Paſchæ*, Deo commendo ſpiritum meum, *Et ad Deum vadit*, & hominē hæredem meum inſtituo, *Accipite & manducate.* O Domine! etenim admirabilem rem facis, ſed quæ contra divinam tuam ſapientiam moveat objectionem & ſuſpicionem, cùm tui occiſorem inſcribas hæredem. Reſpondet Chriſtus: *Filium, quem genui, non quem expertus ſum, hæredem inſtituo.* Quid remedii? Si filius eſt, ego illum creavi, ei eſſe dedi, conſervavi, & uſquè modò amavi; quarè nemo miretur, ſi nunc ita excedam. Vt autem nullum eſſet in teſtamento dubium, clauſit illud Hoſtiâ conſecratâ, amoris armis inſignitâ, qui eſt idem ipſe; ardores hi, filii ſunt antiquitatis, & quia ſemper dilexit filios ſuos: *Cùm dile-*

*Apophteg. antiq. Verbo:* Amor parentum in filios.

*dilexisset suos*, idcirco nunc illos ardentissimô diligit affectu: *In finem dilexit eos.*

---

*Sciens quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, &c. Cœpit lavare pedes Discipulorum suorum.*

CONSIDERATIO VI.

*Nullus humiliando se, quidquam perdidit: imò verò facilior ad dignitatés via, est sui humiliatio.*

1. DOctus & subtilis Theophylactus omni ponderatione dignissimum censuit hoc Euangelistæ præambulum: *Sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus: & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit*; ut posteà subjungat: *Surgit à cœnâ*, vestimenta sua deponit, & vilem induit servi habitum: *linteo præcinxit se, & misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum.* Parvam videntur hæc inter se habere connexionem, sed omninò certum est, pulcherrimè convenire. Sunt gravia valdè & notatu digna ejus verba, & in illis hæc ultima innititur consideratio: *Cùm sciret quòd tradidisset ei Pater, & quòd à Deo exisset, & ad Deum iret, non timebat minui gloriam suam, lavans pedes Discipulorum suorum.* Quasi dicat: Priusquam divinus Magister se humiliaret in lavando pedes pauperum piscatorum, & peccatorum, de illo mysticè dicitur, quòd à Deo egrediatur, & ad Deum vadit, quòdque sacrosanctæ illæ manus immundos illos tacturæ pedes fidele sint depositum rerum omnium cœlestium & terrestrium; & nequaquàm (quia de dignitate & generositate suâ quidquam demittunt) desinant esse rerum omnium dominæ. Quô doceamur, quòd nemo, quia humilibus institit actionibus, vel hilum umquàm de dignitate suâ perdiderit: *Et ita* (concludit præfatus pater) *non minuebatur gloria ejus, ex eo quòd Discipulos lavaret.* Tantus Magister, tantus Rex, tantusque Dominus, mansit ille tantus, postquàm Discipulorum suorum pedes abluit, quantus priùs erat Redemptor meus. Atque in fide hujus veritatis, absolutâ lotione, dixit illis: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim.* Nec enim, quia vidistis me pedibus vestris ut servum provolutum, quidquam mea perdidit auctoritas, aut honori meo derogatum est, imò verò hâc adeò vili actione meum stabilivi, dignitatemque promovi. Tantùm abest, ut per humilia ministeria cujusquam minuatur auctoritas, aut vilescat dignitas, ut etiam per illa potiùs exaltentur, magnifiant, & ubique celebrentur. Salvatoris nostri vitam percurramus; nec enim in ea nobis fortia deërunt hujus veritatis argumenta.

Theophyl. hic.

Tres vias, inquit Salomon, ignoro, cùm ex naturâ suâ difficiles sint intellectu: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Ex quatuor hiscè viis, primæ confirmatio nobis fervit. Et quamvìs altissimus ille Aquilæ ad sidera volatus diversas habeat apud SS. Interpretes expositiones, ea tamen quæ est D. Ambrosii, nostræ militat intentioni. Intelligit D. Ambrosius per Aquilam hanc divinum Patris Verbum, descendens de altissimis cœlorum in uterum SS. Virginis, ut in eo vilissimum abjectæ nostræ naturæ saccum indueret: mysterium est hoc adeò sublime, ut illud parva nostri intellectûs sphæra non possit assequi: *Quis cognoscere potest, quemadmodùm Verbum in Virginem venerit, ut tam fœlicem fœtum partus virginalis* 2.

Prov. 30.

D. Ambr. lib. de Salom. c. 12.

*ginalis effunderet*; *id est*, *quod ait*: *Vestigia Aquilæ volantis*, *id est*, *Christi Domini advenientis*. Itaque hôc omissô, quòd regalis Aquila est Dei Verbum, occurrit ratio dubitandi, quomodò convenire possunt figura & figuratum? Aquila namque volatu suo sursùm ascendit altissima cœlorum penetrans: *Viam Aquilæ in cœlo*; Filius autem Dei descendit de cœlis, & delapsus est in terram, quandò *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*. Ita fidei nostræ Symbolum. Quâ igitur ratione componi hæc duo possunt, ita primô obtutu sibi repugnantia; ascensus in cœlum, & descensus in terram. Quantùm ad me, credo Doctorem hunc eximium, quid altius contemplatum, cujus conceptus fulcrum sit nostræ doctrinæ, quam modò proponimus; nimirùm, quòd sicut Dei filius per Incarnationis mysterium se tantùm humiliavit, ut altitudinem cœli pro vilitate terræ mutaverit, ut omnes scirent, quòd ex eô ejus

2. Prov. 30. gloria in nullô senserit detrimentum, vel Majestas contracta viluerit; ita idcircò Spiritus Sanctus eum descendentem ad terram comparet aquilæ cœlorum sublimia penetranti: quô significet, quòd ejus humilitas nullam splendori suæ Majestatis caliginem obduxerit, imò verò tanta submissio dignitatis ejus lucem adauxerit.

3. In montem Thabor proficiscamur, & videbimus Christum Dominum coràm Discipulis suis transfiguratum: *Et*

Matth. 17. *resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Notandum hic ex Origene quod scribit

Luc. 9. D. Lucas: *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus & refulgens*. Quarè Salvator noster

D. Ambr. lib. de Salom. 6, 12. Transfigurationi suæ præmisit orationem? Quomodò respondet unum alteri? Nullo modo, ut videtur: attamen certum est, inquit Adamantius, hanc actionum connexionem celebri scatere mysterio; & quod illud? *Dum* Orig. hic. *orat, transfiguratus est*; *cùm Iesus sic visus fuerit, loquens cum Patre, & oraret eum, id est, subdens se Patri vero Deo, tunc vestimenta ejus splendida & candida fuerunt sicut nix*. Quasi dicat: Est oratio humilitatis protestatio, & resignatio subjectionis creaturæ Deo. Quandò igitur Christus in tantùm se demittit, & humiliat, ac si esset purus homo, Patri suo æterno supplicans, tunc digniorem ostentat majestatem, & gloriæ insignibus ornatus apparet, ut omnes intelligant, quòd per submissionis & humilitatis actus nemo suam offendat eminentiam, quinimò maneat hinc ejus gravitas tanto sublimior.

Quotiès Euangelici nostri Oratores 4. mysticam illam repetunt visionem de scalâ Iacob? *Vidit in somnis scalam stan-* Gen. 28. *tem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, & Dominum innixum scalæ*. D. Augustinus locum hunc exponens, ait: Iacob ad pedes scalæ consistens *Typum gerebat Domini Salvatoris*. Sed addit statim hinc oriri difficultatem: *Sed si* D. Augustinus cit. à Lipom. in Caten. *Iacob eum in terrâ dormiens figurabat, quid est, quod in cœlo scalæ innixus incumbebat? Quomodò Christus Dominus & in cacumine scalæ in cœlo, & in beato Iacob esse videbatur in terrâ?* Quòd autem sit in unâ & alterâ parte, non est dubium: quia de seipso locutus, ait se & in cœlo esse, & in terra: *Quòd autem & in cœlo sit Christus, & in terra, audi ipsum Christum dicentem: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*. Hoc modò superest examinandum, in quâ figurâ vidit illum Iacob summitati scalæ innixum in cœlo, & in quo statu idem se ostendebat in extremitate scalæ in terra re-

clinatus? Communis est Sanctorum doctrina, quòd Patriarcha Iacob repræsentaret filium Dei factum hominem, quia de carne ejus humanam nostram sumpturus erat naturam, & quòd in vertice scalæ figuraret eumdem Dominum Cruce suspensum. Ita sentit D. Augustinus: *Quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere? Considerate, fratres, quis in ligno Crucis pendens pro Iudæis oraverit, & agnoscetis quis ad Iacob scalæ incumbens de cœlo clamaverit.* Intricata valdè difficultas hîc obstat: Quid intendit Dominus, dum mysterium Incarnationis præfigurat in terrâ, & Crucis in cœlo? Oppositum ratio postulare videbatur, hoc est, quòd in cœlo videretur Deus homo, & in terra Deus crucifixus: nec enim ita repugnat Deo Incarnato cœlum, ut cœlum eidem crucifixo. Ratio manifesta est, quia descensus de cœlo principium quodammodò fuit Incarnationis; sed Crucis opprobrium omnimodam habet cum cœlo contradictionem, in quantùm includit infamiam, & ignominiam, quæ omnia tantùm distant à cœlo. Sed nemo neget, quin disertissimè argumentatus sit D. Augustinus, dum in cœlo figuram agnoscit Crucis, quia secundùm Dei ordinem, sicut umbra sequitur corpus, sic honor humanitatem sequitur, & quantò humilius quis se deprimit, tantò sublevatur excelsius. Omnes fatentur, quòd Christus majorem humilitatem in morte, quàm in nativitate prætulerit, quia dum homo factus est, usque ad terram se inclinavit; sed in Cruce moriens, usque ad vilitatem culpæ descendit, abjectam assumens figuram infamis damnatique peccatoris. Nunc igitur, ut ostendat Deus, quòd quò profundior est humilitas, eò sit majestas excelsior; idcircò vult ut crux sua in cœlo tam sublimis appareat, ut per hoc doceat Patriarcham prærogativam, quâ Christus crucifixus seipsum vicit Incarnatum: quandoquidem unum ab altero tantùm distaret, quantùm terra de cœlo, & quia tantùm humilitas Christi in cruce excessit nativitatis ejus humilitatem, idcirco sublimior est dignitas, quam propter crucem habet in cœlo, quàm ea, quam habuit terra, quia factus homo, ut hinc constans maneat illa veritas, quòd numquàm Christi dignitas fuerit securior, ejusq; tutior magnitudo, & majestas constantior, quàm dum infimæ submissionis, & profundissimæ exercuit actus humilitatis. *Ambros. lib. 3. de Fide c. 2.*

5. Ab omni parte, (ita David) sol oritur justitiæ, ab oriente & occidente pari fulget splendore: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* *Psal. 67.* Non habet Deus ascensum & descensum, sed Deo omnia sunt ascensus: quinimò plura dico, in eo quod mundus indicat esse descensum, sublimior ejus latet ascensus: *Ascendit super occasum.* In occidente Deus magis exaltatur, atque in eo quod dicimus occidens, nominis ejus augetur claritas; hîc patentiùs videtur Dominus, & honore colitur digniori. Si percuncteris à V. Beda, quis sit ille occasus de quo David hîc. Respondebit esse crucem: *Super occasum, id est, in cruce.* *Beda hic.* Tales sunt etenim eminentiæ, tantaq; incrementa, quæ crucis humilitate & abjectione meruit Salvator, ut quàmprimùm viderit illum ignominiosè crucifixum, summam in eo perpenderit majestatem, plenoque ore Dominum vocaverit: *Dominus nomen illi.* Eumdem conceptum curiosi invenient in D. Ambrosio, explicante verba illa Psalterii: *Intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam.* *Psal. 17.* Quisque pro sensu suo locum hunc intelligat.

6. Quantum sapio, Altissimus hic, de

dè quo David, eſt Chriſtus Dominus ac Redemptor noſter ſublimi Crucis arbore ſuſpenſus: *Dubitari non poteſt quòd Altiſſimus Chriſtus ſit, cùm David dixerit de myſterio ſuæ paſſionis: Altiſſimus dedit vocem ſuam.* In cœlo Crucis patiebatur pro generis humani liberatione, quandò intonuit, & ea omnia dixit, quæ in Euangeliis ſuis Sacri narrant Hiſtoriographi. Hic planiſſimus eſt campus Antiſtitis Mediolanenſis; ſed ejus licentiâ proponam dubium, nimirum, quòd hæc ejus interpretatio Prophetæ intentioni non conveniat; nec enim Vates ignorabat Salvatorem noſtrum numquàm ita humiliatum, dejectumque numquàm, quàm dum in probroſo Crucis ſtipite expiravit. Quomodò igitur ait D. Ambroſius hunc fuiſſe Davidis ſpiritum, eumque in ſcopum hunc oracula ſua direxiſſe? Sapienter, ut ſolet, diſcurrit Ambroſius, ita interpretatus, quandò Prophetiæ ſpiritu prævidit illum Rex ſanctiſſimus opprobriis ſaturatum, calumniis oppreſſum, & tamquàm malefactorem crucifixum, tunc in hæc verba prorupit, deditque illi nomen *Altiſſimi: Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Itaque vocat eum hîc *Altiſſimum*, & in ſuprà citato loco Dominum, quandò humiliùs ſe depreſſit, & clariora dedit ſubmiſſionis indicia, ut fixa maneat hæc veritas, quòd ſuprema dignitas depreſſa creſcat, nulluſque umquàm, quia ſe humiliavit, quidquam perdiderit: quandoquidem videamus quòd Chriſtus ſalus noſtra numquàm ſublimior effulſerit, quàm dum humilior, & numquàm excelſior, quàm dum depreſſior.

*Ambroſ. lib. 3. de Fide c. 2.*

6. Placet ingenio meo intentioni noſtræ conformis annotatio Venerabilis Bedæ. D. Matthæus ſigillatìm referens circumſtantias Dominicæ paſſionis, hanc quoque non omiſit: *Poſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Nazarænus Rex Iudæorum.* Adeſt modò Beda, quæritque cauſam, ob quam Salvator mundi decreverit ſuprà Crucem mortis ſuæ cauſam affigi, & nequaquàm infrà? Reſpondet, non vacat hoc myſterio: *Pulchrè titulus, qui Chriſtum regem teſtetur, non infrà, ſed ſuprà Crucem ponitur; quia licèt in Cruce pro nobis hominis infirmitate fulgebat, ſuprà Crucem tamen regis majeſtate fulgebat.* Quaſi dicat: Non fortuitò, ſed ſingulari de cœlo conſilio titulus Regis cruci ſuperfigitur, & nequaquàm ad ima deprimitur, quô detur intelligi, quòd licèt hominis infirmitatem patiendo monſtraret, non idcirco tamen majeſtas, Regiſque gloria vileſceret: imò verò ex hâc ſuâ humilitate regnum ſuum firmaretur, tantoque ſecurius ſuum ſtabiliretur imperium: *Quia ſuum per Crucem non perdiderit, ſed confirmârit potiùs imperium.* Nec enim umquàm humilitas obfuit majeſtati, aut ejus derogavit in aliquo juriſdictioni.

*Matth. 27.*

*Beda hîc.*

7. Olim dixit Chriſto dilectus Benjamin: Vidi civitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo, claritate fulgidam, & divinis rutilantem ſplendoribus: *Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, &c.* Intelligatur hoc ſive de glorioſâ Dei civitate, ſecundùm aliquos, ſive de Eccleſiâ militante, cum aliis, ſive de animâ Sanctâ dilectâ Domini Sponsâ, prout alii ſentiunt; hoc notatu dignum occurrit, quòd civitas hæc quàm primùm deſcendebat, ſplendoribus cœleſtibus coruſcaret. Movit hoc ſcrupulum Abbati Ruperto, quia terræ noſtræ pagus locus non eſt glorioſæ pulchritudinis, nec cœleſtis capax eſt claritatis. Quomodò,

*Apoc. 21.*

modò ergo civitatem hanc, ceu animam benedictam hæc sequuntur pignora gloriæ, eamque tanta sublimitas, tantaque comitatur majestas? Aliorum non rejicio suffragium cum Ruperto, sed hoc mihi placet, quòd gloriosi hi splendores annexi essent & maritati humilitati, & eô casu quô descendit, quô se deprimit, quô se humiliat, post se trahit sibi ad ornatum lucem omnem, omnemque claritatem: *Talis descensus gloriosus est, & in magna claritate sublimis. Cùm ergò dixisset, descendentem de cœlo, rectè subjunxit, habentem claritatem.* Conformes sunt in insigniis conjuges, & sicut sunt in humilitate similes, sic in majestate non discrepant; ut hinc discamus, quòd in domo Dei ex nullâ humilitatis actione gravitas amittatur: imò verò scala ascensûs est descensus, & humiliori ministerio honor assignatur eminentior.

*Beda hic.*

8. Nascitur author vitæ in humili stabulo Bethlehem: hic investituram accipit regis Israël, juxtà illud Isaiæ apud Sanctum Matthæum: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.* Ibi quoque reges Orientis feudi tributum solverunt, humilesque ut regem adorârunt: *Et procidentes adoraverunt eum.* Ita prædixerat Psalmista David: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.* Usque huc se extendit Christi jurisdictio in humili paleâ & præsepi reclinati. Et si voluerimus dilatatum ejus videre imperium, eumque Patrem universi, movet nos David, ut consideremus eum in monte Sion, nam indè regiminis sui augmentum, & monarchiæ processit amplificatio: *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Quæro nunc à curiosis, quarè Dominium Salvatoris fuerit limitatum in Bethlehem, in Sion autem ita extensum? Quæsivi summâ diligentiâ hujus dubii solutionem in Sanctis Patribus, Sacrisque Interpretibus, & in Hesychio tantùm illam inveni, & intentioni meæ votoque congruam. Ejus verba sunt valdè clara, sed in epitomen redacta, significant: Humilitas Christi in Bethlehem ad eum ascendit gradum, ut inter bruta nasceretur animalia; porro in Sion fuit multò profundior, etenim pedes lavit Discipulorum suorum, & SS. sui corporis ac sanguinis sacramentum instituit; actiones profectò, quæ, quantùm ad effectum, primam longè antecellunt. Dicit ergo Hesychius: Ne mireris, quòd ubi Salvator humiliorem se ostendit, ibi præclariores sint ejus triumphi, tantoque clariorem assecutus fuerit gloriam, & majestatem, quanto submissiorem, & inferiorem ostendit humilitatem: *Nisi Salvator humiliâsset semetipsum, factus obediens usque ad mortem, non domesticis cognati dicerentur. In Sion Bethlehem ut præsens te saluto, in filiâ matrem video. In te tædifera stella una eluxit, in hâc, multa. Illa Magos duxit, hæc Parthos & Medos, & Elamithas, & omnes gentes luminis fulgore illustravit. Tu hæc trahis ex uberibus virgineis: hæc spiritum ex sinu trahit paterno; tu panem fermentâsti, sed Sion cœnam ostendit.* Confert hîc Sanctus Sion Bethlehem, & ostendit quantam dignitatem contulerit humilitas ibidem exercitata, cui etiam Spiritus Sanctus adscribit adventum; sed intentioni nostræ præfata sufficiant. Quibus affirmare voluit Deus, cunctisque indicare, dignitatem, & altitudinem nullum recipere detrimentum ob exercitium humilium actionum, & servilium obsequiorum, qualia Christus exercuit, dum pedes Discipulis suis

*Matth. 2.*

*ibid.*

*Psal. 71.*

*Psal. 48.*

*Hesychius Orat. in Iacob & David in Biblioth. Photii.*

ſuis lavit, tantùm abfuit, ut quidquam ei de honore ſuo decreſceret, ut etiam tunc melius jura conſervaverit Optimatis, Magiſtri, Domini, & Filii Dei, æqualis, & conſubſtantialis æterno ſuo Patri, prout in principio hujus Conſiderationis cum Theophylacto notavimus.

9\. Intrare modò lubet myſticum lavatorium, quô finem diſcurſui noſtro imponemus: *Cœpit lavare pedes Diſcipulorum.* Depoſuit Dominus Ieſus pallium ſuum, & erectus ſtetit. Qui te, Domine, hoc in ſchemate vidiſſet, quàm animoſus, quàm fervens, quàm diligens apparuiſſes hominis obſequio præparatus! Linteum ſibi ſumit, ſeu mappam, eâque ſe cingit, propriis manibus aquam mittit in pelvim; nec enim patitur, ut quiſquam ex hujus humilitatis aquâ vel guttam ſibi ſumeret: & cœpit, ſeu voluit incipere, ſecundùm probabiliorem SS. ſententiam, lavatorium à Simone Petro: *Venit ergò ad Simonem Petrum.* Vt vidit hic Dominum ſuis provolutum pedibus, totus attonitus: *Videns Divinitatem incarnatam incurvari antè ſe, expavit, & exhorruit.* Ita D. Auguſtinus. Vndè in illa verba prorupit: *Domine, tu mihi lavas pedes? Non lavabis mihi pedes in æternum.* Tale quid mei numquàm videbunt oculi. Indicabas non expedire in monte Thabor deſiderare umbram ejus ſplendoris, & gloriæ, in quâ te videbam, & modò vis gloriam pedibus meis ſubſternere? *Tu mihi?* Tu, qui dixiſti, quòd illam profeſſionem, quâ profeſſus ſum: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi;* Pater tuus mihi revelaverat, an paſſurus ſum, quòd debitum tibi reſpectum perdam, & conſentiam, quandoquidem te cognoſcam ut Filium Dei, videre te pedibus meis genu flexum? Imaginabatur Petrus cõmune hoc eſſe lavatorium, illis ſimile, quibus utimur ad itineris refrigerium, nec ullum aliud habere myſterium: quocircà illud tam pertinaciter de manu Præceptoris ſui & Domini accipere recuſavit; ſed quàm primùm vidit, quòd Dominus inſtaret, & ſub pœnâ perdendæ amicitiæ minaretur: *Si non lavero te, non habebis partem mecum;* ſtatìm obedivit. Prima illa urbanitatis verba, quibus Apoſtolus Magiſtrum ſuum interpellavit, ex opinione Sanctorum, laudem merentur; quandoquidem prudentiam ſaperent, & humilitatem, imò reverentiam, & amorem, quo Dominum proſequebatur: ſed in quantùm pertinax fuit, ne obediret, aliquantulùm peccavit, quia ex ignorante procedebat amore, qui neſciebat, quòd myſticum eſſet lavatorium, quod Chriſtus implere deſiderabat, ſiquidem quandò errorem ſuum advertit, confeſtìm reſilierit, & intelligens ab ore Magiſtri verba illa comminatoria: *Si non lavero te, non, &c.* exiſtimans omnium peſſimum à Chriſto ſeparari, mutavit ſententiam, ſeque ejus voluntati reſignavit: *Domine, non tantùm pedes, ſed & manus, & caput.* Lavit ergò Dominus Petro pedes, cæteriſque ejus ſociis, omnibuſque jam mundis, amantiſſima infixit oſcula, certiſſimum incomparabilis ſuæ humilitatis pignus (ita S. Laurentius Iuſtinianus) & arrham dulciſſimæ ſuæ charitatis, ad maximam humanæ ſuperbiæ confuſionem: *O humanæ pudor ſuperbiæ! ô altitudinis terrenæ confutatio ſingularis! videre Dei Filium aquam infundere, & refundere, pedum pulverem abluere, & linteo extergere, atque ſingulorum pedibus oſcula imprimere dulciſſimæ charitatis.*

*Heſychius Orat. in Iacob & David in Biblioth. Photii.*

*Matth.*

*Laurent. Iuſtinian. l. de Chriſti agon. c. 3.*

10\. Porrò quænam fuit lotionis pedum juſta ratio, imò eorum, quos puros mundoſque habet? *Sed eſtis mundi omnes.*

Novi illud eum fecisse, quô daret intelligi, numquàm satìs mundam puritatem necessariam iis omnibus, qui SS. hoc Sacramentum accedunt accepturi, quod ipse Dominus statìm instituit, & consecravit: etenim absque illâ impossibile est divini illius cibi beneficiis, suavitati, gratiisque participare. Quot lavatoria Deus præceperit Hebræis, eloquentia enarrat Ambrosiana, quibus parati, cœleste Manna gustarent, præcipuam hujus SS. Sacramenti figuram. Notate verba, sunt enim proposito nostro miraculosa: *Post transitum Maris Rubri, Myrrhæi fontis amaritudine, per ligni gratiam temperatâ, agnoscimus esse mundatos. Deinde duodecim fontium potu, postremò petræ spiritalem undam vomentis irriguo; undè & manna manducaverunt, ut toties abluti manducarent panem Angelorum.* Transeunt egredientes de Ægypto Mare Rubrum; fuit hoc primum balneum: statìm bibunt aquas de Marath, mysticô lignô temperatas; & est secundum: post hæc duodecim occurrunt fontibus; eccè tertium: & paulò post sapidissimas gustant aquas, quas notissima mundo petra fundebat; & hoc quartum. Deus meus, & animæ Redemptor, cur tanta aquarum abundantia, ut una alteram subsequatur? Cui tot serviunt lavatoria? Numquid unum sufficit, aut alterum? An toties necesse est lavari Israëlitas? Ne mireris (inquit Antistes Mediolanensis) erant enim hæc omnia dispositiones ad esum Manna, quod dare illis proponebat, necessariæ, multùmque referebat, ut toties mundati, tantâque aquarum copiâ purificati accederent panem cœlestem Angelicis formatum manibus gustaturi. Si tantam igitur puritatem & munditiem quærat Deus in figurâ, ut priùs quàm illam comedant, fontibus marique laventur; quam puritatem, qualemque venustatem non requiret pro figurato, SS. nempè corporis sui & sanguinis Sacramento? Non est hoc tantùm, quòd pedes Discipulis suis lavet, cùm omnes essent mundi; imò verò omnia modica sunt, & parva est maxima præparatio, ad magnam illam, quam digna petit tanti Sacramenti receptio, ut prosit recipientibus, & suam illis communicet gratiam, certissimum futuræ gloriæ pignus. *Amen.*

*D. Ambr. in Psalm. 118. Octon. 16. v. 3.*

TRACTA-

# TRACTATVS XXII.

## DE QUIBUSDAM STATIONIBUS DOMINICÆ PASSIONIS:

## Nimirùm, de Captura, Flagellis, Corona, Ecce Homo, Crucifixione, Depositione de Cruce, & Sepultura.

*Cohors ergo & Tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum.* Ioan. 18.

### SALUTATIO.

OPtimè novi, fideles mei, quòd quô digniùs de tantô ageremus argumento, de tristissimâ nimirùm Christi Domini Redemptoris animarum nostrarum morte ac Passione, salubre foret documentum sanctumque consilium, si prædicator prævius multis pœnitentiæ actibus se præpararet, ut eorum meritô id assequeretur, ad quod studiũ & devotio non attingunt. Satis intelligo, quòd ille solus loquatur dignè, qui dolere novit: porrò si hinc ex meâ langueam tepiditate, & lingua mea balbutiat, illinc Passio Christi Redemptoris nostri, ejusque sanguis, quô redempti sumus, adeò efficax est, ut possit aquam educere de petrâ pectoris mei: quocircà animum mihi suggerit, & præbet confidentiam, ut scribam & expendam, casum hunc adeò tristem, adeoque dolorosum; nam sicut virtutem habuit, quâ scelera nostra curaret, ita & habebit, quâ tepidam nostram accendat devotionem. Tu verò, cœlorum Imperatrix, cujus in castissimis visceribus, efformata fuit, coöperante Spiritu S. sanctissima nostri Redemptoris humanitas, qui hodiè tam acerba passus est, & sanguis in nostram effusus salutem, tuum nobis favorem concede, cœli gratiam impetra, nobis, inquam, qui propriis diffisi viribus ac meritis, de terrâ ad tuam supplices recurrimus protectionem, totâ cordis humilitate tibi salutationem offerentes Angelicam: *Ave Maria.*

---

*Cohors ergo & Tribunus, &c.*

### CONSIDERATIO I.

*Tarde nimis venerunt vincula, quibus Christus ligaretur & caperetur: jam enim amor nostri funes illi paraverat.*

DIvus Bernardus pius ille & contemplativus Doctor perpendens Christum, omne nostrum bonum, Ag-

num illum mansuetissimum inter acutissimos carnivororum illorũ luporum dentes, cernensque funes in divinis illis manibus tot mirabilium operatricibus, quæ quinque millia hominum quinque panibus paverunt, suôque contactu tot tantasque sanârunt infirmitates: contemplatus, inquam, vitam nostram, nostrumque bonum pro peccatis nostris captum, quem humi protrahentes ex horto ad Annæ domum adduxerunt, illi in hæc verba loquitur: *Video oculis mentis te, Domine Iesu, tam duris nexibus astrictum: tamquàm latronem trahi ad judicium Principum Sacerdotum.* Et quamvis non ignorem hoc tibi gratum esse: mihi tamen triste est spectaculum, & tremenda offertur repræsentatio. *Video, & perhorresco, & admiror.* Tantaque me rapit admiratio, ut indubie morerer, nisi scirem, quòd illi funes, quibus amor animam tuam ligat, tales sint, ut priores ex horum consideratione vincula non sint: *Et admirando deficerem, nisi quòd liquidè cognosco te prius in corde charitatis nexu fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leniter attrahere potuerunt.* Quasi dicat: Non requiruntur vincula, non inquam, quibus Redemptor meus capiatur: jam enim amore captus procedit.

D. Bern. de Pass. c. 4.

2. S. Scriptura sic loquitur de Patriarchâ Abraham jam filium suum Isaac immolaturo: *Cùmque alligâsset Isaac filium suum, posuit eum in Altare, super struem lignorum.* Controvertitur inter Scriptores, quærentes hujus legationis causam, de quô sibi senex timebat? Cur immolãdum prius ligavit? Quamvis sentiat D. P. Chrysologus quòd Abraham filio suo non indicaverit, quid acturus esset: *Nescius filius est vinctus:* Communis tamen sanctorum habet opinio, quod hoc illi prædixerit, & Dei mandatum intimaverit: addiderit quoque quod ad ejus implementionem esset immolandus. Hanc sententiam tuentur duo Ecclesiæ luminaria D. Ambrosius & D. Augustinus, & major cum illis interpretum numerus. Hâc igitur suppositâ doctrinâ, ut certâ, premit me difficultas, quare, vel in quem finem vir ille sanctus filium suum nexibus adstrinxit? Omissis aliis rationibus, illa Ruperti in sensu mystico nostræ militat intentioni: *Ergonè & Deus Pater suum colligavit filium: verùm non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio, ne se defenderet, ne oblatum calicem, mori dedignatus, abigeret.* Isaac, testificante Pauló Apostolo, figuram prætulit Redemptoris, quem Pater suus æternus captivavit, non infirmitatis vinculis, sed ardentissimâ charitate: ne cùm in manibus suis esset sui defensio, non pateretur se ligari, & bibere calicem Passionis sibi oblatum, negaret, si Pater illum non caperet, & ille propriâ voluntate non se traderet capiendum, nihil in eo Iudæi, nihil Gentiles efficerent, nec inimicis suis traderetur captivus, nisi prius amoris fuisset captivus.

Gen. 22.

Chrysol. Serm. 10.

Ambros. l. de Abrah. Aug. Ser. 46. & 55. de temp.

Rupert. l. 6. in Gen. c. 22.

Prædixerat Vates Isaias, Messiam velut Aquilam venturum, quandò mundi Redemptionẽ peracturus descẽderet: *Et erit sicut avis.* Verumtamen, ne quis fallatur, cogitans, quòd tanquàm simplex avicula retibus capiendus sit aucupis, aliô locô S. Scripturæ modum declarat quomodò capiendus sit: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos:* hoc est, valde similis est Aquilæ (& de hâc loqui videtur ibi Propheta) quæ pullos suos protectura, seipsum mortis offert periculo: *Quia ipse est Aquila, quæ dum provocat pul-* 3.

Isai. 16.

Deuter. 32.

Paschas. l. 3. in Thren.

*pullos suos ad volādum, dicens: Surgite, eamus, expandit alas suas super eos, ut protegat: Si ergo me quæritis, sinite hos abire: laqueo eorum captus est & insidiis.* Ita gloriosus Paschasius. Probè noverat Auctor vitæ technas & insidias adversariorum, & nihilominus tantùm aberat ut illos Dei filius fugeret: nam cùm ab omnibus posset liber evadere, non tamen fecit: imò verò ultroneè se capi dignatus est: voluitque in se omnes æmulationis ictus retorqueri, modò filii sui libertate gauderent. Alludit ad Aquilam, de quâ scribunt Naturalistæ, quòd pectus suum sagittis offerat venatorum, & se prædam sistit, amore mota erga pullos suos, quorum vitam propriæ anteponit. Libertas igitur pullorum, matris est captivitas, quam non aucupum insidiæ, sed proprius captivat amor. *Rupert. l. 6. in Gen. c. 22.*

4. Quando Iudæi satanæ ministri hodie veniebant capturi Dominum, advertit amoris discipulus, quòd ipse eis dixerit, vel rogaverit (vel cum aureo Doctore Chrysostomo) imperaverit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*; certum est quod me quæritis, attamē abeant liberi hi mei Discipuli. Quid latet hîc mysterii (quærunt SS. Interpretes) quod Christus Iudæis interdicat, nè manus suas Apostolis injiciant, quando ipse captivus abducitur? Huic dubio appositè respondet S. Leo, jam aliàs citatus, verbis sequentibus: *Quasi de Christi Domini comprehensione Discipulorum penderet libertas*: & verissimè res ita se habebat: ab illâ namque nostra pendebat salus, quandoquidem ipse comprehensus nos de tyrannica redemerit servitute & captivitate peccati; quare veritas est indubitata, quòd nexus quos illi nostri amor injecit, prævenerint, eumque præligârint, quàm catenæ funesque satellitum infernalium: & nosipsi, quinimò amor nostri, causa fuerunt dolorosæ hujus comprehensionis; undè semper verô verius est, quòd si capiatur, ratio sit, quia multùm diligit: & non, quia parum potest. *Ioan. 18.* *Leo Papa Ser. 8. de Pass.*

5. Hoc mysterium contemplativi Doctores indagârunt, in eo quod Redemptor noster obviam processerit iis, quos sciebat venire ut eum caperent: *Processit & dixit eis.* Quasi dicat: Hoc scitote, quòd si patiar, patior, quia volo, amore meô ductus, non infirmitatis necessitate coactus. Prænoverat Dominus, quòd manus illi ligarent adstrictis adeò vinculis, ut venis sanguinem elicerent: nam nonnulli capillos, alii barbam evellerent, alii divinam ejus faciem sputis conspurcarent, alii sannis & dicteriis tam enormibus eum irriderent, ut linguam ea narrare pudeat: sed his omnibus lubenter pectus opposuit, & hæc ratio fuit, quare tam molestè tulerit, querelasque dederit, quòd tot armis instructi, tot militum turmis, & justitiæ ministris accurrerent, quasi per vim eum & refragum essent capturi: *Tamquàm ad latronem exîstis cum gladiis & fustibus comprehendere me.* Quasi dicat, secundùm Glossam ordinariam: *Stultum est cum gladiis & fustibus quærere eum, qui se ultro tradit, & in nocte per proditorem investigare quasi latitantem, qui quotidie in templo docebat.* Ignominiâ affecitis obedientiā meam, & hisce terminis amori meo derogatis (ait dulcissimus Agnus) nemo per vim capitur qui justitiæ nihil debeat, & propriô motu se offert: sine armis capitur, qui solvit ex amore, justitiæ tribunal non fugit, qui spontaneè se manibus ejus & potestati tradit: nec catenas refugit, qui venit eas tantô gaudiô, tantôque tumultu quæsiturus, in templô facilè me *Matt. 26.* *Glossa ordin.*

me poteratis comprehendere, locisque publicis, in quibus Dei verbum proponebam, & non nefariâ Discipuli mei proditione, de nocte in hortô solitarium: quasi nollem ego me tradere captivum, vel ex parte meâ violenter resisterem.

6. Quis igitur, fideles mei, patiendi non quæret occasiones, vincula, catenasque considerans Dei nostri? Quis non velut thesauros optabit carceres, quando in illis cernit Dominum illum, mundi liberationem? Insignis planè locus est Apostoli Pauli, quem nunc expono. Ajebat ille in Actibus

Act. 20. Apostolorum: *Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Hierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans; nisi quòd Spiritus S. per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent.* Nescio quid de me futurum sit: sed mihi constat (quia Spiritus S. hoc mihi revelavit) quòd ibi me tribulationes, funesque maneant. Accurrit hîc pro more suo subtilis Lorinus, illud Apostoli perpendens: *Alligatus vado; vincula me manent.* Quâ veritate dicis, ô Sanctissime Apostole, quòd vincula te maneant, si ex nunc in præsenti te fatearis alligatum? Vel quomodo narras in præsenti quòd adhuc futurum est? *Et nunc alligatus ecce.* Ad rem nostram optimè modum solvit qui dubium proposuit, dicens: quandò dicit Apostolus quòd jam captus & ligatus vadat ad vincula, fervida sua declarat desideria, & significat, quod quantum ad voluntatem, jam captus esset, jam amoris nexus illum ligabant, & antequàm pateretur, jam pateretur. Imitator divini sui Magistri, quem prius amoris ligârunt vincula, quàm funes tyrannorum: *Sive mentem, ac voluntatem ipsius*

Lorin. hic. *intelligas, sive Spiritus sancti instinctum.*

7. Quando hoc ita contingit, in pœnis datur solatium, & in tormentis refrigerium: catenæ fiunt suaves, & compedes accepti. Nemo prætereat verba Psalmistæ: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Psal. 149. Nonnulli verba hæc volunt intelligere de die judicii: ajuntque illa cum antecedentibus connexionem habere: *Exultabunt sancti in gloria, &c.* Et hoc sensu significat David: Sancti tunc erunt divinæ justitiæ executores, habebuntque auctoritatem & potestatem, quâ Regibus totius mundi potentissimis compedes injiciant: nec non nobiliores Regni, Primates, & Proceres, in quos, secundùm immunitatis privilegia, nullum in terra datur jus, & potestas vinculorum, ibi tamen vincientur, & manicis ferreis constringentur. Laudo conceptum. Porro D. Aug. hujus Psalmi Commentator, censet Prophetam hîc loqui de mirabilibus, quæ sub ætate aureâ, & lege gratiæ futura essent: etenim per Euangelicam prædicationem Reges & Monarchas vinculis, catenisque alligabunt, & viros illustres ac nobiles ferreis manicis constringent: quasi dicat: Lege Christi ita captivabuntur, ac si fortioribus nexibus essent colligati, & manicis, compedibusque ferreis innodati. Sed confestim oculis se dubium offert: an ergo Principes, Domini, virique ita illustres vinculis ferreis sunt alligandi? *In manicis ferreis?* Durum hoc & intolerabile videtur jugum, & viribus inæquale populi, quem tantæ solent fovere deliciæ. Ita transeat, inquit præfatus Doctor: sed ego modum docebo eos, quo vincula illa, quæ, quia ferrea sunt, gravia videntur, sint dulcia, & onus illud, quod judicant ferri non posse, suavissimum & levissimum inveniant. Et quis ille, ô glo-

gloriose Doctor? *Si ferrea sunt, quamdiu timent, ament, & aurea erunt.* Remedium præ manibus habes, quô fiāt levia: amor omnia reddit facilia: Deum diligant, & vadem me offero, quàm primum ejus amore capientur, vincula ferrea mutabuntur in aurea, catenæ prius molestæ, suaves fient, & compedes qui gravabant, fient levissimi: *Ament, & aurea erunt.* Nam idcirco Christo Domino vincula non fuêre gravia, nec hostium suorum catenæ intolerabiles, quia prius amoris catenæ eum constrinxerunt.

8. Et nedum anima, amore Dei sui capta, gravissimas æquo animo patitur vitæ difficultates, sed ipsa quoque vinculorum ejus cōsideratio captat eam, ne possit illum fugere: & præter hæc amœnissimus sit virtutum florumque paradisus. Olim dixit Spiritus S. *Servo malevolo tortura & compedes.* (*Ecclesi. 3.*) Hoc igitur nobis facit Redemptor noster, vel sancta piaque Mater Ecclesia, nobis in memoriam revocans compedes & vincula, quibus hodie Salvator noster nostri amore constringitur: ut idem sit eorum recordari, & captivari, fiamusque impotentes, qui fugiamus. Non latebat hoc Deum, quòd rationem non parvam haberent gratitudinis decem illæ Tribus Idololatræ, quo ad modum, quo illas excipiebat & fovebat: *Ego nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* (*Osee 11.*) O populum pervicacem! (exclamat Oseë) vah gentem obduratam & refragam! quandoquidem se non subjiciat, & cognoscat devinctam, cùm videat, quod portem eos in brachiis meis, quasi nutritius eorum. Versionem inveni apud Septuaginta proposito nostro correspondentem: *Ego clementissimus Dominus ligabam pedes Ephraim, ne à me longiùs fugeret.* (*Septuaginta.*) Ecce quàm strictè mihi teneatur populus ille refractarius & ingratus, ne fugiat à me: quandoquidem repetitis crebrò beneficiis donisque compedes pedibus ejus injecerim, ne à me longiùs aufugeret. Quid vobis videtur, Christiadæ, quid intendit Ecclesia (ut dicebam) dum nobis vincula, funesque repræsentat, innocuas Christi, & animarum nostrarum Redemptoris manus alligātes, nisi pedibus nostris compedes injicere, omnesque nos in partem ejus attrahere, ne umquam nos ab eo separemus? Deindè ut consideratione comiter illi adhærendo in horto, ubi capitur, sint animæ nostræ gratissimus & odoratissimus virtutum & florum paradisus.

9. Non omittendum profero D. Ambrosii conceptum in discursûs nostri coronidem. Loquitur divinus animarum Sponsus Ecclesiæ, particulariter dilectæ sibi Sponsæ, aitque, quod vivat & moritur in hortis: *Quæ habitas in hortis.* Quod igitur est hoc Sponsæ pignus, quod habitationem suam habeat in hortis, ad eum effectū, ut verba ejus, & opera Sponso sint accepta? *Fac me audire vocem tuam, &c.* (*D. Ambr. in Ps. 118. Octon. 22.*) Quærit eximius hic Doctor, & Spiritu ac dulcedine sibi innatâ respōdet: *Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam in hortis captus est Christus.* Ex horto Gethsemani, in quo captus est Sponsus ejus Christus, proveniunt Ecclesiæ messes suæ, suaque incrementa: quia sicut numquàm ab illo discedit, sed in illo fixam suam servat memoriam: hoc enim est in eo habitare; *Habitas in hortis:* ita necesse est, ut novas germinet vires novasque virtutes. Hæc bona secum trahit devota de Christi capturâ meditatio; adlaboremus eum semper habere præ oculis, ut ejus tribulationi compatiamur. Peccata nostra crudelibus eum tradiderunt inimicis; & amor, quô nobis affici-

afficitur, movit eum, ut nobis compateretur, quo tam molestæ capturæ pretio nobis subveniret: cujus instrumentum milites fuerunt Romani, & ministri Iustitiæ Iudæorum. *Cohors autem & Tribunus, &c.*

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Joan. 19.

CONSIDERATIO II.

*Solvit innocentia pro malitia; licet autem homo delicta commiserit, Christus tamen flagella pertulit.*

1. OMnimodis mediis studuit Pilatus Salvatorem de manibus Iudæorum eripere: sed cùm pertinacem eorum cerneret animum, quo vocibus magnis instabant ut crucifigeretur: conditionem illis proposuit, quo liber evaderet, privilegium scilicet Paschatis, quo liberate solebant donare unum ex vinctis, in ejus beneficii memoriam, quô liberati fuerant de servitute Ægyptiaca; sed ita contra Christum obduruerant, ut instanter Barabbam sibi dari postularent ad vitam, latronem insignem, perditum homicidam, seditiosum: Christum verò Pilatus cruci dãnaret. Cùm igitur Præses videret hâc viâ se nõ potuisse Christum eripere, medium sumpsit aliud, sed admodùm crudele, pœnosum, & infame: nimirum jussit, ut crudelissimè flagellaretur, ut hoc modo truculentam hostium ejus rabiem sedaret. An hoc tibi ô Iesu bone animæ meæ deerat, ut flagris cæderis? Deus flagris concisus: quis tale quid unquam imaginatus est? Olim de te vaticinatus est Propheta Regius: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sed modò video hoc humeris tuis appropinquare, & corpus tuum tenerrimum, & purissimum, ac sanctissimũ laceraturum: cùm nõ tantùm velut servus, sed etiam velut malus servus, crudelissimè flagelleris. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens:* ait D. Paul. q.d. tantùm se Dominus humiliavit, ut formã servi acciperet. Multa dixit Apost. (ita Pater contemplativus Bern.) sed super cantum hunc, cum ejus licentia, superaddo unum adjectivum, & dico, quòd plura adhuc notem quàm quæ nos ille docet: *Non solum formam servi, ut subesset, sed etiam mali servi, ut vapularet:* nam infami hoc supplicio mos erat punire servos.

Psal. 90. Philipp. 2. D. Bern. in Alleg. Titelm.

2. Hoc autem, fideles mei, potissimum amorem nostrum devincit: quòd Dominus de cœlo in terrã venerit, flagra quæsiturus: quare jam desiderii sui fit compos, jam habet quod tam ferventer optabat. Testatur D. August. finem non minimũ fuisse, cujus intuitu verbum caro factum est, ut flagellaretur: *Ad hoc carne indutus est, ut sine flagellis non esset:* quantum intelligo, Dei filius in cœlo (liceat ita loqui) per omnem cõspexit partem, an ibi aliquo modo posset flagellari: cùm videret autẽ nulla in cœlo posse inveniri flagra, ne fraudaretur Epigraphe, seu titulo filii Patri suo charissimi (ut prius ostendimus) in mundum venit, flagella quæsiturus. Ex verbis S. Aug. colligi potest quod præ cæteris, & velut quidquam pretiosum Dei filius flagella quæsierit, illa præponens dignitati filii sacratissimæ Virginis, mundi Redemptoris, & omnium prædestinatorum Capitis: ita ut cùm tanta sit dignitas esse filium SS. suæ matris, videatur tamen illam postposuisse titulo, quo dicitur pro salute nostra flagellatus. Modò capio verborum illorum spiritum, quæ regio suo Prophetâ canente, Patri suo æterno loquebatur: *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Si quid novi, invertere debe-

D. Aug. l. de Pastor. Ps. 115.

debebat ordinem, & dicere, filius sum ancillæ tuæ, & tunc, servus tuus sum: quia primo filius Matris suæ fuit, quàm velut servus flagellis cæsus. Porro ex industria mutavit verba: quasi pluris faceret esse servũ, ut flagra sentiret, quàm filium Matris suæ: nec enim amoris divini fervor extolli potest altius, licèt pari modo humani odii exaggeretur acerbitas.

3. Crudeles accedunt illi carnifices, & tota feritate vestimenta Christo tollunt, nudumque exponunt eum, qui cœlum nubibus vestit, prata floribus exornat, & liliis talem infundit pulchritudinem, qualem nec Salomon in omni sua gloria habuit; divinus ille Agnus omni velo nudatus, virginali verecundiâ erubescit, in medio stans satellitum, factus omnibus in derisum & contumeliam. Quàm primum ad hanc mea venit meditatio stationem, annotationis memini Pauli Burgensis, (quam fortassis alii quoque notârunt) quæ propositum nostrum non parùm adjuvat. Proficiscitur Iacob in Mesopotamiam, pauper adolescens noctis opprimitur tenebris, in deserto vagatur, & solus, sine lecto, sine cœna, ad quietem se componit, & de lapidibus cervical sibi sternit: *Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.* Quærit præfatus author: *Quare nõ intravit in civitatem Bethel,* sibi propinquam: in qua cõgruum haberet hospitium, aptam domum, mollem lectum, mensamq; opiparam? Respondet: *quia pauper exierat è domo patris,* inops pecuniæ, & lacer vestibus; in urbe verò Bethel, ut juvenis habebatur nobilis, illustris, & primarius, idcirco illam intrare verecundabatur, nec suæ derogare potuit animi generositati,

Gen. 28.

Burgens. hic.

nudusque coram eis apparere, qui illum probe noverant. O Rex gloriæ, verusque Iacob! etenim in illo te scio præfiguratum: non miror te nudum adstare coram carnificibus te flagellantibus; nec enim hi te, qui sis, agnoscunt: verumtamen coram Angelis tuis te Dominum suum, & Creatorem adorantibus, hoc me rapit in admirationem; in conspectu SS. Matris tuæ, hoc me percellit: in conspectu, inquam, sacratissimæ Matris tuæ, cùm & ipsa flagellationi tuæ præsens adstiterit. Hæc sententia est D. Aug. *Domina mea misericordißima, quos fontes, dicam, eduxisti de tuis piißimis oculis, cùm attenderes filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari & mactari,* tuumque filium SS. sanguine suo velut balneo perfundi. Ergone, Domine, corã oculis piissimæ tuæ matris, te cognoscentis, adstas nudus, ut acriorem ei dolorem ingeras? fiet necessariò ut ministri Sathanę, quantumvis obdurati, dum eam cernent adeo afflictam, compatiantur ei, & furorem suum non exequantur, nec tu finem illum assequaris, quem intendis, nimirum ut flagelleris.

D. Aug. Med. c. 41.

Porro sciebat Dominus, cui præsentia erant omnia, quod suã illi non mutarent sententiam, nec ex hoc adspectu mitescerent: sed manus suas tenerrimo ejus corpori injiciẽtes, erynnide diabolicâ agitati, columnæ essent alligaturi, sanctumque corpus petræ durissimæ annexuri. Aliquando, Domine Deus meus, satis tibi fuit simili schemate vidisse delinquentes, qui te graviter offenderant, ut manum à supplicio removeres. Ita cogitavit noster Oleaster, dum expendit, quòd Moyses ex Dei nomine præceperit filiis Israël in deserto, criminis idololatriæ tituli reis, ut vestes suas, ornatumque deponerent: *Depone ornatum tuum, ut sciam* 4.

Exod. 33.

Oleast. hic. *quid faciam tibi. Volebat autem Dominus, ut Israël se nudum & spoliatum vestibus illi verberandum objectaret: ut videns eum sic paratum, misericordiâ motus, condonaret peccatū.* Nihil aliud quærebat Deus, quàm illos videre nudos, & confusioni expositos, ut eorum misereretur, & non flagellaret. Hoc modo Dei misericordia cum hominibus egit peccatoribus. Sed attende modò, qualiter hi Deum hominem & innocuum excipiant: vestibus suis Dominum expoliant, funibus brachia ejus pedesque tantâ vi constringunt, ut funes tenerrimam penetrarent carnem: &, ut ait Tract. de Pass. noster contemplativus Taulerus, sanguis ex unguibus, nimium constrictis, erumperet; catenis, vinculisque ferreis eum ad columnam ligant (quæ hodie in Ecclesia S. Praxedis Romæ summâ veneratione cernitur, quam & ego multoties vidi) sed quamvis illum non alligâssent, certissimè mihi persuadeo, quòd optimus Iesus ictus omnes exspectaret, nec semel corpus suum ulli verberi subduceret, quia (ut præfati sumus in præcedenti Consideratione) alia multò fortiora amoris vincula eum stringebant: *O charitas, quàm magnum est vinculum tuum, quô Deus ligari potuit! nullum vinculum Dei filium ad columnam tenere posset, si charitatis vinculum defuisset.* Ita piissimus Laur. Iustinianus. Lauren. Iustin. de ligno vitæ.

5. Inauditâ incipiunt feritate virgis suis & disciplinis in eū irruere, SS. corpus vibicibus cingunt, venas dilacerant, carnem discerpunt, effluit sanguis, torrentes dixisses sanguineos, vulnera vulneribus superaddunt, & jam ipsa flagellantur vulnera, tantusque fuit flagrorum numerus, ut humeros usque ad ossa denudarent: idcirco ut horum multitudinem, acerbitatemque declararet, per os Davidis fatetur, quod nec ipse eorum sciat numerum: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi:* Ps. 34. etenim talis è manibus eorum evasi, ut si vulnera, plagasque voluisses numerare, vano te labore fatigâsses: imò verò ossa prius quàm flagra numerâsses, eodem canente Psalmistâ: *Dinumeraverunt omnia ossa mea;* Ps. 21. omnia namque carne spoliata vidisses: porro tanta sunt signa flagrorum, ut nullus ea vel numerare possit, vel distinguere. S. Paulus (ita Doctor Angelicus) sua numeraverat flagra: *Ter virgis cæsus sum, &c. quinquies quadragenas unâ minus accepi.* 2. Cor. 11. Et notat quod quotiescumque cæsus fuerit, numerus flagrorum numquam ad quadraginta accesserit, sed uno minus. Rationem dat D. Thomas his verbis: *Notandum est autem, sicut dicitur in Deuteronomio l. 25. pro mensura delicti, erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedat. Iudæi autem, ut viderentur misericordes, semper faciebant citra mandatum legis, dantes pauciores quàm quadraginta, secundùm quod eis videbatur. Quia ergo odio habebant Paulum, quando flagellabant eum, dimittebant sibi de numero prædicto quanto minus poterant, scilicet unum tantum minus, dantes sibi triginta novem;* Deut. 25. D. Th. hic. quo se misericordes jactabant, sed sub specie misericordiæ vindictæ suæ satisfaciebant. Hanc autem parvam misericordiam, quam Paulo Iudæi demonstrârunt, Christo Domino non exhibuerunt ejus inimici: sed adeò eorum exarsit odium, ut totam effuderit pietatem: unde vulnera nullum habent numerum, & flagra sunt innumerabilia. Porro nullus obstupescat, Auditores, & memineritis prædictæ legis Deuteronomii: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Si ergo peccata

cata totius mundi, pro quibus Christus Dominus luit, sint propemodum infinita, quid miramur, & flagra numerum omnem superare, & esse infinita?

6. Vt autem filius Dei æterno suo Patri satisfaceret pro totius mundi delictis, expediens fuit, ut tanta pateretur, atque SS. sui sanguinis pretio nos redimeret. Quis non libenter eligat flagellari, modo non offendat tam amicum, tamque bonum Dominum, ejusque gratiam perdat? Videbatur David habere præ oculis Christum Dominum, dum illi sic loquitur: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Quid hoc, Sanctissime Propheta? postquam enim securam adeò demonstrâsses in divinâ protectione fiduciam, Deoque dixisses, quòd certus esses, te per eum à tuis liberandum inimicis, & ille non pateretur, quòd ipsi gauderent, & exultarent, eò quòd viderent quòd pòst tanta spei tempora te desereret eô potissimùm tempore, quô major premit necessitas: *In te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus, quia dixi: ne quando supergaudeant mihi inimici mei.* Modò dicis paratum te ad flagella? Haud equidem capio, nec duo hæc ita sibi contraria combinare possum. D. Gregorius consuetâ sibi doctrinâ nodum dissolvit: etenim versus hos de inimicis animæ, hoc est, de diabolis interpretatur, de quibus hìc loquebatur David: unde dicit hæc optimam habere connexionem. Audire lubet præclarissima ejus verba: *Quoniam ego in flagella paratus sum. Malo enim occidi quàm vinci: flagella libenter patior, persecutiones amplector, visitationes desidero, correptiones concupisco.* Non me videam gratiâ tuâ privatum, & irruant in me calamitates, cunctaque infortunia, quæ quisquam posset imaginari: pereant omnia temporalia, honor, facultates, vita, & corona, & fausto Deo multiplicentur flagra: non modò tua mihi non eripiatur amicitia, lucrum tale mihi metitur, quale nemo potest imaginari. Modò te non offendam, & sicut placuerit, manum extende super me flagellorum, omnia sortem reputabo felicissimam, & tuô armatus exemplô, magnanimè tolerabo; si namq; tu (ut spiritu contemplor) passurus es mille millia verberũ, quibus tuæ restituar gratię: quid hoc adeo multum, ut ego omnia tolerem, quæ mihi de manu tuâ venerint, ne gratiæ tuę jacturã patiar? *In flagella paratus sum.*

Ps. 37.

D. Greg. In Ps. 2. Pœnit.

Felices, Auditores, illi, qui in hâc vitâ flagra patiuntur; sunt enim illa sigillum, & honorificum stigma, quô filii Dei distinguuntur. Excellens fuit (nec aliter esse potest) Divi Bernardi conceptus ad illa verba Psalmistæ: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Peccatores pauca sciunt de calamitatibus, nec in domibus suis diem viderunt malum, semperque multâ fruuntur quiete. Quomodo verba hæc convenire possunt iis ejusdem Psalmistæ? *Multa flagella peccatoris.* Multifariam, multisque modis Deus flagellat peccatores: videntur prioribus contradicere, non tamen sic est, inquit ille, dum enim dicit: peccatores cum hominibus non flagellabuntur, de pœnis & afflictionibus loquitur temporalibus, quæ hìc tolerantur; quando verò prædicit, quòd multis flagellis atterentur, de tormentis loquitur, & suppliciis, quæ in inferno patientur: *Absit; nam qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum erunt: & qui cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur.* Vel in hâc vitâ, vel in alterâ flagella nemo potest evadere: quocircà, qui cum hominibus 7.

Ps. 72.

Ps. 31.

D. Bern. in declamat. super: Ecce nos.

hîc flagella non sustinuerit, illa in tartaro cùm dæmonibus patietur.

8. Heb. 12. Doctor Angelicus expendens illa Divi Pauli verba: *Flagellat autem Deus omnem filium, quem recipit.* Æternus Pater decrevit, ut omnes futuri filii sui hanc flagellatorum præferre debeant inscriptionem. Verba dicit sequentia: D. Thom. hic. Lect. 2. Ps. 72. *Dicit, quod flagellat omnem filium, quem recipit: & ideò, qui non flagellantur, non sunt de numero filiorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Unde est signum quasi æternæ reprobationis.* Ezech. 26. *Auferetur zelus meus à te. Nec mirum, si flagellat omnem filium, quem recipit per adoptionem: quia proprio filio suo non pepercit.* Quicumque excusare se voluerit à flagellis, in numerum dilectissimorum filiorum Dei nō adscribetur: qui namque tales sunt, necesse est ut in hâc vitâ cum dilectissimo Dei filio flagellentur. Igitur ô Domine, omnes nos hic cæde flagellis: si namq; justus luat pro peccatore, secundùm D. Augustinum: D. Aug. Serm. 114. de Temp. *Ecce pro impio pietas flagellatur;* & cùm omnes peccatores simus, filius tamen tuus sanctissimus flagelletur: dignū & justum est, ut peccator, quantum potest, pro se quoque satisfaciat: & non tantùm patienter flagra perferat, quæ illi miseris, sed ipse quoque sua castiget peccata, prout hodie faciunt Discipulantes, qui tuô provocati exemplô, suum effundunt sanguinem; etsi hoc non sufficiat, tu quoque nos flagella (ut dicebam) & cognoscemus, quod nos ut filios excipias, & ut tales bonorum tuorum futuri sumus hæredes.

---

*Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.*

Joan. 19.

## Consideratio III.

*Dum Christo Domino corona imponitur, maledictione culpæ oneratur, volens postquàm nos de pœnis ejus liberavit, prodire spinis coronatus.*

DIvus Ioannes prosecutus Euangelicam historiam, dicit, quod absoluto flagellationis tormento, milites Pilati Christum vestimentis induerint, nempe tunicâ purpureâ, & super illam pallium coccinium, in derisum, & similitudinem improperii: vestis hæc enim erat propria Regibus, duæ namque fuerunt ex sententia D. Ambr. vestes: & sumptis juncis marinis (ut nonnulli graves sentiunt Auctores) longis, inquam, & acutissimis spinis (ut videre licet unam ex illis, quæ summo cultu in majori Ecclesia hujus urbis Hispalensis colitur) ex quibus coronam contexuerunt, quæ, si S. Vincentio Ferrariensi credimus, formam habebat pilei, eratque plena spinis, intrà, ac foris, ex quibus nonnullæ penetrabant usque ad ossa, perterebrantes omnes sacri capitis partes. Post hæc Arundinem dederunt in manu ejus, ut sceptrum Regale, & sedente illo in sede veteri, velut throno, genua flectebant, alapas dabant, divinumque vultum ejus sputis sordidabant, deinde arundinem de manu ejus eripientes, caput ejus illo concutiebant, illudentes: *Ave Rex Iudæorum.* 1.

Ambros. in Luc. cit. à Barrad. Tom. 4. Cōcord. l. 7. c. 7. Pet. Comest. Vincent. Lorin. Salmer. Tolet. Vincent. Ferrar. Serm. de Pass.

Multa hîc se offerebant notatu digna, sed suppositô, quòd ad omnia 2.

con-

consideráda detur impossibilitas, cum contemplativis super coronam spineam reflectamus. Ex divinis humanisque literis constat coronam semper prætulisse victoriam: hôc concessô, quòd Christus salus nostra coronâ coronetur, alicujus victoriæ signum fuit, quod denotatur in materia coronæ. Constans apud Romanos viguit consuetudo (ut notârunt Divus Cyprianus, Hilarius, & alii Auctores) quod victores armis se coronarent devictorum. Et hæc est ratio, ut eam quidam contemplativus adfert, ob quam Martyres cum coronis in capite depingantur, quæ figuram habent scutorum, quibus armis eo tempore potissimùm utebantur: quô detur intelligi, quòd morientes de tyrãnis triumpharent, & iis coronarentur armis, quibus illi utebantur. Si velitis, fideles mei, videre, de quibus victor Iesus triumphet; attentè considerate cujus sint arma, quibus coronatur. Discursum profero, ut doctum, ita pium, Isidori Archiepiscopi: *Idcirco spineâ coronâ victor redimitus est, quemadmodùm clari & celebres victores fecerunt, qui hoc ipsum telum, cujus ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant.* Divinus noster victor armis se coronat inimici devicti, nempe mortis. Alludit Sanctus hic ad verba D. Pauli scribentis ad Corinthios, ubi ait, quòd arma mortis sint peccata: *Stimulus autem mortis peccatum est.* Et ad alia Psalmistæ: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Vbi peccatum per spinas denotatur, quia fuit earum causa: nam ante primi hominis lapsum, nullæ erant; & culpa, quæ portam pœnis aperuit, etiam spinis locum dedit. Hoc verba illa sonant creatoris ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Vbi secundùm Allegorias Sanctorum, per terram maledictam caro nostra intelligitur: etenim post primorum parentum prævaricationem, pro fructu culpam generat, quam spinæ denotant. Si igitur mortis arma sint peccata, & hæc in spinis denotentur, Christus Iesus Redemptor noster illis coronatus, nonne victor est mortis, & peccati, quandoquidem ejus armis se coronet?

D Cypr. Hilar.

Fonseca in vita Christi ad hunc loc.

Isidor. l. 1. Epist. 95.

1. Cor. 15.

Ps. 38.

Gen. 3.

3. Et hoc ita fieri conveniens erat, inquit inclytus Christi Martyr Cyprianus, factum hoc conferens cum præfatâ maledictione Adæ: *Maledicta terra in opere tuo, &c. Verumtamen ut mysterii secreta cognoscas, oportebat eum, qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare, quæ protoplasto peccante sententiam prævaricationis acceperat, dicente Domino: Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos producet tibi. Propterea ergo spinis coronatur Iesus, ut prior illa condemnationis sententia solveretur.* Quatenus tam sublimi honore, qualis est, quo spinæ super filii Dei caput ponuntur, honoretur ignominia, quam patiebantur, eò quòd filiæ essent maledictionis: quamvis enim molestissimum illi dolorem inflixerint, ad tam acerbam tamen afflictionem charitas eum impellit pro calamitatibus alienis: nam velut proprias, tanto suo incommodo Salvator illas curat, ut velit illum spinæ vulnerent, & pungant, ut in capitis sui sanguine abluantur.

Gen. 3. D. Cypr. In Exposit. Symbol. Apost.

4. Sis benedictus in sæcula Domine Redemptor animarum nostrarum, quandoquidem in hoc volueris, vel per hoc securum dare spei pignus omnibus peccatoribus salutis & gloriæ, cùm illis tãtum testeris amorem, ut ex spinis componas tibi coronam. Curiosam objiciunt Scripturistæ quæstionem, quâ quærunt: quot spinis co-

corona hæc Salvatori imposita contexta fuerit? Tertullian. gravesq; cum eo Interpretes censent eam ad numerum septuaginta pervenisse: *Corona spinea in capite ejus circũdata: hãc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificiũ;* Nam spinæ gentium fuêre peccata. Hæc verba primâ facie non videntur solvere difficultatem: nec enim dicunt, quantæ fuerint spinæ, siquidem alludant ad locum quendam S. Scripturæ, ex quo veritas ista colligitur. In Septuaginta nationes, ait Moyses, divisit Dominus, genus humanum: *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, juxtà numerum filiorum Israël.* In divisione populorum & filiorum Adam, conjecit Deus oculos in familiam Iacob, quâ ditatus & numerosus Ægyptum intravit: cùmque cerneret filios ejus ac nepotes esse septuaginta, mundum in septuaginta diversas nationes linguasque dispertiit. Magnus igitur Septimius hôc sumptô fundamentô, probat Christi coronam ex septuaginta spinis compositam, quas Redemptor noster ut sacrificium pro cunctis nationibus Deo offerebat. Quasi dicat, voluit ut essent septuaginta, singulæ pro singulis nationibus: & quandoquidem pro cunctis nationibus omnibusque peccatoribus Dominus moriebatur, & morte suâ servos peccati facturus erat filios Dei, idcircò mysticè se illis coronavit. Vnde ait Divus Cyrillus Alexandrinus, quòd quamvìs inimici Christo illuderent, & spineam coronam ejus capiti imprimerent, ut eum tamquàm ridiculum explodérent Regem, purpurâque induerent illudendum; in hâc tamen occasione pater æternus eum voluit ut verum Regem agnoscere, utque injuriæ verterentur in Majestatem, ignominiæ in gloriam, spinæ nationes præferrent Gentium conversas, & purpura Regem illum totius mundi declararet. Doctoris verba proferamus: *Audivi aliquos, quibus valdè placebat, per coronam de spinis multitudinẽ sculptilia colentium significari, quæ per fidem in diademate Christi suscepta est, per purpuream autem vestem Regnum totius mundi.* De spinis, quæ conversos denotabant Infideles Pater diadema contexuit dilectissimi sibi filii imponendum capiti: nec non ad confirmationem quod hominum redemptio Regem illum faciat, quando coronat eum peccatoribus conversis, cum quoque Regali vestit purpurâ: maxima namque Christi gloria, est salus nostra, hæc ejus dignitas, hæc ejus majestatis eminentia.

Tertull. l. cont. Hebræos.

Deuter. 32.

D. Cyrill. l. 11. in Ioan. c. 5.

5. Quapropter haud miror quod idem Dominus, per Sponsam suam, dum eum cernit tantâ pompâ, tantâque ornatum auctoritate, filias advocet Hierusalem, id est fideles animas, ut eum videant spinis coronatum: & ait, quod dies, quo coronatus hoc prodit diademate, dies sit cordi ejus festivissimus: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Vatablus legit: *Egredimini à vobis.* Non jubeo ut domibus vestris, sed à vobis admirantes egrediamini, obstupefactæ Deum videre spinis coronatum. Vt autem pateat Salvatoris in hoc acerbissimo tormento non superanda patientia, Matrem appellat Synagogam, cùm opus tamen crudelissimæ sit novercæ; & ait: *Quo coronavit eũ mater sua.* Præclarum quoque redolet spiritum expositio Pseli apud Theodoretũ, (licèt sæ pius p ric ata) qui per matrem intelligit Ierusalem: *Matris verò illius Pa-*

Cant. 3.

*tris*

*tris charitas fuit*, & hoc sensu dicere voluit Sponsa, quòd amor hanc capiti ejus coronam imposuerit: *In die lætitiæ cordis ejus*; quæ tanta fuit, quòd licèt tormentum hoc coronæ gravissimum intulerit illi cruciatum, & summæ lætitiæ manum dederit summa tristitia: non tamen diem nominet tristitiæ, sed jucunditatis: *Lætatus est spiritu, licèt carnis cruciatibus vexaretur*, ait Pselus ad hæc verba. Hos inter cruciatus, mæroremque maximum, atque ex illis Domini gaudium oriebatur, neque in hoc ipso esse probat extremum: quandoquidem illud tam profunda non potuerit obumbrare tristitia: imo verò gaudium ipsum & lætitia pœnam omnem superabat & afflictionem.

*Psel apud Theodor.*

6. Illum audi loquentem ore Psalmistæ: *Circumdederunt me sicut apes* in alveari. Explicat hoc D. Gregorius Nazianzenus: *Sicut apes favum*; & Lorin. commentatur: *Similitudo in apibus in favum cõmorantibus*; & addit: *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Et sicut ignis inter spinas fervẽtius exardescit, ita quoque in spinis vehementius furor eorum incruduit. Quis dubium non advertit statim oriturum? quomodo sibi conveniunt hæc duo ita primò intuitu sibi opposita? Apes circumdant favum ut mel inde componant: quomodo ergo, Domine, addis, quod inter spinas suam patẽtius ostenderint sævitiã, & indignationis furorisque ignis ardentius eos invaserit? Spinæ pungunt, mel autem demulcet, quid ergo ais, quòd in maximis tuis cruciatibus, & spinis circumdatus, mellis gustes dulcedinem, & tormenta suavissimus favus esse tibi videantur? *Circumdederunt me sicut apes favum.* Sic est ut diximus, tãtã Redemptorem nostrum animi voluptate spinas & Passionis suæ dolores pertulisse: ut cùm illi tam acerbi essent, in eis nihilominus summopere exultaverit: lætabatur quia pœnas sentiebat mortales, & spinæ SS. ejus caput vulnerantes, dulcissimum illi mel esse videbantur.

*Psal. 117. Nazian. Lorin. hic*

Excessus hi sunt amoris Dei nostri, quô vehementer provocamur, ut eodem illi denario affectuque satisfaciamus, nedum pœnas ejus & Passionis tormenta sentiendo, sed quidquid insuper ejus gratia pertulerimus, gloriam æstimando. Quòd torrens decurrat sanguineus per Salvatoris nostri vultum, cùm certum sit, quòd spinæ venerandi capitis ejus, partes omnes terebrârint; & quòd Christianum invenias, delicias sectantem & voluptatem, qui tamen Deum suum videat ita afflictum, quis credat? facile nemo. Quàm pręclare nos docuit illud Christianissimus ille miles, cujus factum mirifice prædicat Tertullianus: Cùm enim accederet largitionis munus (ayuda de costa) accepturus, quod Imperatores Lucius Septimius Severus ejus pater, & Marcus Aurelius militibus erogabant, manibus Castrensem Coronam deferebat, cùmque alii eam capitibus gestantes, facti causam inquirerent, respondit: *A ratione alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis coronatum fuisse: ipsi venerabili Domini Passioni per ludum insultantes, habeamus redimita floribus capita.* In primitiva Ecclesia fideles capita sua coronis vel aureis, vel floridis non cingebant, spineam Christi coronam reveriti: censebant enim oppositum facere, cedere in dedecus & irreverentiam Dominicæ Passionis, inquit Clemens Alexandrinus, ad cujus cõfirmationem prosequitur Divus Bernardus: *Pudeat sub spinoso capite membrum fieri delicatum.* Pudeat membra Servatoris delicias sectari & voluptatibus inhiare, tribulationes fugere, & 7.

*Tertull. l. de coron. Milit.*

*Clem. Alex. 2. Pædagog. c. 8.*

*D. Bern. Serm. de omn. Sanct.*

re, & opiparè curare cutem; cùm hodiè Christum videant tot tantisque tormentis, sed spinarum potissimè, cruciatũ. Ita declarat Honorius verba Canticorum, quibus Sponsus animam Sponsam alloquitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.q. d. Sicut ego sum lilium inter spinas, videlicet Iudæos me pungentes; sic eris tu amica mea inter filias, quæ te multis spinis cruciatuum pungent*; tibi tribulationes non deerunt, meque in patiendo comitaberis.

Cant. 2. Honor. hic.

8. Perpendas (amabo) ferventem Dei amorem, & nostram tepiditatem, ingratitudinem, qua illi respondemus; de ipso namque dicitur: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*; vel juxta textum Hebraicum: *Zichamin*; id est: *Eviscerat se*, secundùm Interpretes: Deus se eviscerat, ut misericordiis bonisque te coronet; nos autem illi viscera laceramus, caputque acutissimis spinis coronamus: ille mille modos coronarum mihi præparat, jam ex auro: *Corona aurea super caput ejus*: jam ex lapidibus pretiosis: *Posuisti in capite ejus coronã de lapide pretioso*: jam ex gloria; *Gloria & honore coronâsti eum*; & ipse se mihi coronam facit: *Corona gaudii & sertum exultationis*; in quorum recambium coronã illi reddo spineam, cruciatus, & ignominias. Condemnat Deus primi hominis pedes, ut per spinas ambulent: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Vt autem modò non ulcerent hominis pedes, vult Deus ut caput suum vulnerent. In veteri lege, lege rigoris, hoc supremũ faciebat Deus, quo nimirum hominem à culpa separabat, & in eum finẽ hac utitur praxi: *Sepiam viam tuam spinis*; & earum dolor perversos tuos remoretur gressus, quos potes ponere; verumtamen in lege gratiæ, lege tantæ dilectionis, amor ordinem mutavit, & extulit, quo spinas sibi jam imposuit, ut gressus tuos melius detinerent: si namque spinæ in via te detineant, ne pedes tuos exulceres: quanto fortius detinere te debent spinæ in capite Salvatoris, qui de seipso testatur: *Ego sum via*, ut non offendas, nõ corporales tuos pedes, sed caput tuũ spirituale? Ne pungas, ne illi, qui se propter te spinis laceravit, displiceas, eumque amarices, qui recipiens in se spinas, tibi id omne abstulit, quod pungere te poterat & amaricare. Origenes hoc ita exaggeravit: ut percunctatus, quare spineam illi coronam non detraxerint, quando purpureo Salvatorem vestimento exuerunt, respondeat: *Quia consumpta est à capite Iesu*; eamque Dominus in capite suo imbibit. Quamvis autem exaggeratio videatur superabundans, tantum hinc colligo, quod Christus, ne quidquam esset, non admodum dulce, nullumq; nobis suave, voluerit quidquid amarum erat & asperũ sibi retinere: & hoc mystice indicant Euangelistæ, dum de detracta Christo corona tacent; referunt autem exutam illi fuisse vestem coccineã, quæ peccata referebat.

Psal. 101. Eccles. 45. Psal. 20. Psal. 8. Isai. 28. Gen. 3. Oseè 2. Ioan. 14. Orig. Hom. 35. in Matth.

8. Dicere quoque licet, quod si nulla fiat mentio coronæ spineæ, per hoc significetur: quod sicut spinæ nostra devorabant peccata, ita idem fuerit quod illæ tangerent Christi sanguinẽ, ac omnino deleri: quocirca resumentes quidquid in hujus considerationis Discursu tractavimus, duo ad nostram eruditionẽ eliciamus. Sciendum est, quod ex consideratione Christi spinis coronati, nobis asperitates omnes & vitæ rigores, etiam acerbissimi, videri debeant suavissimi: sed nec animus nobis ullus sit, quo divinam ejus Majestatem offendamus. Absoluto sacrificio Isaac, ait S. Pagina, quod Patriarcha Abraham comitibus sibi famulis,

mulis, quos ad pedem montis reliquerat, reversus sit in domum suam: *Reversus est Abraham ad pueros suos, &c.* Doctissimus Lipomannus in his verbis reperit mysterium, aitque illa non tantum significare, quod optimus senex redierit Bersabee, ubi morabatur, sed insuper quod tanta submissione, & humilitate domum suam repererit, quanta servus absoluto Domini sui obsequio in cubiculum suum revertitur: ut illi nec una quidem superbiæ, vel præsumptionis occurrat cogitatio: *Nihil jactat justus de tanto opere, vel promissis: simpliciter arbitratur, se fecisse quod obligabatur, & Domino debebat, tamquàm servus inutilis.* Porrò confestim occurrit ratio dubitandi: Quî fieri potuit, ut Abraham sic abierit, quasi nihil fecisset: si Deus in præsenti dixerat illi, quòd maximum, quod potuit, opus fecisset, nullusque tam heroicum perfecisset actum: & consequenter illi suoque semini tam insignia promiserat beneficia? *Quia fecisti hanc rem, &c. benedicens benedicam tibi, &c.* Audi. Quando Abraham exemit gladium, ut feriret, & Angelus brachium detinebat, ait S. Eloquium: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum Domino pro filio.* Septuaginta transferunt: *Ecce aries unus detentus ex cornibus in planta, seu arbore Sabech.* Et Syriacus Textus: *Ecce aries unus pendens in arbore Sabech.* Manibus in Crucis modum extensis. Procopius Gozæus ait: quod Christum repræsentaverit crucifixum spinisque coronatum: *Eâque figurâ, in arborem Crucis ascendentem, in ea pendentem, illum affixum clavis hærentem repræsentâsse.* Casus igitur fuit: quòd cùm Abraham vidisset hanc Christi figuram spinis coronati: *Hærentem cornibus inter vepres,* statim nihil aut parum videretur illi, quidquid in Dei famulatu ante hanc visionem egisset. Et quamvìs tunc carò sibi stetisset hoc facinus, utique tantoperè naturæ repugnans, quô pater fit filii sui carnifex; postquàm nihilominùs spectaculum illud vidisset arietis inter vepres hærentis cornibus, & divinitùs intellexisset, figuram hanc esse Christi Redemptoris nostri, tantam indè Patriarcha contraxit humilitatem, ac si amarissimum illum non bibisset calicem, nec quidquam Dei gratiâ perpetrâsset. Tantam jam à longè virtutem habebant spinæ Salvatoris, ut pœnarum omnem indulcorarent amaritudinem, tribulationumque pondus alleviarent.

Lipom. in Catena.

8. Septuag.

Syriac.

Procop. Gozæus apud Viegam. in Apoc. c. 12. sect. 25.

Pauca dico: tantæ erat efficaciæ vel umbra ipsa spinarum Christi Redemptoris nostri, ut earum sola repræsentatio pessimos quosque peccatores emollire posset, & reformare. Profundo malitiæ pelago demersus jacebat divino mandato refractarius Ionas, quando justo Dei judicio cetus eum deglutierat: *Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Hebræum originale sic habet: *Iuncus operuit caput meum.* Et quàm primum intellexit Christum in se repræsentatum, pro nostra salute spinis coronatum: *Sicut fuit Ionas in ventre cete, &c. Clamavit ad Dominum:* continuò sceleris eum pœnituit, & de peccato suo doluit. Coronemus nos igitur, fideles mei, considerationes, & dolore spinarum suavissimi nostri arietis, si nostram velimus vitam emendare: quidquid acerbum ejus amore tulerimus, toleratu erit suave: & quem hic in pœnis suis fuerimus comitati, & in gloria quoque comitabimur.

10. Iona 2. Matth. 12.

*Ecce homo.* Joan. 19.

## Consideratio IV.

*Qui absque compassione intuentur imaginem* Ecce homo, *crudelibus possunt comparari animalibus: vera autem pietas eam intuentis in eo consistit, quod Deum non offendat.*

1. Difformis adeò Dominus Iesus apparuit, flagellatus jam, & spinis coronatus; ut licèt Pilatus duritiem, feritatemque nosset Iudæorum, tamen judicaverit impossibile, ut illi non compaterentur, tamque luctuoso spectaculo non commoverentur; ac proindè illis jam esset satisfactum per ea quæ passus erat: quocircà ut illos ad compassionem moveret, & eorum crudelitas acerbiora non postularet, assumpsit eum flagellis cæsum, spinisque coronatum, & deducens ad locum altiorem, undè possent eum omnes intueri, eum populo ostendit, dicens: *Ecce homo, Ecce homo*: ejusdem enim est naturæ vobiscum, & speciei. Pius, & contemplativus Laurentius Iustinianus, ita loquitur: *Objiciens illis visibilem formam, despicabilem, plurimumque deformem, nihil de divinitatis excellentia, nihil de collatis virtutibus recolens, ait, Ecce homo*: ut videret utrum lapidea illa posset emollire corda. Itaque judicavit Pilatus sufficere, si diceret illis ut hominem adspicerent: non illis vitæ ejus laudavit innocentiam, non portenta produxit miraculorum, sed solum illud, quod homo esset, ut ei condolerent, quem tot videbant contumeliis impetitum, totque plagis vulneratum. Quis enim dari potest homo, nisi qui se hominem negaverit, qui fratrem alterum in natura conspiciens adversitatibus, & calamitatibus oppressum, non ei compatiatur ut subveniat, & si possit, eripiat; quantò magìs furorem suum reprimet, sedabitque iram (quamvìs nullus in eo sit affectus) dum eum oppletum pœnis, omnibus indignum, & gravissimè cernit cruciatum? Insignis aperitur mihi locus apud Theodoretum. Acerrimè Saül infensus erat Davidi, quamvìs immeritò, cùm aliam non haberet furoris sui rationem, quàm præclara facinora, & laudabiles adolescentis sanctissimi prærogativas, quique in omnibus melior illo præcurrebat, ut Christus Dominus Pharisæos, Scribasque sanctitate vincebat. His consequenter modum præcipit, quô vita tollatur illi, caputque præcisum adferatur; porrò Michol conjux Davidis, ut virum periculo eriperet, crudelem patris sui Saül invidiam arte industria delusit, atque in ipso lecto Davidis virum evulgavit moribundum, quem hâc simulatione paternis eripuit manibus: *Tulit statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.* Quod illud, dicito mihi, mulieris extitit inventum quo Sponsum suum liberaret? Quis hic modus ita insolitus vitam Davidi salvandi? Si satellites obfirmato animo irruant illum occisuri, quod futurum impedimentum illis hominibus, si in lecto David statuam adspiciant? Dicam tibi, respondet Theodoretus. Attende diligenter quid ista statua significet, & intelliges, quod Michol subtiliorem non potuerit invenire technam, nec tutius ullum remedium, quô propositum suum assequeretur: *Quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse*

Margin notes: Laurent. Iustin. de triumph. Christi agon. c. 15. — 1. Reg. 19. — Theodor. q. 48. in lib. Reg.

*esse David agens animam, sed non erat.* Hæc statua collocata in lecto, repræsentat Davidem expirantem: quocircà ejus intuitus sufficeret remorari milites vitæ ejus insidiantes: quis enim mortalium iram suam non moderetur, frænaque injiciat suæ passioni, si coràm oculis suis figuram cernat hominis (licèt inimici) jam nunc animam agentis? A prudentia laudatur propositum illud Michol: necessè enim erat ut affectus, maximè licèt inordinati, deferverent ex intuitu viri jam ad portam mortis appropinquantis. Congruè igitur Pilatus ait Hebræis: *Ecce homo*; attendite quod homo sit, & vobis similis in natura: corpus ejus considerate flagellis excesum, sanguine fluens, vulneribusque attritum, quem singulis momentis quisque dicat moriturum; ejus misereminì: etenim ejus non misereri, qui in natura humana vobis compar est, naturam est induere ferarum.

2. Aliquando steti ad mysticam illam maledictionem, quâ Patriarcha Iacob percussit filios suos Simeon, & Levi, ob tyrannicam feritatem, quâ percusserant Sichemitas, gladio cædētes Vrbis Principem omnesque cives,
Gen. 49. ut nec uni parcerent, sic ait: *Maledictus furor eorum: quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Suppono ad pleniorem hujus sententiæ intelligentiam id quod notat Divus Augustinus, hoc scilicèt, quod licèt Patriarcha coràm se filios suos habens, ad eos verba sua dirigere videretur, non tamen sic ad eos dirigebat, quantum ad eorum posteros, nempè Iudæos, quorum opera jam à tam longè manifestè luce Prophetiæ prævi-
D. Aug. Serm. 14. de Sanctis. debat: *In præclara illa Prophetia, cùm Iacob Patriarcha benediceret filiis suis, præsentes tangens, futura prospiciens, &c.* Ex sacro Textu constat quare dum bonus ille senex verba illa protulit, adverterit, quod annuntiare illis vellet futuris ventura temporibus: *Congregamini ut annuntiem vobis quæ futura sunt in diebus novissimis.* Suppositâ breviter hâc doctrinâ, subtiliter quærit Ludovicus Istel, in quô patuit hæc durities, fratrumque crudelitas? Et respondet in eô, quod eos non emollierit tantus effusus sanguis, sed immisericordes omnes interfecerint: *Porrò indignationem duram dicit quod ad tanti sanguinis effusionem eorum cor non emolliretur.* Quasi dicat: Cum Iudæis loquebatur Patriarcha, quorum furor ita pertinax, iraque tam obdurata, ut licèt cernerent illum manè sanguineum, non deferbuerint, imò verò lapidibus duriores, ferisque crudeliores, colerâ ferventissimâ instanter mortem ejus à Pilato postularent, quibus minimè sufficiebat, ut mitescerent illud omne, quod Christus pertulerat.

Navi vehebantur Discipuli, quibus aberat divinus Magister: sæva 3.
nimis exoritur tempestas, quam ut evaderent, & periculo se subducerent, non leviter omnes laborabant, quantùm vires, & industria ferebant: Verumtamen, cùm tempestas ultrà modum sæviret, multum fatigabantur, parumque proficiebant: *Erant laborantes in remigando*, sic Divus Mar- Marc. 6.
cus. Hôc igitur periculoso conflictu decertantibus, adest Christus ambulans super mare velut in littore, illisque appropinquat. Notat autem Euangelista, quòd Apostoli *putabant esse fantasma*, & non hominem. Hoc discipulorum judicium expendit Divus Augustinus, & quærit: quomodò, aut quâ de causâ arbitrati non sint esse hominem, sed monstrum aliquod

D. Aug. in Caten. D. Thom. marinum : *Quomodò autem hoc intelligere potuerunt?* Et consuetâ sibi respondet sapientiâ : *Nisi quia in diversum ibat, eos volens præterire, tamquàm alienos.* Non advertis ab Euangelista dici, quod illos Dominus à longè præteriret, nec in ea succurreret necessitate, quâ videbat illos oppressos? Fuit igitur prudens eorum judicium, & meritò non censent hominem, sed fantasma suspicantur; nec enim homo censendus est, inquit Divus Augustinus, qui cernens fratrem suum extrema patientem, illi non compatitur, illique cùm possit, non succurrit. Ecce quàm opportune conceptus hic oriatur: *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Sic Dominus Iesus æterno suo patri ore loquitur Prophetico: hoc est, quòd se tempestate cinctum videat suæ passionis, venerit que super eum pelagus dolorum, & pœnarum, nec non contra procellosos tormentorum fluctus luctetur, ut non sit qui ejus afflictioni condoleat, ac si fantasmata forent, & non homines, vel ut melius dixero, non homines essent, sed feræ: quandoquidem non emolliantur, eorumque pectora non mitescant, gravia licèt videant, multaque quæ patiebatur. Et quamvìs Pilatus in hâc tam afflicta figura Christum objecerit Iudæis spectandum, eisque dixerit: recordarentur eum esse hominem illis similem; tantum abfuit ut à persecutione desisterent, & mitiora saperent, ut etiam majori fervore mortem ejus postularent, & ultimam sanguinis guttam, quô ipsis feris eos dixeris esse ferociores.

4. Seneca lib. de Clement. ad Neron. *Quid istud delectari sono catenarum?* ait Neroni Seneca Discipulo Magister; quid istud quod judices sonitu delectentur catenarum, quando ad tribunal ascendunt? Et semper, dum possunt, tingunt officium sanguine, sibi congratulati, & collætati pœnâ noxiorum? Quid fieret ampliùs, si Leones viverent inter nos, viverentque Vrsi? Vel Romanum Imperium Basiliscus invaderet? Nulla ergò est fera tam inhumana, quæ graviter licèt commota, similitudinem suam non veneretur. Hoc ait Philosophus, ut rigorem temperaret justitiæ; & ipse Nero, cui scribebat, verba nonnulla dixit omni veneratione dignissima: quod dum nullam inveniret rationem, nullumque, quô captivo parceret, prætextum, sibi parceret: *Sibi indulgebat*: & recordabatur se finem ipsius esse naturæ. Ferociores fuêre tyranni Iudæi ipso Nerone: pauca dico; immitiores se Christo Domino, ipsis feris exhibuerunt: Nero namque contristabatur, & hæ compatiuntur: illi verò numquàm emolliti sunt, numquàm compassi: cùm eum oculis suis cernerent præsentem ad miserandum adeò statum redactum, ut ipsos lapides ad compatiendum provocaret.

5. Ne similes efficiamur, fideles mei, Iudæis, & Satanæ ministris, in illo denotatis peccatore, cujus Salvator noster apud Divum Lucam meminit: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus.* Luc. 16. Percunctatur Divus Petrus Chrysologus; in quem finem collocavit Deus pauperem hunc ulceribus scatentem ad limina domus viri tam inhumani, qui nec analecta panum mensæ suæ cum eo dividere dignabatur? Et apposite respondet: *Vt quem vox esurientis non moveret, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret.* D. Petrus Chrysol. Serm. 121. Applaudo conceptui verbisque elegantibus. Providentia factum est hoc divina, qua concur-

concurrerent, & Lazari miseria, & obdurata divitis epulonis inhumanitas; qua lapideum hoc pectus emolliretur: si namque intermortua mendici vox ad occlusas aures peccatoris illius immisericordis non penetraret, tanta saltem oris multitudo, quanta erat vulnerum, quibus saucius languebat, misericordiam postularet, pietatemque exigeret; & quem languentis infirmi vox non evinceret, visus tamen tot plagarum, & sanguinis ex illis defluentis, mitigaret. O quàm penetrativas emittunt voces vulnera illa Salvatoris, & suorum fidelium provocant animas! Quales inspirationes dolorum illud triste spectaculum, & funesta pœnarum tragœdia ad Christianum cor hodiè transmittit! In nobis igitur elucescat pietas, & compassio: ratio nobis hoc suadet, ut per compassionem hoc in nobis sentiamus quod nostri gratiâ Christus Salvator tolerat: ne nostra sit tam infausta sors, ac fuit avari illius, & immitis epulonis, qui ob pietatis defectum in æternum periit.

6\. Ponderatu dignum occurrit, quòd de amicis Iob narrat Spiritus sanctus: *Audientes omne malum, quod accidisset ei, &c. Venerunt singuli de loco suo, &c. Et exclamantes ploraverunt.* Quasi dicat: Quàm primum amici ejus calamitates, & infortunia, quæ illi acciderant, intellexerunt, accesserunt illum visitaturi, singuli de domibus suis, mœstisque vocibus lachrymas effudêre sanguineas. Quærunt SS. Interpretes, quî fieri potuit, ut viri tanta præclari dignitate, & authoritate insignes tanta ediderint signa tristitiæ. Olympiodorus hanc esse causam respondet: *Quia lues antiquas corporis notas obliterarat.* Quia cernebant illum tot scatentem vulneribus, totque plagis undequaque plenum, ut ex earum multitudine à priori statu totus esset immutatus: congruè sicut Redemptor noster, cujus figura talis est, ut hominem non referat, sed dolorum imaginem, quam crudelissima pictorum illorum, & perversi judicis manus effinxit: idque eo modo, ut, ne quis cogitaret eum esse quemdam alterum, dixerit Isaias: *Homo est, & quis cognoscet eum?* Fueritque opus, ut Pilatus certiores illos faceret, eundem illum esse, quem sibi tradiderant: *Ecce homo.* Et magnus Origenes, hunc ipsum piè prosecutus discursum, cernensque eos lachrymosas attollentes voces, aëra mœstis replentes suspiriis, amarissimè flentes, vestes suas præ dolore lacerantes, & capita præ tristitia pulvere conspergentes: *Exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum;* introducit amicos illos hæc Iob verba proloquentes: *Quid fecisti, ô Iob! flemus, vestimenta nostra scindimus, & terram super capita nostra sparsimus: sed utinam cæteros dolores tecum dividere poßimus; nosque redderes eorum participes!* Hoc ipsum, fideles, nobis ex toto corde dicendum Deo nostro, amico nostro, nostroque Redemptori; Domine, perfecti amicijus hoc requirit, & mutuæ ratio postulat familiaritatis, ut in hâc occasione condolentes, mœstosque quàm maximè nos exhibeamus. Quis poterit, Domine mi, & animarum nostrarum Redemptor, in tuis pœnis tuisque doloribus se tibi præstare socium, patique aliquid in exonerationem debitorum, & ejus quod pro nostra salute pati dignatus es? sed cùm hoc impossibile jam sit: quandoquidem tuæ solummodò vires, quia sunt divinæ, vel amor tuus, utpotè infini-

Iob. 2.

Olympiod. in Caten.

Orig. lib. 2. in Iob.

infinitus, tam grave valeant tolerare pondus; saltem non deero illi, quòd exiguæ meæ vires poterunt, nempè velut proprias tuas sentire pœnas, quandoquidem mea peccata sint earum causa: si namque Adam non peccâsset, Deus non fuisset passus: ego te de cœlis in terram detraxi: mei gratiâ homo factus es mortalis, & pro mea salute pedetentim tendis ad mortem. Hic est spiritualis sensus verborum Pilati, quamvìs ille nequaquàm hoc intelligeret: *Ecce homo*.

7. An igitur tam ingratus ego, tamque abjecti animi, ut cordis tibi negavero compassionem, pœnis vestris omni jure debitam? Notat eruditissimus Abulensis, quòd cùm piissimus Rex David, vera Christi Redemptoris nostri figura, fugeret à facie filii sui Absalon, qui humana divinaque jura prævaricatus in Patrem rebellis insurrexerat, ut vitam illi Regnumque parricida tolleret, hôc modò Hierosolymis excederet, ait sacra Scriptura, quod omnes Regem sequentes:
2. Reg. 15. *Flebant voce magna*; cœlum versus plura mittentes suspiria, quàm pallio suo gestat sydera. Quærit igitur, quid illos ad tantam lachrymarum movit effusionem, luctumque tam amarum?
Abulens. hic. Et appositè respondet: *Totus populus flebat, sicut videbat flere David*. Fideles subditi Regis sui vestem assumebant lugubrem. Egressus est David de Hierusalem, filii sui se subducens persecutioni, & amare flens, non suam, sed filii lugens jacturam: *Scandens, & flens*. Cùm igitur populus Principis sui ac Domini cerneret oculos fontes esse lachrymarum, illis se comitem exhibuit; arbitratus se muneri suo non satisfacere, si Regis dolorem non imitaretur, siccisque procederet oculis, quando Rex suos lachrymis implebat. Mysticè monentur hic fideles, & gratiæ filii muneris sui: nec enim ratio patitur, ut dum caput ingemescit, membra rideant: & corpus ab omni dolore, & cruciatu sit liberum; quando caput suum diris adeò subjacet tormentis: ut aperte clamant vulnera illius: *Ecce homo*.

8. *Ecce homo*: hoc idem nobis omnibus, & singulis ait æternus Pater: oculos conjicite in hominem hunc: est enim filius mihi dilectissimus: ecce qualiter eum peccata vestra vulnerârint. Considerate vos eorum omnium esse causam, vestraque peccata
9. hos illi dolores inflixisse. Vos qui illum ad hæc tormenta toleranda cogitis: vos sceleribus vestris illum captivatis: vos luxuriis vestris illum flagellatis: vos vanâ vestrâ dignitatum ambitione spinis coronatis: vos eum discursu vestro ex uno ad aliud peccatum ligatum, de hoc ad illum judicem ignominiosè trahitis: vos eum morte condemnâstis, & iniquitates vestræ injustam contra illam dedêre sententiam. Qualis igitur quantusque esse debet dolor vester, cordisque tristitia? Divus Augustinus coràm hac imagine, *Ecce homo*, quasi absorptus orabat, oculis suis torrentes evomebat lachrymarum, ex intimo corde suspiria educebat: à quô si causam quæsieris effectûs tam admirabilis, tibi respondebit: *Peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quòd meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod commisit homo, sustinet Deus*. Quis talem vidit umquàm mutationem? Patitur supremus omnium Dominus, Patris gloria, cœli lætitia, fons puritatis, abyssus sanctitatis: id, inquam, patitur, quod ego rebelle man-

D. Aug. in Manual. c. 7.

mancipium merebar tolerare. Eia ergo Christiani, has pœnas in vobis sentite: & cùm pro sceleribus vestris tolerentur, illas in vos transferte; ut per hoc pro illis satisfaciatis, & aliquo saltem modo, quod debetis exolvatis. Attendite, si modò non faciatis, in die misericordiæ, Dominus hic facturus est hoc in die justitiæ suæ: tunc etenim tibi illas imponet: & sicut illas à te sumens sibi ferendas imposuit, ita tunc se illis exonerabit, tibique ferendas imponet.

9. Cesset igitur, Christiani, audacia vestra, vestrisque frænum injicite dissolutionibus, moneatque vos pro illis tam dira passus Dei filius. Movet se Deus ob scelera vestra tam acriter indignatus (dum filium suum tot cernit contumeliis afflictum) ut parcat vobis, & in numerum filiorum suorum vos admittat: & te non movebit ut offensis tuis valedicas, cùm sint ejus vulnera vestrorum conviciorum supplicium? An posthac, fideles mei, futura sunt crimina? An posthac vel una admittetur culpæ cogitatio? Audite his congruenter sancti Gregorii spiritualem considerationem: etenim meretur audiri. Proposuit Deus sancto Iob nonnullas quæstiones circà materiam de terrâ, & alias de mari, atque in particulari hanc publicè notam illi proposuit: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* Per vitam tuam te obtestor, dicito mihi, quis nisi ego conclusit ostiis mare, ad eum planè modum quo puerulus fasciolis involvitur, ne se movere possit? Quis superbum ejus furorem repressit, nisi potentissimum meum brachium? Quænam sunt hæ portæ mare refrænantes? Ita quærit Divus Gregorius: quodnam illud ostium obstans ne pelagus terram demergat; & de quo Dominus mari loquitur. Alii suam ferant sententiam: *Possunt per ostia passiones Christi non inconvenienter intelligi: &* vulnera agni innocentis amore nostri tolerata: *Ecce homo*; per mare verò omne genus peccatorum, qui superbia inflati, & insolentes debitam Deo audent negare reverentiam. Nunc igitur patet id, quod Dominus à Iob inquisivit: quis furenti maris elemento portas opposuit? Quis superbi, & arrogantis potest peccatoris refrænare dissolutiones? Quis passiones humiliare, & cordis humani affectus moderari? Quis? unum *Ecce homo*, vulnera mea, sanguis meus, & plagæ: sunt enim ostia, quæ ferocissimum quemque mitigant, & perditissimum remorantur: *Nam dum passiones unigeniti humanum genus priùs erisit, postmodùm eas pavit.* Ad dolorosas hasce plagas, & sanguinolenta vulnera appetitus humani crispantes franguntur undæ, atque de illis portæ fiunt, quibus nostrarum passionum furibundus cohibetur impetus: ita namque vocat illas Isaias: *Impii quasi mare fervens.*

D. Greg. lib. 38. Mor. c. ult.

Isai. 57. 10.

Pro coronide hujus discursus serviat mellifluus Bernardus, qui dolorosa hæc mysteria compassivâ meditatione contemplatus, in hæc verba prorumpit: *Hæc passio potentissima est ad exhaurienda peccata.* Quasi dicat: efficaciam habet, & virtutem quâ cuncta deleat peccata: *Mihi data est: quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit.* Nobis data est, ut ex illa proficeremus, eamque impenderemus, quâ debitis nostrorum scelerum satisfaceremus, gratiam eneremus, & æternam, quam amiseramus beatitudinem. Non data est bonis Angelis in remedium eô modô

D. Bern. Serm. Fer. 4 Hebd. pœnos.

quô

quô mihi, quia eadem non tenebantur necessitate; sed nec malis, quia proficere illis non poterat. Mihi soli efficacissima hæc est præparata medicina, qua peccati mei curetur infirmitas. Rationem non habes, ô Christiane, querelæ, quod hominem non habeas qui mittat te in aquam, ut salutem consequaris: *Hominem non habeo*: arbitri seu mediatores non sunt necessarii ut piscinam sanguinis Redemptoris ingrediaris: *Ecce homo* qui te sanare potest. Hic est ille homo, in quo solo veritatem invenies: nam reliqui omnes te decipiunt: ipse solus est, qui tuis potest mederi necessitatibus, tuam ditare paupertatem, tuam lætificare tristitiam, tuas solari tribulationes, tuos alleviare labores, tuas, inquam, roborare debilitates. Cessent igitur, ô Christiani, hodiè nostra crimina, & perfecta contritione errorum præteritorum, firmiter proponamus omnes aberrantem nostram vitam corrigere: ut Ecclesia pia nostra Mater desiderii sui lucra percipiat: hoc enim intendit toties repetita memoria stationum Passionis Christi Redemptoris nostri, sibi persuadens nullum fore fidelem, cui sit animus posthac Deum offendendi, dum muneris sui recordatur, & præsentia spectat amoris extrema, quæ nostri gratia Dominus hic perpetravit, quæ omnia nobis in hâc devotissima proponuntur imagine: *Ecce homo.*

---

*Bajulans sibi Crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, ibi crucifixerunt eum.* Joan. 19.

## CONSIDERATIO V.

*Excellentia amoris Christi in tollenda Cruce non tantum attenditur in ferendo ejus pondere, quantum in tollendo eam tanta cordis alacritate: nostram etenim agens salutem, propriam videbatur operari redemptionem.*

IN tantum crudelissimus ille popu- 1.
lus, & perversissima plebecula obduruerat, ut non tantum lachrymoso hoc non mitesceret spectaculo, imò potiùs ferocior evaserit, contumacior, & voces in aëra mittentes, præsidem inclamârit: *Tolle, tolle, crucifige eum*, & finem huic tragœdiæ suppliciocrucis impone. Cæsaris amittendam minantur amicitiam, nisi fecerit; ut notat Euangelista, quod quàmprimum præses audivit se Imperatoris gratiâ excidendum, si Christum libertate donaret: quia quicumque se regem offerebat, contradicebat Cæsari, timore perculsus, morte Christum damnavit, & Iudæis tradidit ut sententiam executioni mandarent. Milites igitur Christum arripiunt, & exuentes eum veste purpurea, qua lusum de illo fecerant, propriis illum induerunt, ut ex illis facilius agnoscerentur: quandoquidem facies adeò difformis eum omninò immutârat. Grave igitur crucis lignum humeris imponunt Salvatoris: qui, secundùm contemplativos, ex diei illius, & præteritæ noctis afflictionibus, multoque effuso sanguine poterat vix pedibus sub-

subsistere, & proprii corporis sufferre pondus: cui & aliud superaddunt tantum, quantum novimus fuisse crucis pondus. Hoc modo agnus innocens de prætorio educitur Pilati, ducendus extra civitatem ubi crucifigatur; atque hoc schemate nobis proponit illum Euangelista: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.*

2. Pias admodum multasque solent Oratores Euangelici hîc adferre meditationes. Vnam ego expendam, quam alii quasi taciti præterierunt: nimirum quod ait Euangelista, quòd Christus exiverit: *Bajulans sibi crucem.* Quomodo sibi? Ex ratione dici oportuerat; Bajulans nobis: quandoquidem ex illa nostra dependebat, qui peccatores sumus, redemptio: ille etenim quia ex natura impeccabilis, passione non indigebat. Quomodo ergo dicit: *Bajulans sibi?* Opinor ego, quoties Euangelista utitur hoc verbo: *Bajulans sibi*, mysterium innuat, & significare per hoc intendat cordis gaudium, animique lætitiam, quâ Redemptor animarum nostri gratiâ tendebat ad patiendum: quæ profectò tanta erat, ut omnes cruciatus suos & ærumnas tanta voluptate perferret, quanta si pro seipso eas pateretur: non quasi nos illis redimeremur, sed ipse potius redimeretur. Verba illa Canticorum:
Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ*, intelligit doctissimus Pselus, citatus à Theodoreto, de Christo Salvatore, & animarum sponso: dicit enim; non opus erat ut eum satellites vi raperent in montem Calvariæ, quandoquidem
Psel. apud Theodor. spontaneè illò erat iturus: *Exivit in eum, innuit cruciatum & mortem Salvatoris; hoc enim tu per montem Myrrhæ intellige.* Idem sentit Hugo de sancto Victore, & verbum addit ad nostri discursus primam probationem; legit enim ex textu Hebraico: *Ibo mihi ad montem Myrrhæ, ad montem crucis.* Notate cum illo, quod ait *Ibo mihi*, quasi pro sua salute iret moriturus: *Ait mihi; sibi vadit.* Rarissima hęc est ardētissimę suæ charitatis industria; ut moriens, quo nos redimeret, dicat se mori pro propria salute. Vnde idem erit: *Ibo mihi ad montem Myrrhæ, & Bajulans sibi crucem*, quo probat se nostram salutem ut propriam æstimare. Hugo Victor hic.

Si scripturistæ, atque in sacris litteris versati meminerint quod ait Isaias Cap. 63. secundum antiqua Biblia, dicit Dominus: *Dies enim ultionis in corde meo; annus retributionis meæ venit.* Iam tempus advenit, quo adventus meus, determinatū ferat fructum: jam tempus eluxit quo de peccato & diabolo sumam vindictam: jam sæculum aureum, felicissimum, & horæ appropinquavit felicissima, annus, inquam, homini, si quis alius, antonomastice faustissimus. Biblia correcta ita legūt: *Annus redemptionis meæ venit.* Haud equidem capio; Deus enim non detinebatur captivus, servi culpæ nos eramus filii Adam, ac proinde nostra, nō illius erat redemptio: ergo melius sonabat terminus antiquus, *Retributionis meæ*; quàm *Redemptionis meæ*; ita prima luce videtur; porro si notemus, mysterium latet in difficultate; cùm enim Christus Dominus ex natura fuerit impeccabilis, non habuit quod redimeret, nec esse potuit diaboli captivus. Quomodo ergo dicit: *Annus redemptionis meæ venit?* Ratio est, quia redemptionem suam vocat, ad eam gloriæ suæ, cui amor illum ita univit, ut quando venit illam redempturus, dicat quod veniat ad liberandum se: *Annus redemptionis meæ venit.* 3. Isai. 63.

Postquam Deus hominem creaverat, ait Spiritus sanctus: *Requievit Deus* 4. Gen. 2.

*die septimo ab omni opere, quod patrarat*: hoc est, requievit Deus ab omnibus suis operibus; quia creaturam invenerat, nempe hominem, in quo requiesceret. Divus Augustinus & Imulius Africanus intelligunt illud casualiter conforme Regulæ Ticonii, qua causæ adscribitur, quod convenit effectui; quocirca dicit, quod Deus requievit, quia personam creaverat, quæ in Deo, velut in ultimo suo fine centroque requiesceret: *Requievit Deus die septimo* (loquitur Divus Augustinus) *quia jam erat homo, qui requiesceret in Deo*; cùm enim tantopere diligit hominem, ejus quietem habet ut propriam. Quamobrem nemo miretur ab Euangelista dici, quod Christus sibi tulerit crucem, quando ea onustus processit nos redempturus: *Bajulans sibi Crucem.*

D. Aug. & Imul. Afric.

5. Præcepit Dominus Prophetæ Zachariæ: *Sumes argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filii Iosedech sacerdotis magni.* Mihi videor aliàs locum hũc interpretatus, sed alia intentione; modò sequamur interpretationem & annotationem Divi Hieronymi, dicentis Iesum hunc figuram esse Christi nostri Salvatoris. Et consequenter notat, quod cùm Dominus non nisi una esset persona, imponantur tamen capiti ejus sacratissimo non una, sed plures coronæ. Nunquid sufficeret (quærit Doctor præfatus) quod sacra ejus tempora uno tantum diademate cingerétur? sed opus esset, quod pluribus coronarentur. Grande mysterium; quare exponens prædicta verba, sic ait: *Imponuntur coronæ Iesu filio Iosedech sacerdoti magno: quia vobis virtute pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit.* Ratio quare summus sacerdos Iesus multiplici coronetur diademate, hæc est, quo significetur Christus Dominus, qui tot capiti suo coronas imponit, quot sunt illæ, quas veri pœnitentes obtinent; itaque cùm ita sit, quod coronæ sint particularum, sicut Dominus nostrum honorem æstimat velut proprium, nostraque incrementa sua reputat; ita quàm primum nos de divina ejus manu coronam accipimus, se gloriatur coronatum, & dicit, quod sibi vadat ad montem Myrrhæ, quando mihi tendit ad montem Calvariæ.

Zach. 6.

Hier. hic.

Præclarissima est proposito nostro Divi Gregorii Pontificis observatio. 6.
Duas consequenter parabolas introducit Christus Dominus noster, quibus declaret, quàm grata lætaque sit sibi hominum conversio; una est ovis, altera drachmæ, sunt hæc pignora divitiarum Dei: primo perditæ, postmodum inventæ; in utraque introducitur, qui illas invenit, amicos & vicinos convocans, & invitans, ut illi congratulentur: *Congratulamini mihi.* Luc. 15.
Advertit D. Greg. quod nemo congratuletur ovi, vel drachmæ inventæ, id est homini per peccatum perdito, & invento per gratiam; sed pastori, sed mulieri; id est Deo, ejusque sapientiæ (ut præfatus S. ait) quorum hæc fuit diligentia, ut ovem drachmamque quærerent: *Congratulamini mihi.* Domine mi, nostra est felicitas, homo in te proficit, & nequaquam tu ex homine; patere, ut illi fiat congratulatio, qui tantæ tibi fuit occasio diligentiæ, qui tantam in te excitarunt sollicitudinem, desideria accēdit quærendi, & sorte felicissima inventus fuit. Imo contrarium (replicat D. Greg.) lætentur omnes cum Deo: tanta namque mulcetur consolatione in nostra pœnitentia, ac si ipse lucrum referret, & inventionem nostram læ-

D. Greg. Hom. 34. in Euang. Naziánz. Orat. 21. in Pascha.

titiæ signis festivè celebrat. Notandum quod non dicit: *Congratulamini inventæ ovi, sed mihi: quia scilicet ejus est gaudium vita nostra, & cùm nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ ipsius implemus.* Et sicut advertit Divus Gregorius Nazianzenus, conferens hodie crucem in humeris Salvatoris, & postmodũ ovem aberrantem, eumdem affectum utrique demonstrat, cùm utrumque in salutem nostram redundet. De ove inventa dicit: *Congratulamini mihi*, & de cruce quam sustinet: *Bajulans sibi; venit Dominus ad montes & colles ubi sacrificat, & palantem invenit, inventam iisdem humeris, quibus & Crucis signum sustulit.*

7. Hoc ipsum Salvator noster in omni servavit occasione profectus nostri ac salutis sibi oblata, quod ipse potissimum lucrum inde sibi referret. Quãdo prodigiosum illud edidit signum, (historiam narrãte S. Marco) quo septem panibus abundanter sequentem se pavit multitudinem in deserto: notat etenim Euangelista, quod Dominus æterno suo patri gratias egerit: *Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, & dabat discipulis suis, &c.* Multas proferũt Interpretes hujus gratiarũ actionis rationes. Venerabilis Beda citatus àD. Thom. unam dat proposito nostro conformem: *Quod gratias agit, ostendit quantum de salute humani generis gaudeat.* Optimo jure gratiæ referendæ erant ab invitatis: eorum etenim necessitati consultum fuit: quia nec buccellam inde comedit Dominus, porro ex industria gratias egit Patri suo, per hoc testatus, quantum humani generis æstimet salutem. Communis mundi praxis est, ut qui beneficium accepit, gratias referat: Dominus igitur ut ostenderet, quantum sibi referat nostrum bonum, quasi ipse commensalis esset, pro eo refert gratias, quod homines comederunt. Perpendite, Christiani, quanta sint hæc amoris pignora: quandoquidem Christus Dominus nostra ut sua perficiat. Quando ad montem Myrrhæ proficiscitur, dicit: *Vadat mihi ad montem Myrrhæ.* Quando tempus nostræ eluxit redemptionis, ait: *Annus redemptionis meæ venit.* Quando homo in illo requiescit, de ipso dicitur: *Requievit Deus die septimo.* Quando nos coronam assequimur, ipse se lætatur coronatum: *Et pones in capite ejus.* Quando ovis perdita, & drachma inveniuntur, præcipit sibi fieri congratulationes: *Congratulamini mihi.* Quando nostris videt provisum esse necessitatibus, ipse quasi sibi provisum esset, gratum se demonstrat: *Gratias agens.* Et tandem quando ligno Crucis onustus pergit ad Calvariam, de eo scribitur: *Bajulans sibi Crucem*; quia in ea nostra consistit redemptio. Quis igitur eum in ferenda Cruce non adjuvet? Quis illi ad tanti ponderis sublevamen humerum deneget?

Marc. 8. Beda in Caten. D. Thom.

8. Proficiscebatur Iacob per desertum, & nihil minus cogitans, locum invenit admirabilem, in quo scalam vidit de cœlo ad terram pertingentem, per quem ascendebant, & descendebant Angeli: *Et Dominum innixum scalæ.* In prætericis cõsiderationibus diximus, qualiter mystica illa scala figuram referret Crucis Redemptoris: modò cum Auctore docto perpendemus, quod ex una parte Crucis esset Deus, atque ex altera Iacob: *Crucis aspexit simulachrum, Dominus humerum superiori parti Crucis apponebat, & Iacobus Simonis instar, dorsum oneris inferiori parti accommodat: Nec sufficeret Iacobo Dominum Magistrum existere crucis Bajulum: nisi simul ipse Discipulus humeros admoveret.*

Gen. 28. Burgens. ad c. 19. Ioan. Lect. 2. Observat. 2.

Quo datur intelligi, quod Christianus non adjuvans Christum in ferenda sua Cruce, suis non satisfaciat obligationibus.

9. Omnibus in confesso est, quod Crux in humero sit insigne, quo dignosci debent fideles: etenim non datur sine Cruce Christianus. De fidelibus in lege gratiæ prædixit Sophonias: *Servient ei humero uno.* Septuaginta trāsferunt: *Ei servient sub eodem jugo*; vel in eodem jugo. Et explicans amplius hanc versionem Lyranus, ait: *Servient illi quidem Domino, sed humero uno: alterum enim ipse Dominus applicabit ad adjuvandum.* Metaphora sumitur à duobus bobus idem trahentibus jugum, & significatur: terribile Crucis pondus dividetur inter Christum, & fideles suos: ita ut numquam casus futurus sit, in quo Dominus Crucem solus ferat, sed bipartitum sit inter illos onus: unde levius erit multò, multòque suavius. Eia igitur, Fratres mei, Christo Domino non solum humeros, sed corda quoque nostra libenter offeramus; nec dubitemus: magnum enim inde suis in tribulationibus sumet allevamentum; comitemur eum gemitibus, suspiriis, & lacrymis in hac molesta ejus longaque processione, quamvis in ea ex cordis sui gaudeat meditullio: quandoquidem dicat, quod in ea sibi vadat, sibique Crucem ferat: *Bajulans sibi Crucem, &c.*

*Sophon.*

*Lyran. hic.*

---

*Ibi crucifixerunt eum, &c. Post hæc Ioseph ab Arimathæa, &c.* Joan. 19.

CONSIDERATIO VI.

*Ad conspectum Christi crucifixi, nulla datur durities, quæ non emolliatur, nec vita quæ non emendetur; cujus sepultura sufficit, ut omnis de mundo culpa exterminetur.*

CVm jam perventum esset ad montem Calvariæ: locus etenim hic erat, in quo malefactores extremo supplicio afficiebantur: ait D. Ioan. *Ibi crucifixerunt eum.* Extenditur Christus Dominus in terra super Crucis lignū, durissimum tam delicato corpori lectulum, tam vilem tanto Domino, tam angustum tam extensæ potentiæ. Hoc est, Domine, & Redemptor animæ meæ, refrigerium, quod tibi mundus servavit, ad requiem intolerabilium laborum, quos sustinuisti. Extenso igitur Agno mansuetissimo, & factis foraminibus, clavi crebro malleorum ictu in Crucem adiguntur; fixisque jam pedibus ac manibus, cùm tota planities populo repleretur, horrendo clamoris reboatu in aëre, victoriæ nostræ vexillum erigitur in cōspectu totius mundi, in stipite attollitur mysticus Moysi serpens, cujus virtute & aspectu à vero serpente Moysi, salutem consequantur. Arcus in medio cœlo, diversus tinctus coloribus statuitur, divinæ justitiæ reconciliativus. Æterno Patri satisfactio pro peccatis totius mundi dedicatur, dum Dei filius, pro nobis, qui mori debebamus, ipse moritur; hæc ultima fuit amoris ejus meta: quandoquidem eum devinciat, non ut 1.

jam

jam ignoscat, sed ipse solvat quod erat peccatorum debitum. Cōsideratio hęc spiritum sapit Chrysologi: *Vt amâsse se peccatores proderet, magìs solvendo debitum, quàm donando.* Q. d. Poterat equidem Deus hominibus ignoscere, remittens eis culpæ debitum, & ab obligatione pœnæ solvēs; sed in hoc amorem suum non ita manifestâsset, sicut dum ipse debitum solvit; & hoc non tantum, quia dolores patitur amarissimos, mortemq́; subit terribilissimam: sed etiam quia illam nomine patitur peccatorum, ac si illi ejus nomine peccâssent. In quo non solùm me obligat in eo quod patitur, sed in meæ quoque personæ repræsentatione, & mei loci assumptione; & hoc quidem antequam ego eram in gratia; quandoquidem morte ejus intercedente ad illā sum reversus. Insolita est hæc divini amoris perfectio, quæ vehementer nostram urget gratitudinem; ita ut vita nostra ejus morti respondeat, & quemadmodum mori Christum, fuit nos amare, ita vivere nostrum, sit eum amare, & ipse sit absolutus cordis nostri Dominus, & cū ipso in illo sedeamus. Dulcedo spiritus, quā mellifluus Bernardus in corde suo sentiebat, quando dicebat, quod hoc super omnia fibras cordis sui premeret, affectumq́; raperet, effectus erat considerationis Christi in Cruce morientis: *Super omnia reddit amabilem te mihi Domine Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc omninò amorem nostrum facile totum vendicat sibi: hoc, inquam, est, quod nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius.*

*Chrysol. Serm. 29.*

*D. Bern. Serm. 20. in Cant.*

2. Quantum sapio, extensa illa Christi brachia dulcissimos nobis offerunt amplexus, & amicâ violentiâ omnes ad se fideles trahere desiderant. Huic conformiter exponit Stephanus Cantuariensis verba illa Dei per Oseam Prophetam: *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Nemo crediderit quantum ego afficiar Ephraim: quandoquidem illum in brachiis meis gestem, quasi nutritius. Quando (scire desidero) impletum est illud, nisi in Cruce; quando apertis brachiis nos omnes rogans, ut ad cœlum perducat? Divina sunt ejus verba: *In brachiis meis in Cruce distentis: ibi enim extendit Dominus brachia sua ad amplectendum nos & portandum.* Populo Christiano loquitur, quem vocat Ephraim, id est Augmentum: quia filius est adauctus & magnificatus, cui divitias omnes, suamque servat hereditatem. Hunc, inquit, brachiis meis volo deferre: & fieri non poterit, ut ipse sua mihi deneget, post tam longam mei amoris experientiam.

*Oseë 11.*

*Stephan. Cant. hic.*

3. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*, inquit Salomon in Cant. Novi quot habeat locus hic explicationes; sed Petri Damiani proposito nostro famulatur: *Ascendit igitur Dominus palmam, & apprehēdit fructus ejus: quia mox ut in Cruce pro nostra salute pependit, omnes electos ad semetipsum per amoris desiderium traxit.* Ad palmam ascendit Redemptor meus, quando in pretiosa Crucis arbore crucifixus pependit: nec inutilis fuit illi hic ascensus, quàm primum enim in illa pependit, fructus ejus collegit: quia se Dominum cordis omnium electorum effecit: nullus enim est, qui illum hac in figura contemplatus, non amore langueat & moriatur: qui verò illum ferventissime non diligit, in numero eorum non censetur, nec signum præfert prædestinatorum; qui namque tales sunt, quàm primùm considerant eum in cruce

*Cant. 7.*

*Damian. Serm. de Invent. S. Crucis.*

clavis confixum, se illi tradunt, totumque suum illi amorem dedicant.

4. Velut vexillum & signum (inquit Euangelicus Isaias, attollet in altum Dominus crucem suam; ut omnes nomen suum sub ea inscribant, qui cœlestem Ierusalem erunt bello devicturi: *Levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iudæ colliget à quatuor plagis terræ.* Divus Basilius Magnus expedit locum hunc quoad energiam verborum Prophetæ, qua significatur virtus Christi crucifixi, dicit etenim eam fore tam efficacem, ut ad se dispersos attrahat per quatuor mundi cardines, omnesque simul cognoscent crucis ejus potentiam, dominoque servient, qui in ea generis humani operatus est salutem: *Vt hac significatione omnes mundi partitiones, per eas S. Crucis partes ad salutem dispensentur*; ita præfatus Author. Intellexit Propheta idem futurum quod hominibus Dei filius innotesceret ex amore eorum crucifixus, quod omnes ejus famulatui se consecrarent, & amori victos se submitterent. Sed, heu Domine mi, & Deus vitæ meæ, quantum novi ingrati sumus omnes! intelligo dixisse Isaiam id quod injustissimo titulo fieri deberet, & non quod ex nostra meritò punienda succedit ingratitudine, quandoquidem tanta tibi tepiditate serviamus, tantoque te languore diligamus.

Isai. 11.

D. Basil. Magnus in c. 11. Isai.

5. Ex alterutro de duobus potest hoc evenire; vel de modica fide, vel ex defectu considerationis. Quoad primum, non credo: sed secundum facile mihi persuasero, hoc est, quod ratio, ob quam tam suavis medecina tam paucis proficiat, quandoquidem tot scelestissimos & perditissimos lugeamus in mundo Christianos, ea sit, quia attente non considerant, nec longo tempore contemplantur suum in cruce Redemptorem; si namque hoc facerent, longe aliter viverent.

Duos casus referunt Euangelistæ valdè diversos in morte Christi Domini contigisse: primum refert S. Matthæus, & alterum S. Lucas. Iam Christus Dominus salus nostra ignominiosa Cruce pendebat, ut nobis illum repræsentat D. Ioannes, & qui tantis compati debebant doloribus, tantis ignominiis, tantisque condolere tormentis, pervicaces, æmuli & obdurati inimici quo pœnas ejus irritarent, doloresque acerbius ulcerarent, horrēdas in illum basphemias evomuerunt, capita moverunt, & mille conviciis opprobriisque provocârunt, quæ, quia nota, subticeo: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, &c.* Hîc subsiste. Tandem author vitæ expirat, omnesque morti ejus adstantes Gentiles, qui conglobati concurrerant ad spectaculum, & quæ fiebant, notabant, reversi sunt, pectora sua tundentes: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur.* Modò quærit mea curiositas, dixero potius devotio, quid causæ subesse potuit, quod populus ille nequam & cęcus, Christo Cruce clavis affixo non compatiens, tantis illum irritaret blasphemiis, tantis impugnaret improperiis, tantisque afficeret ignominiis: hic autem adeo pius, illiq; hoc in miserrimo statu cōdolens, non tantum pœnas ejus non exacerbaret, & moribundum offenderet, sed ècontra & condoleret, deque peccatis suis doleret? Ad hujus dubii solutionem sciendum, quod textus Græcus verba prædicta S. Lucæ:

6.

Matth. 27.

Luca 23.

cæ: *Aderant ad ſpectaculum iſtud*, transferat: *Ad theorian*, quod ſecundum interpretationem Barradii in concordia ſua Euangelica, ſignificat: *Qui aderat ad conſideratione͞ & ſpeculationem*: Quaſi dicat: qui attenta mẽte quæ fiebant cõſiderabant, & ſpiritu ſuo ruminabant. Comparemus ergo modò hoc quod illi agebant, cum illo, quod hi perfidi, de quibus ita Matthæus: *Prætereuntes blaſphemabant eum*, nam à longe tranſibant, blaſphemiis eum impetentes, & concluſionem elicies: quod hi qui proximi Chriſto crucifixo adſtabant, & attente conſiderabant raram ejus patientiam, profundam ejus humilitatem, inauditam ejus charitatem: quandoquidem pro crucifixoribus ſuis apud Patrem intercederet, in lachrimas prorumpant compunctionis, pectora ſua percutiant de præteritis pœnitentes malis, proponant de cætero ad illa non reverti. Porro proditores illi & ſacrilegi Deicidæ, qui leviter tranſibant, & non conſiderabant, aut annotabant cui fictius alii inhærebant, impudentes & inverecundi blaſphemabant eum. Hæc omnia præfatus autor piiſſimis refert verbis: *Qui adſunt ad hanc theoriam mente, qui Deum conſiderant pro peccatis crucifixum, revertuntur à vitiis ad virtutem, pœnitentiam agunt, pectora percutiunt, corpora verberant ac macerant: à theoria hac ad praxim deſcendunt, & bonis operibus navant operam.* Non eſt mera ſpeculatio de Chriſto Crucifixo meditatio: multam continet praxim, & eſt motivum efficaciſſimum, quo vita reformetur, mores corrigantur, & ſancta piaque opera perficiantur.

*Barrad. infra.*

*Barrad. tom. 4. concord. l. 4. 21.*

7. Quod ſi Chriſti Domini mortui conſideratio tam potens ſit, ut in nobis tam mirabiles operetur effectus: ſepulturæ ejus non minora poteſt meditatio: imò verò ſufficiens eſt quæ cuncta de mundo peccata eliminet. Iam nota eſt forma qua Chriſtus depoſitus eſt de cruce, & ſepultus in monumento quàm primum Deus ſuggeſſit viro nobili Ioſeph, qui erat diſcipulus Domini, ſed uſque nunc occultus propter metum Iudæorum, in ſe ſuſcepit Chriſti ſepulturam, & cùm vir eſſet honorabilis, ſenator vel Conſiliarius Ieruſalem, audacter introivit ad Pilatum, rogavitque ſupplex licentiam ſibi concedi ſepeliendi velut ſanctum, illũ, quem Iudæi tamquàm malefactorem medium inter duos latrones publicè crucifixerant. In hoc munere Nicodemus manum ei præſtitit auxiliarem: erat hic magiſter legis, qui prius Chriſtum de nocte convenerat & Diſcipulum ſuum ſe profitebatur. Modò ſe manifeſtat, & centum libras myrrhæ & aloës adfert, quibus ſacrũ cadaver inungatur. Mirabiles ſane pretioſi ſanguinis Redemptoris effectus! Accedunt igitur viri illi, licentiâ impetratâ à Pilato, ad Montem Calvariæ, ſcalas erigunt, Crucem aſcendunt, omni reverentia & animi demiſſione clavos diſſolvunt, cadaver deponunt, & ſindone munda involutum ſepulturæ tradiderunt: humeris ſuis illud deferunt, & proceſſionaliter progrediuntur, quos Sacratiſſima Virgo Maria, piæque aliæ mulieres, quas commemorant Euangeliſtæ, comitantur. Lachrymas, ſuſpiria, gemitus, quibus ſibi mutuo reſpondent, contemplari magis licet quàm exprimere: quocirca ea prætermitto, ut etiam fecerunt Euangeliſtæ.

Ad monumentum accedunt, & in eo ſanctiſſimum recondunt corpus: quod 8.

quod optarem in nostris hodie animabus spiritualiter sepeliremus, ut in illis sepultus nobis de memoria numquam excideret, nec animus nobis esset, quo Crucifixum offenderemus. Hoc sensu explicat noster Lusitanus Forerius illam sententiam
*Isai.* 5. Isaiæ: *Dabit impios pro sepultura.* Vbi agens Propheta de peccatoribus quos Deus morte sua justificaret, ait quod
*Forer. hic.* cum illa peccatores sepelientur: *Id est, ut improbi sepelirentur, & omnis improbitas in barathrum detruderetur.* Quasi dicat: sanguis pro illis effusus & datus, mors pro illis tolerata, virtutem tantam, & tantam habebant efficaciam, ut quando illum sepelirent, omnes cum illo peccatores continuò sepelirentur: quia omnis iniquitas in profundum relegabitur, nec ultra vivet super terram. Video tamen, quod licèt ante oculos nostros Deum & Dominum nostrum habeamus mortuum & sepultum, peccata tamen non cessent, nec finem accipiant iniquitates; contingit autem quod paulo ante dicebam, quod Propheta dixit, non fieri ut nostra petit obligatio, sed nostra nobis consulit improbitas.

9. Loquitur Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum de vate Elisæo, elogium componens ejus virtutum, & præconem agens insignium ejus facinorum: hoc autem inter alia extollit: *Et*
*Ecclesiastici.* 48. *mortuum prophetavit corpus ejus.* Tantus fuit Propheta Elisæus, tam heroicæ vir virtutis, ut corpus ejus, etiam mortuum, prophetaverit. Vix intelligo, nec scio qua ratione possit illud verificari: nec enim quisquam ostenderit in tota Scriptura, quod Propheta jam mortuus locutus fuerit. Ad hujus loci intelligentiam refert duo supponere: primum quod commune Sanctis Patribus & Interpretibus, alterum Angelico Doctori Divo Thomæ particulare. Commune Doctorum est, quod hæc verba celeberrimum illud tangāt miraculum, de quo mentio fit lib. *4. Reg.* 14.
quarto Regum. Injicitur à latronibus in sepulchrum vatis Elisæi cadaver hominis cujusdam crudeliter ab ipsis occiti: quod quàm primum ossa vel cadaver Prophetæ contigerat, ad auras resurrexit, & spiritus vitales defunctus, ad contactum cinerum Sancti recepit: & hoc vocat Spiritus sanctus Prophetiam: *Et mortuum* *D. Thom.* 2. 2. q. 171. art. 3. argum. 1.
*prophetavit corpus ejus.* Modò quærit Divus Thomas, quid est prophetia? & respondet, quod aliâ retulimus occasione: *Est enuntiatio futuros eventus immobili veritate significans.* Prophetizare est dicere in præsenti eventus, & quæ in futuro infallibiliter contingent. Nunc igitur quid prophetizavit corpus Elisæi mortuum & sepultum? Dicat hoc præclaris verbis Hugo Victorinus: *Intra nos est hortus, in quo sepulchrum est Domini: in quo si cadimus, suscitamur, ut corpus à latrunculis delatum, timore persequentium in sepulchrū Elisæi dum cadit, vivum resurgit.* Quasi dicat: Prædixit, tempus futurum, in quo Christi Domini corpus mortuum, plurimis defunctis vitam daret: & ad considerationem sepulturæ suæ, multos mortuos esset resuscitaturus. Adeò, ut non solum ipsum mori mundo, & rebus omnibus præsentis hujus vitæ, quam vivimus, verùm etiam ipsa resurrectio nostra à morte culpæ ad vitam gratiæ, ex contemplatione sepulturæ Christi, resultaret.

10. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ,* inquit Salvator noster *Matth.* 24.
apud Divum Matthæum. Communis doctri-

doctrina est, quod Christus hîc loquatur de SS. suo corpore, & nonnulli eorum intelligunt per has aquilas binos illos sanctos viros Ioseph & Nicodemum, qui Christum hodie sepelierunt. Ego verò (cum eorum licentia) fideles, omnesque Christianos intelligo, & hos Redemptor noster vocat aquilas. Sed continuò prodit se difficultas; quare potius Dominus illos aquilis quàm alijs comparet auibus? Vt huic dubio satisfiat, notandus est modus renouationis aquilæ, quem D. Basilius describit. Quando senem se grauemque sentit, volatum ad Solem extendit, & illicò cadere se patitur in stagnum aquarum: ingreditur frigus per poros, ex quo facilè suam renouat juventutem. Ad hoc allusit Propheta Regius, dum ait: *Renouabitur vt aquilæ juventus tua.* Nunc ergo spiritum capiemus verborum Christi: *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*: q. d. Vbi corpus meum fuerit sepultum, illic inuenientur aquilę. Aquilæ erunt omnes mei Fideles: quia quantumuis scelerati sint peccatores, tamen ad conspectum mei corporis mortui, considerationis volatum ad cadauer meum sepultum attollentes, & aquâ lachrymarum se demergentes, veteres culpæ pennas exuent, & velut aquilæ renouabuntur, & velut de fonte Baptismatis renascentur.

*Barrad. To. 4. Concor. l. 7. c. 23.* — *Basil. in Hexame.* — *Ps. 102.*

11. Notandum, quod Ecclesia S. pijssima Mater nostra, annuatim nobis repræsentet mortem & sepulturā nostri Saluatoris: vt vnam post alteram obtinentes animarum nostrarum renouationem, iterum pennas veteris Adam non induamus: nam cùm nobis mortuus sit sponsus noster, eumque habeamus iam sepultum; omni justitiæ, rationique contradiceret, si alteri, quàm ipsi nostrum consecraremus affectum. Hanc inter alias culpam Doctores grauem affricant Bersabee, quod vix occiso viro suo Vriâ, matrimonium cum Dauid inierit: licet gradum ascenderet altiorem, & quæ priusviro gregario nupta erat, nunc Regem potentissimum haberet in coniugem. *Post Vriæ mortem mulieris luctus fuerunt nuptiæ.* Censura hæc fuit Magni Theodoreti: quia mutatio tam subitanea status, præterquam, quod signum mundo fit incontinentiæ, parvum etiam erga maritum primum accusat affectum. Modicè Deum sponsum suum diligit, dixero melius, non diligit illum anima, quæ memor mortis eius & sepulchri, adhuc animo valet, vt alijs præterquam luctibus vacet, ob mortem illam, cuius peccata sua causa exstiterunt. Hoc sonant cōformiter explicationi S. Aug. verba illa quæ Christus dixit apud S. Matth. *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Dolorem ostendent, & luctum præferent, quem talis meretur iactura. *Proinde quia iā sponsus sublatus est; vtique nobis filijs sponsi pulchri illius lugendum est: speciosus enim forma præ filijs hominū, inter manus persequentium, non habuit speciem neque decorem, & ablata est à terra vita eius. Quis hic non lugeat? Quis non dicat: Factæ sunt mihi lachrymæ panes die & nocte?* Nobis loquitur, Auditores, contemplatiuus Pater his diebus mortis & sepulturæ diuini nostri sponsi: in qua omnia doloris signa, quamuis magna, parua sunt, & contracta, & lachrymæ omnes, multas licet effundamus, modicæ sunt, si multas illas consideremus, quas à nobis exigit mors & sepultura Saluatoris: quocirca quamdiu eius caremus præsentia, illis nullum demus

*Theod. in l. Reg. 9.* — *Matt. 9.* — *D. Aug. hom. 12. in Fer. 4. Ciner. apud Biblioth. homil.*

mus interstitium, nec à pœnitentiæ desistamus exercitijs.

12. Patres illi veteres, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, alijque multi, vna tantum figura, vnaque solum repræsentatione mouebantur ad pietatem; illis sat erat passionem, mortemque venturam Filij Dei recolere: vt semper maximum facerent in virtute progressum. Sufficiebat vnica mors Abel, vnica gestatio ligni per Isaac in humeris, vnicus Ægypti agnus, eiusque sanguis, quo superluminaria domorum tingebantur, vt Dominum contemplarentur, & tragœdię mortis eius compaterentur. Modò autem omnia sunt necessaria, & deuotæ omnes Ecclesiæ repræsentationes cordis nostri non valent emollire duritiem. Non sufficit, quod Mater nostra Ecclesia pullum induat, templa funebri amictu exornet, vociferentur Prædicatores, modosque inquirant eloquentiæ & eruditionis, quibus aspides surdas incantent. Vtimini, Auditores, eius diligentia, sanctas eius considerate imagines, & sacras eius perpendite ceremonias, festa eius celebrate: & quemadmodum læta vos exhilarant, ita mœsta contristent. Oculos in pompam defigite & in sepulchrum Domini: eius enim memoria efficax est, quæ vobis hîc gratiæ vitam tribuat æternæ pignus gloriæ, Amen.

---

# TRACTATVS XXIII.

## DE RESVRRECTIONE SALVATORIS.

*Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, &c.* Marc. 16.

### SALVTATIO.

QVando perpendo quod mater nostra Ecclesia in hoc magno gloriosæ Resurrectionis triumphantis Saluatoris die non cõmuni, sed nouo delibuta gaudio, tam hilarem se lætamq; exhibet, vt filios suos fideles inuitet, dicatque illis, vt eum, qua possunt, maxima celebrent iucunditate: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* (Ps. 117.) sapientissimæ memini sententiæ D. August. *Vbique maius gaudium, maiori molestiâ præceditur.* (August. de Ciuit. Dei l. 5. c. 17.) q. d. Nihil ita lætificat, ac bonum prius perditum, ac postmodum recuperatum: præparationes etenim maximi gaudij, quod speramus, facere solet amaritudo, quæ toleratur. Et idem dixerat Euripides in sua Medæa: *Geminatur cum succedit aduersitati prosperitas.* (Eurip. in Med.) Sicut in aurora quando sol clarus oritur & formosus, post tenebrosam, tempestuosam, funestamque mortem, summos montium illuminans vertices, alius longè videtur esse Sol: & velut ante perditus, nunc autem inuentus, rebus omnibus esse dat nouum, & cor hominis noua perfundit hilaritate; ita diuinus ille Sol iustitiæ Christus in die suæ Resurrectionis radios

radios suos manifestans, post tristem adeò mortem, mortis suæ scilicet, omnibus esse nouum infundens, omnia iucunditate replet & gaudio. Quocirca hodiernum gaudium vniuersale est, omnibus Angelis, cunctis hominibus, cælo, terræ, & elementis: omnia nouo hodie vestimento ornata prodeunt: quod (vt diximus) ex præterito mœrore paret multo fulgidius. Maiorem huius lætitiæ partem adepta est Virgo Maria Domina nostra serenissima, cuius virginale pectus (si illam consideremus) tanto resultat gaudio, vt nouo indigere videatur fauore Filij sui, quo temperetur. Rogemus eam in die tantæ lætitiæ, suique cordis voluptate, vt ad considerandam hanc in filio suo gloriam, nobis ab illo gratiam impetret. Eam igitur cum Angelo salutemus: *Aue Maria.*

---

*Maria Magdalene, & Maria Iacobi, &c. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc.*

CONSIDERATIO I.

*Crucis Christi humilitas, & sepulturæ eius abiectio, pignora erant sublimissimæ eius gloriæ.*

I. DIscursum hunc fundet noua sententiæ Hieremiæ expositio, nisi quia mea est, suam perdat auctoritatem: *Cogitauit* (inquit) *Dominus dissipare murum filiæ Sion*, eumq; ita euertere, vt nullum eius vestigium remaneat, nulla memoria. Et addit, quod eo tempore quo stragem hanc meditabatur, primò præceperit funiculum extendi: *Tetendit funiculũ suum.* Actio hæc mysterium habet, & non modicam difficultatem. Quid hoc Domine mi? Vt ædificium euertas, mensuram capis & perpendiculum? Quis vnquam vidit ad dissipandum, & destruendum, manibus talia sumi instrumenta? Ligones, & mallei requiruntur vt lapides de fodinis eruantur: alia verò sumere non solemus, nisi dum ædes exstruimus, vt structuræ parietes rectè in altum assurgant, sintque æquales (ita Hugo Card.) *Tetendit funiculum ad destruendum, qui tamen non solet tendi, nisi in constructione murorum.* Ad huius loci sensum, sciendum qu s sit iste murus Sion, quem Dominus dissipare cogitat. Si recurramus ad Prophetam Isaiam, inueniemus in eo, Christum Saluatorem nostrum fortem & inexpugnabilem esse Ecclesiæ sanctæ murum, per Sion denotatæ: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, &c.* Nunc igitur capiemus verba Hieremiæ, *Cogitauit Dominus, &c.* q. d. Nemo fallatur, cogitans, quod dum Deus pati Filium suum permittebat, crucifigi, in monumento sepeliri, cogitauerit illum euertere, dissipare, destruere & omninò delere: nequaquam; tantum enim abest, vt Dei Majestas tale quid cogitet, vt potius dum illum destrueret, ædificaret, & dum dissolueret, resuscitaret: & hoc erat ipsum mysterium, quod Filio patiente & moriente Pater manibus sumeret perpendiculum, regulam & funiculum: quasi qui lineas efformaret, describeret, & fabricaret murum immortalem; æternum, inquam, gloriosæ eius Resurrectionis ædificium.

*Thren. 2.* — *Hugo Card.* — *Isa. 26.*

2. Vt præclarum semper habui conceptum S. Athanasij Sinaitæ, licet mysticum, & intento nostro congruum. Refert Spiritus sanctus opera Dei à prin-

principio mundi, & postquam dixisset, qualiter Deus creasset cœlum & terram, terra autem inanis esset, & vacua, ait quod aquæ occuparent totam terræ superficiem, cætera verò tenebris cōtegerentur. *In principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quare (quærit hic Sanctus) posuit Deus terram infra abyssum? Respondet: Vt eam sepeliret: *Oportebat terram à Deo factam, statim ab initio abyssi tanquam inferis traditam.* Et quid Deus per hoc intendit? Quid? *Mandare illi, vt tertia die de sepulchro resurgeret. Congregentur aquæ & appareat arida.* Iam ab exordio creationis describens & delineans imaginem quandam Dominicæ Resurrectionis; *Tertio die ex profundo profert terram Deus prius, apertè describens Christi trium dierum ab inferis resurrectionem à terra.* Qui terram vidisset tenebrarum caligine coopertam, & abyssis sepultam, iudicasset hanc esse Dei mentem, vt numquam appareret, numquam inquam assurgeret: ipse verò sic cuncta disponebat, vt tertio die creationis in lucem prodiret, eaque forma appareret, vt denuo numquam esset occulta. Ita quoque si quis corporalibus oculis Christum Redemptorem nostrum vidisset crucifixum, mortuum, & sepultum, iudicasset, quod esset, velut terra, aquis demersus. hoc enim ait per Prophetam Dauid: *Omnes fluctus tuos induxisti super me; infixus sum in limo profundi.* Porrò hac via Deus præclarissimas eius moliebatur glorias, quem de visceribus terræ tertiâ die educeret rediuiuum.

*Anast. Sina. l. 1. Hexam.*

*Ps. 68. & 87.*

3. Iniungit Deus Patriarchæ Abraham, vt ei filium suum offerat in holocaustum; arduum sanè præceptum patri qui alterum non habebat filium; sed cùm diuinæ non posset voluntati refragari, obediuit; quare profectus est omni qua posset prōptitudine diuinum impleturus mandatum. Notat autem S. Historia, quod dum gladium eximeret filium decollaturus, (*extendit manum*) brachium illi non contremuit, imò verò cum vigore, & alacritate extendit illud: *Cumq; extenderet manum.* Actio planè heroica: nam in eius consideratione hæret velut attonitus S. Pater Eucherius: nullus etenim ambigit, quin Abrahæ hoc tempore cogitationes occurrerent, quod cum filio, si illum occideret, moreretur spes omnis, quam Deus eius capiti vitæque addixerat. Quomodo ergo brachium non retraxit? Quomodo gladius ei de manibus non excidit? Respondet S. Eucherius: Ratio fuit; quod *non hæsitauit, quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari poterat non speratus.* Vir senex in memoriam sibi reuocabat, quod cùm mortuum se, suam quoque reputaret vxorem Saram, quoad effectum generandi filios, tamen illi Deus filium dederat; quare firmissimè credidit quod qui virtutē generatiuam iam in illis mortuam resuscitare potuit, resuscitare quoque poterit Isaac filium iam nunc occisum. D. Paul. hunc expendens casum, ait quandam fuisse parabolam, vel similitudinem Filij Dei. *Vt enim in parabolam accepit.* Fuit itaque repræsentatio mortis & Resurrectionis Domini. Tam certus itaq; erat Abraham, quod Deus filium suum, Christi mortui figuram resuscitaret, vt in ipsa morte spem futuræ resurrectionis eius fundaret: tamque firmiter sibi persuadebat felicem hunc euentum; vt, quia illum prænouerat, dixerit (vt graues Interpretes annotarunt) famulis

*Gen. 22.*

*Eucher. hic.*

*Hebr. 11*

lis suis, quos ad pedem montis morari iusserat; *Expectate hîc cum asino: ego autem & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Quasi qui in occidẽdo filium sibi promitteret, quod eo resuscitato gauderet: nec non credens quod in eius morte lateret eius vita: denique quod in oculis mundi videri poterat infortunium, maximam suam censet felicitatem; quo nobis significatur, quod ex humilitate Crucis & sepultura, Dei filius ad gloriam Resurrectionis ascenderet.

4. Eundem Patriarcham vocarunt filij Heth eximium Principem. Ita referunt eorum verba: *Princeps Dei es apud nos.* Quid tunc Abraham? *Surrexit*

Gen. 23. *Abraham & adorauit populum terræ.* Numquid medium dabatur, quo vir altiùs se extolleret, qui eousque peruenerat vt vocaretur Princeps maximus, Princeps Dei? Vtique, si prosternat se in terram & quasi velit in ea sepeliri. Quod autem hæ fuerint eius cogitationes, ex eodem textu colligitur, ex quo constat quod actualiter de sepulchro pro se suaque vxore ageret: *Date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum.* Igitur quando ita se deprimit, tunc attollitur. *Surrexit*: vel tunc reuixit: *Surrexit.* Quod si hæc expositio litteræ non conueniat, doctrina tamen hæc quadrat veritati; tam manifesta namque magnitudo, & ab omnibus cognita, quando se prosternit, tunc se attollit, humiliando se crescit, & resurgit quando videtur seipsum sepelire; ad confirmationem eius doctrinæ, quam hoc discursu vobis exponimus: quod nimirum humilitas Christi, & demissio sepulturæ Redemptoris gradus fuerint, per quos ad gloriam Resurrectionis ascendit;

Hebr. 2. iuxta illud Apostoli: *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.*

Nemo facilè prætereat affectuosa illa desideria, quibus optabat Iob vt verba sua scriberentur, vel stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte sculperentur in silice; vt etiam inuito tempore (quod omnia tradit obliuioni) eorum memoria conseruaretur. 5.

*Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei? Quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* q. d. secundùm Iob 19.

D. Thom. Optarem, vt calamitates & duræ nimis afflictiones, quibus opprimor, æternâ hominum memoriâ recolerentur, de quibus modò cum amicis meis sermonem habui. *Sermones, quibus amicis retulerat labores & afflictiones, atque pressuras, quibus opprimebatur, stylo ferreo incidi praoptat.* Legitima est hæc interpretatio: sed subtiliùs Doctoris Angelici expositionem indagemus: & quare, vel in quem finem volebat sanctus vir vt laborum suorum & afflictionum memoria perpetua perseueraret? Ipse rationem verbis sequentibus exponit: *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Et si hoc tantopere desiderauerim, ratio est, quod sciam mundi bona, quæ pœnas has & tribulationes mihi produxerant, non tantum me ad Dei mei sustulerunt cognitionem, sed mei quoque Redemptoris, quem corpore & anima resuscitatus, spero me visurum. Pineda doctissimus huius libri Commentator mysticam notat hîc verborum Iob connexionem, quibus tribulationes vitæ, & mortem confert resurrectioni: q. d. *Ergo ideo, propterea resurgam ego: viuit ille beatus & felix:* D. Thom. hic. Pined. in Iob. De terra surrect. sum.

*igitur ego quoque lætus aliquando viuam, & redimet ille tandem criminosam vitam istam meam à malis omnibus.* Redemptori meo mors sua & passio, corporis sui gloriam attulerunt, quodque sit in cœlo corpore & anima gloriosus. Hoc idem igitur eueniet mihi: & ex qua ratione me lugeam ita afflictum, vt videar iam defunctus & sepultus, ea ipsa me considero resuscitatum, Deo fruentem & beatum: hac enim eò tenditur. Et quamuis videatur Deus me velle consumere, tanta super me condensans flagella, firmiter tamen mihi persuadeo, quod hac via ad meliorem me ducet vitam: sunt enim pœnæ gloriæ mater, & vita immortalis filia sepulturæ. Hoc namque mysterium continet, quod Angelus Dominicæ Resurrectionis annuntiator sepulchri meminit Saluatoris. *Surrexit: ecce locus vbi posuerunt eum.*

6. *Psal. 92.* Psal. 92. introducit Propheta Rex Deum magna potestate & maiestate regnantem, his verbis: *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* q. d. Licet Deus tam antiquus sit Dominus, nihilominus incepit regnare, nouiter regnum suum intrauit, & regnauit, regnique sui suscepit possessionem. Ad litteram loquitur de regno Christi, & regno Ecclesiæ (secundùm Lyran. & Hugon. Cardin.) & singulariter hoc in sancta sua Resurrectione demonstrauit: *Lyran. Hugo hic.* *Decorem indutus est*: vestibus pretiosis nouisque indutus est: ita vt coniunctim resuscitatus maiestatem, gloriam & pulchritudinem ostenderet. *Indutus est Dominus fortitudinem.* Arma sumpsit fortitudinem, quibus vicit mortem & de illa triumphauit. Hoc est Psalmi præsentis argumentum. Si tantæ gloriæ velimus originem inuestigare, & titulum eius inspiciamus: hic enim velut clauis est, qua referantur, & aperiuntur mysteria, quæ comprehendit, sequentem esse patebit: *Laus Cantici ipsi Dauid, in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.* Hoc canticum laudis quod Dauid Christo resuscitato composuit, eique decantatum fuit pridie Sabbati, quando terra fundabatur; explicat Cassiodorus diem hunc ante Sabbatum, esse diem Veneris, qua Saluator passus est. *Dies ante Sabbatum est feria sexta, in qua passus est.* *Cassiod. hic.* Supposita hac doctrina, pusillitas mea quærit: Si Prophetæ Regis intentio fuerit, Christum prædicare rediuiuum, eiusque permanentem laudare gloriam, quare, vel in quem finem facit hoc ipso die eius amarissimæ Passionis, Crucisque tormentorum? Dicam: Docere nos voluit effectum iunctum suæ causæ: q. d. humilitati Crucis & Passionis obiectioni, gloria debebatur & triumphus Resurrectionis: & coincidit illi quod ait Angelus: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, &c.*

Christus Dominus secretò conuocat discipulos suos, aitque illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, Scribis & Pharisæis, & condemnabunt eum morte, ferente Pilato sententiam: tradetur potestati populi infidelis ad illudendum, flagellandum, coronandum, & crucifigendum; & confestim hæc tempestas cessabit, & tertio die de lecto mortis rediuiuus assurgam. Dum hæc sermocinaretur, vt timore corda percuteret, in quibus tantum sibi locum amor vendicauerat: accedit Salome mater filiorum Zebedæi, & hæc proponit Saluatori: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* *Matt. 20* Hoc à te 7.

Do-

Domine, postulo beneficium, quo tibi placeat vt hi duo filij mei, tuique cognati primas in regno tuo sedes occupent. Communis SS. Patrum & Interpretum expositio sentit inordinatã fuisse hanc petitionem, & memoriale proposito sermoni non conueniens: quandoquidem mater & filij accedant cum desiderio sitibundo sedium ad eum, qui crucifixus non habebit quo sitim extinguat, nisi sanguinolentam spongiam aceto intinctam. Porrò D. Basilius Seleucus oppositam tuetur partem, aitque maximè conformem fuisse petitionem, & eo tempore, quo non potuit opportuniori, quæ firmitatem, fideique eorum indicabat constantiam: quandoquidem dum audiunt Christum Dominum de morte sua ignominiosa, & passionis suæ contumelijs differentem, tunc ex alia parte considerent illum viuum, & regnantem, gloriosum, & immortalem. Et idem fuit illis videre Christum in statu adeò abiecto & humili, quo se describebat, ac considerare illum inter gloriæ triumphalis splendores lucidum & maiestuosum. In quo præuenerunt beatum latronem: ille namque libellum suum supplicem Domino obtulit iam crucifixo, & ab eo tunc regnum suum sibi dari poposcit: hi verò antequam Christum cernerent crucifixum, satis illis fuit audire crucifi-
D. Basil. Seleuc. gendum. Verba proferamus D. Basilij. *Anteuertit, vt apparet, latronis voces mulier: ille in cruce orationes offerebat: Memento mei in regno tuo: hæc ante crucem pro regno supplicat: Dic vt sedeant in regno tuo.* Verbis admodum congruis ita concludit: *Quæ temporis intercapedo remouebat à cognitione, fides intuebatur.* Quamuis temporis distantia cognitionem in longum extenderet: fidei tamen oculi illam habebant propinquam, idemque fuit mulieri audire Christum de morte sua differentem, eumque in cruce tyrannicè vulneratum, delusum & opprobrijs saturatum, ac in illum credere, confiteri illum & adorare rediuiuum, & gloriosè regnantem, atque suum exercentem imperium, quod in cœlo & in terra, mediante morte crucis obtinuerat.

Ex proposita doctrina documentum 8.
nobis eliciamus: si namque participes gloriæ resurrectionis optemus inueniri, comites illi prius in amaritudine passionis eius nos esse conuenit. Cùm Apostoli simul essent in Ierusalem, & cum illis duo alij discipuli qui ab Emmaus redierant, narrantes illis quod in via contigerat, & qualiter Christus à mortuis resurgens, in schemate peregrino illis apparuerat; narrat D. Lucas quod Dominus iterum illis omnibus apparuit, manus pedesque obtulerit, os palparent & cernerent eum non esse spiritum, sed verum corpus; vt autem eos redderet de veritate certiores, ait: *Numquid habetis hic aliquid* Luc. 24.
*ad manducandum? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.* Conuiuium hoc expendit Abbas Rupertus, cuius primum ferculum fuit piscis assus, & postremum fauus mellis; ex quo sic infert: *Hoc signo edocens, quod & ipsi exemplo meo, prius passionibus, atque pressuris desiccandi erant, deinde fauo consurgendi mecum forent satiandi.* q.d. Per hoc nobis indicare voluit, quod præuio eius exemplo, primò corpora eorum assanda forent, & igne tribulationum, ieiuniorum & mortificationum exsiccanda: postmodum autem resurgerent fauo mellis, & gloriæ dulcedine satiandi. Flores namque, ex quibus ista texitur, sunt myrrhei, & quamprimum cum Christo durum & asperum crucis eius toleramus, nobis coro-

Rupert. l. 1 in Cant.

coronam gloriæ resurrectionis componit; nullus autem eo gaudebit resuscitato, qui se comitem non exhibuerit crucifixo. Docet hoc mysticè Angelus locutus mulieribus: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum,&c.* illæ namque pretiosis instructæ speciebus aromatum, Christum in sepulchro quærebant, sacrosanctum eius corpus invncturæ. *Maria Magdalene, &c.*

---

## *Et valde manè,&c.*

## Consideratio II.

*Vera sanctitas timori faciem opponit, eaq; sola secura est animositas, quam virtus communicat.*

1. Consideranti mihi discipulos Domini, viros vtique, quosdam defides, imbelles animi, alios vecordes, quærentesque latebras: è contrà mulieres, vtique naturâ debiles & timidas, in tenebris profectas, mortuorum sepulchra visitantes, pectore feruentes & viriles præferentes animos: occurrit manifesta declaratio generositatis & roboris virtutis: contrà verò desidia peccati & timore: etenim discipuli, quia in fide ambigui, timidos se ostenderunt; mulieres autem, quia in fide constantes, animosæ, maximas omnes nauci fecerunt difficultates; quæ tamen paruæ non erant: ex parte hac ministrorum Iustitiæ terrere poterat illas potentia, quos certo quodam modo lædebant: atque ex altera dissolutio & impudentia militum minas illis intentantium; veruntamen, vt appositè dixit

D.Chrys. Hom. in Psal. 7. D. Chrysost. *Etsi vitium habeat secum vniuersum orbem, tamen omnium maximè imbecillum est; virtus autem, etsi sola sit, est omnium potentissima: habet enim Deum secum stantem.* Quamuis peccatum (sic Os aureum) pro parte sua totum habeat orbem: nihil tamen eo in orbe debilius, & infirmius nihil: solum semper est, inerme, & elumbum; virtus autem ex opposito, etsi sola, nullis stipata legionibus, nullis circumcincta militibus; animosa tamen est & fortis: habet vtique Deum sui defensorem. Quia verò tres hæ mulieres Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Maria Salome, virtutem colebant, timebantque Deum, idcirco viros non metuebant.

Prima huius argumenti probatio de pena prodeat Chrysostomi. Postquam Spiritus sanctus prosperam narrasset fortunam Isaac in regno & ditione Abimelec, & dixisset qualiter breuissimo tempore familia eius & facultates supra modum excreuissent: *Benedxitq; ei Dominus, &c.* aduertenter notat quod illicò cœperint omnes timere illum: ita vt ipse rex personaliter rogaret eũ, vt procul à ditione sua recederet: *Recede à nobis: quoniam potentior factus es nobis.* D. Chrys. rationem hãc regis Abimelec de Isaac exilio grauiter expendit. Discede ad hãc vel alteram partẽ eò quòd nos opibus & potentiâ superes: q.d. *quia videlicet supremum habes præsidium in omnibus, dexteraq; Dei munitus es.* Hinc è nostra discede societate: etenim omnes te formidamus: Deus tibi assistit; te defendit & prosperitate cumulat: quo fit vt fortior nobis omnibus simul iunctis, & potentior euaseris: quocirca vt securi viuamus, amabo, procul abscede. Quàm terribiles sunt virtutis vires: quandoquidem tãta possit vnus peregrinus, vt inermis, & non munitus, regno integro formidinem incutiat! Sed quid 2.

Gen. 26.

Chrysost. cit. à Benedict. Ferdin. hic.

quid miramur si omnes terræ illius incolæ sint hostes Dei? Timeant & contremiscant & paueant Isaac. Iustus autem terror sit & formido peccatorum.

3. Expendit Procopius Abbas notari à S.Scriptura, primis illis mundi temporibus gigantes vixisse quampluri- Gen. 6. mos: *Gigantes erant super terram*: procerae staturæ homines, vix necessarij, imò in mundo superflui; etenim manifestum est quod viri difformis adeo magnitudinis, aliud non agerent quàm offendere & supplantare inferiores, quibus nulla erat potestas, qua se contra gigantes defenderent. Quomodo ergo Deus quid tam impertinens creauit? Et præterea singulariter hoc notauit Spiritus sanctus. Respondet Procop. Procop. hic. *Qui obtruncarunt gigantes, fuerunt fortiores, nec tamen dicti sunt gigantes: causam scire vis? Iusti erant; q.d. Si virtutem colueris, nullum, quātumuis potentem, aduersarium formidabis.* Si idē fuerit gigas quod animosus & generosus, iustam videtur posse querelam formari, cur Deus illos produxerit: verumtamen Deus vires staturæ non alligauit, nec corpori robur: quandoquidem videamus plures ipsis gigantibus fortiores & victores, inter quos numeratur Dauid cum alijs, quorum meminit S. Pagina, qui tamen gigantum nomine non inscribuntur. Quo instruimur vires corporis non referre victoriam, sed virtutes animæ triumphare: nec enim lepusculus ita timidus vt peccator, nec leo magis timidus quàm iustus; vnde tres illæ mulieres ancillæ Domini, solæ licet & inermes, perrumpere non verentur militum cohortes, quas sibi norunt inimicas.

2.

Gen. 26.

Chrysost. cit. à Benedict. Ferdin. hic.

4. Audi quid dicat Deo Dauid, de se ipso perhibens testimonium. *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Psal. 118. Semper faciem gerebam apertam, nec turbabar: dum in conspectu regum loquerer, non verecundabar, nec quidquam mihi erat impedimento, nec supremam metuebam Maiestatem. Theodoretus in huius versus explicatione, colligit contentum in illis, & comparat illud timori & pusillanimitati, quam ipse postmodum Rex ostendit, de monte in montem, de valle fugiens in vallem, profugus à facie Absalon filij sui, nullo certo consistens loco, nullumque fixum habens domicilium. Quid hoc, op- 2. Reg. 15. time Dauid? subditus dum esses, intrepidus eras & animosus, ita vt Reges non formidares, postmodum verò inuictus Rex, vecors animi filij tui fugis persecutionem? Quis hanc in te mutationem effecit? Audi dignam audiri responsionem. *Vita secundùm legem acta fiduciam adfert, & huius rei testis est magnus Dauid: nam ante peccatum cum multa fiducia cum Saule sermocinabatur; post peccatum parricidam fugitans filium, prospiciens in terram, caputq; aperiens ambulabat.* Theodor. in hunc Psal.

5. Alter proferatur locus de Dauid, ab eodem Theodoreto expensus. Procedebat Saul copioso militum instructus exercitu, quo manus inijceret in Dauid; sed è contrà factum est: vt enim illum inuenit, ipse sibi, suæque familiæ successoribus postulat à Dauide misericordiam. *Iura* 1. Reg. 24 *mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Quid hoc ô Saul? Quænam hæc animum tuum inuasit vecordia? Quid pectoris tui robur infirmauit? Rex adeò potens à subdito inermi & elumbo, qualis erat

David, beneficium postulat, qui nec certum habet locum vbi quiescat, aut tutus esse possit. Quid hoc? Ne obstupescas, respondet Theodoret. *Est imbecillitas vitijs, & qui erat dux & imperator tam multorum militum, rogabat fugitiuum: & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate, ac clementia, vt nomen suum patrium non expungeret.* Infirmus adeò & debilis est iniquitas, vt quamuis potens & superior, infirmitatem tamen ostendat, & defectum; econtrà fortis adeò & animosa est virtus, vt licet iurisdictioni subijciatur illius, generosa tamen sit, vincat, & triumphet.

Theodor. hic

6. Expendit D. Gregor. generosum illum spiritum, & robur pectoris Iob immobile, quo dicit, & gloriatur quòd neminem vmquam timuerit, numquam animus illi fuerit perturbatus, pectusque formidauerit, infinita licet in illum conspiraret hominum multitudo. Hoc verba illa significant: *Si expaui ad multitudinem nimiam.* Vnde viro huic (quærit D. Greg.) tam constans, & inuicta confidentia? Iam dictum est: *Quia videlicet nequaquam terret exterius numerus hominum, quem non deuastat interius turba vitiorũ.* Quocirca cum Iob à propria non accusaretur de offenso Deo conscientia: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea;* idcirco tantâ affirmat securitate, quod numquam potestatem hominum etiam maximam timuerit: iustus etenim in gratia Dei leo est magnanimus, qui regios suos numquam subducit humeros: sed animosus, & constans atrocissima spectat pericula.

Iob 31.

D. Greg. l. 22. Mor. c. 11.

Iob 27.

7. Parentibus Samsonis apparuit Angelus, quibus noua, lætaque dedit nuntia, quod illis per miraculum filius nasceretur. Pater ministro Dei fidem non adhibuit: imò verò vt ruinæ suæ, mortisque eum habuit præsagum. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Mater autem longè aliter se habuit: etenim non, sicut maritus timuit, imò verò timentem animauit, hortata ne turbaretur, bonoque esset animo, indubiè Deus illi beneficium conferret. *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset.* Ratio quæritur à Procopio, cur viro ita timido, mulier ita sit animosa? Respondet: Mulier indubitanter erat viro melior, & sanctior; vnde cum viro non contremuit. *Quia mulier viro videtur præstantior, ac ideo primò ei visio obtingit, ac per eam marito, quem bono animo esse iubet.* Fieri potuit, vt maritus non tam probatam ageret vitam: vnde non mirum, si tanto timore concutiatur.

Iudic. 13.

Procop. ad hunc loc.

Doctrinam hinc educere possumus tempori valde congruam: & sit hæc: quod nimirum Catholicæ Monarchiæ Hispaniæ remedium sit efficacissimum, quo æmulos suos vincat & de suis triumphet inimicis, vt conetur omnes sint boni, & virtutis cultores: aliter enim si nos vitijs tradamus, & peccatis, deferuebit animositas, vires languescent, roburque infirmabitur: vt nullus nobis sit animus, nullumque robur, quo tutam illam, securamque defendamus. Quo timore non metuebat Patriarchà Iacob, quando familiæ suæ comitibus dicebat illos esse causam, ex qua tanto metu prosterneretur. *Turbastis me, & odiosum me fecistis Chananæis & Pherezæis, & habitatoribus terræ huius: nos pauci sumus, illi congregati percutient me.* Vos culpam accuso, quod modò sim ita meticulosus, & vicinis circum- 8.

Gen. 34.

cumquaque nationibus odiosus: plures sunt, nos autem pauciores: si sibi manum dederint cunctæque conuenerint, infallibiliter patiemur. Hoc expendens iudico, vt idola, quæ singuli vobiscum tulistis, expellatis; mutate vestimenta & honestiora induite: proficiscamur in Bethel Deoque sacrificium immolemus, vt illi placeat de earum nos liberare potentia. *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Mandato eius omnes obtemperarunt, promptoque animo Patriarchæ præceptum impleuerunt; & addit Sacra pagina: *Cumq; profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitatis, & non sunt ausi persequi recedentes*, vllumque eis inferre damnum. Vnde tam repentina mutatio? quærit Abbas Rupertus, & respondet: Timor, quo priùs Iacob percellebatur, non tantum vires spectabat inimicorum, malum illi intentantium, quantum falsos Deos, quos comites sui deferebant, & peccatum, quod illos adorando committebant; vnde quamprimùm illos à se repulerunt, & sub terebintho sepelierunt, suasque purificarunt conscientias Deo seruientes: nouos resumpsit spiritus, totus fit animosus, nullus eum audet attingere, totaque procedit fidens securitate, iterque suum prosequitur. *Iacob antea non tam propter externos hostes, quàm propter alienos Deos, & internas suorum culpas turbabatur; postea verò eiectis Dijs, & subter terebinthum defossis, conscientijsq; suorum ritè expiatis ingentes animos capiebat.* Itaque sicut prius mala suorum vita animos illi adimebat, ita in melius mutata vires suggerebat. Notare quoque licet, quod illis Iacob iniunxerit, vt surgerent, vel resurgerent: hæc enim omnia verbum hoc *surgite* significat, vt paulò antè diximus. Quo datur intelligi, quo tempore peccatorum criminibus suis obdormit, sit quasi mortuus: dum autem illis valedicit, resurgat. Igitur, Fideles mei remedium efficax, quo fortissimas non metuamus æmulationes, hoc est, vt simus in gratia Dei, & de morte resurgamus; & quamdiu hoc non fecerimus, sed in monumento criminum nostrorum iaceamus sepulti, omnes nos impugnabunt, sic vt nec vires nobis sint, nec animus ad resistendum: quia (sicut diximus) nihil ipso peccatore timidius, nihilque ipso iusto formidabilius. Horâ intempestâ mulieres excedunt ad sepulchrum Redemptoris, militum non verentur turmas, non lancearum cuspides, non ferreas glandes: nec enim se subducit aut deficit robur in virtute fundatum. *Et valde manè*, &c.

Gen. 35.

Rupert. l. c. 22. apud Mend. ...ho. 3. ...18. ...4.

---

*Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dexteris, &c.*

## Consideratio III.

*Angelis absque hominibus absolutum non est gaudium, & gloriam suam censent non impletam, si eorum eis desit societas.*

INter Scripturistas quæstio ventilatur, quod mulieribus ad sepul- 1.
chrum Domini Angeli apparuerint; vt autem varijs parcam opinionibus, qui melius sentiunt, dicunt fuisse quatuor. Vnum, referente D. Marco, viderunt mulieres ad introitum mo-

monumenti sedentem à dextris: alius, vt scribit D. Matth. erat in ipso sepulchro sedens super lapidem, quem reuoluerat: & denique duo alij apparuerunt (ita D. Lucas) qui feminas mœrore deiectas ob non inuentum Christi Domini corpus, consolati sunt, lætaque noua de Domini resurrectione nuntiarunt. Hoc igitur dato quatuor Angeli ad sepulchrum apparuerunt, quando tres illæ mulieres aduenerunt Christi Redemptoris nostri cadauer inuncturæ. Et illi, noua Sanctorum quæstio, quare, vel in quem finem vestibus albis & fulgidis apparuerunt? Quia lætissima noua deferunt, idcirco candidis stolis amicti videntur. Ita D. Gregor. *Candida stola coopertus Angelus apparuit: quia festiuitatis nostræ gaudia nuntiauit.* Cælestes illi Spiritus in albis videntur, lætitiæ signum hoc est: quia veniunt hominibus de festiuitate eorum congratulaturi, & simul cum eis de Domini sui Resurrectione gauisuri. An ergo Resurrectio Domini nostri, festiuitas est etiam Angelorum? Est indubiè: per illam etenim & cum illa, animam suam reparatam lætantur. Quomodo ergo, quærit D. Gregor. de cœlo descendunt hominum de terra festa celebraturi? Ibi maneant propria sibi domo: ibi signa dent lætitiæ, ibique festiua celebrent gaudia: non opus est vt ad terram descendant pari nobiscum gaudio collætaturi: ipse Dominus, qui quibusdam apparuit, poterit se omnibus iam rediuiuus ostendere, non vsus Angelorũ ministerio. Suam alij proferant opinionem: hæc mea est: quod ex industria dicat D. Gregor. venisse Angelos qui nostram celebrarent festiuitatem: hoc enim idem est, ac nobiscum collætarentur; quasi gloriam suam ducerent non perfectum gaudium, nisi eiusdem comites & participes haberent homines. Defectuosa foret eorum gloria, si homines partem in illa non obtinerent. Sciant igitur, ita illi, quod Deus eorum & noster à mortuis resurrexerit: vt gaudium nostrum suam perfectionem habeat, & impletionem.

D. Greg. in Caten. D. Thom.

2\. Nefas est præterire verba præclarissima D. Pauli scribentis ad Colossens. vbi fusè admodum agit de Christo Domino, de eius aduentu in carne, deque bonis omnibus, quæ per illum consecuti sumus, & sequentia subiungit. *Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Pacificauit Dominus Iesus pretioso suo sanguine, nedum terram, sed etiam cælum: non solum sublunaria hæc & infima, sed insuper superiora & quæ cæli ambitu continentur. Quæ verba D. Chrysost. interpretatus alia subnectit proposito nostro conformia. *Dissidebat à cælo terra, hostiliter aduersabantur hominibus Angeli.* Ne tibi peregrina videatur, (inquit Os aureum) phrasis Apostoli: quia veteri legi legẽ opponit gratiæ. In illa ita raro cũ hominibus conuersabantur Angeli, vt sæpè aduersarios se eis ostẽderent: ita vt ante Christi mortem discordia & contradictio vigeret inter Angelos cæli; & terræ homines: non quod homines odio haberent Angelos, sed è contrario, quod Angeli hominibus essent aduersarij, idque tanto feruore, vt delicta ab hominibus commissa punirent Angeli. Versati in lectione S. Scripturæ norunt ab Angelis populum Israël fuisse castigatum; Angeli Sodomam igne de cælo misso vastarunt; Angelus protoplastos nostros paradisi habitaculo eiecit, & eis flammeo terribilis gladio

Coloss. 1.

D. Chrys. sost. in hunc loc.

dio regressum interdixit. Sed cùm Deus venisset in mundum,& pro salute hominum esset mortuus,& crucifixus, sic Angeli veterem exuerunt consuetudinem, vt se pro hominibus perdant, quatenus homines Deo lucrifiant: dissidium hoc affectus, mutatur in amicitiam,oppositio in commercium,& bellum in pacem. Olim ab Angelis homines fugiebant, hodie verò reperiunt homines asylum in Angelis. *Angelos* (ita præfatus Doctor) *Deus primus deduxit ad nos, & tunc hominem euexit ad ipsos; Angelos deduxit ad homines, & homines reduxit ad cælum.* Si tempus aliquod fuerit,in quo ex nostris pœnis lætati sint cælestes illi spiritus, hodie maximâ cumulantur gloriâ, & gaudio, quod naturam nostram videant promotam, & hominum abiectionem ad altissima sublimatam: & optimè impensum de cælo in terram descensum, in ministerium lucrumque hominis: vt vilis ille homo sursum ascendat, & de terra ad altiora cæli transuolet. An hoc,fideles, non cernitis? Ecce quatuor & non pauciores descendunt hodie Angeli de Curia cælesti ad pagum nostrum,qui læta nuntia Dominicæ Resurrectionis nobis annuntient. Non eis sufficit ea in cælo celebrare, descendunt hominum quæsituri societatem: acsi dum illos gloriæ suæ cernunt participes, noua illi perfectio adderetur. *En introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem,&c. qui dixit eis: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? Non est hic.*

3. Optabat summopere Patriarcha Abraham ex vxore sua Sara producere filium, familiæ suæ & bonorum hæredem (commune est hoc talibus desiderium;) eo desiderio accensus in tantam cum vxore sua senectutem ascendit,vt spem omnem futuræ prolis abijcerent. Domum eius hospites ingrediuntur tres Angeli, & bono animo esse iubent, futurum vt voti compos fiat, & ex Sara coniuge filium geniturus. *Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Gen.18. Si Deus nobis concesserit incolumitatem, hac reuertemur tempore partus,filiumque Sara genuerit. Notat Dionysius Carthusian. verba hæc, *vita comite,* id est, si vixerimus & mortui non fuerimus. Angeli numquid sunt spiritus? Sunt. An corpus habent carne & sanguine compositum? Habent. Ergo non sunt mortales? Sunt immortales. Quomodo ergo loquuntur, ac si homines essent qui mori possent: *Vita comite?* Ratio est, ita præfatus auctor, quod Angeli personam induerint hominis: *Affectata mortalitate loquuntur:* Carthusia. hic. q.d. Eorum se numero sociarunt, ac si realiter homines essent. Et quæ huius ratio? Dicam. Quando Patriarchæ futuram addixerunt prolem, sciebant,& diuinâ reuelatione cognoscebant Messiam,qui ex semine Isaac descensurus erat:& consequenter Mysteria omnia quæ Deus natus, Deus mortuus, Deus resuscitatus esset operaturus. Quamprimū ergo illis felicitas hominū futura innotuit,de se,quasi homines essent,loquuntur: & hominum felicitatem,suam habēt gloriam: *Vita comite reuertemur ad te.* Non eis sufficit quod eam celebrent ex illa parte quæ ipsos velut cœlestes spiritus tangit: quandoquidem Christus æqualiter Angelorum caput sit & hominum; sed insuper, velut homines eam quoque celebrare satagunt: vt tāto copiosiùs eorum impleatur gaudium; atque ideo significant se mortales:

tales: *Vita comite reuertemur ad te.*

4. Quàm eleganter nobis hanc expressit veritatem, ex sententia D. Bernardi, Psalmista diuinus sacri sui plectri fide trigesimâ: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Porrò non contentus hac jucunditatis & lætitiæ eminentia, statim adiungit: *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Ait Bernard. Si dixerit magnam supra modum illam esse suauitatem, quare addidit, quod Deus illam perfecerit? Respondet sapientissimè D. Bernard. rationem esse: quia prius homines latebat, & ab eorum oculis erat abscondita, quamuis Angeli illa fruerentur: sunt autem illi ita hominum amici, vt quo tempore cum illis æqualiter illa non perfruuntur, eam sentiant imperfectã. *Magna quidem, & magna valde: sed nondum perfecta*; tunc autem erit, quando ad illam assumes filios hominum: *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Fortè imitatus est Propheta Rex, vt mysterium hoc explicaret, modum quo Theologi in scholis argumentamur. Nemo dubitat, quin ille, qui considerat omnipotentiam Dei, in quantum producit leonem, illam imaginetur perfectam; nihilominus tamen adhuc noua deficit illi perfectio; potestas nimirum nouas producendi creaturas; & tunc omnimodis est perfecta, quando se extendit ad omnem suum terminum. Primus autem modus illam intelligendi est imperfectus, non positiuè, sed negatiuè. Eodem modo loquitur Dauid, & nos cum eo loqui possumus: gloria beatorum abscondita nunc est in cœlo, & hoc sensu non est perfecta: deest etenim illi vna perfectio, ex qua clarius fulgebit, eritque eminentior. Ante Christi mortem eam soli possidebant Angeli, & ita erat imperfecta; modò autem plurimi beati illam possident, sed nõ omnes; & ita tam his quàm illis dici potest, in sensu prædicto, quod adhuc non sit perfecta, quamdiu illa omnes prædestinati non perfruantur gaudium etenim eorum, sed potissimum Angelorum, non minimum est ex multitudine hominum beatorum, & multiplici sociorum in gloria, qua gaudent, societate; erit etenim perfectio eius, quam possident: nam quãto magis crescit beatorũ numerus, tanto singulorum perfectior augetur gloria.

Psal. 30.

D. Bern. Ser. 2. de omnibus SS.

5. Audire lubet D. Bern. huius conceptus parentem. *Aliquid sanè videtur etiam illi perfectioni accessisse ex me, neque hoc parum.* Quid hoc sanctissime Pater? Verbis tuis attende: tunè summam eius gloriæ perfectionem augebis, & hoc quidem non modico aliquo, sed valde magno? *Neque hoc parum?* Superat hoc captum meum, nec video quî fieri possit. Audite responsum viri sancti, meo iudicio præclarum. *Gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatorũ; quod si delitiæ Angelorũ sint lachrymæ meæ, quid deliciæ?* Lætantur Angeli quando resipiscens peccator agit pœnitentiam, ob lucrum quod ex eius recipiunt salute (alludit ad illud Saluatoris apud S. Lucam: *Gaudium est in cœlo, &c.*) Si igitur lachrymę meæ, gemitusq; peccatorum (quia sperant per illos nos võturos in cœlum) sint illis festa paschalia, quanto maiori illos gaudio cumulabit gloria mea, quando fuero socius illis in gloria? Extra cõtrouersiam est, iucundantur Angeli de gloria, quando cernunt illam me consecutum, & propriam particularem suam beatitudinem reputant gaudium alienum.

D. Bern. Serm. 68. in Cant.

Luc. 15.

6. Magnam habet vim ad probandum

quod

Isai.61. quod ait Isaias: *In terra sua duplicia possidebunt.* vel iuxta Septuaginta: *Terram secundò possidebunt.* Nonnulli locum hunc de Hebræis interpretantur, de quibus Euangelicus prædicit Propheta, quod in captiuitatem ducentur Babylonicã, libertatem suam amittent, regionum suarum voluptate priuabuntur, & domorum suarum delitijs posthac frui non dabitur; sed tandem Dei clementia miserijs eorum compatiens, eos in veterem, gratamque restituet libertatem. Hic sensus est historialis verborum: attamen argumento nostro non seruit, ideo declarant illa alij de beatis, quod duplicia in cœlo bona possidebunt. Dicere possemus quod per duplicem hanc gloriam intelligatur corporis vna, & animæ altera: vel essentialis vna, & accidentalis altera: quandoquidem reipsa Angeli in cœlo vtraque potiantur. Sed aliam placet his verbis addere expositionem fundatam in prædicta lectione Septuaginta, quam adfert D. Hieron. alia superaddens verba notatu digna. D.Hier. hic. *Terram*, inquit, *secundò possidebunt, & gaudium plurimum erit eis.* Phrasis hæc primâ luce nonnihil habet caliginis. Nunquid fortasse significat prædestinatos ituros ad cœlum, quod deserent, & secundò ad illud reuertentur? Hoc dici nequaquam potest: nec enim tale habitaculum est cœlum, quod breui instanti deseri potest, iam semel occupatum. Quomodo ergo hoc intellexero: *Terram secundò possidebunt?* Si multæ litteræ nequaquam me fallant, in verbis sequentibus habemus responsum: *Et gaudium plurimum erit eis.* Ter maximo lætabuntur gaudio, quia gaudium erit plurimorum: & hoc est secundò cœlum possidere: q. d. Habebunt præmium suum particulare, & hoc prima est terræ possessio: huic autem præmium ex multorum societate superaddetur, & hæc est secunda possessio: quia singuli beati ita ex gloria lætabuntur alterius, ac si propria esset: & hoc Propheta nominat duplicatã gloriam, & Septuaginta præmium secundũ gloriam multorum ea gaudentiũ. Et singulariter hoc intelligendũ de beatis angelis: quia in rigore terminorum cœlum est illis terra propria: *in terra sua:* quia in cœlo empyreo (secundùm tutiorem Theologiam) fuerũt creati, atq; in eis magis proprium vaticiniũ hoc verificatur; quãuis non repugnet vocari terrã iustorum: nam illis Deus beatitudinem præparauit à mundi principio. Ita Christus: *Quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Matt.25. Constat ex prædictis, quantum lucrum ex bonis nostris Angeli nanciscãtur, quantumque eorum gloria ex nostra sumat incrementum: quocirca his conformiter plures descendunt ipso Dominicæ Resurrectionis die in terram, hominibus tanti boni nuntia delaturi, vt hoc modo gaudium illis accrescat. *Et gaudium plurimum erit eis.*

Quantum capio, Angelis, quia primi Dei adspectu potiti sunt, hæc conditio beatorum adhæsit: vnde in hoc 7. particulariter desinunt esse homines (loquamur ita) & fiunt Angeli: quandoquidem adeò proprium sit filijs Adam de prosperitate dolere proximi; & ideo quamprimum possessionem benedictæ illius regionis accipiunt, ad quam fuerunt creati, conditionem induunt Angelorum, atque ad eorum exemplum, velut propriam censent beatitudinem, qua illi in cœlo perfruuntur. Duo ad hoc offendi loca ex nouo Testamento in D. August. quæ mihi videntur singularia;

laria: forsitan alius ea quoque notauerit.

In sermone Christi Domini in monte (si quis aduertat) virtutibus omnibus in præmium addicitur beatitudo: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cōcionem suam prosequitur Dominus, & postquam præfata dixisset, hoc est, quod pro corona laborum suorū essent accepturi Regnum cœlorum, addit sequentia: *Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cœlis*, eritque sudoris vestri non exiguum præmium. Subtiliter Phœnix ingeniorum aduertit D. August. hanc clausulam; An datur quidquam amplius in cœlo præterquam beatifica Dei visione recreari? Non datur. Si Christus igitur, vt Discipulos animaret ad fortiter & constanter patiendum, iam illis regnum cœlorum promiserit, quid idem denuò repetit? cùm hoc propriè idem sit, quantum ad substantiam, præmium copiosum, & regnum cœlorum, vel clara Dei visio: & hæc constans est veritas. Sed cœlestis Magister sensuit aptiùs iudicari Beatorum gloriam eo nomine, quod multi ea perfruantur, quam dicendo quod esset visio Dei, & Regnum cœlorum: ita singularis est hæc eius prærogatiua, quod vnus ex alterius felicitate gaudeat, & reciprocè in gloria qua fruuntur recreantur. *Gaudete & exultate* (monet Redemptor noster) *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Copiosissimum est ærumnarum vestrarum præmium: quandoquidem vbi sitis multos Prophetas inuenturi, eiusdem vobiscum gloriæ consortes; quia & hic passionum fuerunt participes: & singulari lætabimini gaudio, quod eos quoque beatos videatis.

Matt. 5.

*Sentiunt istam mercedem* (ita D. August. citatus à D. Thoma) *qui gaudent spiritualibus: sed ex omni parte perficietur, cùm mortale hoc induerit immortalitatem.* q. d. Iam inchoatiuè aliquid ex ista gloria possident, qui in hac vita bona spiritualia in fructibus suis contemplantes, ex eorum consideratione iucundantur. Tunc autem plenum erit gaudium, & voluptas perfecta, quando in cœlo Deum in anima & corpore gloriosi ac immortales viderint: tunc iustus bona aliena æstimabit vt propria: exultabit etenim, ac si Angelus esset, in eorum respectu.

D. Aug. in Cat. D. Thom.

8. Dilatatis apertisque cœlorum stationibus mysticas habuit Ioannes Euangelista visiones. *Vidi: & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Et vocem, quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* In suaui hac consonantia, dulcique harmonia D. August. theatrum sibi repræsentabat accidentalis gloriæ beatorum in ea simul conuiuentium. Verba declarant Auctorem. *Habebunt tunc Sancti differentias suas consonantes, non dissonantes: consentientes, non dissentientes: sicut concentus suauissimus fit ex diuersis quidem, sed non aduersis sonis.* Expono: Habebunt tunc beati differentias suas consonantes, non dissonantes; quia differentes in gloria essentiali (eo sensu quo dici potest, in quantum nonnulli clariùs quàm alij vident Deum) conuenient non differentes in accidentali. Insignis est hæc metaphora. An non aduertis quid fiat in dissonantia quæ fit ex diuersis instrumentis, quibusdam magnis, alijs

Apoc. 14.

D. Aug. hic.

alijs paruis;quibusdam pluribus, alijs paucioribus chordis constantibus:vt, tãtum absit,quod hæc illorum impediant consonantiam: imò verò dum sibi mutuo suauitatem communicant, ex suauitate huius, magis patet suauitas alterius: & vox vnius ex alterius societate magis attollitur. Idem contingit in differentia meritorum Aulicorum cœli, & in præmijs suis inæqualium: etenim propter vnionem quam inter se habent, maior & vna redundat illis gloria; & quemadmodum instrumenta gratiorem reddunt harmoniam, ita societas in præmio, gloriam reddit acceptiorem. Si ergo cœlestis vrbis Hierusalem incolæ ex mutua recreentur gloria: non erit absonum dicere quod Angeli primates illius habitatores descenderint ad terram, vt hominibus futuris sibi socijs læta nuntia Resurrectionis ferant Redemptoris: vt his mutuo communicatis crescat omnium gloria: in quo manifestè declarant, quod suo iudicio gloria sua non sit perfecta nisi eiusdem consortes in ea videant homines. *Et introeuntes, &c. Iesum quæritis, &c.*

---

*Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, &c.*

CONSIDERATIO IV.

*His proprium est, qui spiritum Dei habent, vt glorientur bona se referre noua, & non ea dicere quæ pungant, sed tantùm quæ recreant.*

NOn legimus in S. Litteris vel vnum de cœlis Angelum descendisse, qui Discipulis solitarijs & absconditis propter metum Iudęorum tristia de Domini sui morte noua nuntiaret, aut referret qualiter eum Iudæi flagellassent, spinis coronassent, & crucifixissent. Tantũ hoc nobis testantur, quod venerint docturi eos, qualiter Magister suus à mortuis resurrexisset. *Ite dicite Discipulis eius, &c.* Ratio autem, quantum opinor, ea fuit: quia non conuenit cœlorum Angelis, & Dei seruis, qui eos imitantur in terra, esse legatos tristia nuntiantes, & quæ mœrorem adferunt & afflictionem, sed læta & prospera, quæ leniunt, quæ demulcent.

Semper iudicaui animaduersione dignum præceptum à Deo datum Abrahæ de sacrificando dilectissimo sibi pignore Isaac. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac.* Et quo momento pater Abraham brachium extulit vt opus executioni mandaret, misit Deus Angelum de cœlo, ei præcipientem, ne gladium suum filij cruore macularet. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Hoc expendo, quod Deus personaliter illi faciendum sacrificium iniunxerit: sed per Angelum reuocauerit præceptum, vitamque iusserit filio conseruandam. Sciscitor, ob quam causam Dominus, qui primum indicauit, secundum non dixerit? vel cur idem Angelus, qui secunda functus fuit legatione, ad primam non destinetur? Quæstionem hanc non inuenio in S. Pagina ventilatam; quare vt illi respondeam argumento, mihi sumam doctrinam maximi SS. Litterarum Interpretis D. Hieronymi: qui explanans vatis Michææ visionem, quam ita ipse Propheta refert: *Vidi Domi-*

Gen. 22.

3. Reg. 22.

*Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à* D.Hier. in c.24. Isa. *dextris & à sinistris:* sequentia subiungit: *Dextera virtutes sunt eorum Angelorum, qui ad bona mittuntur: sinistra autem eorum quibus ad puniendum tradimur.* Itaque Angeli boni & mali funguntur officio conformi loco in quo videntur. Innixus igitur eximij huius Doctoris expositioni, sententiam meam indicabo. Præceptum Abrahæ propositum de immolando filio suo, certum erat doloris incentiuum: cuius intimationem Deus Angelo bono noluit imponere: fuisset enim illud (vt ita dicamus) illi malorum officium iniungere: ne verò ipsi (loquamur hoc modo) malum hoc opus facerent, noluit Deus, vt tale nuntium deferret, vnde ipse Dominus proposuit ipsi hoc præcipere, ne bonum Angelum contristaret. Nuntium autem lætitiæ & gaudij, scil. quod Isaac non esset moriturus, & promissa de benedictionibus & multiplicatione seminis à Deo facta, vult ea per Angelum annuntiari: nouit etenim quo gaudio & exultatione sit illa denuntiaturus. Et hoc ita fuit, vt videatur quod Deus hoc à se non potuerit impetrare, vt ad terram descenderet, Patriarchæ locuturus; erat enim longa nimis dilatio: sed de ipso cœlo festinauit illi dicere, quæ fiebant, vt cor eius recrearet. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit.*

2. Minister ille à Deo electus, vt matrimonio, & pecuniæ recuperationi seruiret pijssimo adolescenti filio Tobiæ, ad domũ patris senioris accessit, & oblata societate sua vsque dum filius iter suũ perfecisset, ait illi quærenti de oculorũ cæcitate: Tob. 5. *Forti animo esto,* confide in Deo, *in proximo est, vt à Deo cureris.* Vt audiuit autem Tobias hæc læta noua sibi nuntiari, percunctatur: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Respondit illi Angelus, interrogationem hanc ad rem non pertinere. *Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarij? an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat?* Optimè vetule: quæris qui ducat filium tuum, vel qui nobilis sit? Si negotij tui velis expeditionem, de mea capacitate, diligentia, & sollicitudine inquire, non verò de generis mei nobilitate; nec enim pecuniæ tuæ recuperatio per mei stemmatis testimonia, & antecessorum insignijs perficienda est, sed propriæ personæ diligentiâ. Verumtamen ne te reddam anxium, scito vocari me Azariam & magni Ananiæ filium. Laborant Interpretes qua veritate responsum hoc debeat intelligi, quo Angelum à mendacio tueantur. Qui verò meliùs in hoc casu sentiunt, dicunt recurrendum ad significationem nominum Azariæ & Ananiæ, vt responsum sit verum. Figuratiuè locutus est Angelus (ita Auctor Historiæ Scholasticæ) quia Azarias dicitur *Adiutor Dei,* & Ananias *Gloria Dei.* Supposita hac doctrina manifestè liquet, quam congruenter Angelus responderit, cum de generis sui discuteretur ingenuitate, vocans se Adiutorem Dei, & gloriæ eius filium, quando venit hominibus spem bonam, & prosperos nuntiaturus euentus; q.d. In hoc maximè glorior, hæc prima mea progenies, quam maximi facio: vt sim Dei minister, & per eum missus hominibus læta nuntiaturus: hæc mea gloria, hic honor meus, hæc vera mea nobilitas: quo tempore me huic impendo, me nobilem adeò reputo, ac si eiusdem Dei gloriæ essem filius.

Audire lubet Petri Comestoris eloquentiam. *Figuratè respondet : quoniam Azarias Adiutor Dei interpretatur, quod Angelis competit, qui sunt administratorij Spiritus: q.d. Ex filijs Israel ego sum, Ananiæ magni filius; quod totum secundùm interpretationem nominum verum erat : erat enim de Angelis videntibus Deum, & erat Azarias adiutor, & filius Ananiæ, id est, gloriæ Dei.*

3. Christus Dominus ipso Ascensionis suæ die à Discipulis suis discessit in cœlum: cumque ita certum sit eiusdem Domini dictum : *Vbi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit,* (Matth. 6.21.) tuique tendent oculi: Discipuli velut attoniti, mente suspensâ, nihilque sentientes, oculis hærebant in cœlum defixis, & cum iam omnia essent subtracta, nec quidquam amplius se offerret videndum; hoc ipso instanti (referente D. Luca Historiam) (Act. 1.) Angeli duo virorum figuram referentes pretiosis induti vestibus apparuerunt illis: *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*; & eos corripientes quod hærerent attoniti, dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Quænam est hæc tam diuturna mora, qua fixis oculis cœlum intuemini? Detur huic finis; etenim *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: atque eadem, qua discessit à vobis, Maiestate reuertetur. Dubium hîc oritur: quomodo viris adeò mœstis atque ex absentia Dei sui desolatis, & consequenter consolatione egentibus, duo tantum Angeli apparent: & hi quidem qui mœstas magis irritarent, quàm demulcerent? Non hoc præsens petebat afflictio, qua premebantur; non tam breues inquam, tam amaras, tam ingratas rationes: contrarium statui fuisset magis opportunum: hoc est, vt plures descenderent Angeli: vt factum legimus in eiusdem Redemptoris Natiuitate: *Facta est cum Angelo multitudo*, &c. (Luc. 2.) deinde vt diutiùs illos affarentur, eaque dicerent quibus omnis eorum tristitia leniretur. Nodum dissoluit qui constrinxit Odo Pater antiquus. *Mirum & inquisitione dignum videtur, cur tam paucissimi missi sunt, cur tam pauca locuti? cùm rei dignitas attestantium posceret multitudinem, & Apostolorum desolatio non modica consolatione indigeret.* (Odo in Allegorijs Biblior.) *Nato Domino Angelorum chorus canebat: Gloria in excelsis Deo.* (Luc. 2.) *Ascendente eo nisi duo apparuere? Dicamus causam deuotioni potius seruientim quàm rationem. Ascendente Domino, & nouam in cœlis speciem naturæ ingerente, superna illa Curia admirata, festiuo apparatu exiuit ei obuiàm, & conticiis spiritualibus, laudes recinit triumphanti; fortasse idcirco tam pauci venêre, ne tam festis deessent solemnijs: & qui venerunt, regressu celeri nouis se gaudijs sociarunt.* Est valde bene fermentata, si quidem pia & deuota huius contemplatiui Patris meditatio. Ibant Angeli qui Christo triumphanti comites aderant festiuo gradu, cupientes cœlos ascendere, vt socijs suis de Ascensu Domini sui læta noua perferrent: vt illos describit Dauid ad portas cœli clamantes: *Attollite portas Principes vestras*, &c. (Psal. 23.) vt festiui accurrerent eo, quo tenebantur, reuerentiali Dominum cultu, pompaque majestuosa recepturi: *Et introibit Rex gloriæ.* Cùm autem maxima sit eorum felicitas, iucunda lætaque nuntiare; idcirco ex opposito molestum illis est, tristia & ingrata adferre. Quare ex tanta multitudi-

titudine Angelorum vix duo euelli potuerunt, qui Discipulis nuntiarent, quod Dominus denuò reuerteretur mundum judicaturus; & id quidē cum quadam verborum asperitate, parcitate & breuitate, vt tanto minus hîc hærerēt: quo clarè significarunt, quàm illubenter ea venirent iudicaturi, quæ mœrorem adferunt & nauseam: & desiderium quo tenebantur reuertendi suisque se socijs adiungendi, vt cum illis pariter peterent ab eis qui in cœlo erant, congratulationes glorioso sui Regis aduentui.

4. Hanc conditionem Angelorum cœlestium, terreni imitantur Angeli, id est Sancti. Loquatur eximius Euangelista, qui ab Abbate Gaugerico ex nomine SS. Virginis Mariæ vocatur: *meus in carne nouus Angelus Ioannes*: qui mysterium describens Incarnationis Filij Dei, bonaq; multa quæ per eam homo consequitur, sic ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: *Et Verbum caro factum est*. Ea sola de causa descendit de cœlis in terram Deus, vt eis qui illum agnoscerent & adorarēt vt suum Redemptorem, *potestatem daret filios Dei fieri*. Bona noua nobis hic Angelus annuntiat, dicens: Ex eo quod Verbum Dei naturam assumpsit humanam, homini data est potestas qua in Dei filium adoptetur: ita namque declaratur illud *Et*, vt significet *quia* causalem, secuti primores Interpretes in hoc D. Chrys. qui curiosam hîc Euangelistæ Ioanni obijcit quæstionem: *Cur non dicis nobis Ioannes eorum etiam supplicium, qui eum non receperunt: sed tantum quod sui erant, & in propria veniens minimè receptus est? Quanam igitur gratiâ id subticuisti?* Vt dubio huic satisfiat, aliam viam ingreditur D. Chrysost. dicit enim hanc fuisse

Gauger. serm. de Assumpt. B.V.

Ioan. 1.

D. Chrysost. Ho. 9. in Ioan.

rationem: cogitauit enim Euangelista supremum hoc & seuerissimum esse supplicium quo puniri possunt: vt cùm eis liberum esset, filij tamen Dei esse contempserint. *Et quodnam maius supplicium esse posset, quàm si in eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint: sed sponte sua tanta se nobilitate, tanto honore indignos efficiant*. Applaudo conceptui. Ego autem, concessâ mihi ab ipso veniâ, intelligo quod ex industria D. Ioannis more Angelico noua mala subticuerit, & pœnam silentio presserit quæ malos manebat; dixerit autem bona: hoc est, ingens beneficium quod bonis concedebatur: quia hæc consolationem & gaudium ingerebant: illa verò tristitiam & dolorem.

Duas habeo ex Theodoreto notationes, quibus hactenus vsus non fui, & nunc seruire possunt vt nostro discursui fulcrum. In animo habebat Achab Rex Israël nonnullas sibi subijcere ciuitates: quo fine petijt à Iosaphat Rege Iuda copias auxiliares. Ambo conuenerunt Reges & copiosum conflarunt exercitum. Ante congressum Rex Iosaphat, vt erat sanctus, dixit Regi Achab: Domine mi, negotium hoc nostrum valde arduum est: præstaret prius diuinum quærere consilium. Respondet Achab: Iam consului: adsunt enim mihi quadringenti Prophetæ, vnanimi voce prospera nuntiantes, aliudque non requiri, quàm vt operi manum adferamus: secura nobis est victoria. Replicat Rex Iosaphat: Prophetæ illi Deo Israël non seruiunt: an aliquis hic viuit Propheta Dei Israel, vt per eum Dei consulamus voluntatem? Est vtique, inquit, vir animo debilis, quem, quia numquam proposito meo congruè respondet, execror: nomen illi

5.

3. Reg. 22.

illi Michæas. Aduocatur Michæas, adest, interrogat illũ Achab: *Ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare?* Cui Michæas: *Ascende & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis.* Quo audito exclamat Achab: *Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini.* Perplacet, ait Michæas: quandoquidem me constringas vt dicam quod sentio: loquor apertè: quod si in prælium descenderis, aduerso Marte dimicabis, corruet exercitus tuus, totusque populus in ore gladij cadet; summoque tibi dedecori hoc animi propositum cedet; ita mihi Dominus reuelauit. *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* Huic sententiæ intricatos valde video SS. Interpretes, vt Prophetæ verba primâ facie sibi repugnantia concilient. Primâ namque responsione ait: Vade, & prospero Deo pugnabis. Secundâ verò; vt nullo casu proficiscatur: vincetur etenim & cadet. Lyran. vt hæc componat, ait: Prima Vatis sententia non fuit assertiua, nec illi voluit dicere rei successum, sed optatiua; q.d. Vtinam eâ progredereris hora, qua cuncta tibi prospera succederent. *Hoc non dixit assertiuè, sed magis optatiuè: vt sit sensus; Vtinam sic posses ire.* Sed ilicò patet difficultas, cur Vatidicus Regi veritatem non aperuerit, sed modum quæsierit, quo ruinam capiti eius imminentem silentio tegeret, & prospera tantum, quæ tantopere desiderabat, annuntiaret? Quia expectauit donec Rex eum iuramento cogeret, vt ei diceret quod reipsa futurum præsciebat. Ratio fuit; quia Michæas parua apud Regem valebat auctoritate: iudicabat enim ille, quod ex animi proposito semper illi aduersa prædiceret. *Ego odi eum; quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla.* Voluit igitur Propheta honori suo consulere, atque vt cõstaret Regi Achab, quàm inuoluntariè tristia illi prædiceret, quodque si sibi liceret, semper felicissimos illi successus prænuntiaret. Idcirco modum quæsiuit quo (sub specie boni desiderij) futuram eius ruinam illi non aperiret: *Ascende & vade prosperè.* linguam suam quantum poterat, ab infaustis vaticinijs, & funestis oraculis auertens; vt notat Lyran. & tamdiu expectauit donec Rex illum iuramento ad veritatis compelleret editionem; quasi illi dicens, vt aduerteret quàm inuitus infelices illi prædiceret euentus: quandoquidem non nisi iuramento coactus quidquam illi prophetizaret quo posset offendi. Verba damus magni Theodoreti. *Expectauit Michæas vt iureiurando adigeretur, & deinde verum diceret. Nam quoniam Achab existimabat Prophetam propter odium prædicere ea, quæ erant molesta, prius dixit ea, quæ erant iucunda; deinde iureiurando adductus, diuina ostendit:* nec enim sciunt serui Dei tristium esse baiuli, nisi quando aliter non possunt, & vi compulsi.

Lyran. hic. / Theodor. hic.

6. Intellexit Benadab Rex Syriæ grauiter decumbens Elisæum Prophetam Damascum appulisse; misitque confestim Hazael, qui Regis nomine congratularetur eius aduentui, dona nonnulla deferret, virumque Dei rogaret, vt Deum consuleret quæreretque ab eo num de ægritudine qua laborabat saluus assurgeret, vel mortis debitum solueret. *Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Deum per eum, dicens: Si euadere potero de* 4. Reg. 8.

*ro de infirmitate mea hac?* Hazael Regis sui mandatum impleuit; cui propheta: *Vade, dic ei: Sanaberis: porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.* Et vt prædixerat vir Dei, contigit; cùm enim Hazael responsum Vatis Regi detulisset, addit Sacra Historia: *Cumq; venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius: quo mortuo, regnauit Hazael pro eo.* Manifestam hîc vides verborum Prophetæ contradictionem; etenim Regi iubet renuntiari, quod sit superuicturus, & famulo dicit, quod sit moriturus. Interpretes S. Eloquij diuersimodè locum hunc exponunt, qui eorum iudicio satis est operosus. Ipsos adeant curiosi & S. Scripturæ amatores, & difficultatis inuenient solutionem. Argumento nostro quadrat iudicium Hebræorum relatum à Doctissimo Abulense. Secundum est, sciuisse Eliseum, quod Benadad ex hac infirmitate non moreretur; nec enim erat mortalis. Sciebat quoque quod Hazael eum esset interfecturus, vt sibi regnum occuparet; vnde vtrumque Prophetæ responsio complectitur; quod Rex ex illo morbo non moreretur, & quod Hazael vitam illi tolleret regnandi ductus cupidine. *Ex ægritudine tua non peribis; quia ipsa non est ad mortem. Et tamen ostendit mihi Dominus, quod tu occides eum, quamuis ipse non moriatur ex ægritudine sua.* Doctrinam hanc vt certam admittendi quæstio statim occurrit; quare Vates Eliseus tot vtitur ambagibus, ne Regi molestam, quam timebat, mortem apertè denuntiet? Indubiè patet hic nobile Vatis ingenium, & ab infaustis nuntijs sic alienum, licet de illis consultus & interrogatus, vt amphibologiam inuenerit, ne quidquam Regi displicens eloqueretur, nisi ea tantum quæ poterant illi adferre consolationem. Ita Dei seruis innatum est, occasiones euitare, quibus alios possent contristare, & ea solummodo profari, quibus lætitiæ gaudijque præstent argumentum. Conceptui meo fauet Theodoretus. *Iussit Propheta Hazaeli, ne mortem Regis significaret, ne tristis è vita excederet.*

*Abulen. hic.*

*Theodor. q. 25.*

7. Discursum hunc concludat collatio duarum sententiarum Isaiæ Prophetæ, quæ argumento nostro optimè conueniunt. Quærit Deus: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Negotium præ manibus habeo non parui momenti. Audit illum Isaias, & reputans sibi hoc dici, citissimè respondet: Quem Domine nisi me, mittas? *Ecce ego, mitte me.* Folium complica, & reuolue caput 40. vbi Deus illi præcipit, vt voce præconia clamaret. Cui Propheta: Quid Domine vociferabor? *Vox dicentis: Clama. Quid clamabo?* Conferamus modò hæc Prophetæ responsa. In prima occasione vix Dominum audierat dicentem: *Quem mittam?* & continuò missioni se promptum offert: in secunda tepidè respondet: Quid agam? vel quid prædicabo? Quænam est hæc tam instantanea mutatio? Heri adeo promptus ad obsequium, & hodie tam tardus ad obedientiam? Cupio doceri. Ego quoque (respondet D. Hieron.) in hoc loco difficultatem inuenio; porrò in defensionem Prophetæ sententiam multorum approbo, dicentium rationem huius tam diuersi agendi modi eam fuisse; quia primâ vice delusus fuit; cùm enim vnum cogitaret, aliud euenit illi valde diuersum; quando namque Dominum audiuit interrogantem: *Quem mittam?* &c.

*Isaia 6.*

*Isa. 40.*

&c. sibi persuasit se mittendum vt populo læta nuntiaret, pacisque illis & gaudij noua prædicaret; cùm autem se paratum ostenderet, præceptum accipit de minis intentandis, prædicendisque supplicijs. Molestum hoc adeò Prophetæ fuit, vtique ministerium suaui suæ naturæ repugnans, vt quando nunc Dominus illum mittit iterum prædicatorem, veritus ne concionis suæ thema cum antecedente conueniret, refragatur, & tepidum se, tardumque exhibet; quasi se excusans ne ministerium ita naturæ suæ contradictorium subiret, quale erat populo illi calamitates & aduersitates, quibus opprimeretur, fatidico spiritu prænuntiare. Audiamus maximum SS. litterarum Interpretem: *Alij putant idcirco se obtulisse Isaiam; quia existimabat populo prospera annuntianda, sed quia audiuit: Vade, dic populo huic: Auribus audietis & non intelligetis, &c. Propterea in consequentibus dicente ad eum voce Domini: Clama: non statim clamat, sed interrogat: Quid clamabo?* Ita alienum est Dei seruis (sunt hi, quos in terra habet Angelos) dare noua, tristia & molesta; in quo similes sunt cœlestibus Angelis; quibus hoc solummodo gratum est ea nuntiare quæ demulcent, exhilarant & consolantur.

D. Hier. hic.

8. Diuinæ placeat Maiestati nobis lumen infundere, quo doctrinā hanc in praxim redigamus; nos inquā fideles, eo planè modo, quo generosus ille & nobilis Iuuenis Germanus, licet Gentilis, eam præuenit. Cornel. Tacitus ita refert: *Victoribus decus, gloriam, quæ domi chara, quæ in castris honesta, reticuit de aduersis.* Populo suo breuem proposuit concionem, qua illum ad instans hortabatur, prælium contra Germanos, qui à fide defecerant. Proposuit illis famam ac gloriam, quam ex præsenti consequerentur victoria, & æternum, quo celebrandi forent, nomen; pacem tandem & quietem, eamque perpetuam, qua in patria sua domoque posthac potirentur; verumtamen ex industria tristia subticuit & aduersa, quibus frequenter exercitus subiacet: vinci nimirum, & suauem libertatem, & dilectam plus omnibus vitam amittere. Quare ergo dixit hoc, & alterum subticuit? Nec enim aduersis voluit eis animos tollere, sed prosperis potiùs solari eos & animare: pectus non erat illi quo quidquam efferetur, quo contristarentur, sed quo tantùm excitarentur. Quanto maiori ratione nobis idem faciendum incumbit exemplo Sanctorum de terra, & Angelorum de cœlo, in quorum ore numquam alia dantur noua, quàm placentia & iucunda; qualia sunt gloriosæ resurrectionis Domini nostri, quibus hodie sanctas lætificauerant mulieres venientes ad sepulchrum, & per earum ministerium SS. Discipulos. *Nolite expauescere, &c. Ite, dicite discipulis eius, &c.*

Corn. Tacit. l. 1. Ann.

---

*Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, &c.*

CONSIDERATIO V.

*Valde leues reddit tribulationes consideratio resurrectionis Christi: spes etenim corona, prælij vincit aduersitates.*

APost. Paulus Hebræis efficacissimum præscribit remedium, 1.

quo

quo æquanimiter aduersa & tribulationes huius vitæ patiantur: hoc nimirum, vt oculos suos conijciant in auctorem fidei Christum Dominum: *Adspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Si Doctorem Angelicum interrogemus: Quale fuit illud gaudium, quod sibi Redemptor noster proposuit? Respōdebit: Æternæ vitæ præmium, quod post gloriosam suam resurrectionem expectabat. *Vel preposito sibi gaudio æternæ vitæ, pro gaudio sustinuit crucem:* q.d. ex consideratione gloriæ, quam postmodum resuscitatus, frueretur, libenti animo ignominiosam crucis mortem sustinuit. Idem agamus & nos fideles mei, quo vitæ miserias pœnasque toleremus; gloriam attentâ mente consideremus hîc patientibus promissam, cum à mortuis resurrexerint, in ea præfiguratam, qua hodie Saluator noster fruitur.

Hebra. 12.

D. Tho. hic.

2 Tristis & afflictus pergebat optimus adolescens Iacob, quando fratris sui Esau declinans iram, proficiscebatur in Mesopotamiam: animo reuoluebat paternas in domo delicias, affectum quo diligebatur, & incertum itineris sui successum. Labore fractus itineris nudans humum sibi strauit in lectum, vt vel aliquod fatigato corpusculo daret refrigerium; hîc mystica illa recreatus est visione, qua cœli stationes vidit apertas, & scalam, per quam ascendebant & descendebant Angeli. Deus in supremo requiescens gradu, quasi manum illi porrigebat ad ascensum; magnifica intellexit promissa quibus illi Deus protectionem suam & suam spondebat benedictionem. Addit S. Historia, quod disparente visione continuò surrexerit, iterque suum lætus fuerit prosecutus. *Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem.* Caietanus Card. ex Hebræo legit: *Eleuanit Iacob pedes suos.* Expendit Doctor hic insignis hunc loquendi modum, notatque S. Scripturam hac phrasi non vsam, antequam Iacob illam habuisset reuelationem. Supponit modum hunc loquendi velocitatem significare & hilaritatem animi; qua Iacob iter suum prosecutus est: cui præclarum addit conceptum. *Significatur quod diuina visione ac promissione animæquior redditus Iacob accelerauit iter.* Hac phrasi Spiritus sanctus ex calamo Moysi significauit quod Patriarcha Iacob tantum animum, viresque diuina hac visione perceperit: vt ille qui vsq; modò mœsto lentoq; gradu procedebat, amodo magis curreret quàm graderetur, magis volaret quàm curreret: conspecto etenim præmio plumbei grauesq; pedes pennas induunt aligeras: sufficit autem Iacob si vel paruam imaginem gloriæ conspiciat; vt feruore maximo, & infatigabili spiritu labori pectus addicat.

Gen. 28. & 29.

Caiet. hic.

Nunc hora est, ait Moyses, ita nunc hora est vt audiatis, Popule Dei, & exactè obseruetis Dei verba, Deique mandata. *Et nunc Israël audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te.* Noster Oleaster hanc Moysi notans exhortationem reflectit super aduerbium hoc, *Nunc.* Quod tempus fuit, vel quæ hæc occasio qua vir Dei hunc Israëlitis sermonem proposuit? Qua de causa censuit tempus hoc magis opportunum, diemque hunc congruum, quo documenta hæc & exhortationes populo prælegeret? An fortasse populus tunc magis deuotus magisque dispositus ad audiendum Dei verbum? vel de nouo strictiùs 3

deuin-

deuinctus, vt illi diceret: *Et nunc?* An non aduertit (inquit Oleaster) iam populum accedere ad terram promissionis, eique à Moyse digito demonstrari bona, quæ in ea erat possessurus? *Vt videas & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.* (Deuter. 4.) Quid ergo miraris, quod nunc tot opera præcipiat, tamque feruenter persuadeat, vt sedulò Dei præcepta custodiant, & patientissimo corde durissimos itineris perferant labores; quandoquidem præ oculis nunc habeant quietem & refrigerium? *Considera quam sapienter legibus promissiones adiungit: quoniam optimè nouit, nos nihil sine mercede velle facere:* (Oleast. hic.) quasi qui probè nosset hominum conditionem eamque refragantiam, qua laborem suscipimus, nisi nobis requies quam intendimus calcar addat.

*Ipse decor rectè facti si præmia desint*
*Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.* (Ouid. l. 2. de Ponto Eleg. 3.)

Ita ludebat olim Ouid. Nec erit qui baiulandam sibi assumat Crucem, ad imitationem Christi crucifixi; nisi prius illum inter gloriæ suæ splendores, dotibus omnibus gloriosum, immortalem, resuscitatumque considerauerit.

4. Opinor quod Iosue ex suo prædecessore Moyse didicit eundem agendi modum: qui cum proximus adesset, terram promissionis perfectè & integrè possidendi, populo Israël hæc verba proposuit: *Præparate vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram & vxores vestræ, & filij ac jumenta manebunt in terra, &c. vos autem transite armati ante fratres vestros.* (Iosue 1.) Duo illis proponit Dux generosus, quibus eorum prouocet animos; primò reducit illis in memoriam promissa à Deo facta: quod terram illam possiderent, & quieti in illa viuerent: *Dominus Deus vester dabit vobis requiem:* & statim iniungit vt arma sumant, seque componant ad dimicandum cum inimicis, qui transitum vellent impedire, & prohibere ingressum. Insignis Scripturæ Commentator magnam aduertit prudentiam, quam concio hæc includit: nempe quod primò proponat illis diuites possessiones, vitam pacificam, & à bellorum tumultibus quietam; quod ipsi, vxores, & filij bona quælibet in ea essent consecuturi: nec horrendo armorum strepitu terrerentur; imò vero constanti & imperterrito præliarentur animo. *Initio statim, quæ illis iucundissima, gratissimaq; auditu sunt, commemorat, quo sibi ipsorum animos conciliet.* (Andre. Mah. hic) Ex animi consilio bona illis addicit quæ in felicissima illa regione possiderent, quæ lacte & melle manat: vt ex eorum intuitu sanguinolenta non timeant certamina, nec ab armorum strepitu timore perculsi fugiant. Terra promissionis Israëlitis ex Dei liberalitate addicta, prototypon fuit gloriæ, quam nos fideles laborum & ærumnarum pretio speramus: quare ne medio in itinere animo despondeamus, sæpè nobis S. Mater Ecclesia illam repræsentat; vt eius recordatione nostra prouocetur & roboretur patientia; vt quæ strictiùs nos deuinciret cum Angelo, eodē tempore nobis in memoriam reuocat Christum Redemptorem nostrum & crucifixum & resuscitatum. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit:* vt eius exemplo nos excitet (vt enim in principio diximus) ex consideratione gloriæ corporis sui rediuiui, seipsum animauit, vt tyrannicam adeò pas-

passionem, & infamem in cruce mortem æquanimiter toleraret.

5. Liber ille, quem vidit Ezechiel in manu Domini, *scriptus erat intus & foris*: legebantur autem in eo tristissimæ lamentationes, funebres planctus, næniæ, & post folium alterum musica, contilenæ, suauis harmonia. *Scriptæ erant in eo lamentationes, carmen & væ.* Prophetæ mandauit Deus vt librum illum comederet, quem cùm deglutiret, ipso teste, saporem dulcissimi mellis referebat. *Factum est in ore meo, sicut mel dulce.* Quo fieri potest, vt in tanta gemituum & fletuum amaritudine, tanta lateat suauitas? tanta gustetur dulcedo? Vnde hoc? Quæstioni respondet S. Cyrill. Alex. cuius hæc sunt verba: *Dulces admodum sunt labores, cùm merces copiosa proponitur.* An ergo modò non vides quod inter lachrymas mœstaque suspiria læta audiantur cantica dulcesque harmoniæ, quæ sempiterna bona nuntiabant reddenda pro præmio? Tribulationes igitur, quibus hæc obijciuntur, licet grauiores multo sint, quàm quæ hoc Ezechielis libro continebantur, quibus Deus populum erat puniturus, in tantam vertuntur dulcedinem, qualem nec omnes mundi mellis faui continent: *Quasi mel dulce.* Medium omnino præsentissimum ad patienter aduersa tolerandum, certitudo est, & recordatio coronæ, cuius est per aduersa secura possessio.

Ezech. 2.

D. Cyril. Alex. l. 10. in Ioan. c. 23.

6. Die quodam idem Propheta pulpitum ascendit manu laterem gestans, & ait: Præcepit mihi Deus vt in hoc latere describerem vrbem Hierusalem, & circumfusas hostium legiones in planitie & montibus, quæ ciuitatem coronâ cingerent & oppugnarent. Hinc fodinæ eruebantur, inde ducebantur aluei; pars illa muros ariete quassabat, pars altera scala admonebat; quidã è turribus vexilla suspendebant, alij domibus ignem inijciebant inimicos alij iugulabant. Hæc omnia verbis illis denotantur: *Fili hominis, sume tibi laterem, & pones coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionẽ.* D. Greg. Magnus laterem hunc interpretatur cor hominis, quouis latere durius & asperius: in quo cœli lux describit gloriam. Magnum quid, quod in re tam parua cœli magnitudo capiatur. Verumtamen, inquit Deus, dabis in hoc securum pignus certamque bonorum notitiam, quæ ibi danda reseruantur. Et cùm eorum animos videris eis conciliatos, & feruentes vt generosi, excitatique propositum illud exequantur; tutus eis prædicas, quod omnes tartari legiones in illud conspirent: qui namque propositam sibi habet gloriam, omnibus pectus opponet, omnibus hilarem exporriget vultum, omnia superabit: grauissimas sibi oblatas vilifaciet difficultates: Et quamuis in eum tota consurgat inferni potentia, non trepidabit. Sequatur modò D. Gregor. *In quo & ciuitatem Hierusalem iubentur describere, qui prædicando terrenis cordibus* (de Prædicatoribus loquitur) *curant summopere, quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare. Cui etiam benè dicitur: Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones. Obsidionem circa laterem, in quo Hierusalem ciuitas descripta est, ordinant, quando terrenæ menti, sed iam supernam patriam requirenti, quanta eam, in huius vitæ tempore, vitiorum impugnet aduersitas, demonstrant.* Et quamuis S. Gregor. loqui tantum videatur de bello, quod vitia susci-

Ezech. 4.

D. Greg. l. 26. Mor. c. 5.

tant, implicitè tamen agit etiam de bello quo nos tribulationes, effectus peccati infestant.

7. Psal. 71. *Replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat*; ita canit Psalmista Regius. Repetitionem hanc *fiat, fiat*, admiror cum D. Bern. Videtur, inquit, hic duo simul de eadem re ferre suffragium. Porrò quinam fuerunt (scitu dignum est) huius congregationis consiliarij, & quidnam fieri decreuerunt? Hoc meum est (ita deuotus Abbas) de hoc iudicium; quod hominis spiritus carni pœnitentiam proponat; illa verò hanc recuset (quæ vtique numquam cum illa societatem habuit;) vt autem ei hanc persuaderet, indicauit illi, quod quamuis tota esset terra, gloria tamen repletur in Resurrectione. *Replebitur maiestate eius omnis terra.* Illa autem quam primum tanti boni notitiam habuit spiritui acquiescens, cum illo in pœnitentiam conspirat: & conformiter ambo dicunt: *Fiat, fiat.* Bernardum loquor. *Consolare carnem vt & ipsa requiescat in spe, audiens nimirum; quia replebitur maiestate Domini omnis terra; quid adhuc murmuras caro misera? Quid adhuc recalcitras, & aduersus spiritum concupiscis? Si te humiliat, si castigat, si redigit in seruitutem, id profectò in tuo genere, non minus tua interest quam ipsius: replebitur maiestate Domini omnis terra: fiat, fiat.* Propositâ mortificatione in consideratione gloriæ, qua tota replenda erat terra, pars superior primo tulit suffragium, aitque, *fiat*: inferior autem voto huic consentiens, dedit & suum, dicens: *fiat*: quo significatur, optimum esse remedium, quo carni dulcoretur omnis pœnitentiæ rigor, si primo moueatur, vt meminerit se gloriâ coronandam: quæ si nunc temporaliter affligatur, postmodum cum Redemptore suo ea sit in gloria regnatura, qua ipse in æternum fruitur.

D. Bern. Serm. 2. de verbis Isaia.

Omnes vt egregium habent stylum Apostoli, quo de iustis hac vita Deo seruientibus eumque amantibus loquitur: de illis quippe dicit, quod sedeant, & cœlesti gloriâ perfruantur: *Qui conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Confestim dubitandi ratio occurrit: quomodo sedent & gloriâ fruuntur, si adhuc hic patiantur? Noui quod D. Aug. hoc de certa spe interpretetur, quantum est ex parte diuinæ gratiæ; quia ius habent ad bona illa possidendum, ijsque gaudendum. *Certè in cœlestibus Christus iam sedet, nondum autem nos: sed quia spe certa quod futurum est, iam tenemus, simul nos sedere dixit in cœlestibus.* Veneror interpretationem; sed intentioni nostræ respondet D. Gregor. quod eo tempore Apostolus in ergastulo tenebatur vinculis constrictus. Cùm ergo actualiter pateretur, de se suisque concaptiuis loquitur, quod iam resuscitati Deo cum Christo gaudeant in eius gloria. Et ratio est; quia hac consideratione tormentis afflicti se muniebant, vt ea tanto suauius paterentur. Contemplabantur se nunc corpore & anima gloriosos cum Christo, ne pœnis attriti desponderent animo, imò verò eas tantò constantius tolerarent. Aperite caput, loquitur Summus Pontifex. *Sancti itaque viri foris despecti sunt, & velut indigni omnia tolerant: sed dignos se superius sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant; cumque laborant foris aduersitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis, &c.* Vt veritas hæc asseratur, & doctrina roboretur, nimirum: quod consideratio Chri- 8,

Ephes. 2.

D. August. l. 2. de Resur. Christi. c. 26. 27. & l. 11. cont. faus. c. 8.

D. Gregor. l. 6. mor. c. 8. apud Corn. à Lapide in hunc loc.

sti resuscitati multum per omnem modum tribulationum leniat amaritudinem, quam eius exemplo in hac vita degustamus: huc nos adduxerunt verba Angelorum, quibus deuotas consolati sunt mulieres. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit, &c.*

---

*Ite, dicite Discipulis eius, & Petro, &c.*

### Consideratio VI.

*Dies Resurrectionis Christi Domini, meritò vocari potest, dies eius: & dies, in quo signis manifestioribus suam prodit pietatem.*

1. Expendit D. Ambros. quod Christus Dominus per Angelum suum mandauerit tribus illis mulieribus, vt Resurrectionis fausta nuntia Discipulis, & nominatim Petro referrent: ne indignum se, vtpotè trinæ negationis reum, hoc beneficio iudicaret. Et gratiam hanc conferens cum illa, quam bonus latro recepit, iucunda valde profert verba: *Si latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Petrus? Et si illi Dominus, cùm crucifigitur miseretur; multo magis huic miserebitur, cùm resurgit. Si Passionis humilitas tantum præstitit confitenti, Resurrectionis gloria quantam tribuet deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse (sicut ipsi scitis) læta victoria, quàm addicta captiuitas.* (D. Amb. serm. 52.) Non tantum ad liberalitatis munera prouocat dies, quo victus cernitur & afflictus, quantum ille, in quo sublimatus adoratur. Arbitratur ergo D. Ambros. quod dies gloriosæ Resurrectionis Domini, antonomasticè dies sit pietatis eius & clementiæ: dies quo facilis aditu, & securi (quamuis peccatores) fidenter possint accedere, donaque postulare: eius etenim benignitas, & affabilitas felicem nobis promittunt euentum.

2. Loquitur Dei Filius per os Dauid Patri suo æterno: *Aduersum me susurrabant omnes inimici mei*: (Psal. 40.) q.d. Secretò contra me conspirabant, in angulis honori meo derogabant, & quâ poterant viâ famam meam vellicabât. *Aduersùm me cogitabant mala mihi*: hæc omnis eorum erat cogitatio qua nocerent mihi. Quæcumque se offerebant mala, in damnum meum ea dirigebant, scopus eram iniquarum eorum cogitationum. *Homo pacis meæ in quo sperabam*: nominatim ille, cui videbar posse fidere (Iudam intelligit) familiaris mihi amicus, cui præ cæteris negotia commendabam: *Qui edebat panes meos*: quem ego nutriebam, pane meo sustentabam, mihique domesticus. *Panes meos*; postquam mihi non partem vnam, sed omnia comedisset: *Magnificauit super me supplantationem*: clanculum & dissimulatè mihi struxit insidias. Verbum hoc *supplantare* (secundùm paraphrasticum Hispanicum) (Episc. Gat.) significat de sub pede damnum mihi intulit. Dolet vehementer Christus, grauesque de inimicis suis deponit querelas, eo quod non tolerandis modis illam offenderint, calumniati sint, & tandem crucifixerint. Grauiter in die qua resurrexerit, puniet illos: indubiè tantam sumet de illis, quantam meretur culpa, vindictam. Ita videtur futurum, & verbis sequentibus idipsum indicat: *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* Quantum sapio, stylo loqui-

loquitur humano, dicit infirmus: Verissimè si dilecto surrexero, soluet mihi, dum liber ab hac tribulatione euasero, meritis luet pœnis. Primo intuitu sonant hoc verba prædicta. Porrò Dydimus Pater antiquus præclaram nobis dat expositionem argumenti nostri confirmatiuam, & ita declarat verba Redemptoris nostri: *Vt retribuam eis retributionem, quæ illis ornamento & vtilitati futura sit.* q. d. Domine mi, desidero reuiuiscere, vt omnibus meis inimicis retribuam eis, non quod eorum meretur iniquitas, sed quod à me meus postulat amor: vt nimirum honori eorum & vtilitati consulam; illi me corpore & anima prouocarunt: igitur & illis eodem satisfaciam numismate: quocirca non mihi satis est si à sepulchro meo animâ illis benefaciam, sed insuper & corpore volo eorum esse benefactor: & propter hanc rationem pluris meam faciam resurrectionem. Hic sensus est verborum Christi, *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.* Ecce quàm pius quamque benignus prodeat de sepulchro Dominus.

Dydim. hic.

3. Rogauit Angelus vel Dei Verbum (vt cum D. Thoma plerique sentiunt) Iacob finitâ luctâ, qua tota nocte æquali marte cum illo certauerat, vt brachia dissolueret: iam enim elucescere auroram. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Noui quid Angelicus Doctor hoc loco dicat, non esse opus diei, & auroræ conspectui congruum, virum potentem patienti necessitatem negare quod petit; quare Dominus virum nobilem induit, qui confunderetur & erubesceret quod tota nocte pertinax suam Iacob negasset benedictionem, quam tam constanter, tot lachrymis precibusque postulabat: quocirca ascendente aurorâ eam illi copiosissimam impertijt, lætatusque est valde Iacob ex illa, & cognomine Israël. *Nota* (ita D. Thomas) *quod loquitur Angelus ad modum Domini seu viri maturi & honesti, qui erubescit videri luctari, & aliqua sibi non condigna agere.* Quia res videbatur indigna, reijcere petitionem Iacob: vnde sibi à luce timuit auroræ. Sapientissimè dictum; sed proposito nostro luctam hanc, vt semper, allegoricè declarat Diuus Augustinus. *Iacob in illa colluctatione Iudæorum populum figurauit: Angelus qui cum eo luctabatur, typum Domini Saluatoris præferebat. Luctabatur Iacob cum Angelo, quod populus Iudæorum luctaturus erat cum Christo. Dimitte me, inquit Angelus, iam ascendit aurora. Hoc iam resurrectionem Domini figurauit*: nam dum dimitti petit, quia promicabat aurora, figura fuit eius, quod in aurora gloriosæ resurrectionis Domini contingeret: si namque vsque tunc Deus luctatus fuerit cum peccatoribus, & bellum cœlum inter & terram efferbuerit; erumpente aurorâ resurrectionis ipse pacis rogat fœdera, vult ipse vt dissensiones finem habeant, vniuersalem omnibus offert indulgentiam, ad gratiam suam redire volentibus, quantumuis grauiter illum offenderint: simus boni amici, inquit, præterita sint præterita: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora.*

Gen. 32.

D. Thom. hic.

D. Aug. Ser. 80. de temp.

Propheta Eliseus hospitalitatis beneficij non immemor, qua mulier illa, cuius filius obierat, sedula illum exceperat, præcepit Giezi famulo, quo mortuum suscitaret, vt festinus curreret, veloxque volaret, tradito ei baculo suo, quem defuncti 4.

pueri vultui superponeret. *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum super faciem pueri.* Mandatum Domini seruus impleuit: sed nullus effectus: quare reuertitur ocyùs ad Dominum suum Eliseum, aitque illi: Non surrexit puer. *Neque erat vox, neque sensus. Reuersusq; est in occursum eius & nuntiauit ei dicens: Non surrexit puer.* Quærunt hîc Scripturistæ: Quare puer non surrexit: & multas adferunt rationes, quas curiosis legendas commendo. Ego eorum bonâ veniâ causam interpretor, ob quam puer reuixit, eam fuisse: quia virga interueniebat; baculus inquam rigoris & supplicij symbolum; quare non expediebat vt per baculum puer resurgeret: gratia namque resurrectionis non pœnis, sed consolationibus sociatur; non flagellis, sed maritatur beneficijs! Lucem aliquam huic meo conceptui adfert D. Bernard. cuius profero sententiam. *Misit puerum, tulit baculum: non surgo, non suscitor, non excutior de puluere, non respiro in spem: si non Propheta ipse descendat & osculetur me osculo oris sui.* Alludit Bernard. actionibus affectus significatiuis, quibus vsus est Propheta ad defuncti pueri resuscitationem: & simul conuenientiam docet, quam resurrectio nostra, siue spiritualis, siue corporalis habet cum benignitate & clementia Saluatoris, & quemadmodum gloriosa eius resurrectio certum extitit nostræ pignus: ita formaliter sequitur quod cum manibus non gestet baculum securitatis symbolum resuscitatus Redemptor, sed sceptrum inclinatum, clementiæ suæ hoc sit signum, qua maximopere indigent peccatores.

4. Reg. 4.

D. Bern. Serm. 2. in Cant.

5. Quando Scribæ & Pharisæi postulant à Christo Domino dari sibi signum, fidei quam prædicabat, sigillum, protulit illis Ionam omnibus notum, vtique sæpè ad pulpita reuocatum. *Non dabitur generationi isti signum, nisi signum Ionæ Prophetæ &c. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*, quibus finitis illũ in terram euomuit: *sic erit filius hominis in corde terræ*, id est, *in sepulchro.* Mysticus igitur hic successus ad viuũ repræsentat nobis Dominicam resurrectionem. Suppositâ tamquam indubiâ hac veritate, pronuntiatâ ore primæ Veritatis, curiosam mouent Interpretes quæstionem, quare Propheta hic, plus quam alius, electus sit in symbolum Saluatoris à mortuis rediuiui? Diuersi diuersa sentiunt, quibus & ego meum addam iudicium, innixus doctrinæ Rabbani Patris antiqui & docti, *Ionas*, id est, *columba vel dolens, signum est eius, super quem descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, & qui dolores nostros portauit. Piscis qui Ionam deuorauit in Pelago, significat mortẽ quam Christus passus est in mũdo. Tribus diebus & noctibus fuit ille in ventre ceti, & iste in sepulchro: ille eiectus est in aridam, iste resurrexit in gloriam.* Applaudo conceptui. Matt. 12.

Porrò modo nascitur mihi difficultas: cùm enim Propheta hic vir esset admodum durus, & naturæ tam immisericordis, vt intelligens tantum, quod Deus parcere vellet Niniuitis, illi refragatus est, noluitque illis prædicare: Scriptura tamen vocet eum Ionam, & Rabbanus columbam, benignum & condolentem. Nónne conuenientiùs dictus fuisset immisericors, asper & inhumanus: quandoquidem molestè non ferret, si tanta perijsset peccatorum multitudo? Vt difficultati satisfiat, considerare de-

bemus Ionam duobus diuersis temporibus, & statibus ante & post naufragium; & patebit, quod ille, qui in principio cordis ostendebat duritiem, ita postmodum peccatoribus condoluerit, vt tanta promptitudine diuino obtemperauerit mandato; vt (secundùm D. Hier.) spatio vnius diei totam percurrerit ciuitatem, ad quod triduum erat necessarium. Ita conciliat hic Sac. Textus illos, primo obtutu sibi repugnātes. *Niniue ciuitas magna itinere trium dierum & cœpit Ionas introire ciuitatem diei vnius.* Et ratio fuit; quia quamprimùm meminit eius, quod sibi contigerat, qualiter per triduum in ventre Ceti clausus hæsisset, & postmodum in terram eiectus; statim Deo obediuit, & hominibus compassus est. *Præcepti memor & superioris naufragij non oblitus viam trium dierū vnius diei festinatione compleuit.* Et idem est ac si diceret (conformiter doctrinæ præfati Rabbani) quod sicut Ionas figuram Christi prætulit resuscitati, ita statim conditionem suam mutauit, asperitas conuertitur in benignitatem, & seueritas in pietatem. Si ergo tantum pictura potuit, quantum poterit ipsa veritas?

Iona 3.

D. Hier. hic.

6. Dies Resurrectionis Christi, ne dubites, dies est indulgentiæ suis inimicis, dies est plenariæ remissionis omnium offensarum. Tum pia, tum sapiens est consideratio S. Archiepiscopi Rauennatis, qua pōderat Christum dixisse suis Apostolis, quando iam rediuiuus illis apparuit: *Ego sum, nolite timere*, confidete. Imò Domine mi, hac de causa nobis timendum est: tu enim idem ipse es, cuius amori non respondimus, quem grauiter offendimus: quandoquidem te deseruimus. Non obstat hoc, nolite expauescere, formidinem procul abigite, quia ego ipse sum modò rediuiuus, qui de cruce pro inimicis meis intercessi: vos alij resurgetis, ego verò idem, qui ante fui resurgo; quare licet in hac die gloriæ meæ vindictam de inimicis meis possem sumere; tamen dies est obliuioni tradendi iniurias, quinimò beneficia conferendi. Adest S. Petrus Chrysol. *Ego ex mortuis sum viuus, nolite timere: Petre, quod negaueris, quod fugeris, tu Ioannes, quod infidelius de me totis cogitationibus iudicastis, quod adhuc non credatis me videndo*: omnem à cordibus vestris timorem excutite: quamuis me in statu videatis admodum distincto, ne fide dubitetis: tanta quippe est resurrectionis meæ virtus vt sufficienter vestram incredulitatem ad veram reducere posset pœnitentiam: quandoquidem vobis offeram indulgentiam: hoc est, *Ego sum, nolite timere.*

Luc. 24.

D. Petr. Chrysol. Serm. 81.

7. Ad bolidem cadit hic insignis allegoria S. Isidori. Ad trutinam reuocat verba Dei fratricidæ Caino dicta, *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos*: atque in hoc maleuolo Iudæos considerat, qui de terra sancta. SS. corporis Christi, in passione peruersis suis manibus culta, nullum retulēre fructum; quin imò, vt alter Caim, in sua peruicacia contumaces perstiterunt. Quod si tam inflexibilis causam quæras obstinationis (ita Doctor hic,) respondebo tibi eam fuisse, quod Christus à mortuis resurgens, illis gloriosus non apparuerit; si namque conspectu tantæ gloriæ potiti fuissent, tanta hac virtute pollebat ad emollienda corda, vt impossibile fuisset eos non fuisse conuersos, & consequenter veniam non obtinuisse. *Resurgens eis, à quibus erat crucifixus, non apparuit.* Apparuit

Gen. 34.

Isid. cit. à Burg. ad c. 16. Marc.

ruit electis suis, qui licet antè in fide cespitassent, quamprimùm illum viderunt, in fide constantes perstiterunt, à culpa sua fuerunt absoluti, & in gratia ita confirmati, vt ex ea numquam exciderint.

8. Discursum hunc & tractatum finiat obseruatio S. Prosperi ad illa verba Psalmi, *A custodia matutina vsque ad noctem speret Israël in Domino.* Qua de causa (quærit S. Prosper) à manè vsque ad vesperam, & non amplius suadet Dauid, vt in Domino speremus? An ergo tam breuis esse debet spes nostra, vt intra diei vnius tempus absoluatur? Non capio. Quia virtutes Theologales Fides, Spes, & Charitas perfectionem suam sumunt ex perseuerantia. Quomodo ergo Prophetæ satis est, vt in vigiliâ matutina incipiat, & finiat in nocte: *A custodia matutina vsque ad noctem?* Altiora, quam cogitamus, Dauid meditatus est; nobis fidelibus loquitur (ait S. Prosper) & hoc maximè persuadet, vt spes nostra ab aurora resurrectionis Dominicæ sumat initium, & vsque ad noctem, id est, horam mortis nostræ perseueret. Hoc est huius sententiæ mysterium: *A custodia matutina vsque ad noctem speret Israël in Domino.* In hac aurora spei suæ constantiam fundet Christianus, ex hac gloriosa Christi resurrectione, suam sibi pollicens. Audire libet verba Prosperi verba Dauidis explicantis: *Virtus igitur patientiæ, de illa sumenda est vigilia matutina, in qua Dominus Iesus Christus in nostra natura carne surrexit à mortuis: vt quod præcessit in capite, hoc in se sperarent omnia membra faciendum: vt omnis Israël quovsque de hac vita exeat, hoc, quod in Domino factum est, in se quoque sperare non desinat.* A primo diluculo pulcherrimæ auroræ, in qua Christus ab Inferis resurrexit, incipiat spes nostra, vsque ad nostræ mortis occasum, non dubitantes, quin vbi sit caput, futura sint quoque membra: vt enim illum sequamur, primus resurrexit, triumphanti sua resurrectione gloriæ viam nobis aperiens. Concludit S. Prosper. *Hæc enim spes propria est Israëlitarum spiritualium, quorum desiderium, non vana neque temporalia concupiscit: sed à vigilia matutina resurrectionis Christi vsque ad noctem finis sui eò currit, eò tendit, quò iam in præcedente peruenit:* q. d. In vigilia matutina Deus noster ex mortuis resurrexit. Fundet igitur spiritualis Israëlita, Christianus inquam, omnem spem suam in illa aurora, nec illam ad huius vitæ temporalia deflectat: *A custodia matutina.* Idcirco namque Christus caput nostrum primus resurrexit: vt in eum gloriosum omnia nostra dirigantur desideria, nostram fide indubitatâ sperantes resurrectionem; iam via, prius impenetrabilis, patet aperta, & diuinis eius calcata pedibus, vt illum ponè sequamur, & sequendo ad gloriam quoque transeamus æuiternam. Amen.

Psal. 129.

S. Prosper in Expos. huius Ps.

TRACTA-

# TRACTATVS XXIV.

## DIE LVNÆ PASCHATIS.

*Duo ex Discipulis ibant ipsa die, &c.* Luc. 24.

### SALVTATIO.

QVamuis Euangelica Histò-ria sit satis longa, concisè tamen & breuiter resumpta, complectitur apparitionem Redemptoris nostri, qua ipso Resurrectionis suæ die duobus Discipulis se ostendit, qui tristes & diffisi in domos suas reuertebantur. Argumentum hîc datur, quo patet, quàm dolenter Christus hominum defectus accipiat: quandoquidem duobus occurrat, iam à veritate aberrantibus, vt illos ad viam rectam reduceret. Nascitur hominibus,& viuit illos quæsiturus:quinimo quando tempus iam videtur esse in Resurrectione & gloria quiescendi, ipso die festinus illos insequitur, quos illuminet, & ad reliquorum ducat societatem. Proficiscebantur igitur admodum tristes, de Christo Domino colloquentes; ipse verò occurrit illis habitu peregrinus, se socium itineris adiunxit, sermonem cum illis miscet: mœrori, quo prostratos illos cernebat, cõpatitur eiusq; causam inquirit, seriem illi narrant gestorum in Hierusalem, addunt, quod eousque sperassent, quod Dominus, qui mortuus fuerat, ac mortuis resurgeret die tertia, iuxta condictum quo resurrectionem suam illis prædixerat: & cùm nullum eius viderent effectum, animo suspensi & mœrore deiecti languebant. Saluator noster cordis eorum duritiam increpauit, ostenditque quàm conueniens fuerit, vt pro grauissimis illis tormentis & ignominijs gloria ipsi retribueretur.

Sed notandum, quod vno, vt dicitur, impetu hoc fecerit, sed eo modo vsus est, quem dixit Plato seruandum cum illo qui nullo tempore in obscura valde conclusus cauea vel carcere delituit: hic enim eductus non continuò directo solis opponitur aspectui: sed primùm vna illi fenestra aperitur, ne fortè splendida nimis lux visum eius obtenebret, sed pedetentim clarior ac clarior illi lux exhibetur. Hoc planè modo diuinus ille Sol, si confestim illis se reuelaret,debilibus eorum noceret oculis, qui tanto tempore in tenebris & caligine latuerant. Se sol contexit dum habitum induit peregrini,& paulatim progrediens declarat illis à Moyse vsque ad Zachariam Scripturas de ipso vaticinantes;& hoc colloquio detenti iam populo & castello quò tendebant, appropinquabant. *Finxit se longius ire:* atque in humeros penulam peregrini reijciẽs, ad discessum vlteriorem se composuit; illi verò, quia sol tendebat ad occasum, detinuerunt illum, & importuni rogantes institerunt, vt per- (*Plato in Phym.*)

nox cum illis hæreret. Tanta fuit Discipulorum in hoc importunitas, vt dicere licuerit Euangelistæ: *Coëgerunt illum.* Tandem acquieuit & ingressus domum, ad mensam recubuit, panem sumpsit, & diuisit, in qua actione cognouerunt illum: & ilicò euanuit ex oculis eorum. Eodem momento festini recurrerunt in Hierusalem socijs suis hæc fausta nuntiaturi, quos repererunt in cœnaculo præ metu nimio latentes, congregatos, atque inter se colloquentes de vera Christi Resurrectione, quem Petrus quoque rediuiuum viderat; ad cuius confirmationem exposuerunt quid illis in via contigisset, & qua ratione Dominum in fractione panis cognouissent, quorum oculos diuinæ suæ gratiæ lumine aperuisset; hac indigemus, qua præsentis Euangelij textum exponamus: quocirca gratiæ Matrem vt eam nobis impleret, humiliter inuocemus: *Aue Maria.*

---

*Duo ex Discipulis Iesu ibant ipsa die.*

## Consideratio I.

*Eo ipso quod Christus festinè duos istos quærat Discipulos à Collegio suo secedentes, nobis ostendit, nullam dari animam, quam vilifaciat: imò verò tanti faciat vel vnius lucrum, ac si omnes lucrifaceret & saluaret.*

I. CVm multiplices Christi perpendo apparitiones: quando non minus quā quinquies in die Paschatis apparuerit: modò Magdalenæ, modò D. Petro, modò duobus Discipulis ex Euangelio, modò cunctis in vnum congregatis, quantum sapio, sufficiebat hæc vltima, quam simul omnibus conuenientibus appareret, nec discurrere opus erat de loco ad locum, & particulares inquirere, quos in fide suæ Resurrectionis instrueret. Sed maturo consilio fecit hoc Redemptor noster: nec illi satis fuit, omnibus in communi benefacere, singulis insuper fauere contendit: quo nobis assereret in oculis diuinæ suæ Maiestatis nullam esse animam, quæ modico valeat: imò verò ex eo quod pro illis facit plurimum, patet quod vnam tanti, quanti simul omnes æstimet.

Placet audire Psalmistam de hac materia discurrentem. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Psal. 47. In omni loco, inquit, Deus magnus est, & ab omnibus meretur laudari: verumtamen in Hierusalem, ob specialem, quia illi afficitur, prouidentiam, particulatiter laudari debet & adorari. Loquitur de S. Ecclesia prosecutus: *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Nulla est in ea domus, quantumuis paupercula, in qua non cognoscatur ex singularibus beneficijs, quibus illam cumulat. Sermo est de particularibus Ecclesijs quæ generalem constant Ecclesiam: vel de animabus fidelium, ex quibus particularis componitur Ecclesia; & ait in eo manifesto patere, quod Deus eius curam susceperit: *Cum suscipiet eam:* manu sua protegit eam, complectitur & defendit: atque inde tota illi securitas, quam habet, tota venit constantia. Subtiliter notat hic Diuus Chrysost. vt Dauid ostenderet, quo affectu Deus Ecclesiam suam diligat, postquam in communi dixisset, quod speciali titulo sit eius ciuitas: *Ciuitas Regis magni,* ad particulares descendit domos,

domos, atque quod in illis singulari modo Deus sit cognoscendus. *Deus in domibus eius cognoscetur.* Quasi Deus Regis non satisfaceret obligationibus, in communi tantum prospiciens ciuitati, nisi de singulis ciuibus curam gereret particularem. *Prædicat eius auctoritatem, laudem, coronam, dicens: Ciuitas Regis magni; deinde ostendens, quomodo sit ciuitas Regis magni per illud, In domibus eius cognoscetur, magnam ostēdens prouidentiam, & quod eam totam omni ex parte seruat, non illius tantum totius curam gerens, sed etiam in vnamquamque domum, suam ostendens prouidentiam.* Hodiernas dies primus est, in quo Dauidis oraculum impletum est, & quo Christus Dominus se verum Regem magnæ huius Ciuitatis Ecclesiæ demonstrauit, quæ in Discipulis suis fundata noscitur, erga illam suam, patefaciens prouidentiam: nedum in communi apparens omnibus, eosque in fide Resurrectionis suæ confirmans, sed quibusdam in singulari, binos hos aberrantes, & quasi de illa desperantes reducens. Argumentum hoc est, & manifesta probatio qua declarat quanti faciat animas nostras: quandoquidem non minus sollicitum se exhibeat pro salute vnius vel alterius, quàm omnium.

*D. Chrysost. hic.*

2. Nefas est præterire Cardin. Petri Damiani insignem cōceptum. Accurrit Iacob ad Isaac patrem suum odoriferis indutus fratris sui Esau vestibus, benedictionem suam ab eo recepturus; quamprimùm bonus senex sensit vestimentorum illius fragrantiam, illi benedictionem suam impertijt. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Cardin. præfatus formam expendit benedictionis, in qua odor vestimentorum comparatur agro floribus vernanti. Numquid sufficeret dixisse Patriarcham, sicut odor rosarum, chariophyllorum, vel alterius speciei florum; quandoquidem benedictio non nisi ad vnum dirigeretur? Non, inquit, vt enim Isaac filio suo Iacob benedicens Patrem æternum referebat Ecclesiæ suæ benedicentē, ostendere voluit quod tanti faceret singulas fidelium suorum animas, ac omnes totius suæ Ecclesiæ. Quocirca vni soli locutus, non ait quod odorem vnius solummodo floris referret, sed integri quasi horti, vel campi floribus exornati. *Nam & propheticis Isaac naribus tota præsens redolebat Ecclesia: cùm super vnius filij sui personam dicebat: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.*

*Gen. 37.*

*Damian. l. ad Leon. inclyt. Epist. c. 5.*

3. Domino Moyses loquitur: Si petierint à me filij Israel, quis te legatum ad nos misit? quo vocatur nomine? quid illis respondebo? Dices illis: *Ego sum qui sum: qui est misit me ad vos.* q. d. (Cardin. Gaieta. acutè vnico verbo dicit hic, quod viri Sancti mille præclaris discursibus) Ego sum *fons essendi* hoc est: *Qui est.* Itaq; quidquid esse habet, de me procedit, de me pendet multo magis quàm de Sole lux. Si cœlum moueatur, si sol illuminet, si stellæ influant, si ignis calefaciat, si tellus firma consistat, si arbores ferant fructus, si flumina currant, si Reges regnent, si gigantes roborentur, si leones viuant, si serpentes repant; quidquid est, de me pendet: ita vt si vel paululum manum subtraxero, formosissima quæque, fortissima & potentissima suam sentient ruinam: itaque qui mihi adhæserit, non est quod timeat: nec enim fera mordere potest, aqua submergere, turbare ventus, tempestas sæuire, morbus accedere, mors impugnare,

*Exod. 3.*

nisi virtutem ad hoc licentiamque concessero. Hoc signum plus satis est quo Deus tanquam vniuersalis mundi benefactor cognoscatur. Porrò si subtiliùs dicta Moysi reuoluamus, quæremus cur addiderit populo dicendum: *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos*: vt vos in tribulatione consolarer, ageremque de vestra libertate. Et hæc reatio fuit: voluit enim Dominus per hoc ostendere amorem quo suis afficiebatur: quandoquidem sibi non satis esset ea prouidentia, qua cunctis in communi prospicit: sed insuper ita singulorum in se caram susciperet & bono particulari consuleret, ac si eorum tantum Deus esset. Ita notat doctissimus Commentator Pererius. *An quia nomen Dei significat prouisorem & benefactorem; Deus autem singularem quandam & propriam erga quemlibet illorum trium prouidentiam, curam & benignitatem suam ostenderat, propria cuique eorum tribuendo beneficia.* Vnde clarè colligitur nostrum argumentum: quod Deus singulos nostrûm in particulari tanti faciat, vt nos tanti quanti simul omnes æstimare videatur.

Perer. in c. 3. Gen.

4. Quanto amoris vulnere cor suum vulneratum Sponsus habeat, declarat his verbis: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum.* Duorum vulnerum meminit. Non me latet varia SS. Patrum & Interpretum huius sententiæ declaratio: & omnes in eo conueniunt, quod per hæc duo vulnera, quæ Sponsus recepisse se fatetur: per vnum intelligatur amoris, quo illam prosequitur; & alterum lanceæ militis, de quo S. Ioan. *Et vnus militum lancea latus eius aperuit. Foris lancea perforauit, quod iã diu amoris lancea fuerat perforatum.* Ita D. Bern. & S. Bernardinus Senens. secutus Glossam Interlin. *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa: id est, pro amore tuo carnem sumpsi: vulnerasti cor meum, vulnerasti in Cruce*: q. d. Quod distulit militis lancea, lancea præuenit amoris diuini: quare in quoque vulnere duas habebat apertiones, amoris vnam, & doloris alteram. Hoc concesso Pharisæus plagam infligens alteram manifestabat, & magis videbatur antiquas ostendere, quas amor inflixerat, quàm alias de nouo adferre. Conceptus est insignis: attamen nouam huic expositionem addidit eruditissimus Magister Soto Maior, vel lectio Paraphrasis Chaldaicæ quam adfert. *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea Sponsa; infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum Israël.* Patebit tibi, ô Sponsa, quantum te diligam; quia amore tui vulneratum est cor meum: & singuli filiorum tuorum etiam minimi, illud vulnerarunt. Qua igitur ex causa probat per hoc Sponsus amoris sui feruorem, summamque perfectionem? Iam dictum est: in primis etenim verbis Ecclesiæ loquitur in communi, & in posterioribus filijs eius sigillatim per hoc summum suum amorem protestatus: quandoquidem eundem cunctis in corde suo locum exhibeat, ac eorum singulis: & hi & illi cordi eius sunt infixi: signum est hoc euidens quanto diligat affectu spirituales Israëlitas, Christianos, inquam, per illos denotatos: cùm tantum singulis, quantum omnibus afficiuntur, & non minori amore vnum quàm omnes prosequatur. *Infixus est in tabula cordis mei, &c.*

Cant. 4. Ioan. 19. D. Bern. D. Bernardin. Senens. Paraph. Chalda. apud Soto maior.

Ingeniosè notauit Rudolphus Flamiacen. 5.

miacen. quod in tota Hiſtoria Euágelica Chriſtus Dominus non niſi bis fleuiſſe legatur; primò reſuſcitaturus Lazarum, videns Magdalenam ſororẽ defuncti plorantem, & ipſe quoque plorauit. *Ieſus ergo vt vidit Mariam plorantem, &c. lachrymatus eſt.* Secundo; refert D. Lucas quod Dominus tendens Hieruſalem & *videns ciuitatẽ, fleuit ſuper illam.* Primas igitur lachrymas pro virò ſingulari fudit: & allegoricè pro peccatore in vitijs ſuis mortuo, & ſepulto. Quando verò defleuit vrbẽ Hieruſalem, ploraſſe dicatur pro peccatis totius illius ciuitatis, grauiſſimis ſupplicijs illi imminẽtibus. Domine, nónne ſatis eſſet, lugere te ſuper mala integræ vnius Reipub. illi compatiendo: velis inſuper planctum fremitumque edere damno particularis perſonæ condolens ? Non ſufficit: enim amori meo tantum refert vnus Lazarus, vel ſoror eius, ac populoſa valde ciuitas: tantique ſolam animam facio, ac multas ſimul. *Et nuſquam Dominum Ieſum lachrymantem reperies, niſi hic cùm Mariæ ploranti compatitur: ſeu cùm miſeræ ciuitatis excidium prænuntiaſſe refertur.*

*Ioan. 10.* *Luc. 19.* *Rudolph. Flaminc. hic.*

6\. Doctrinam hanc confirmat Diu. Thom. qui ponderans quod Chriſtus Dominus nobis dederit Sacramentum Corporis ac Sanguinis ſui in ſpirituale animarum noſtrarum alimentum: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, atq; de myſterij huius differens effectibus, ita loquitur: *Sicut in mundum viſibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ; ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur.* Expendo connexionem qua D. Tho. gratiam communem connectit cum gratia particulari. *Sicut in mundum veniens, contulit mundo*, id eſt, omnibus, *gratiæ dona*, &c. q. d. Deus nos hoc modo dilexit, vt ei non ſatis fuerit id quod omnibus in communi præſtitit : ſed idem ſingulis in particulari concedit. Pignus Incarnationis Verbi æterni, eſt omnium, eſt generale: ſed quod ſub ſpecie panis ſe nobis in Sacramento exhibuerit, debitum eſt ſingulis in particulari. Si ſemel pro toto mundo deſcenderit in communi : nunc pro ſingulis in particulari venit : & non minus quid facit, dum pro vna anima ſuorum fidelium Euchariſtiæ præbet Sacramentum, quàm dum pro omnibus incarnatus eſt. Tanti facit Deus hominem, tantumque poteſt eius erga illum amor : vt ſi pro cunctis in generali perfectiſſima quæque fecit, pro ſingulis eorum fecit extrema.

*Ioan. 6.* *D. Thom. 3. p. q. 74. a. 1. in cor.*

7\. Subtiliter & ſapienter diſcurrit D. P. Chryſol. circa glorioſam illam D. Thomæ Apoſtoli confeſſionẽ: quando cernens Chriſtum à mortuis rediuiuum, eundem & Dominum ſuum, & Deum proclamauit: *Dominus meus & Deus meus.* Quid hoc Sancte Apoſtole? An fidem non adhibes veridicis adeo teſtibus tuis inquam condiſcipulis, reſuſcitatum Dominum ſuum affirmantibus ? An certam eius credere non vis Reſurrectionem? Numquid in opinione tua & errore pertinax perſiſtes, niſi oculis alijſque ſenſibus ſumas experientiam? *Niſi videro in omnibus eius fixuram clamorum, &c.* Rem ita fidei contrariam, & media ſumus fidei tuæ illa per quæ fides amittitur: nam idcirco dicunt Theologi, quòd Beati in Patria fidem non habeant : quandoquidem iam clarè videant perfectiones, & magnalia Dei, quæ fides in hac vita ſperare nos docebat; cum Deo contendis, nec te vis illi ad ſa- *Ioan. 20.*

lutem tuam submittere: nisi Deus personaliter venerit tuam curaturus voluntatem, & desiderio tuo quidem conformiter, sua secum deferens vulnera tuis tangenda manibus, teque visitauerit, quem oculis tuis conspicias; & quamprimùm illum cernis, manusque plagis imponis, confiteris illum & adoras? Superat captum meum. Superatne? Nō meum tamen inquit Chrysolog. *Vt Christum crederet, iterum pati compulit Christum.* Non obstupesco cùm Thomam video se submittentem: quandoquidem tantum pro illo quantum pro toto mundo Christus fecerit; pro mundo fuit crucifixus, pro mundo lancea percussus; pro Thoma & altera vice lancea percussus, & pro eodem crucifixus: etenim digiti manuum pedumque impressi vulnerum foraminibus, quid aliud sunt, quam claui denuo (vt videtur) illos terebrantes? Manus inserta lateri, quid aliud quàm lancea latus eius secundo aperiens? Dicit ergo Apostolus: qui tantum me amat, vt vulnera quæ mundi pro redēptione suscepit tangi patitur atq; in meæ infidelitatis renouari remedium: indubiè Dominus meus, & Deus meus est. *Dominus meus & Deus meus*: solus etenim ille pro me sigillatim potest facere, quod pro cunctis fecit in communi. Ad hoc Christus amor suus compulit, vt id quod omnium gratiā patrauit, certo quodam modo pro solo Thoma patrauerit: & quod ad omnium Discipulorum simul conuenientium salutem facere dignatus est, hoc ad duorum horum salutem qui à ceteris secesserant, facere non dedignatur. Vt hæc constet veritas, nullā illi pauci valere animam: imò verò videri, quod tanti faciat vnam, quanti omnes simul. Hoc mysterium continet illud, quod hodie prodierit illis obuius in via. *Duo ex Discipulis Iesu ibant ipsâ die, &c. Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.*

Chrysol. serm. 35.

---

*Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.*

## CONSIDERATIO II.

*Priuilegium hoc Christo proprium est, quod in omni statu semper idem maneat; quia in mundo cum fortuna perditur memoria, & mutata dignitate mutatur & conditio.*

I. EMphaticè dictum est à S. Luca, quod Christus duobus his afflictis mœstisque comitem se adiunxerit. *Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis*: Sufficiebat enim dixisse, quod Iesus occurrerit Discipulos consolaturus, nec referat dixisse, quod ipse Iesus esset: cùm clarum sit, quod ipse, & non alius esse debuerit. Suum alij ferant suffragium: hoc etenim meum est, mysticum fuisse Euangelistæ loquendi modum: quo potissimùm hac occasione notauerit identitatē naturæ Saluatoris nostri: q. d. ille qui modo Discipulos extrema desolatione languidos confortabat, idem erat, qui crucifixus occubuit, quemque resuscitandum sperabant. Tales etenim sunt Metamorphoses quas dignitates & honores hominibus adferunt: vt pro miraculo haberi possit, si quis se tanta cernens promotum dignitate, naturam non mutet, & ad distinctam transeat conditionem; quocirca nemo vanam indicet annotationem Euangelistæ: *Et ipse Iesus*: hoc est: qui nunc gloriosus est, idem ipse est, qui paulò

paulò ante in paſſione ſua & morte conuitijs eſt impetitus: nam iuxta fortunæ ſecundos caſus, homines quoad conuerſationem mutantur: vt vetus habet Prouerbium: *Honores mutant mores*: & ſingularis hæc eſt Saluatoris Chriſti prærogatiua, vt omni tempore, omniq́ue ſtatu ſemper idem ſit: vnde prudenti calamo ſcripſit Euangeliſta: *Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.*

2. *Nuſquam Chriſtianus aliud eſt, vnum Euangelium, & idem Ieſus*: ait profunde Doctus Tertullian. q. d. Eadem vnitas ſeu identitas, quæ eſt in Chriſto & eius Euangelio, debet inueniri & conſeruari à vero Chriſtiano, in ordine ad vitæ ſuæ perfectionem. Alludit Tertull. ad locum illum Apoſtoli ad Hebræos: *Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſæcula.* Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & erit ſemper. His verbis Apoſtolus inconſtantiam mordebat Iudæorum illiſq́ue perſuadebat, vt ad imitationem Chriſti ijdem ſemper manerent, conſtantes & firmi, non mutatu faciles, non vani ſicut creaturæ: eodem namq́ue tempore rident & plorant, idem volunt & nolunt: q. d. Si vitam veſtram rectè velitis componere, mentis oculos in Saluatorem mundi conijcite: qui in modo ſuo procedendi cunctiſq́ue actionibus, ſemper æqualis & idem fuit, eandem ſeruauit in moribus ſuis vnitatem, numquam conditionem mutauit: hoc eſt, *Heri & hodie*, &c. heri, hodie, cras ſemper fuit, eſt, & erit idem. Roborat hanc interpretationem lectio SS. Ambroſij & Maximi: quæ habet: *Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt, &c.* Numquam in illo fuit, eſt vel erit vlla varietas, ſicut in æternitate nulla eſſe poteſt mutatio: *Ipſe & in ſæcula.*

Tertull. de carne Chriſti. c. 11.

Hebr. 13.

D. Amb. l. 5. de fide c. 2. D. Max. Ho. 3. de Paſcha.

3. Illum attende ſtatu immortalem & glorioſum, ſiue in monte Thabor cum eodem Tertull. ſiue in Reſurrectione cum Caietan. & duo manifeſta reperies huius doctrinæ argumenta. Primum ſit. Saluator coram tribus illis diſcipulis transfiguratur: *Transfiguratus eſt ante eos*; ratio fuit (vt quantum memini aliàs notauimus) cum enim Dominus teſtari vellet & probare hominibus gloriam, qua ſe pro ſalute illorum priuabat, ipſoſq́ue præueniebat, vſque dum à mortuis reſurgerent; noſtra quoque ad glorioſum ita præmium inflammare corda, & tantæ margaritæ blanditijs ſpei noſtræ fouere impatientiam (ſicut hodie in his Diſcipulis Emmaus conſtat) ſumpſit quaſi manu tres Apoſtolos ex duodecim, dixit illos in montem excelſum ſeorſim, atque coram illis transfiguratus eſt: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Quem vt Petrus vidit in hoc ſtatu gloriæ ſplendoribus circumamictum, lucenti pulchritudine coronatum, notiſſima hæc protulit verba: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula.* O Domine, quam benè hoc in loco nobis eſt? Stationes (ſi tibi placuerit) permanentes hic erigamus. Audit Tertullia. Apoſtolum Chriſto colloquentem, & admiratur, quòd Petrus Chriſtum agnoſcat, & quaſi miraculum cenſet, quòd hæc gloria Saluatorem in aliam diuerſamq́ue non mutauerit naturam. Præclara eius verba non ſubticeamus. *Dominus quoque in receſſu montis, etiam veſtimenta ſua mutauerat: ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſeruauerat.* Attentè conſideremus (& hoc maximum duco prodigium) quod lux Petro cognitionem Saluatoris non ademerit. Miror

Matt. 17.

Tertull. l. de Reſurrect. c. 55.

ior quod Tertullian. hoc habuerit vt quid peregrinum, atque casum hunc quasi miraculum inscribat: quod Christo lumine circumdato & facie demutato: nihilominus natura eius non immutetur, atque in hoc schemate eum cognoscant, sed singularis hæc est Christi prærogatiua, quæ in hominibus, nisi per miraculum, non inuenitur.

4. Admiratur Card. Caiet. quod Christus prospera iam gaudens fortuna memoriam comitum suorum habuerit: atque in supremo gloriæ suæ vertice amorem suum erga nos conseruarit, frutiesque nominauerit. *Vade ad fratres meos*, eisque meam nuntia Resurrectionem, ita Magdalenæ præcipit. Dixisset alius, Vade dic seruis meis potissimum quando illi amorem hunc parum merebantur: attamen voluit Redemptor noster per hoc stabilem suam conditionem, & non flexibilem suam nobis ostendere voluntatem: vt ex illo disceremus, ne cōditionem nostram amoremque mutemus quando ad altiora fuerimus exaltati, sed amoris & cognitis ijdem semper permaneamus: quod si mutationem fecerimus, fiat vt illis benefaciamus, qua præcedentia desideria in præsentia conuertamus opera. Fecit hoc olim Vespasianus ad imperium iam euectus: de quo sic Plinius secundus. *Nec quidquam mutauit in te fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantundem posses & velles.* Verba Caietani sunt sequentia. *Vt ab exemplo disceremus exhibere nos amicis magis intimos, cùm promoti fuerimus ad aliquem superiorem gradum.*

Ioan. 20.

Plin. iun. In Paneg. Caiet.

5. Vtile documentum, sed quod pauci perficiunt: saltem vnum in S. Scriptura virum inuenio, qui in hoc particulariter secutus legitur vestigia Saluatoris: vnde multum admiratur Rupertus Abbas, quasi de re in mundo tā rara & insolita. Considerat præfatus Doctor Ioseph ad altiora euectum, & tantum abesse, vt cognitio nouæ dignitatis nouam in eo generaret conditionem, vt etiam dum se fratribus, quis sit, reuelat, animet eos ne timeant. *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum: nolite pauere, &c.* Gen. 45. Quinimo ex illo timendum illis erat: quia potētem adeo cernunt fratrem, quem tam grauiter offenderant, & considerant ita exaltatum, quem tam iniuriosè tractauerant. Nequaquam, inquit Rupert. cum enim dicit, se eundem esse qui prius, eos omni timore liberabat. Et quamuis in hominibus idem sit altiorem honoris dum gradum ascendere, & mutare naturæ qualitatem; in Ioseph tamen, cum figuram præferat Christi, non habet hoc locum; imò verò vt Christus egit cum Discipulis suis, à quibus tam mala opera receperat, eandem conditionem & idem esse conseruauit. *Ego sum Ioseph frater vester. Perseuerat in victore & triumphatore cum altitudine gloriæ, & honoris, modestia & humilitas mentis.*

Rupert. l. 8. in Penta. c. 40.

6. Quotidiana & contraria est mundi praxis: vt quælibet fortunæ melioris mutatio nouum generet cor, & prosperitas ita dissoluat naturam, vt alteram faciat. Appositè perpendit Iosephus notatu dignam mutationem in Saul, cuius prima & prospera considerat principia, ea conferens, cum abiectis suis medijs, & fine omnium calamitosissimo. Cādidus ita, sincerus & innocens primos transegit imperij annos, vt inter ipsum & puerum vnius anni nulla videretur, imò laudaretur differentia. Hoc sensu declarant doctiores Interpretes hunc Textum.

Filius

1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset; id est, simplex erat & innocens tanquam puer vnius anni:* ita D. Hier. Proco. Lyra. Hugo Card. & alij: Quomodo ergo de tam honorifico principio in finem delapsus adeo miserandum, seque in tantam malorũ abyssum præcipitauit, vt Deum dicere coëgerit. 1. Reg. 15. *Pœnitet me, quòd constituerim Saül Regem*, & ad regni thronum exaltauerim. Iosephus Hebræorum Historiographus huius tam insolitæ mutationis dat rationem. *Satis declarauit Saül, quam prauum sit hominum ingenium. Dum humiles sunt, atque plebæi: quia non audent, neque liberum est naturæ obsequi: æqui ac boni viri esse videntur, mirumq́; quoddam iustitiæ præferunt &c.* Iosephus de Antiq. l. 6. c. 14. Viuum verumque fuit illorum prototypon Saül, qui dum in infimis iacent, & pedites ambulant, ex necessitate faciunt virtutem, & naturæ peruersitatem, quâ laborant, abscondunt, fingunt se muneri suo satisfacere, donec eos, quales sint, fortunæ melioris mutatio manifestet: quamprimùm enim illis fauet, ventoque nauigant secundo, iam non sunt, quales priùs erant; sed in alios eos dixeris esse transformatos. Rupert. l. 8. in Penta. c. 40.

6. *Sed simul atque ad pœnitentiam & imperium prouecti sunt, & exutis pristinis moribus, & tanquam in scena mutato habitu, nouaq́; persona assumpta, in omnem audaciam, & insolentiam, diuinarumq́; æquè ac humanarum iterum contemptum prolabuntur.* Comœdis assimilantur, qui peracta persona nebulonis, ilico mutato habitu Regem exhibent, non recordati quid ante fuerint, habitum cum fortuna mutant, & quos heri videras humillimos, qui caput attollere non præsumebant, hodie nullum non audent temeritatis & insolentiæ nefas, ac si alij existerent ab illis, qui quondam fuerunt. Infausti Saüles, in quibus vespera non conuenit diluculo; sed fortunæ mutatio, naturæ morumque facit inuersionem.

Valde similes extiterunt in quo huic Regi filij Sacerdotis Samuel, qui illum in regimine Monarchiæ Israël præcesserunt: dicit etenim de illis S. Eloquium, quòd cum populo illi præessent iudices, optimi sui patris vestigijs non institerunt, sed pecuniarum auidi iustitiam vendiderunt, & mille commiserunt tyrannides. *Factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israël &c. & non ambulauerunt filij illius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntq́; munera, & peruerterunt iudicium.* Expendit hoc D. Gregor. & quærit, vtrùm illi ante promotionem suam ad iudicum dignitatem, malis illis laborarint conditionibus, vel eas cum tempore & promotione acquisierint? Respondet: regimen illos subuertit: idemque fuit ad primariæ dignitatis Israël ascensus, & infelix in alios viros descensus seu miserrimus lapsus. *Steterunt subditi, sed in culmine prælationis positi Prophetæ filij ciciderunt.* In quibus vulgare impletur dictũ. quòd nullus detur vir in æquo prudens: quandoquidem illi dum subditi pedites incederent, à bonis moribus & pietate laudarentur: sed culmen ascendentes dignitatis à priori bonaque conditione degenerarint. 7. 1. Reg. 8. D. Greg. in hunc loc.

Sic omnes faciunt, imò & ipse Petrus licet tam sanctus, in sua dignitate huic succubuit infirmitati. Iterum ad lucem prodeat locus ille de monte Thabor, quando Domino Petrus iudicium suum indicauit. *Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnũ,* 8. Matth. 17

& *Eliæ vnum*. Domine mi, verò dixero, nobis locus hic optimè conuenit maneamus hic: tibi, Moysi & Eliæ, vtpote amicis tuis & hospitibus tria componamus tabernacula. Audit illum Diuus Anselmus & facetam objicit ei quæstionem. Quæro nunc vbi erit frater tuus Andreas? Quomodo sic eius obliuisceris? Quî fieri potest vt fratris tam amici non recorderis, cui tantum debes, ille ad montis pedem sistat, tu in eius culmine glorieris? Iam à quatriduo paruoque tempore ad Christi cognitionem te perduxit, eiusque operâ collegio inscriptus es, Apostolicam tam cito omnem à tergo & memoria reijcis obligationem? Quid te peruertit? Quis mutauit? Iam capio, respondet D. Anselm. Varians rota circumacta est, & in prosperam licet rudem formauit fortunam. *Quantum malum inferat prospera fortuna, aduertite. Diuus Andreas adduxit Petrum in veram Dei cognitionem, & Andreas introduxit Petrum in palatium, eumq; coram Rege statuit. Nunc verò cùm se Petrus Regi acceptum vidit, & in dignitate, ac honore constitutum, iam penitus obliuiscitur eius, qui eum in tantam euexit altitudinem & gratiam Regis. Quotidianum est certè hoc malum.* Petrus omnia sua bona mediante fratre suo Andrea accepit: quo non obstante, quãdo promotum iam se cernit, & gloria ac dignitate sublimen, eius omnino non recordatur, qui illum ad Principem introduxit, fecitque in numerum adscribi Apostolorum: duplicem strictamque præteriens obligationem, fratris nimirum & amici. Melioris sunt hi effectus fortunæ, scilicet mutationes, quas quotidie, horis singulis ac momentis solet operari, & ingratitudo, obliuioq; D. Petri mysticè significat.

*D. Ansel. hic in theatro. S. Petrũ.*

9\. Tales, qui pinguiore fortunâ ditati mutant conditiones & à pristina deflectunt morum benignitate comparat Mendoza Bucephalo Alexandri Magni equo, de quo Plinius, Plutarchus & alij referunt, eum adeo generosum ac superbum: *Vt nudus seu ornatu equestri spoliatus quemlibet sessorem admitteret: phaleratus verò, & basilicè excultus, atque ornatus, neminem nisi Alexandrum pateretur. Nempè ex ornatu regio intumescebat.* Tales mihi videntur illi: subditi namque omnibus se humiliter submittunt: sed statu aliquo honestiori phaleratos, dignitate ornatos, & auctoritate fulgidos, nullus est qui patiatur: tam sunt insolentes & proterui, vt neminem æstiment, omnes despiciant, nullumque reuereantur. *Tales & illi, qui priuati alijs humiliter substernuntur: ad publicos honores euecti, omnibus superbè dominantur.* Hoc in mundo frequentissimum: hæc est inueterata & innata veteris Adæ filijs reprobanda consuetudo, nam videtur illis à patre suo stabiosa hæc adhæsisse pestilentia: vt mellifluus Bernardus subtiliter annotauit. Non hoc nouus & cælestis Adam nos hodie suo docet exemplo: sed vt eius imitantes exemplum, omni tempore, omni statu, omnique fortuna semper ijdem esse laboremus: qualitatem, naturam moresque numquam immutantes. Hoc mysterium nos innuit Diuus Lucas his verbis. *Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.*

*Mend. in l. 1. Reg. c. 3. n. 3. sect. 1.*

Appro-

*Appropinquans ibat cum illis.*

CONSIDERATIO III.

*Aſſiſtentia Prælati boni regiminis eſt anima: & ſuperiorum præſentia ruinam inſtaurat ſubditorum.*

1\. A Vero tramite oues hæ aberrabãt,& quaſi perditæ vagabantur incertæ, niſi Diuinus Paſtor eis protinus adfuiſſet,& in ouile ſuum denuo reduxiſſet: ita vt ex eius præſentia recuperarint,quod eo abſente perdiderant. Nemo diſertius in hac materia locutus eſt quàm D.Chryſ.*Sicut ſi nauclerum à naui ſaparaueris,ſcapham ſubmerſiſti; ita ſi Principes à ciuitatibus abſtuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem agemus vitam:* vt enim aſſiſtentia Superiorum eſt ſubditis vtilitati, ſic nociua ſemper extitit eius abſentia.

D.Chryſoſt.Ho. 6.ad pop.

2\. Deus per Moyſen populum ſuum docuerat nullum alium eſſe Deum præter ipſum, quod innumeris ſignis ipſo ſpectante populo confirmauerat ita tamen amens deſit, vt illa quaſi adhuc oculis cernens,illum abneget, alioſque fieri Deos poſtulet, & petitionem ſic ab omni ratione alienam Aaroni proponat: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Verba hæc eorum audit Oleaſter & quærit, quid tanto dilirio, & intolerabili ſtupiditati dedit occaſionem? Reſp. Superioris abſentia tanti criminis occaſio fuit. Argumentum ſumit ex S. Textu loquente de populo. *Videns autem populus,quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes:* lapſus eſt in tam execrandam ſacrilegamque peruerſitatem. *Solet in Republica magna incommoda, & turbationes facere Ducis longa abſentia: etiam ſi Vicarium in populo relinquat. Quod conſiderent Epiſcopi noſtri, quam ſit diſpendioſum eos à ſuis ſedibus elongari, aut à ſuis ouibus diu abeſſe,*& quam ingens inde ſequatur ſpirituale detrimentum. *Si enim tanta ac talis turbatio ſecuta eſt in populo ex Ducis abſentia ad quadraginta dies;quænam erit ſi ad annum aut duos abeſſe contingat?* Nouerint certoque ſibi perſuadeant: quod ſicut ab eorum præſentia pendet populi ſalus: ita & in eorum abſentia ſubditorum perditio conſiſtit.

Exod.32.

Oleaſt. hic.

3\. Quæſtio ventilatur inter Scripturiſtas: qua de cauſa Deus Aaron de fratre ſuo Moyſe murmurantem non punierit: cum ſororem eius Mariam ob idem delictum leprâ fœdiſſimâ conſperſerit, atque de tabernaculis eiecerit populi.*Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus.* Theodoret. Oleaſt.& Abulen.reſpondent: *Quia Aaron minorem culpam contraxit.* Et pro ſecunda dubij ſolutione dicunt: *Quia Aaron erat Sacerdos.* An hæc ergo ratio? Videtur quod non: imò verò grauiorem inde debuiſſet contraxiſſe culpam, & conſequenter ſeueriorem pœnam. Quomodo ergo dicunt præfati Doctores, quòd quia Sacerdos, tranſierit immunis? Meam ego dabo cenſuram, niſi fallor. Legis hoc erat decretum, vt omnis leproſus foras extra populum & caſtra eijceretur, vel extra tabernacula, in quibus tunc morabantur, & hoc ita infallibiliter, vt Mariæ non profuerit, quod ſoror eſſet ſupremi Legiſlatoris, vt cum ipſa in lege adeo ſeuera diſpenſaretur. Si Deus igitur Aaronem percuſſiſſet eâdem quâ ſororem eius leprâ, vi legis ſeparari debuiſſet à

Num.12.

suis subditis, in graue totius populi detrimentum, cùm illis præsens non assisteret. Mauult ergo Deus cum Sacerdote in supplicio, quàm in eius assistentia dispensare, ob inconuenientia non parua quæ ex eius absentia sequerentur.

4. Molestam minabatur Vates Elias famen Angelo totique regno Israël: his verbis: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto: si erit his annis ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*; eodem tempore quo cæteri laborabant, ipse Vates iuxta torrentem Carith corui ministerio per Dei præceptum alebatur; post hæc mittitur in Sareptam Sidoniorum, vt ibi angustiarum tempore, nutriretur. *Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ, vt pascat te.* Quare vel in quem finem (quærit Os aureum) iniungit Deus Prophetæ hanc peregrinationẽ? nec enim Deo corui deerât Eliæ prouisores; poterat & Angelum mittere, qui de mensa Regis portionem illi tolleret, suâque prouidentiâ illi subueniret: vt factum legimus Danieli, quando in lacu leonum, fame premebatur. Quid Deus igitur hac Prophetæ peregrinatione intendit? Fecit hoc Deus (ita Diu. Chrysost.) vt zelosum Prophetam excitaret & famescenti populo condoleret: quare mandauit, vt tam diuersas percurreret terras, & longas visitaret Prouincias: vt oculis cernens quibus premebantur necessitatibus, populo commisertus, ei subueniret. *Nesciebat Elias, quomodo apud alias nationes res se haberet: cum in vno loco sederet, neque orbis terrarum calamitatem cernere posset*: q. d. Numquam Elias mundo succurrisset, seque de afflictione, quam patiebatur, eripuisset, si vno tantum loco quietus resedisset; ibi namque non intelligebat quòd omnes in communi patiebantur; vt eius igitur misereretur & tantis malis velociter remedium adferret, visitationem illi Deus iniungit, vt oculis suis calamitates & angustias quas tolerabât, coram aspiceret & condolens quamprimùm de subueniẽdo cogitaret. Magni ponderis doctrina Superioribus & Prælatis, quo suis satisfaciant obligationibus, ne semper eodem hæreant loco, ac de proprio cogitent secessu & quiete: sed de ciuitate in ciuitatem, de regione in regionẽ transmittant: vt personaliter videant quomodo se habeant subditi, quænam sint eorum necessitates, siue corporales, siue spirituales vt illis remediũ adferant in hoc Christi Redemptoris ac Domini nostri vestigia sectantes: cuius vita non nisi perpetua fuit peregrinatio: vt etiam gloriosus non sistat, sed cõtinuo motu de loco in locum proficiscatur, tristes solatus, debiles roborans, ignorantes docens: tales etenim euaserant illo triduo, quo Dominus illis abfuerat.

3. Reg. 17.

D. Chrysost. de Elia.

Expendit Hugo Cardinal. quòd Christus quos mortuos suscitauit, præsens suscitauerit, neminem absens: & huius occasione profert historiam de Elisæo Propheta. Moritur hospiti suæ vnicus Filius, vnicum eius gaudium, quia talis est coniugatis, successionis familiæ pignus. Giezi seruum cum baculo suo mittit; sed nullus affectus, nec mortuus obedientiæ verbum intellexit vt surgeret, donec veniret Propheta: *Ingressus est ergo Elisæus domum, &c.* Ceremonias adhibuit & actiones, quarum meminit Scriptura & statim defunctus *Aperuit oculos.* Verba Hugonis non sunt silentio tegenda. *Mirum est de quibusdam, qui re-* 5.

4. Reg. 4.

Hugo sup. c. 5. Promoti uerb.

*moti volunt mortuos ſuos reſuſcitare:cùm etiam Dominus neminem ſuſcitaſſe legatur, niſi præſens. Unde non ſufficit Eliſæo miſiſſe Giezi ad puerum ſuſcitandum; imò & ipſe ſtatim ſubſecutus eſt, & præſens puerum ſuſcitauit.* De Prælatis hîc loquitur, qui ſubditos illos morientes ſuſcitare volunt longè ab illis diſſiti, cum ipſe Dominus neminem niſi præſens ſuſcitauerit:& Eliſæo non ſatis fuerit miſiſſe Giezi, qui puerum ſuſcitaret; niſi ipſe perſonaliter adueniret. Nouerint ergo tales, quòd, niſi ſubditos perſonaliter viſitauerint eiſque ſubuenerint, plures futuri ſint mortui quam viui. Ita ſubtiliter notauit doctiſſimus in Lib. Reg. Commentator: quòd Propheta miraculum hoc patraturus, teſte S. Paginâ *Deambulabat in domo ſemel, huc atque illuc*: & ſtatim adiungit. *Incubuit ſupra puerum.* Itaque publicè deambulabat, & ſecretò quietus manebat. *Vt ſignificaret Eccleſiaſticum Principem, partim reſidendo, partim viſitando, in ſalutem ouium incumbentem: nam peccatores ſuis ſceleribus mortui, ac tota Diœceſi quodammodo ſepulti, nullo modo congruentius ad vitam reuocantur: quam ſi à ſuis Prælatis partim in ſua ſede quieſcentibus, partim totam Prouinciam peragrantibus, tanquam à proprijs animabus informentur.* Imago pingitur hîc Principis Eccleſiaſtici (dicam & ego boni Principis ſæcularis) qui modò domi reſidens, modò iuriſdictionis ſuæ viſitans Prouincias in ſubditorum ſibi ſalutem ſe impendit; & meritò: nullum etenim efficacius eſt remedium ſuſcitandis per totam Diœceſim ſpiritualiter mortuis, quàm ſuperiorum præſentia corporalis: ex illa quippe, velut ex anima mortui reuiuiſcunt, ſicut & ex eorum abſentia viui moriuntur.

O quàm ſpatioſus aperitur mihi campus, quòd de Prælatis agam & Principibus, quos ſubditi non niſi per fidem cognoſcunt, præterlabuntur enim, non vnus, non duo, ſed plures anni, imò & vita integra quâ Prælatos ſuos de facie non videant, & quod magis dolendum eſt, & ſanguineis lachrymis deplorandum, nõnulli Superiores Eccleſiaſtici, ſic ſui muneris obliuiſcuntur, vt oues ſuas nõ agnoſcant, nec ſint eorum Paſtores, niſi vt ex illis fructus recipiant: eorum autem curam illis committant, quibus ſibi vel bene, vel malè placuerit, tanto animarum incommodo, quanto nouit Deus, totuſque mundus ingemiſcit. Quâ, quæro, conſcientiâ talibus licet ouile ſuum gregemque deſerere, ibi verò reſidere, vbi vanæ illorum poſtulant prætentiones? Caueant, ne ſuccedat illis quod Ozæ, & etiam in hac vita luant, nam in altera, non dubito, quod meriti fuerint, accipient. 6.

Duæ vaccæ quæ nondum portauerant iugum ducebant Arcam Teſtamenti, recalcitrarunt, & Arcam ad caſum inclinarunt, quo viſo, 7.
*Extendit Oza manum ad Arcam Dei: & tenuit eam*: & vix manum 2. Reg. 6.
applicauerat, *ecce percuſſit eum Dominus ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi.* Articulus hic eſt multùm inter Expoſitores agitatus: cur Deus repentinâ morte Ozam percuſſerit? Diuerſas ingrediuntur vias. Lyran. & multi cum eo rationem ſupplicij aſſignant: quod Oza muneris ſui oblitus Arcam proprijs humeris deferre teneretur, & hoc alijs, malle minùs bobus non committere: quare quis illi quodãmodo dixerit: tibi incumbebat Arcam deferre, & non feciſti: morere, & peccatum tuum ſolue: quan-

doquidem alijs commendaueris, quod tibi erat faciendum. Inuitus præterirem moralem valde & planè diuinam Lyrani declarationem. *Per hoc significatur, quod Principes & Prælati proprios humeros debent submittere ad portandum onus officij sui, ne percutiantur à Domino, sicut Oza, qui ad deportationem Arcæ boum humeros applicauit. Cui similes sunt, qui regendas Ecclesias suas alijs tradunt, etiam ignorantibus & ipsi in alijs occupantur;* indignis, sic officio suo & statui: cum graui offensa Dei, & non minori animarum dispendio: quæ cum Pastoris sui non gaudeant præsentiâ, nec à proprio gubernentur Domino, oportet vt patiantur & pereant. Caueant igitur qui tales sunt ne delicti huius rei culpentur: nisi sibi velint imputari stragem illam, quam lupi carniuori in illis exercuerint.

Lyran. hic.

8. Ipsâ nocte passionis suæ assumpsit Dominus noster tres Discipulos secum, Petrum, Iacobum & Joannem, vt cum illo vacarent orationi: notat autem Euangelista: cum eis Dominus orationem ex animo commendasset, & ipse paululum ab illis recessisset, oraturus: *Orate ne intretis in tentationem: & ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis:* reuersus inuenit illos dormientes, quos hac reprehensione excitauit. *Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?* Quid hoc? Multa notant hîc Interpretes: ego ea tantum adducam quæ doctrinam, quam proponimus, adiuuant & confirmant. Primò notat doctissimus Salmeron paruam distantiam, quâ Christus ab Apostolis se segregauit: *quantum iactus est lapidis:* quo mouentur Prælati, ne longo nimis tempore ab ouibus suis absint, sed potissimum tribulationis & aduersitatis tempore.

Luc. 22.

*Significabat parua illa distantia: quia Prælatus nō debet separari à grege, maximè tempore tribulationis.* Præterea notat S. Paschasius quid ex tā modica Christi absentia contigerit (quandoquidem non nisi vna hora, idque ad orandum abfuerit) nempe quod dormierint omnes, tamq; languidos, segnesq; se ostenderint, vt ne vna quidem hora in oratione perseuerare potuerint. In quo cœlestis Magister nos docet, quanti fidelibus sua referat præsentia, & ouibus Pastoris assistentia, Quare rogemus illum vt semper nobis assistat, numquam nos deserat verboque suo satisfaciat. *Considerate mysteria: quamdiu cum illis adfuit Iesus, nullo grauantur somno Discipuli; progrediente ergo pusillum ab eis, nec vna hora potuerunt vigilare illo absente: propter quod semper orandum vt maneat nobiscum, quemadmodum ipse est pollicitus.* Quod si diuini Pastoris absentia tam breuis, nec adeo distans: eaque ad orandum, & cum Deo de suorum salute agendum, tantam in illis genuerit desidiam tantamque socordiam vt omnes, ac si pueruli fuissent, obdormierint: quantò grauiores, & periculosiores manabunt effectus ex absentia tam longa, tam distante Prælatorum: & quod peius est, quando non absunt vt vacent orationi, & à Deo postulent quod subditis magis expedit, sed vt tempus illud statui suo indignis impendant?

Salmerō To. 10. Tract. 12.

Paschas. l. 2. in Matth.

Non ita egit Christi successor D. Petrus: nam vt notat D. Lucas, continuò circumibat primitiuæ Ecclesiæ visitans fideles prædicans, & docens celeri gradu infatigabilis. Dixit hoc D. Lucas, & subscripsit D. Chrysost. *Factum est autem vt Petrus, dum transiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ* & subiungit os aureum 9.

Actor. 9. D. Chrys. Hom. 12. in Acta.

reum. *Quemadmodum Dux in exercitu obambulans, considerabat, quæ pars coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat. Vide vbique illum circumcursare, & primum vbique inueniri.* Quam diligens, quamque vigilans Capitaneus: qui ac si in excubijs staret, perpetuò vigilat, atque ex hac parte exercitûs in alteram transuolat, omnia attentè considerat: semper currit, numquam sistit, atque in omni euentu primum se præsentat. Talis Apostolus Petrus, verus Christi Redemptoris nostri successor, de quo testatur idem Euangelista: *Iter faciebat per ciuitates & castella.* Et in actibus Apostolo- *Luc. 8.* rum. *Qui pertransijt benefaciendo &* *Act. 10.* *sanando omnes oppressos à diabolo,* q.d. à beneficijs conferendis numquam cessabat, & ab itinerando non quiescebat; sed velut sol diuinus cursum suum numquam intermittebat, virtutem suam perpetuò nunc illi, nunc alteri parti communicās vniuersi: quatenus eius exemplum vt formula Principibus, & directorium seruiret Prælatis.

10. Coronidem imponat discursui nostro lepidum quoddam responsum, quod ex Aristotele refert Lusitanus Soto maior. *Quidam cum interrogatus esset, quæ res potissimum saginaret equum? Respondit: oculus Domini. Alter vero rogatus, quod stercus esset optimum? Respondit, Domini vestigia.* Exponens autem doctissimus Magister vtriusque dicti spiritum, ait: *Vterque autem horum prudenter significare voluit præsentiam Domini plurimum momenti, & ponderis habere ad rem quamlibet bene & feliciter gerendam.* Et quam meliorem quærimus veritatis huius probationem, quam oblatam nobis ab Euangelista, qui describit duos discipulos in absentia diuini sui Magistri de Resurrectione eius diffidentes, imò desperantes? fuit verò necessarium, vt ipse Dominus eos personaliter visitaret, & assisteret fidemque edoceret. *Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.*

*Soto Maior in illa verba Cant. Manè surgamus ad vineas.*

---

*Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?*

## CONSIDERATIO IV.

*Vinculum peccati est tristitia: & in eo qui culpis inquinatur, ficta est lætitia.*

Tristes admodum Discipuli iter suum prosequebantur; quia de Resurrectione cœlestis sui Magistri spem omnem abiecerant; peccatum illis in faciem occcurrit: cum enim hæc sit animæ superscriptio, necessariò sequebatur, vt quamprimùm in fide titubauerant, omnis ab illis discederet hilaritas, atque in exteriori pateret, quòd peccato tenerentur, ob mœrorem quem vultu præferebant. *Vis numquam tristis esse?* Remedium optas ad quamlibet pellendam tristitiam, & semper iucundè viuendum? quærit D. Isidor, & respondet. *Bene viue:* hîc enim omne vitæ huius & alterius gaudium comprehēditur, porrò mala vti mordet conscientia: fieri nequit deesse pressuras & angustias. Idem asseruit Seneca licet Infidelis. *Mala conscientia etiam in solitudine, anxia & sollicita est.* Quicumque peruersâ laborat animâ, licet solus sit, nec eum aliquis pungat, aut molestus sit, semper anxius, semperque pauidus viuit: vt duo hic Discipuli, quorum mœror animi, foëtus proprij erat peccati. 1.

*Isidor. l. 11. Soliloq.*

*Sen. Ep. 43.*

Primam tristitiam peccatum in- 2.
uexit

uexit in mundum: ita subtiliter annotauit Bruno Signin. ex S.Eloquio: quamprimùm enim inuidia cor fratricidæ Cain intrauit, & in pectore eius funereas cudebat imaginationes, antequam eas opere compleret, velut nox Hyemalis melancolicus tristisque ambulabat, vt oculos in altum non attolleret, sed terrã mœrore turbatus
Gen.4. osculari videretur. *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Quid causæ, cur Cain patris sui primogenitus, qui primus communem terram hominum semine coluit, lucidã faciei frontem tristi obnubilet pallio? quid habes? quis tibi robur abstulit? Quis pusillanimen reddit! Tu qui velut filius Adam in altissima cœlorum aspirare deberes:

Poeta. *Os homini sublime dedit, cœlumq; videre*
*Iussit & erectos ad sidera tollere vultus:*

Ad terræ humilia vultum mentemq; inclinas? Quis? quærit doctissimus Pater: vna cædes quam machinatur, vnũ proditionis crimen quod intendit, admiserum hunc deiecit statum; vnum prauæ cogitationis peccatum, omni illum hilaritate priuauit, & grauissimâ
Bruno Sign. hic. potuit implere tristitiâ. *Vbi primùm sibi inuisus est frater, statim concidit vultus eius, quia peccatum & lætitia simul esse non possunt*: ita congruè præfatus Doctor.

3. Mysticam habeo legem illam in Leuitico: qua Deus inhibuit, vt in sacrificio pro peccato, nullatenus ad-
Leuit.5. hiberetur oleum. *Non mittet in ea oleum: quia pro peccato est.* Interpretes huius præcepti rationem inuestigant, quod videbatur non necessarium. Quid refert offerri vel non offerri oleum in sacrificio pro peccato? Variæ mandati huius dantur rationes: sed Oleastri ratio doctrinam nostram confirmat, & iudicio meo litteræ conformior. *Crediderim hoc ideo factum: quoniam oleum iucunditatem & lætitiam significat: solebant enim homines in lætitia sua vti huiusmodi delicijs, iuxta illud Matthæi: Tu autẽ cum ieiunas, vnge caput tuum, id est, vtere signis lætitiæ. Vt ergo ostenderet peccatorem non debere esse hilarem, neque Deum cum illa hilaritate suscipere eorum sacrificia, quã suscipiebat sacrificia iustorum, prohibebat Dominus oleum in huiusmodi sacrificijs adiungi*: quia nec debet, nec potest vultum hilarem præferre peccator. Oleaster. hic. Matt.6.

4. Vates Hieremias in Threnis mala suæ Reipublicæ, & vrbis Hierusalem deplorat excidium. *Serui dominati sunt nostri.* Iam aliâ occasione horũ verborum sensum litteralem cum nostro Hugone Cardin. exposuimus: sed D. Hieronymi spiritalis ad perpendiculũ hîc cadit: nempe quod Propheta spiritualem stragẽ defleat, & animæ per peccatum subditæ ploret seruitutem. *Hic spiritualis animæ ruina, vastatioq; describitur*: q.d. *Caro quæ seruire debebat, dominata est animæ.* Rectus hic esset ordo, si spiritus mandaret, caro autem obediret: anima regeret, corpus verò seruiret, anima autem per peccatum tantam amisit dignitatem, vt eius sit mancipium, cuius est regina, eius captiua, cuius est domina: hæc etenim sunt stipendia peccati. Et quid plura? Dicat Propheta. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.* Attẽdit hîc grauissimus quidam Interpres Lusitanus connexionem verborum præcedentium cum subsequentibus, & inde concludit, quòd quamprimùm habitatores Hierusalem & Israëlitas omnes peccatum possedit: *Serui dominati sunt nostri*; statim iucun- Thren.5. D. Hier. hic.

iucunditatis inſtrumentum verſum ſit in ploratum & luctum. *Verſus eſt in luctum chorus noſter*: ita vt non tantum omnis lætitia deſtituerit eos, ſed inſuper triſtitia cor eorum oppreſſerit. *Nota nõ dixiſſe: Ceſſauit chorus noſter, ſed conuerſus eſt in luctum.* quo probatur, quod ille qui tam crudeli domino, nempe peccato ſeruit, habere non poſſit vel vnica hora lætitiam: ſolis etenim iuſtis vera ſeruatur & propria eſt iucunditas.

Pet. à Figuerea.

5. Propheta regius Pſal. 4. diſtinctionem narrat inter ſeruos Dei, & filios peccati: & ab his incipiens vanam eorum luget occupationem, & inſipiens deflet ſtudium. *Filij hominum vſquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et continuò de illis loquitur, qui ſe totos Dei ſeruitio conſecrant: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine: dediſti lætitiam in corde meo*, q. d. Illi vanitatibus inſudant, hi Deo ſacrificant. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*: illi voluptates ſuas ex fraudibus ſæculi venantur; *quæritis mendacium*: Hi ſpem ſuam ex certitudine beatitudinis cõfirmant: *Et ſperate in Domino*: ſed non intelligunt, quod cùm nobiles ſint & illuſtres *Filij hominum*: in Hebræo *Filij inclyti*, decipiantur: Deus enim magnificat & extollit ſibi ſeruientes. *Scitote, quoniam mirificauit Dominus ſanctũ ſuum.* Hæc autem gloria & profectus in quo conſiſtit? In eo quod illis proximam ſibi tradat ſimilitudinem: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Homines igitur, quia homines, ſuis ſeruiunt vanitatibus: *Filij hominum?* Serui Dei, quia ſancti, Dei ſimilitudine gloriantur. Modò videamus de quo horum gaudere nos oporteat, & eſſe lætos? Idem Dauid hoc enuntiet: *Dediſti lætitiam in corde meo.* Ad nouam gratiæ, in anima mea, imaginationem, exultauit in gaudio cor meum. Conſequentiam audiamus, quam ex his præmiſſis elicit D. Aug. *Signatum dixit in nobis lumen vultus eius, tanquam denarius ſignatur Regis imagine. Non eſt foris quærenda lætitia, ab his qui adhuc graui corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium: ſed intus vbi ſignatum eſt lumen vultus Dei: in interiore enim homine habitat Chriſtus.* Gaudium ergo noſtrum non ab humana naſcatur imagine, qua vanitatibus occupamur, ſed ex diuina qua Deo famulamur. Non exultemus (inquit) quod cùm ſimus homines, in nobis varias vanitatis humanæ reuoluamus imagines: hoc quippe triſtitiæ præſagium eſt: *Graui corde*; ſed lætitia cordis noſtri ſit ex imagine Dei quam habemus per gratiam: hæc ſola quippe debet æſtimari: & quæ pondus dat & dignitatem perſonis, eaſque ſumma replet iucunditate.

Pſal. 4.

D. Aug. in Pſ. 4.

6. De filijs Iſraël vt notat Cardin. Vitriacus, non legimus quod in Ægypto captiui cantauerint; ſed poſtquam tranſgreſſi ſunt mare rubrum, & viderunt Ægyptios mortuos, ilico canere inceperunt, Deoq; gratiarum laudes celebrarunt. *Cantemus Domino &c. Nõ legimus filios Iſraël cantaſſe in Ægypto: ſed in deſerto ſubmerſis Ægyptijs, poſtquam marè tranſierunt.* Rationem expende quam adducit præfatus Auctor; eſt etenim præclara: *Quomodo enim cantarent canticum Domini in terra aliena? In receptione enim filij prodigi audita eſt vox ſymphoniæ & chori.* Hebræi de patria ſua Hieruſalẽ erant extorres, & inter Ægyptios captiui: ſymbolum peccatorum, qui propter culpam à domo Dei, eiuſque gratia ſeparati exulant: quare non expediebat, nec quidem erat poſſibile, vt cantarent:

Exod. 15. Cardin. Vitriac.

rent: talibus enim gaudium non conuenit, sed illis, qui cum filio prodigo conuertuntur, laresque repetunt patrios, à quibus aberrauerant. Alludit ad festa, & conuiuia quibus benignissimus pater filij perditi & prodigi conuersionem celebrauit: quæ omnia congruenter assumpti nostri doctrinam confirmant; inseparabilē scilicet esse à peccatore tristitiam, nec vnquam conuenire peccato iucunditatē.

7. Intento nostro quadrat conceptus D.P. Chrysol. Virgo SS. Mater Dei & Domina nostra, accepto de Incarnatione Filij Dei nuntio, confestim abijt & visitauit cognatā suam Elisabeth: quæ vix audierat vocem Mariæ dulcisonam, & amicam salutationem, cùm ecce continuò: *Exultauit infans in vtero eius*: Ioannes inquam, in gratiarum actionem quod supremus ille & diuinus hospes in domum suam aduenisset. Porrò quid nobis suggessit infans Ioannes, maternis adhuc inclusus visceribus, quod aduentum sentiens Saluatoris ac Domini sui, saltus ederit, talesque lætitiæ demonstrationes? Dubium nobis apposité dissoluit Archiepiscopus. *Merito* (inquit) *Ioannes in vtero exultauit, quando originis suæ libertatem nouit.* Claustro detentus fuerat in vtero matris puer Ioannes, & velut ergastulo culpæ originalis captiuus: verumtamen vt primum ex Christi præsentia se sentit catenis liberum, & in gratiæ libertatē restitutum, mirum in modum exultat, signa dat lætitiæ, qua cor eius in Domino tripudiat. Ita voluptas gratiæ maritatur, & culpæ tristitia.

Luc. 1.

D. Petr. Chrysol. Ser. de Ioan. Bap.

8. Finem imponat argumento conceptus alius D. Ambrosij, profundam valde tristitiā expendentis, quam Rex Herodes in execranda illa cœna demonstrauit. *Et contristatus est Rex propter iusiurandum.* Scrupulo nimis angebatur, si iuramentum non expleret, quo se obstrinxerat puellæ saltatrici, daturum illi quidquid petijsset: de quo concinnè multa Sancti componunt. Contristatus est (inquit D. Ambros.) in pœnam delicti sui: Deus etenim permittit, vt culpa mœrore peccatorem impleat: ita vt faciei eius tristitia testetur eius peruersitatem. *Quod dicit: Contristatus est Rex, non pœnitentia Regis, sed confessio iniquitatis est, quam diuina habet consuetudo sententiæ: vt qui gesserunt impiè, ipsi propria confessione se condemnent.* Hoc idem pro delicti mensura contigit duobus his Christi Discipulis: vultus enim tristitia modicam cordis fidem prodebat: ita namque mœror & peccatum sibi conueniunt. *Et estis tristes.*

Marc. 6.

D. Ambr. hic.

---

*O stulti, &c. Mane nobiscum, &c.*

## CONSIDERATIO V.

*Laudem merentur hi duo Discipuli: quandoquidem acceptâ tam acri reprehensione, charitatis obliti non fuerint: & vno eodemq; tempore in tolerando sint tam humiles, & in hospitij sui oblatione tam liberales.*

MYsticam semper censui metaphoram, qua Spiritus S. per os Salomonis vtitur: dum reprehensionē inauri aureæ comparat: ex qua pendere solent pretiosæ pulchræque margaritæ. *Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedietem.* Varias his verbis expositiones tribuunt Interpretes, quas Salazar libri huius doctissimus Commentator profert: ego, concessâ mihi ab ipso veniâ, nouam supperaddam, nisi fortè, quia mea est, reijciatur: q.d. Spiritus S. quando reprehensio facta cadit in subiectum seu virum docilem, mitem 1.

Prou. 25.

tem, & prudentem, tam grata eſt, tantíque ſit, quanti fieri ſolent à mulieribus inaures aureæ, margarita fulgentia, lapides pretioſi, gemmæque ditiſſimæ. Sed ne ſine fundamento procedamus in SS. Litteris, meminerimus quid actum ſit inter Sacerdotem Aaron, & populum Iſraël, quando ab illis mulierum inaures aureas expetijt, ex quibus vitulum conflauit, quem illi tam inſtanter fieri poſtulabant: cuius intentio fuit (prout boni notarunt Interpretes) per hoc eos à tam pernicioſo diuertere

Exod. 32. propoſito, ſibi perſuadens, quod ſuppoſito quanti feminæ faciant gemmas ſuas & monilia, ne per hoc illis defraudarentur, à ſententia deſiſterent; quamuis non contigerit vt ſperabat: quia, ſicut aduertit Oleaſter, licet inaures maximâ ſoleant difficultate largiri, ob non paruam æſtimationem; quam de illis habeant; ilico tamen libentiſſimè hæc omnia ad illum effectum tradiderint: *Si ab vxore, aut filia*

Oleaſt. hic. *monile auferas ad bonum aliquod, vix tota die fletum & turbationem domus compeſcere poteris: nunc verò tam facilè ſe pretioſis ſpoliari permittunt ad idola.* Præmiſſa breuiter hac doctrina, non videtur hęc mea interpretatio eſſe violenta, ſecundùm verborũ ſonum: imò verò intentioni Spiritus S. valde conformis: his etenim & ſimilibus comparationibus perſuadere nobis intendit, vt correptionem humiliter audiamus; quando qui poteſt, & auctoritate ad hoc valet, nos redarguit, eumque tanti faciamus, quanti monile pretioſiſſimum, gemmaſque valoris infiniti & tanta voluptate hæc noſtris inſonet auribus, quanta mulieres auribus murænulas aureas appendunt; nec non ita gratos exhibeamus nos reprehenſori, ac ſi de manu eius monile quoddam, quo nullum pretioſius, accepiſſemus.

2\. Sub figura trium Angelorum apparet Deus Abrahæ aitque illi, ſibi propoſitum eſſe, totam auertere Sodomam: cum autem Patriarcha cerneret, quod eo verſus tenderet, detinens illum, ait: *Abſit à te, vt rem hanc* Gen. 18. *facias, & occidas iuſtum cum impio.* Domine, nullatenus hoc feceris: cohibe manum, & ſiſte pedem; nimis etenim durum videtur hoc animi propoſitũ; quo totam hanc euertas ciuitatem, in qua certiſſimè iuſti viuunt ſaltem aliqui. D. Chryſoſt. cenſet hanc Abrahæ ſollicitudinem ſpectaſſe nepotis ſui Loth ſeruationem, qui ibidem ſedem habebat; & quamprimùm intellexit de perdenda illa ciuitate Dei ſententiam, obuius occurrit, velut bonus patruus & integerrimus amicus, ne Loth cum illis periret. *Propter fra-* Chryſoſt. *tris filiũ.* Elegans eſt hæc ratio; verun- Ho. 42. tamen intento noſtro non reſpondet; in Gen. ſed nobis auxiliatur Abbas Rupertus, qui in hac materia laudem ſibi vendicat. Arbitratur quod Abraham voluerit quaſi Deũ reprehendere, & verbis apertis dixerit: Domine, vide quid agas: nec enim tibi vertetur hoc decori; nimis enim iudicabitur eſſe ſeuerum, totam illam deſtruere ciuitatem; in qua nonnulli morantur iuſti; nec rationi quadrat vt propter peccatorẽ luat iuſtus. Expẽdit Doctor hic, quàm patienter & humiliter Deus Abrahæ rationes audierit; quibus victus poſtulata cuncta conceſſit. Notemus eius verba: merentur enim expendi. *Dominus Deus monitorem non aſper-* Rupert. *natus, & quodammodo arguentem non* l. 6. c. 4. *dedignatus, ſingulis eius propoſitionibus concedit, dicens: Dimittam.* Tantum aberat vt Deus in malam partem acciperet reprehenſionem ſeu monitio-

 nem

nem Abrahæ, vt etiam præterquam quod illam benignus audierit: etiam illum honorauerit, rationes eius admiserit, diuinæ licet determinationi contrarias. Salutare nobis præbetur hîc documentum: si namque Deus, cùm supremus sit omnium Dominus, creaturæ suæ non aspernatus patiatur reprehensionem, quinimò & illi beneficia conferat; potiori nos iure, quando superiores nos reprehēdunt, humiliter eorum debemus pati correptiones, nosque quo modo fieri potest, gratos ostendere?

3. Gen. 37. De Ioseph narrat S. Scriptura: *Accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo*; eoque tam enormi, vt Hebraicum verbum *Dibbaram*, Latinè significet *Infamiam malam*, delictum infame; quod Rupert. opinatur fuisse bestialitatis, cum ouibus. D. Tho. Hugo de S. Victore, & Abulens. sentiunt, quod Patriarchis scintilla lasciui ignis Sodomorum adhæserit, quodque S. Textus peccatum hoc subticuerit, tantū non dicendo. Veruntamen cum venia tam grauium Doctorum, placet modò sequi placitum aliorum quos refert Lyran. dicentium: Ioseph non omnes fratres suos accusauit crimine pessimo, sed solum Ruben, fratrem suum primogenitum, ob crimen incestûs, quod contra venerandos patris sui canos commiserat: addit autem nō esse inconueniens dici, quod multos accusauerit, cùm vnum tantum accusauerit: etenim locutio est Rhetorica, dicta *Synecdoche*; quæ frequens est in Sacra Scriptura; prout eius exemplis probant Auctores. Hac prælibatâ doctrinâ, quæro nunc: Quomodo Ruben accepit hanc fratris sui minorennis accusationem? Num grauiter tulit? Num idcirco illi multum infensus? Num vindictam expetijt? Nullo modo: imò verò, si S. Pagina attentè legatur, patebit, quod ex cunctis fratribus Ruben illi fuerit magis amicus, & ei beneuoluerit. Probatur primò; cùm enim omnes in sanctissimi iuuenis necem fratricidæ conspirarēt, solus Ruben aduersarium se opposuit, persuasitque, ne quid tale committerent. *Nitebatur Ruben liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.* Gen. 37. Deinde quando Ruben reuersus ad puteum, Ioseph non inuenit, in quo reliquerat eum, velut exanimis, præ dolore scidit vestimenta sua, seque quasi sanguinis reum accusauit. *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Tandem quando fratres venditionem Ioseph agitabant, solus aberat Ruben; quia verò de venditione conscius non erat, dū eum non inuenit, supra quam dici potest, expauit; qui si præsens adfuisset, eorū consilio non acquieuisset.

Quærit eruditissimus Lyran. quonam abierat Ruben? Respōdet: *Abierat ad quærenda pascua meliora, vt fratres suos faceret elongare à fouea, in qua erat Ioseph: vt sic eis absentibus, melius posset eū extrahere, & reddere patri suo.* Quomodo ergo tot amicitiæ & beneuolentiæ signa demonstrata Ioseph à Ruben, quem ille apud patrem accusauerat, & eius reprehensionem causauerat? Imò idcircò Ruben tam acriter partem Ioseph defendit, cognoscens, quod ille, qui defectus eius primus notauerat, accusauerat, & eorum intenderat emendationem, verus esset eius germanus, & maiorem merebatur præ alijs amorem: quare Ruben operi bono gratus, quod Ioseph illi præstiterat, hoc rependere conabatur.

Memini verborum quæ dixit olim Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo: *Noli nos relinquere, &c.* 4. Num. 10.

*eris*

*eris ductor noster. Cumq; nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis daturus est Dominus, dabimus tibi.* quandoquidem regio hæc ita tibi perspecta sit: amabo, comitare nos, vt luce tuâ, tuoque ductu ad terram perueniamus promissionis: deque optimis terræ frugibus, quas Dominus daturus est nobis, reddemus te participem. Quæro, in quibus Moyses consilio ductuque indigebat Hobab, si columna ignis & nubis, vel ipse Deus in ea præuius erat eorum anteambulo? Verè non indigebat: quare ergo tam humanum, tamque supplicem se illi exhibet? Dicant alij quod benedictum iudicauerint; ego ex doctrina Oleastri propositæ difficultatis solutionem eliciam. *Iudæi dicunt hunc Chobob fuisse socerum Moysi.* An ergo quia idem fuit, quem Scriptura alio loco vocat Iethro socerum Moysi, idcirco tanta humanitate & comitate illum excepit? Vix capio. Contrarium secundùm bonam rationem facere debuisset; quia (vt constat ex SS. litteris) publicè grauiterque illum reprehenderat, culpæ reum insimulauerat, stultumque redarguerat. *Non bonam rem facis: stulto labore consumeris.* Quid acerbius, quàm Prælatum coram subditis suis arguere, sapientem quasi stultum reprehendere, & iustum tanquam criminosum? Sedato ergo vultu, & humili mente pertulit Moyses hominis in omnibus inferioris iudicium & increpationem: & tantum abfuit, vt ex eius reprehensione excandesceret: quinimò in eius gratitudinem, omni datâ occasione, honore & amicitiæ signis eum excepit. Hoc ego mysterium hîc noto quod eruditissimus Oleaster aduertit, quam instanter Moyses illum rogauerit, quem Hebræi, vt certum habent, fuisse eius socerum alio nomine Iethro, qui prius tam acriter illum redarguerat: salutaris etenim reprehensio honorem omnem meretur.

Oleaster. hic.

Exod. 18.

5. Creat Dominus Saul in Regem, & hoc ei primum per Samuelem Prophetam suo nomine iniungit, vt refractarios quosdam peccatores, nimirum Amalecitas seuerissimè puniat. *Me misit Dominus vt vngerem te in Regem super populum eius. Nunc ergo audi vocem Domini: Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, &c.* Suscipit regni clauum Saul, sibique persuasit non expedire, vt eius initia sint tam seuera, imò verò conuenire eius conseruationi, vt paululum cõniueat, & quibusdam ex his Dei inimicis concedat cum vita libertatem. Insipiens planè propositũ (ita fateor) & vt tale damnatur à S. Scriptura. Sed hoc considerandum mihi occurrit; supposito quod Saul consiliũ ita stultũ impleret, an illi inter tantos non occurrerũt, nisi Cinæi, posteri Iethro, vt illis parceret, & istis præcepit vt vrbe discederẽt, nisi eandẽ cum cæteris mortis vellent subire sentẽtiam, & rationem tanti beneficij, quod illis præstabat, dando diceret: *Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israël, cùm ascenderent de Ægypto?* Sed prurit animus intelligere, quam misericordiam præstiterint Cinæi Israëlitis ad terram promissionis profectis? SS. Interpretes euolui, & inueni in Abbate Ruperto, hanc nimirum fuisse misericordiam: *Quando Iethro dixit Moysi: Non bonam rem facis: stulto labore consumeris:* hoc est: quando Iethro Moysem de inordinato suo regimine corripuit. Si Saul ergo tot elapsis annis beneuolum se placidumque posteris Iethro exhibuerit, ob factam ab eo Moysi correptionem; quid hoc tanti

1. Reg. 15.

Rupert.

quod vir sanctus, qui in omnibus tantum à Saule differebat, (consideratione tã boni operis, quod à proximo receperat, tam gratum se ostendat, illũ magnifaciat, honoret, & veneretur?

6. Obtulit vir quidam filium suum lunaticum Christi Discipulis, vt curarent eum: sed non potuerunt: vnde ipsi Christo præsentauit curandum; & quod Apostoli non potuerant, ipse facere dignaretur; quo intellecto Christus exclamat: *O generatio incredula & peruersa! quousque ero vobiscum? vsquequò partiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Et addit Euangelista: *Tunc accesserunt Discipuli ad Iesum.* Cardin. Hugo notat hanc verborum connexionem, *Tunc*; & quærit, quando fuit hoc *tunc*, quo Discipuli Christum conuenerunt? Et respondet nostro proposito conformiter: *Post increpationem accedunt, & non fugiunt. Increpationem Domini ne reprobes; quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* Quando Dominus Discipulos tam acriter increpauerat, dixeratque, quod ob incredulitatem suam, & modicam fidem infirmum hunc curare non potuissent: *Tunc* humiliores ad Christũ accedunt, *Tunc* illi se submittunt, & digniori cultu venerantur. In illis impletur, quod Spiritus S. dixit per Iob: diuinas ne spernamus reprehensiones: semper etenim ad nostram diriguntur salutem; qui si puniat, hoc est vt faueat, si vulneret, hoc est, vt sanet.

*Matth. 13.*

*Iob 5. Hugo Cardin. hîc.*

7. Coronis huius discursus sit elegans Gregorij Magni conceptus, quo binas confert inter se sententias: vnã Apostoli Petri, & alteram Apostoli Pauli eius collegæ. Litteras dat D. Petrus fidelibus primitiuæ Ecclesiæ, sed potissimum Galatis, quos ad perseuerantiam in fide hortatur, & profectum in virtute suadet, additque vt recordentur eorum quæ D. Paulus in epistolis suis sapientissimè scripsit. *Satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini; sicut & charissimus frater noster Paulus secundũ datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis.* Petrus Paulum vocat fratrem, cumque sibi charissimum: hîc siste & memineris illorum verborum D. Pauli ad Galatas, quibus loquitur de S. Petro: *In faciem* (inquit) *ei restitit; quia reprehensibilis erat*; & corripi merebatur. Non refert nobis nunc asserere, nũ Petrus peccauerit, necnè in eo singulariter, de quo D. Paulus eum redarguit: hoc saltem certũ habemus, quod mortaliter non peccauerit. Ad rem; cõparat nunc D. Greg. has duas sententias Petri, & Pauli; & admiratur, nec immeritò, doctrinas vtriusque adeo sibi repugnantes: Paulus etenim affirmat de Petro, quod reprehensibilis esset, & vt talem redarguerit; & Petrus de Paulo scribit; quod in omnibus quæ docuit, & scripsit, sit admirabilis. *Ecce Paulus in epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem: & ecce Petrus in epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripsit admirandum:* quasi Petrus obligationi satisfaceret, quâ teneri se iudicabat, ob acceptam à Paulo reprehensionẽ: & iustè quidem: maxima namque gratitudo, parua est opportunæ factæ correptioni. Et quia Discipuli, quos Christus hodie reprehendit, veritatem hanc cognouerunt; idcirco non solum gratam eam habuerunt, quamuis à peregrino factam; sed insuper, dum ei hospitium præparant, mensamque apponunt, exhibent se gratiores. *O stulti, &c. manè nobiscũ.* Et

*2. Petr. 3.*

*Galat. 2.*

*Gregor. Hom. 18. in Ezech.*

*Et factũ eſt, dũ recumberet cum eis, accepit panẽ & benedixit ac fregit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.*

CONSIDERATIO VI.

*Princeps Chriſtianus ſui muneris obligationi non ſatisfacit, ſi panem ſibi non ſubtrahat ſubditis ſuis diuidendum: ſibi quoque deficiat, vt eorum prouideat alimento.*

1. ACceptauit Chriſtus eorũ oblationem, intrauit cum illis, ad menſam reſedit, panem ſumpſit, benedixit, fregit, illiſque diſpertijt. Addit autem Euangeliſta, quod quem hucvſque non cognouerant, quia *oculi eorum tenebãtur, ne eum cognoſcerent*, in fractione tamen panis illum agnouerint: *Et cognouerunt, &c.* Interpretes multas hîc cõgerunt artiones; ob quas tunc magis, quam aliàs Chriſtum cognouerint: videat illas apud ipſos curioſus Lector. Meo iudicio, illa fuit vel eſſe potuit, quam S. Lucas indigitat: nimirum quod panem diuiſerit eiſq; manducandum porrexerit: *Et porrigebat illis*: ſibi verò nihil ſumebat: hunc etenim ſenſum habet hoc verbum *Porrigebat*; nam ſignificat continuationem in dando; quaſi qui magis diſtribuendo, quàm comedendo detinebatur. Robur accipit meus conceptus, ex eo quod ijdem Diſcipuli poſtmodum dixerunt, dum alijs Diſcipulis narrant quæ geſta fuerant inter ipſos & diuinum ſuum Magiſtrum; *Quomodo cognouerunt eum in fractione panis*; hoc eſt, cognouerunt eum quis eſſet, quando notarunt quod oblitus ſui, totum ſe eorum obſequio impenderit, ſibiq; buccellam panis ſubtraheret, quem illis porrigeret. Ex quo concludo verum eum eſſe Principem, & ſuperioris à Deo ſtatuti debito ſatisfacere, qui immemor ſui, totus in procuranda ſuorum ſalute occupatur, & ſibi panis fragmenta ſubtrahat, vt illis ſubditos paſcat. Progrediamur ad S. Scriptur. & SS. Interpretum doctrinã.

Quàm inſignis Princeps, & planè diuinus Gubernator extitit Nehemias; 2. qui de ſe confitetur, quod toto duodennio Gubernator in terra Iuda, tantùm non diuitias ſuas ex officio non auxerit: vt etiam ex illo in ſummam dilapſus ſit paupertatem: nam præterquam quod ſalariũ ſibi non ſolueret, ſuis ſumptibus muros ædificauerat, & regni miniſtros aluerat. Audite, quęſo, eius de ſe teſtimonium: *Memento mei, Deus meus in bonum, ſecundũ omnia quæ fecit populo huic.* Teſtis etenim Deus, quàm mihi parcus fuerim, vt illis eſſem liberalis; mihi denegauerim, vt illis abundaret. Hic eſt, ita hic eſt optimus Rector; quia optimus fuit diſpenſator. Quas autem, dicito mihi, conditiones habere debet is, vt bonus ſit. Ferat ſententiam glorioſus Doctor D. Hieron. *Optimus diſpẽſator eſt, qui ſibi nihil reſeruat.* Ille meritò vocatur Superior & fidelis diſpenſator, qui multò citius in officio ſuo pauper fit quàm opulẽtus, & ſibi non ſatisfacit, imò deficit, vt ſuis ſubueniat; quia, vt dixit Plato, *Omnis magiſtratus non ſibi vtilitatem quærit, ſed ſubditis.* Regiminis officium, ſi debitæ perſoluatur, non illi profuit qui adminiſtrat, ſed potius ſubditis, quibus adminiſtrat. Itaque ſolus ille cenſendus eſt fidelis miniſter, qui propriâ ſubſtantiâ publicis ſuccurrit neceſſitatibus; ſibi non conſulit, vt illis conſulat qui ad eum dicunt ordinem.

3. In illa electione ſummi Sacerdotis *dederunt Moyſi omnes Principes virgas per ſingulas Tribus*: ſed ſola virga Aaron refloruit. *Turgẽtibus gemmis eruperant flores*

Marginalia: Petr. 3. — ſlat. — Gregor. hom. 18. in Ezech. — 2. Eſdræ 5. — D. Hier. ad Nepotian. — Plato 1. Dialog. Reip. — Num. 17.

*flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt:* hæc est illa virga, quam elegit Deus, & Dominus eius qui ad officium assumptus fuit. Hoc expēdo quod electi virga fructus protulit, & non aliæ. Crediderim (nisi ratio me fallat) quod ego aliter diuiderem, vt Sacerdoti nihil detur, & gratia fiat reiectis & non assumptis. In quo fundas, Pater mi, talem discursum? Quod electo suo sufficiat electio: reiectis autem & non admissis debeātur flores & fructus, quibus ruinam suam consolentur. Hoc primâ facie occurrit: Deus nihilominus oppositum fecit, & nemo dubitat, quin optimè sciret quid faceret. Quare ergo sola electi virga fructus germinat? Respondeo apposité, inquit Rudolphus Flauiessen. quia fructus ille, qui electo dabatur, non erat illi seruandus, sed subditis distribuendus. *Non vt amygdalas reseruaret: sed vt inter sibi commissas oues distribueret.* Itaque ex Patris huius opinione, fructus, quem virga ferebat, non erat pro domino, sed vt alijs diuisim distribueretur: hac quippe pensione Deus Principibus bona cōcedit, vt illa sibi subditis erogent. Quod nobis figura prętulit, impletum hodie cernimus in supremo & vero Sacerdote Christo ac Redemptore nostro: idem etenim fuit habere panem in manibus, & eundem Discipulis suis erogare; quo manifestè testatus est se esse Filium Dei, & legitimum eorum Dominum.

Rudolph. hic.

4. Eminenter excellēs iudicatur Theodoreti cōceptus: expendit enim Principem Iosue diuidentem terram Chanaan, quam gladio tulerat, Tribubus Israël; cernens autem quod nullā sibi regionem seruasset, & nullam possedisset, nisi reliqui ex vrbanitate locū illi ad habitandum designassent: *Cùmq; complesset sorte diuidere terram singulis per Tribus suas dederunt filij Israël possessionem Iosue, filio Nun in medio sui;* indicauit, quod Iosue bonum in diuisione ordinem non seruauerit: etenim primò debuisset sibi consuluisse, & commodum elegisse locum, cùm Princeps esset, & illius populi Dux: & postmodum alijs sortem suam elargiri; nec omnem illis regionē diuidere, sibi verò nullam partē reseruare. Theodoreti est hoc dubium. *Quare Iosue cùm alijs terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem.* Ipsius quoque est responsio auctore suo digna. *Imitatus est in eo modestiam Domini. Externam itaque expertus est inopiam: ita vt ne domum quidem haberet, vbi reclinaret caput suum. Docuit item eos, qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire debere.* quādoquidem Iosue præambulo fuerit Saluatoris: cum & eius nomen Iesu habuerit: ex nunc modestiam Domini imitatus est. Suo similiter exemplo monens in dignitatibus locisq; sublimioribus constitutos, vt sui immemores subditorum saluti diligenter inuigilent: & si cogat necessitas, buccellam panis sibi suffurentur, ne alij famis inopiâ pereant.

Iosue 19.

Theodor. q. 17. in Iosue.

Quàm præclarus extitit Prælatus Doctor gentium D. Paulus, quandoquidem de se fateretur, quod Discipulos suos ita diligeret, vt nutrix filios suos. *Tanquam si nutrix foueat filios suos.* Estis vos filij mei, & ego mater vestra. Notat concinnè D. Ambros. quod Apostolus non se compararet nutrici filios alienos fouenti, sed matri quæ proprios alit. *Filios suos.* Et ratio fuit; quia nutrix, quamuis filios alat, si alieni fuerint, ob lucrum id faciat, & nequaquam ex amore, magisque vt sibi prospiciat, quàm vt illum 5.

1. Thess. 2.

ut illum enutriat; in matre vero non potest aliud intendi lucrum, quàm voluptas filios educandi: *Alienos quando nutrit mulier pro mercede, non ex amore, proprios verò ex dilectione.* Tales vult Deus, ut sint Ecclesiæ suæ Prælati, & populi sui Principes: ut matres se præstent subditorum, & non nutrices, qui propriæ substantiæ, & vitæ incommodo subditos alant, nec ullum ab illis commodum sibi vendicent: *Tamquam si nutrix foveat filios suos.* Quocirca dicebat D. August. quod Prælatus haberet duo officia, vel duplicem obligationem: unam ut sit Christianus, alteram ut sit Pastor; Christianus sibi, Prælatus subditis: *Quod Christiani sumus, propter nos est; quod Præpositi sumus, propter vos est:* hoc est, benigni illis & blandi, delicias & alimenta administrantes, quod est pascere; duri autem & severi sibi, propriam contemnentes commoditatem: & hoc est esse Christianum.

*Ambros. apud Mag. sen. in Paul.*

*D. Aug. l. de Pastor. c. 1.*

6\. Sed dolendum ita sortes immutari: ut cum Principes, tum Prælati (siquidem verum sit, quod & unum & alterum habeant, & sint Christiani, & Pastores) sibi sint Pastores: quandoquidem non nisi sibi studeant ut opiparè vivant, quamvis ovium suarum hoc fiat impendiis, & sunt illis Christiani: volunt etenim ut illæ jejunent, pœnitentiæ opera faciant, virtutem excolant, etsi earum habeant cognitionem: non alio fine fit hoc, quàm ut fructus colligant, atque ex illis lucrentur. Hoc sensu declarat Cardin. Vitriacus illa verba Psalmistæ: *Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.* Quasi dicat: Hoc fecerunt cum Hierusalem, quod custodes pomorum cum tentorio in quo servantur: quàm primum enim fructus collegerunt, quos in illo reposuerant, abeunt, illudque ut perditum relinquunt: *Custodes pomorum collecto fructu recedunt.* Tales vivunt plures Ecclesiæ Prælati, propter peccata nostra: qui non nisi propriæ incumbunt utilitati, idque in tantum, ut non sentiant ubi possent succum educere, & oves suas vilifaciunt.

*Psal. 78.*

*Vitriac. Serm. 3. Dom. 21. post Oct. Pentec.*

7\. Lecto decubuit infirmus Achab: *Projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Fateor equidem, miratus sum de Rege Israël, hoc legens: sed D. Amb. hac me suspensione dissolvit, quando declaravit quod Achab panem suum comedere non potuerit: *Non comedit panem suum, quoniam quærebat alienum: etenim divites magis alienum panẽ, quàm suum manducant: qui raptu vivunt, & rapinis sumptum exercent suum.* Alludit D. Ambr. ad intentionem Achab quæ sibi vineam Naboth optabat: quia vero eum illi auferre non potuit, in languorem incidit, & comedendi perdidit appetitum. Innatum hoc est mundi potentioribus, quibus proprius panis cum non sapiat, delectantur alieno. Ex quo manifeste patet quod spiritum Dei non habeant, quem si haberent, infirmarentur eo quod non habeant, quod aliis ad comedendum proponant: nequaquam autem, eo quod non possint ipsi comedere.

*3. Reg. 21.*

*Ambros. l. de Naboth, c. 4.*

8\. Colebatur in Babylonia idolum cui nomen Bel: conabatur autem Rex persuadere Danieli, ut idolo thus adoleret, quia hic erat verus cœli & terræ Dominus: *Non videtur tibi esse Bel vivus Deus. An non vides, quanta comedat & bibat quotidie?* Antequam locum hunc expendamus, supponamus cũ D. Aug. quod hic Bel Rex fuerit Assyriorum, cujus statuam illi, & alii populi adorârunt & appellârunt Beleec, vel Bel, vel Baal, eratque inter idola gentium supre-

*Dan. 14.*

*D. Aug. l. 18. de civit. Dei.*

premum omnium: & inde alii emanârunt Pseudodii, sumpto nomine Bel vel Beelfegor, vel Belzebub. Prælibata breviter & concise hac doctrina, perpende cum Hectore Lusitano verba Regis dicta Danieli. Sciendum quod Bel magnus erat Deus, vorax cibi, potusque helluo: *An non vides, quanta comedat & bibat quotidie? O stultitiam Regis dignam irrisione! Videte in quo ejus potentiam & honorem collocabat: in multis cibis devorandis. Ideo eum pro Deo colebant: quia multū devorabat.* Quasi dicat: si verum fuisset quod Deus multa devoraret, certissimum fuisset signum, quod Deus non esset: nec enim Deo proprium est multa comedere, sed dare multa comedenda: atque in hoc differt à Diis & Dominis terræ, quod illi cognoscuntur in eo quod multa à suis subditis comedant: Si vero nihil, & ipsi ore suo panem extrahant, ut eos enutriant: *Et porrigebat illis, & cognoverunt eum.*

*Hector Pint. hic.*

Quænam esse potest ratio cur gallo natura velut Regi coronam dederit? In nullo Auctore quæstionem hanc inveni: solum dicunt, quod symbolum sit Principum & Prælatorum (ut advertit Cardin. Vitriacus) Naturalistæ multas adferunt avis hujus proprietates, & hæc omnibus satis est manifesta: *A cibo abstinet, ut gallinæ comedant, & quandoque proprio rostro arripit cibum, non ut comedat, sed ut illis ministret.* Animal ergo tam benevolum merito natura coronâ honoravit, quo significet, quod corona Ecclesiastica, vel sæculari honorari mereantur hujus civis imitatores, quique sui obliti, de eorum agunt salute, quos cura sua complectitur: non vescuntur ut illi vescantur, ori suo suffurantur & stomacho, ne alii patiantur: ut hodie Rex Regum & Dominus dominātium fecisse legitur, ipse qui Auctor est gratiæ, certissimi cœlestis gloriæ pignoris: *Ad quam nos perducat, qui cum Patre & Spiritu S. vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

*Vitriac. Serm. 2. Dom. post Octav. Epiph.*

*L. de natura & propriet. animal. V. Gallus.*

FINIS.

# SACRI ORACVLI LOCI,

## Qui in hoc opere continentur & explicantur.

*Littera* T. *Tractatum denotat*, C. *Considerationem*, N. *Numerum marginalem*.

## Ex veteri Testamento.

### EX GENESI.

#### Cap. I.



#### Cap. II.



#### Cap. III.



#### Cap. IV.

EX GENESI.

Cap. XXVII.



Cap. XXVIII.



Cap. XXIX.



Cap. XXXI.



Cap. XXXII.



Cap. XXXIV.



Cap. XXXV.



Cap. XXXVII.



Cap. XXXVIII.

## Cap. XXXIX.



## Cap. XLII.



## Cap. XLV.



## Cap. XLVI.



## Cap. XLVII.





## Cap. XLVIII.



## Cap. XLIX.



## Cap. L.



# EX EXODO.

## Cap. I.



## Cap. II.

Cap. XXI.



Cap. XXII.



Cap. XXIV.



Cap. XXV.



Cap. XXVI.



Cap. XXVIII.



Cap. XXX.



Cap. XXXII.



Cap. XXXIII.



Cap. XXXIV.

Cap. XII.



Cap. XVI.



Cap. XVII.



Cap. XXI.



Cap. XXII.



Cap. XXIII.



Cap. XXV.



Cap. XXVII.



Cap. XXXIII.



## EX DEVTERONOMIO.

Cap. I.



Cap. IV.



Cap. XIV.

Cap. XXIV.



## EX LIBRO IVDICVM.

Cap. IV.



Cap. VI.



Cap. XIII.



Cap. XIV.



## EX LIBRO I°. REGVM.

Cap. II.



Cap. III.



Cap. VII.



Cap. VIII.



Cap. XII.



Cap. XIII.



Cap. XXIV.



Cap. XV.

## EX LIBRO II°. REGUM.

### Cap. I.

EX LIBRO III° REGUM.

Cap. II.



Do-

Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, & remansi ego solus. 16.*a.*

Num invenisti me inimicum tibi? 431.*a.*

Cap. XXII. Ire debemus in Ramoth Galaad ad prœliandum, an cessare? &c. 631.*a.*

Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris. 628.*a.*

## EX LIBRO IV° REGUM.

### Cap. I.

DEscendat ignis de cœlo, & devoret quinquaginta viros. 390.*a.*

Cap. IV. Rectené agitur circà te, & circà virum tuum, & circa filium tuum? 365.*a.*

Tolle brachium meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum super faciem pueri. 640.*a.*

Ingressus est Helisæus domum. 653.*b.*

Mors in olla vir Dei. 258.*b.*

Cap. V. Vade, & lavare septies in Iordane, atque mundaberis. 532.*b.*

Lepra Naaman adhæreat tibi, &c. 264.*a.*

Cap. VIII. Tolle tecum munera, & vade in occursum vivi Dei, & consule Deum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hâc. 631.*b.*

Cap. XX. Ecce sanavi te, die tertio ascendes Templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos, sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te. 501.*b.*

Cap. XXI. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus, &c. 514.*a.*



## EX LIBRO I°. PARALIPOM.

### Cap. XXII.

MUltum sanguinem effudisti, & plurima bella bellâsti: non poteris ædificare domum nomini meo. 269.*b.*

## EX LIBRO II°. PARALIPOM.

### Cap. XII.

SErvient ei ut sciant distantiam servitutis nudæ, & servitutis regni terrarum. 473.*a.*

Cap. XXVI. Restiterunt Regi, atque dixerunt: non est tui officii Ozias, ut adoleas incensum. 213.*b.*

## EX LIBRO I°. ESDRÆ.

### Cap. I.

ET omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum. 145.*b.*

## EX LIBRO II°. ESDRÆ.

### Cap. V.

MEmento mei Deus in bonum secundùm quæ feci populo huic. 665.*a.*

## EX LIBRO TOBIÆ.

### Cap. V.

FOrti animo esto, in proximo est, ut à Deo cureris. 628.*a.*

Cap. XI. Sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidium fere horarum, & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. 356.*b.*

Cap. XIV. Propè est interitus Ninive, &c. Audite ergo filii Patrem vestrum. 30.*a.*

## EX LIBRO IOB.

### Cap. I.



## EX PSALMIS.

### Psal. I.

EX PSALMIS.

## EX PROVERBIIS.

*Prov. 4.*



Gusta

## EX LIBRO ECCLESIASTIS.

### Cap. 1.



## EX CANTICIS.

### Cap. 1.



## EX LIBRO SAPIENTIÆ.

### Cap. 2.

## EX LIBRO ECCLESIASTICI.

### Cap. 7.



## EX ISAIA.

### Cap. 1.

## EX IEREMIA.

### Cap. I.

## EX THRENIS.

### Cap. 1.



## EX EZECHIELE.

### Cap. 1.



## EX DANIELE.

### Cap. 1.

## EX OSEA.



## EX OSEA.

### Cap. II.



## EX IOELE.

### Cap. I.



## EX AMOS.



## EX AMOS.

### Cap. VII.



## EX IONA.

### Cap. I.



## EX MICHÆA.

### Cap. II.



## EX HABACVC.

### Cap. I.



## EX SOPHONIA.

### Cap. II.

## EX S. MARCO.

### Cap. I.



EX

# EX S. LVCA.

## Cap. 1.

## EX EVANGELIO S. IOANNIS.

### Cap. I.

ut

## EX ACTIBVS APOSTOLOR.

### Cap. 1.

## EX EPIST. S. PAVLI AD ROM.

### Cap. I.



## EX EPIST. I. AD CORINTH.

### Cap. III.



## EX EPIST. II. AD CORINTH.

### Cap. II.



## EX EPIST. AD GALATAS.

### Cap. I.



## EX EPIST. AD EPHES.

### Cap. II.

---

# INDEX MATERIARVM NOTABILIVM

## quæ hoc Tomo continentur.

Littera T. denotat Tractatum, littera C. Considerationem, N. Numerum.

tam

Crux.

Hiere-

L.

Myrrha:

Perdix

Tribu-

FINIS.

# ELENCHVS
## AD
# EVANGELIA
## DOMINICARVM PER TOTVM ANNVM.

### DOMINICA I. ADVENTVS.

*Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis.* Luc. 21.

1. RVNT *signa in Sole & Luna.* Dies iudicij nobis hodie proponitur, vt amorem inter & timorem viuamus: si namq; Dei misericordia nobis ingerat fiduciam: seueritas quâ veniet rationem de cunctis exacturus, nos à peccatis cohibeat. T.8.C.1.

2. Deus nobis in hoc mundo bona sua tradit, vt eis negotiemur: est etenim salutis nostræ negotium vt contractus societatis. T.13.C.6.

3. *Videbitis Filium hominis.* D.Hieron. *Vbicumque in veteri testamento scriptum est, Filius hominis, in Hebræo positum est filius Adam.* Vbi notandum, quod dum Christus semper se dicat filium Adæ, & numquam filium Dei: quod diuinum est, subticens, & quod humanum, aperiens: doceat nos excelsa nostra subticere, & infirma publicare. T.6.C.3.

4. *Filium hominis.* Christus accedentem Iudam vt eum proderet, ita interrogat: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Cur non ait, Filium Dei? D.Ambros. *Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit: qui cùm esset Dei filius, propter nos filius hominis esse voluisset.* q. d. Propter te suscepi ingrate, quod tradis hypocrita. T.19.C.4.N.7.

### DOMINICA II. ADVENTVS.

*Cùm audisset Ioannes in vinculis.* Matth. 11.

1. IOannes *in vinculis.* Ioannes verè iustus, iniurias suas paruifecit, honoris verò Dei zelosus in vincula conijcitur. T.2.C.3.N. 5.

2. *Ioannes in vinculis.* Deus iustos occasionibus exponit patiendi: tyranni namque nos persequentes, diuinam tantum exequuntur voluntatem: etenim hoc ita Deus ordinat ad majus nostrum meritum. T.2.C.4.

3. *Ioannes in vinculis.* Ioannes non inuitus vinculis alligatur, sed voluntariè pro Dei honore patitur; imò verò patiendi quæsiuit occasionem. T.7.C.2.

4. *Ioannes in vinculis.* Solum tribulationum tempus vt vitæ tempus computemus: quia coram Deo tunc viuere incipimus, quando patimur. T.5. C. 1.

### DOMINICA III. ADVENTVS.

*Miserunt Iudæi ab Hierosolymis, &c.* Ioan.1.

1. TV *quis es?* Vt operam demus pœnitentiæ, terrena quoque despiciamus, medium sit efficacissimum, quo semper nos interrogemus: *Tu quis es?* Puluis & cinis. T.1.C.2.

2. *Propheta es tu? Non sum. Elias, &c.* Virtutes donaque Dei adeo formosa sunt, vt si domo egrediantur iusti, periculum incurrant fascinationis. T.1.C.4.

3. *Non sum ego Christus. Vox clamantis.* Dum Ioannes attollitur vt Christus, vocem se nominat, ne superbus euanescat & pereat. Vnde S. Gregor. *Negauit planè quod non erat: sed non negauit quod non erat: vt veritatem loquens, eius membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non vsurparet.*

4. *Non sum.* Fragilitatis nostræ memoria terrenorum generat fastidium & desiderium æternorum. T.1.C.6.

### DOMINICA IV. ADVENTVS.

*Anno quintodecimo imperij Tiberij.* Luc.3.

1. PRædicans *baptismum pœnitentiæ.* Duo sunt effectus Baptismi: Peccatum eliminat, & chara-

characterem fidei imprimit in anima: nullus licet horum effectuum oculis corporalibus videatur, nisi tantùm exterior ablutio corporis. Et ratio est: quia mysteria diuina credere nos oportet, vt ea capiamus; humana verò videri, vt intelligantur. T.4. C.4.

2. *Baptismum pœnitentiæ.* Confertur baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. nec sufficit vt in nomine vnius tantum personæ baptizetur: quia cùm homo infirmus sit multi temporis, vt ab infirmitate curetur itâ inueterata, nominatur Deus Trinus, quasi significando, quod requiratur Deus qui tribus valeat, vt sanetur. T.14. C.5.

3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ.* Congruus pœnitentiæ prædicator, qui vita, moribusque pœnitentiam præferebat, vt vitâ persuaderet, quod verbis docebat: vt enim ait D. Gregor. *Ille bene loquendi facundiam percipit, qui sinum cordis per bene viuendi studia extendit: nec loquentem conscientia præpedit, cùm linguam vita antecedit.* T.4. C.2. T.6. C.6. T.10. C.3.

4. *Baptismum pœnitentiæ.* Prædicat ille pœnitentiam, qui licet grauiori culpâ numquam sordidus, omnem tamen suam vitam pœnitentiæ consecrauerit: vt peccatores doceret, perpetuas esse debere lachrymas, & pœnitentiam non nisi cum vita terminari. T 20 C.6.

5. *Baptismum pœnitentiæ.* Docet Ioannes Auctores suos, ne pœnitentiam ad vltimum vitæ terminum differant. T 19 C.4.

## DOMINICA INFRA OCT. NATIVITATIS.

*Erant Maria & Ioseph mirantes.* Luc. 2.

1. E*cce positus est hic in ruinam, &c.* q.d. Simeon: Diuinus hic infans; sicut esse debet exaltatio & gloria credentium: sic & incredulorum erit ruina. T.9. C.6. N.7. T.17. C.6. N.7.

2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladius hic fuit mordax Iudæorum lingua, qua peruersi Iudæi Mariæ filium in Cruce suspensum lancinarunt. T.15. C.6. N.6.

3. *Iesus crescebat plenus sapientiâ,* Per sapientiam nonnulli intelligunt patientiæ signa: quia proprium est sapientibus, exercere patientiam: & idcirco Sapientia Patris carnem assumpsit, in qua grauissimas perferret patienter iniurias & cruciatus. T.21. C.3. N.7.

## DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

*Cùm factus esset Iesus annorum duodecim.* Luc. 2.

1. A*scendentibus illis in Hierusalem secundùm consuetudinem diei festi.* Discant hinc parentes filios suos bonis moribus instruere: peccata namque filiorum parentibus imputantur. T.10. C.1.

2. *Dolentes quærebamus te.* Deus lachrymas eo fine creauit, vt illis perditum Iesum nostraque peccata lugeamus. T.20. C.5.

3. *Et erat subditus illis.* Quanta sit filijs obligatio honorandi & iuuandi parentes, docetur T.10. C 6.

4. *Iesus proficiebat sapientia & ætate.* Aiebat D. Gregor. in Pastor. p 3. c. 3. *Admonendi sunt qui inchoata bona minimè consummant, vt tantâ circumspectione considerent: quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta, conuellunt.* T.7. C.1.

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ioan. 2.

1. E*Rat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & Discipuli eius.* Hic Iesus cum Discipulis suis. Solus autem tendit Hierusalem passurus: quia in afflictionibus vult esse solus, in ijs verò quæ leuaminis sunt, comites vult Discipulos. T.6. C.2.

2. *Quid mihi & tibi est mulier?* q.d. Preces non requiruntur, vt faciam miracula: sufficiunt voces necessitatis, vt faciam miracula. T.5. C.3.

3. *Implete hydrias aqua.* Christus noluit ad instantiam diaboli conuertere lapides in panem: conuertit tamen aquam in vinum: quia ex priori nullus sperabatur fructus: in posteriori verò crediderunt in eum Discipuli. T.4. C.6.

4. *Omnis homo primò bonum vinum ponit.* Tu verò non fecisti vt purus homo: quomodo ergo? vt homo Deus: qui primò tribulationis acetum proponit, vt postmodum vino gloriæ suos inebriet. T.18. C.6.

5. *Hoc fecit initium signorum Iesus.* Ante baptismum nulla fecit miracula: postquam verò in baptismo declaratus fuit filius Dei: *Hic est filius meus dilectus:* opera facit tanti Patris Filio condigna. T.3. C.5

DOM.

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

*Cùm descendisset Iesus de monte.* Matth. 8.

1. *ECce leprosus veniens adorabat eum* Leprosus hic denotat virum spirituali lepra laborantem: cui lex præcipit habere os veste contectum, ne præsumat alios docere, cùm ipse malè laboret: quia cuius vita despicitur, eius quoque prædicatio contemnitur. T.10.C.3.

2. *Si vis, potes me mundare.* D.Chrysost. *Non de volũtate Christi ad omne bonum parata dubitat, sed de indicio voluntatis: Christus enim cùm sit bonus, nociua non vult præstare, etiamsi rogetur.* Quare non queramur, si postulata non accipimus, cùm ea nobis obfutura prænoscat. T.4.C.6.

3. *Si vis.* Hæc regula iustorum est, vt voluntatem suam suaque omnia diuinæ resignent voluntati. T.4.C.3.

4. *Volo, mundare.* Corporis infirmitas plerumque est animæ salus; per hanc quippe Deus animæ medetur languoribus. *Solent homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi: vt per dolorem corporis redeat sensus mentis: Sic vtique qui à sui cognitione alienati sunt, à Deo per flagella ad se ipsos recognoscendum misericorditer coarctantur.* Ita S.Bernardinus Senens. T.13.C.5.

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*Motus magnus factus est in mari.* Matth. 8.

1. *DOmine salua nos, perimus.* Christus non talis est qui seruos patiatur vltra vires periclitari, sed facit in tentatione & periculis prouentum. T.18.C.4.

2. *Domine, salua nos, perimus.* Optimè cum Dauide spem suam in Deo collocant: imò & Deus spes eorum: dicunt etenim: *Quoniam tu es Domine spes mea.* T.19.C.2.N.5.

3. *Domine, salua nos, perimus.* Vnde tanta Discipulorum cum Christo familiaritas & fiducia? Dicam: Obsequijs eum deuinxerant, dum omnia sua eius causâ reliquerant: & qui Deum obsequijs deuincit, tribulatione pressus fiducialiter ad eum recurrat, & eum sibi sentiet propitium. T.14.C.1.

4. *Facta est tranquillitas magna.* Appositè hinc adferuntur verba sponsæ: *Surge Aquilo & veni Auster.* Christus imperat ventis vt quiescant: illa rogat vt abeant. Nota mysterium T.20.C.4.N.6.

## DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

*Simile est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen.* Matth.13.

1. *CVm autem dormirent homines.* D. Hieron. *Cùm negligentiùs agerent Præpositi Ecclesiæ.* Nemo facilè dixerit, quanti referat animarum bono regimini; vt Superior vigilanter semper eis assistat, ex cuius dormitione seu absentia maxima timenda sunt mala. T.24.C.3.

2. *Cùm dormirent homines.* Ille Prælatus suo muneri debitè satisfacit, qui sibi suisque commodis ita dormit, vt subditorum saluti totus inuigilet. T.8 C.3.

3. *Nónne bonum semen seminasti in agro tuo?* Serui vtpote iusti neminem mali seminis auctorem accusant, sed omnia in meliorem partem interpretantur. T.13.C.3.

4. *Vis imus & colligimus ea? Et ait: Non.* Oleaster: *Notandum, neminem ex sola infamia iudicandum:* & multa opus esse prudentia Prælato in puniendis subditorum criminibus. T.4 C.4.

## DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Matth.13.

1. *GRanum sinapis.* Communis est Interpretum sensus, granum sinapis denotare fidẽ, cui hoc proprium est, vt præcedere debeat visum: diuina namque prius credenda sunt quàm videnda: è contrà verò humana prius videntur quàm credantur: ait enim D.Thom. *Credidimus vt cognosceremus.* T.4.C.4.

2. *Granum sinapis:* Crescit in arborem magnam, vt volucres cœli habitent in ramis eius: nec enim sola sufficit ad salutem fides sine operibus. T.16.C.6.

3. *Granum sinapis.* Excitat appetitum comedendi. Talem effectum in iustis operatur fides de æterna retributione, vt semper esuriant & sitiãt iustitiam. D.Hier. *Non nobis sufficit, velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem, vt sub hoc exemplo, numquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus.* T.7 C.1.

4. *Simile est regnum cœlorum fermento.* Christus ea nobis proponit quæ sunt familiaria, vt efficaciùs persuadeat, ac proinde nostræ se conformat conditioni. T.11 C.4.

DOM.

## DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

*Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.* Matth. 20.

1. C*onducere operarios in vineam suam.* Ita laboriosa quibusdam videtur in vinea Dei seu virtutis operatio, vt nisi Deus suaui quadam violentia eos traheret, à laborando se excusarent. T.6.C.1.

2. *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis.* Qui terrenam retributionem memoria recolit, libentissimè in vinea Dei laborat. T.6.C.6.

3. *Quid hîc statis tota die otiosi?* Nonnulli tanto stertunt otio, & culpis suis ita libenter inhærent, vt ægrè ferant se ad laborandum euocari, & criminum pœnitentiam admoneri. T.5.C.4.

4. *Redde illis mercedem.* Solet Deus nos conducere in vineam suam, vt se obstringat ad retribuendam æternæ gloriæ mercedem: ne retribuens non tam videatur exercere liberalitatem, quàm soluere debita, & satisfacere obligationi suæ. T.11. C.1.

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

*Exijt qui seminat seminare semen suum.* Luc.8.

1. C*ecidit secus viam & volucres cœli comederũt illud.* Cadunt opera bona secus viam, quæ fiunt ob vanam gloriam: & volucres cæli, id est dæmones illa sibi rapiunt. T.1.C.4.T.4.C.5.N.6.

2. *Aliud cecidit supra petram:* cor mala longaque peccandi consuetudine obduratum: & quis inde speret fructum: quis concionator obduratum conuertat peccatorem? T.14.C.5.

3. *In spinas* pungentes: etenim *Veritas odium parit*, & maximè apud potentiores: qui bellum indixisse videntur veritati. T.15.C.4.

4. *In spinas.* Delicias mundi spinas esse dixeris: licet enim in principio sapidæ videantur & suaues, in fine tamen vt spinæ acerrimè pungunt. T.18.C.6.

## DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

*Ecce ascendimus Hierosolymam.* Luc.18.

Vide tertio die Mercurij. T.7.C.1.2.3.4.
*Index Quadragesimæ.*

## DOMINICA IN ALBIS.

*Thomas vnus ex duodecim, &c.* Joan.20.

Vide in festo S.Thomæ.

## DOMINICA II. POST PASCHA.

*Ego sum Pastor bonus.* Ioan.10.

1. E*go sum Pastor.* Perpendat Pastor officij dignitatem, & nihil aget personâ suâ non dignum: hæc enim consideratio stimulum addet illi ad omnem virtutem, & omni illicito seu indecoro refrœnabit. T.3.C.5.

2. *Ante eas vadit*, bono suo exemplo: si namque ex eius malo exemplo, peccent subditi: defectus illorum illi adscribitur. T.10.C.1.

3. *Ante eas vadit.* Tenentur Superiores ad vitam adeo inculpabilem, vt nedum satisfaciant querelis de se propositis: sed etiam proponi possibilibus. T.15.C.2.

4. *Ego sum Pastor bonus*, benignus & suauis, qui subditorum vires discretè perpendo: ne grauius illis onus imponam, quàm quod suauiter & leuiter ferre valeant. T.18.C.4.

## DOMINICA III. POST PASCHA.

*Modicum & non videbitis me.* Ioan.16.

1. M*undus gaudebit, vos verò contristabimini.* S.August. *Ecce turbat te mundus & amatur: quid si tranquillus esset? Quomodo inhæreres formoso, qui sic amplecteris fœdum?* Mundus primò bonum vinum ponit, mel gaudiorum: sed postmodum fel quod deterius est. T.18.C.6.

2. *Mundus gaudebit.* Nemo gaudio huic fidat: breui namque in æternam mutabitur tristitiam. T.18.C.5.

3. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Christus sequacibus suis promittit gaudia, diuitias & honores, vt sub illorum spe, nos ad cœlum & æternam animæ salutem perducat. T.11.C.4.

4. *Tristitia vestra.* Alcuin. *Sed & cunctis fidelibus conuenit sermo Domini: qui per lachrymas pressurasque præsentes ad gaudia æterna contendunt.* T.23.C.1.

## DOMINICA IV. POST PASCHA.

*Vado ad eum qui misit me.* Ioan. 16.

1. ARguet *mundum de peccato*, ab ipso commisso, quod tantorum malorum causa extitit, à quo meritò abstinere debuerat, nec Deo tot damna, sed culpis suis imputare. T.8. C.3. & T.9.C.5.

2. *De peccato*: Hypocrisis: cùm enim realiter pessimi essent, haberi voluerunt vt perfectissimi. T.11.C.3.

3. *De peccato*. Quâta calamitas animæ: quæ postquam multis annis Deo fideliter seruiuit, tandem eo deserto, vitam amplectitur peruinam. T.11.C.5.

4. *De peccato* per malitiam patrato, ac proinde difficile curatu. Quod namque ex fragilitate, vel occasione, vel ignorantia committitur, nullo negotio emendatur. T.17.C.2.

## DOMINICA V. POST PASCHA.

1. PEtite *& accipietis*. Inuitat nos Christus ad orationem: idque addit. iuramento: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: vt per hoc nobis fiduciam augeat: hac fiducia pollens orabat S.Gorgonia, de qua T.11.C.1.

2. *Petite & dabitur vobis*. Apud D.Lucam c.11. additur: *Pulsate & aperietur vobis*: quo designatur non tantum ore precandum, sed pijs quoque operibus cælum pulsandum, vt nobis aperiatur. T.16. C.6.N.6.

3. *Petite & dabitur vobis*. Nonnulli Deum hic accusant quasi verbo suo non stantem, & crudelem qui tot clamantium preces velut immisericors non exaudit; sed nouerint tales, fauorem illis præstari si non exaudiâtur in ijs quæ saluti eorum non proficiunt. vnde dicit D. August. *non peti in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis*. T.4.C.6.

4. *Petite*: sed conformiter diuinæ voluntati: hanc enim iusti sibi præfigunt vt orationum suarum regulam: peruersi verò semper propriam volunt præponi voluntatem. T.4.C.3.

## DOMINICA VI. POST PASCHA.

*Cùm venerit Paraclitus.* Ioan.15.

1. VOs *testimonium perhibebitis de me*; quam grauia, quantaque patientia & amore pertulerim, vt hæc meæ passionis consideratio peccatores ad meliorem frugem emolliat. T. 22.C. 6.

2. *Hæc dixi vobis, vt non scandalizemini*. Monet nos omnes Christus, ne scandalizemur, si terrenorum & corporalium patiamur iacturam: sed ea paruipendentes, animæ spiritualibus intendamus, hæcque nobis sufficiant. T.6 C.6.

3. *Absque Synagogis facient vos*. Hortor vos ne calumniam hanc molestè, imò verò nec amore dedecoris hanc amplectamini libenter occasionem, & gaudete quod digni habiti estis pro nomine meo iniusta tolerare. T.7.C.2.

4. *Arbitretur obsequium se præstare Deo*. Hic summus est malitiæ gradus, vt peccator in rebus pessimis exultet, tantumque sibi complaceat, ac si Deo sacrificium obtulisset. T.15. C.5.

## IN FESTO PENTECOSTES.

*Sic Deus dilexit mundum.* Ioann.3.

Vide in Festis post Festum Corporis Christi.

## IN DOMINICA SS. TRINITATIS.

*Data est mihi omnis potestas.* Matt. 28.

Vide in Festo SS. Trinitatis.

## DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. 14.

Vide in Festo SS. Corporis Christi.

## DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

*Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores*, Luc.15.

1. PVblicani *& peccatores*. Licet Dominus cognosceret eos publicanos esse & scandalosos peccatores: ex eis tamen scandalum non sumpsit, vt eos procul à se repelleret: imò verò eis compassus benignè recepit. T.11. C.6

2. *Quare hic peccatores recipit?* q.d. Cum peccatoribus & publicanis publicè conuersatur: ergo eis similis esse debet. Innatum est hoc reprobis iusti

iustis defectus suos affricare: quia, vt dixit Arbor vitæ, *Impius de omnibus malè iudicat.* T.13. C.3.

3. *Congratulamini mihi. Notandum* (inquit Origenes) *quod non dicit: Congratulamini inventioni sed mihi: quia scilicet eius est gaudium vita nostra: & cùm nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ ipsius implemus.* T.22. C.5.

4. *Gaudium est in cœlo.* Pulchrè D. Bern. *Gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris: quod si deliciæ Angelorum sint lachrymæ meæ, quid deliciæ?* Si gaudeant in cœlis Angeli ex conuersione peccatoris, quantum gaudere debent ex eorum beatitudine? T.23. C.3.

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

### *Cùm turba irruerent in Iesum.* Luc. 5.

1. EX *hoc eris homines capiens.* Christus Piscatores vocat eos, quos creat Apostolos, & Ecclesiæ suæ Prælatos: vt dignitate sublimes, abiecti sui principij recordentur: nec superbiant considerantes quales prius fuerint. T.1. C.5.

2. *Ex hoc eris homines capiens.* Piscatores illos creat secundùm naturalem eorum conditionem: cui Deus plerumque se conformat, vt nos in cœlum deducat. T.11. C.4.

3. *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Differenda non est conuersio: quandoquidem non aliud tempus nisi præsens vt certum habeamus: & incerti sumus vtrum futurum simus visuri. T.19. C.4.

4. *Relictis omnibus.* Vocat illos Dominus, & illi omnia relinquunt quæ possident: pluraque faciunt quam illis imperetur: & meritò; quia ad perfectiora conandum, vt boni saltem simus Christiani. T.2. C.5.

## DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

### *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, &c.* Matt. 5.

1. NIsi *abundauerit iustitia vestra. Iustitiam hic dicit vniuersalem virtutem: intende autem gratiæ additamentum*, inquit D. Chrysost. Iustitia Pharisaica erat oculos habere, quibus aliorum peccata cernebant, sed quoad propria cæci erant. T.11. C.2.

2. *Nisi abundauerit iustitia vestra.* Pharisæi iustos se iudicabant, si quoad exteriora toti mundi essent, licet intus conscientia peccatis sorderet. T.10. C.2.

3. *Nisi abundauerit iustitia vestra.* Sufficit iustitiæ Pharisæorum, si exterius boni videantur: quamuis in rei veritate coram Deo pessimi sint. T.11. C.3.

4. *Nisi abundauerit iustitia vestra.* Illam non laudo iustitiam, quæ pœnam magis, quam culpam timet. T.17. C.3.

## DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

### *Misereor super turbam.* Marc. 8.

Vide Dominicam 4. Quadragesimæ.

## DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

### *Attendite à falsis Prophetis.* Matth. 7.

1. ATtendite *à falsis Prophetis.* Hypocritas hìc intellige: quos ita definit D. Gregor. *Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis: quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet in veritate?* Id est, qui exterius videtur bonus, coram Deo tamen & intus est pessimus. T.11. C.3.

2. *Intrinsecus sunt lupi rapaces.* Ecce quis effectus peccati, vt hominem reddit bestiam: quia illa agit, quæ dedecent hominem intellectu & ratione præditum. T.5. C.5. N.5.

3. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Plantauit nos Deus vt arbores in plantario Ecclesiæ suæ, vt fructum, non qualemcumque, sed plurimum afferamus. T.7. C.1. N.7. & 8.

4. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine.* Clamarunt fatuæ virgines: *Domine, Domine, aperi nobis*: & responsum est eis: *Nescio vos.* quia ad portas cœli non verborum valent blandimenta, sed bonorum operum pulsatio. T.16 C.6.

5. *Attendite à falsis Prophetis*: Ab hominibus qui simulantes amicitiam, tibi machinantur malum. *Numquam te fallant animi sub vulpe latentes*: cauit Horat. T.4. C.1.

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

### *Qui habebat villicum & hic diffamatus est apud illum.* Luc. 16.

1. DIffamatus *est.* Verus Christianus non tantum conari debet vt sit bonus interiùs, sed etiam bona fama præcellat apud proximũ: etenim

*vita bona* (ait Vitriacus) *necessaria est nobis propter nos: fama autem bona propter proximos.* T.15.C.1.

2. *Redde rationem villicationis tuæ.* Si Dominus nobis liberaliter dona sua concesserit, seuerè, ne dubitemus, eorum exiget rationem: quare semper timidi, semperque pauidi à peccatis nos refrœnemus. T.8.C.1.

3. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis.* In proximo quod malum est, tegamus, & quod bonum est producamus ad lucem & laudemus. T.13.C.2.

4. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Qui miseretur pauperi, fœneretur Deo: vt idem sit misericordia & vsura:* ait Theodoret. & latè patet T.12.C.6

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

*Videns ciuitatem, fleuit super illam.* Luc.19.

1. *Fleuit super illam.* Nemo miseria depressum dedignetur: imò verò lugenti condolent T.11.C.6.

2. *Quia si cognouisses & tu.* Cyprian. *Quid miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quod punitur?* Si fideles igitur amoueri à se pœnas velint, pœnarum radicem, nempe peccata, rescindant T.9.C.5.

3. *Circumdabunt te inimici tui vallo.* Quem times inimicum, quem animæ crudelissimum tyrannum? Certè crudelissimus tuus hostis, est peccatum. T.16.C.4.

4. *Cœpit eijcere vendentes.* Rationem huius eiectionis valde concinnam profert D. Chrysost. qui licet loquatur de prima eiectione vendentium, quam describit D. Ioan. c.2, potest tamen applicari huic secundæ. T.15.C.2.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

*Duo homines ascendebant in templum vt orarent.* Luc. 18.

1. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Præclara sunt bona humilis peccatorum confessionis. T.19.C.1.

2. *Abijt iustificatus in domum suam.* Tanta est pœnitentiæ vis, vt hominem ita iustificatum reddat ac si numquam peccasset. T.20.C.3

3. *Abijt iustificatus.* Quantum opinor, numquam ad vetera peccata reuersus: nec enim sufficit semel peccatis renuntiasse: sed necesse est ea semper detestari, vt numquam eadem committantur. T.9.C.2.

4. *Qui se humiliat exaltabitur.* Nullus ex humilitate quidquam perdidit: imò maximè seruit exaltationi humilitas. T.21.C 6.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

*Adducunt ei surdum & mutum.* Marc. 7.

1. *Adducunt ei surdum & mutum.* Poëta. *Indicium mentis vox est & sermo loquentis.* Lingua cordis nostri manifestat conditionem. T. 9.C.4.

2. *Apprehendit eum de turba seorsum.* Locum desere in quo Deum offendisti, si securam tibi vis conuersionem. T.10.C.2.

3. *Apprehendit eum de turba seorsum.* Plurimum conducit animæ saluti, peccati vitare occasionem. T.14.C.6.

4. *Præcepit illis ne cui dicerent.* Præmonebat nos suo Christus exemplo, ne benefacta nostra manifestemus, imò verò abscondere satagamus, ne fascinatione oculorum corrumpantur. T. 1. C. 4.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

*Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Luc.10.

1. *Diliges Dominum Deum tuum.* Christus legem amoris & ignis promulgat: & congruè quidem: cùm ipse amor sit & ignis: vt vita prædicationi conueniret. T.6.& 5.N.7.

2. *Plagis impositis abierunt.* Quis crudelis iste tyrannus? certè peccatum: superat enim omnem quorumcumque hostium tyrannidem: tu ab illo fuge. T.16 C.4.

3. *Sacerdos viso eo præterijt.* Ille primus hic nominatur, qui dignitate Sacerdotij strictiùs tenebatur ad misericordiam, & subsequentibus dare misericordiæ bonum exemplum. T.17.C.1.

4. *Vade & tu fac similiter.* Imitare bonum illud exemplum: & alios quoque, si mouere velis ad virtutem, tuo quoque exemplo præcurre. T. 6 C. 5.

5. Quodnam sit peccatum ad mortem, de quo D. Ioan. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* T 14.C.5.

DOMI-

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Luc. 17.

1. DEcem viri leprosi. Leprosi ab omnium consortio separabantur, erant languentium omnium misertimi; quos idcirco Christus misericordia motus continuo curauit: vt discamus maximè desolatis confestim opitulari. T. 5. C. 2.

2. *Steterunt à longè.* Leprosi iuxta legis sancita, vitari debebant; quia morbus eorum est contagiosus: tu quoque peccatorem deuita, ne criminum eius lue inficiaris. T. 14. C. 6.

3. *Iesu praceptor, miserere nostri.* Christus toto vitæ tempore se perfectissimum exhibuit Præceptorem. T. 4. C. 2.

4. *Vade: quia fides tua te saluum fecit.* Christus solamen accipit ex huius Samaritani gratitudine, quem contristare potuerat aliorum ingratitudo: qui pro recepto mundationis beneficio gratias non referebant. T. 19 C. 6.

## DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

*Nemo potest duobus dominis seruire.* Matt. 6.

1. NEmo potest duobus dominis seruire. Seruitus Christi directè opponitur seruituti dæmonis: illa suauis est & libera: hæc amara & coacta. T. 18. C. 2.

2. *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis:* Natura paucis contenta: quare Deus dare non solet superflua, sed tantum necessaria. T. 12. C. 5.

3. *Quid manducetis.* Idcirco Christus potissimùm cibi seu panis meminit, & in se suscepit eius prouidentiam: quia qui pane caret, proximus est ad peccandum. T. 3. C. 3.

4. *Quærite primùm regnum Dei.* Terrenorum dissuadet affectum & sollicitudinem, vt eis reiectis & despectis, animus ardentiùs ad cælestia aspiret. T. 1. C. 6.

## DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

*Ecce defunctus efferebatur.* Luc. 7.

1. ECce defunctus efferebatur. Ait D. Aug. *Nihil sic reuocat à peccato quam frequens mortis meditatio.* Hanc nobis in memoriam reuocat hic adolescens. T. 1. C. 1.

2. *Ecce defunctus efferebatur.* Mors est echo vitæ: qualis vita, talis est frequenter mors: raro namque bene moritur qui malè vixit. T. 14. C. 4.

3. *Noli flere.* Lachrymas prohibet Christus ob corporalia: nec enim in eum finem Deus lachrymas nobis concessit, sed vt eis peccata nostra defleamus. T. 10. C. 5.

4. *Magnificabant Deum.* Deus gloriam suam nostræ alligauit vtilitati: & hoc sibi censet honorificum, quod nobis est vtile. T. 14. C. 3.

## DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

*Homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14.

1. OBseruabant eum: in re minima, cùm ipsi grauissimorum criminum essent rei. Maleuolis hoc innatum, vt in se grauiora negligant, in proximo autem carpant leuissima. T. 11. C. 2.

2. *Obseruabant eum.* En tibi qualiter sub specie conuiuij & amicitiæ signo, laqueos illi tendant. Væ vobis ad quos Pharisæorum vitia declinarent. T. 4. C. 1.

3. *Non discumbas primo loco.* Superbi frequenter ijs medijs confunduntur & humiliantur, quibus suam quærebant exaltationem. T. 17. C. 4.

4. *Amice, ascende superius.* Hoc sibi semper lucratus est humilis: vt nouissimum eligens locum, ad primum vel inuitus raptus fuerit. T. 21. C. 6.

## DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22.

1. ET proximum tuum. Vt securam tibi reddas salutem, dilige Deum & proximum: cuius contrarium faciunt reprobi, qui nec Deum, nec proxium diligunt. T. 8. C. 6.

2. *Et proximum tuum.* Christus in vltima cœna de hoc agens præcepto dicit: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem.* Ioann. 13 Scire desideras cur dicatur nouum? lege T. 16. C. 1. N. 8. & T. 21. C. 4. N 8.

3. *Et proximum tuum.* Addit Christus: *Sicut dilexi vos.* Ioan. 15. nempe perseueranter: *In finem.* T. 21. C 5.

4. *Et proximum tuum: Sicut dilexi vos:* pro vobis grauissima quæque patiendo; nec enim amor, nisi patiendo manifestatur. T. 21. C. 4.

## DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

*Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Matth. 9.

1. R*Emittuntur tibi peccata tua.* Culpa genitrix est morborum: quare Christus prius paralytico remisit peccata, quàm corporis sanitatem impertiret; quia facilis est pœnarum medela, si radicem earum resciderìs, nempe peccata. T.9.C.5.

2. *Remittuntur tibi peccata tua.* Remittit illi peccata, nec sistet: quia talis est Dominus, vt ex vno collato beneficio gradum sibi faciat ad aliud. T.21.C.3.

3. *Remittuntur tibi*, non autem Scribis ac Pharisæis: delirarent enim turpiter si illud quod ex gratia alteri confertur, sibi ex iustitia deberi præsumerent. T.19.C.5.

4. *Tolle lectum tuum, & vade. Lectus animæ est corpus, in quo, si vitiosum fuerit, tota infirma & languida iacet anima.* Euseb. Emissen. Anima per culpam dominium suum amittit, fitque corporis ancilla. T.5.C.6.

## DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

*Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Matth. 22.

1. Q*Vomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Expellitur, & eijcitur in tenebras exteriores: *Non solum* (ait D. Ambros.) *quod peccator erat: sed quia cùm peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicauit.* Tales plures inuenias, qui cùm actualiter mali sint, volunt quoad exteriora, videri boni. T.11.C.3.

2. *At ille obmutuit.* Peccatum suum confiteri noluit: vnde tunc iusto Regis iudicio damnatur. Ecce quantum peccatori noceat peccatorum omissa confessio: vt non tam ob illa, quàm ob huius defectum damnari mereatur. T.19. C.1.

3. *Mittite illum in tenebras exteriores.* Vnus hic ex tot conuiuis eijcitur: vt alij eius exemplo corrigantur & iuxta psalterium, *manus suas*, id est opera, *lauent in sanguine*, & damnatione *peccatoris.* T.8.C.5.

4. *Multi vocati & pauci electi.* Summopere dolendum, quod vbi tot ad cœli nuptias admittuntur, nonnulli damnentur. Caueamus ne nobis sors hæc infelicissima contristet. T.9.C.6.

## DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

*Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur.* Ioan. 4.

1. R*Egulus, cuius filius infirmabatur.* Nec ipsi Reges à morbis securi sunt: quorum gloriæ dulcedo filiorum morte amaricatur. T.18.C.5.

2. *Abijt ad eum & rogabat eum.* Aduersa oculos aperiunt, & cogunt etiam potentissimos ad humilem sui demissionem. T.2.C.4.T.8.C.3.

3. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* In hoc vacillabat huius Reguli fides, quod Christi corporalem præsentiam iudicaret necessariam ad filij sui salutem, & signum præuicti volebat vt crederet, quod fidei repugnat. T.4.C.4.

4. *Descende priusquam moriatur filius meus.* Regulus non tantum patienter tulit hanc Christi reprehensionem, sed etiam multo feruentiùs Christum precabatur. T.24.C.5.

## DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

*Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Matth. 18.

1. I*Vssit eum Dominus eius venumdari, & vxorem eius ac filios.* Quid deliquerant illi? Causa fuerant quod pater expensas supra media sua fecerat, & nimis excessiua, cùm paucis debuissent esse contenti. T.12.C.5.

2. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi.* Molestiùs fert Deus iniurias suis seruis quàm sibi irrogatas. T.10.C.5.

3. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis.* Vt proprium Deo est iniurias remittere: qui illum in hoc sequitur, diuinitatem eius imitatur T.2.C.6.

4. *Si non remiseritis fratri vestro.* Si verò remiseritis, hoc scitote; quod Deus vestram in se causam suscipiet, vosque vindicabit. T.10.C.4.

## DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

*Vt caperent eum in sermone.* Matt. 22.

1. M*Agister, scimus quia verax es.* Reuerentiæ falsificant monetam, & ficta conueniunt amicitia, vt tantò securiùs eum capiant. T.4.C.1.

2. *Verax es & viam Dei in veritate doces.* Veritatem

tem à Christo doceri laudabant, cui tamen grauissimi erant inimici, nec eam sibi dici patiebantur, T.15.C.5.

3. *Non respicis personam hominum.* Apud Christum non valebant respectus carnis aut sanguinis, sed bonorum operum: sic nec apud nos vllam habeat auctoritatem parentela. T.7.C.6.

4. *Cuius est imago hæc?* Homo gerit imaginem Dei, quando Deum in benefaciendo imitatur. T.12. C.1.

## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

*Domine, filia mea modo defuncta est.* Matt.9.

1. AIt hîc D. Marcus: *Sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.* Notandum cum Origene, non omnes qui Christum corpore sequebantur, secutos fuisse spiritu & affectu: quare nec cum illis ibat Christus. T.4.C.1.N.9.

2. *Confide filia.* Meritò poterat confidere, quod eadem manu qua creata fuerat, integra & sana; nunc infirma restauraretur: quasi Deus hominem manu sua creando, eandem illi sponderet ad sanandum. T.14 C.2.

3. Hoc egit Saluator, vt mulier sanata prodiret in medium, & in omnibus manifesta fuerit eius curatio: vt inde cæteri ad confidentiam animarentur: quia summam censebat suam gloriam, si non vna tantum, sed omnes curarentur. T.6.C.4.

4. Facillimo negotio & mulier hæc à sanguinis fluxu curatur, & filia Archisynagogi ad vitam reuocatur: vt per hoc omnibus daretur intelligi, quam facilia quoque sint salutis nostræ remedia. T.18. C.4.

## DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Vide Dominicam I. Aduentus.

## DOMINICA DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

*Ingressus Iesus perambulabat Iericho.* Luc.19.

1. IEsus vidit illum. Sufficit Zachæo quod videat illum Christus, vt à vita sua pristina & scandalosa ad meliorem conuertatur: tu Christum ora: *Aspice in me & miserere mei.* T.13.C.1.

2. *Zacchæe festinans descende.* Quæres cur iubetur de Sycomoro descendere, cùm arbor hæc Crucis figuram prætulerit. Resp. Prius Christi vitam imitare, & tunc tibi dabitur licentia Crucem ascendendi. Insignis conceptus. T.11.C.3.

3. Templum Dei verum eique gratum est anima: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*; ait Apost. de cuius spirituali renouatione vide T.16. C.1.

4. In anima velut in templo Deus requiescit. T.22.C.1. Omnis gloria templi Salomonis ab intus erat: ita quoque studeat anima interiori potissimùm ornatu Deo placere. T.6.C.3. In templo Ezechielis omnia certo numero, pondere & mensura digesta erant: soli verò gradus quibus ascendebatur ad propitiatorium, certum numerum non habebant: vt ex hoc moneatur anima semper de virtute in virtutem progredi, nec vnquam sistere donec ad Deum peruenerit. T.7.C.1.

FINIS.

ELEN-

# ELENCHVS EVANGELIORVM FESTIVITATVM SANCTORVM

Littera T. denotat tractatum & C. Considerationem.

## IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

*Postquam consummati sunt dies octo, &c.* Luc. 2.

1. OSTQVAM *consummati sunt dies octo.* Ad octiduum, & non antè lex Circumcisionis obligabat, vt notat Lyranus in cap. 17. Genesis. *Infans octo dierum circumcidetur*: *quia periculum esset puero de vita, si statim egressus de vtero matris circumcideretur*: & Deus nihil ab eo requirebat amplius, quàm vires perferre poterant. Bonus Dominus, bonusque Rex, qui nobis onus non imponit grauius quam quod ferre possumus. T.18. C.4.

2. *Postquam*: quamprimùm expleri sunt dies octo: quo doceat nos, quàm festinè debeamus pœnarum occasiones amplecti, non ita verò quietis. T.7.C.2.

3. *Vt circumcideretur.* Circumcidatur Deus infans ad vitæ suæ octiduum, vt suo nos exemplo doceat, à tenera ætate nostras circumcidere passiones: nec criminum nostrorum pœnitentiam differre. T.19 C.4.

4. *Vt circumcideretur.* D. Benerd. Dolet vbi pes, & brachium patitur venæ sectionem; nos infirmi languemus, & Christus sanguinis tolerat emissionem: quis non dolebit considerans quod pro peccatore soluat iustus? T.22 C.2.

5. *Vt circumcideretur.* Circumcisionem Redemptor nulla lege obstrictus suscipit: quasi nos erudiens, vt ad perfectionem per consiliorum obseruantiam aspiremus: quo melius ob custodiam præceptorum asseramus, qua reddimur Christiani. T.2.C.5.

6. *Vocatum est nomen eius Iesus.* Quando circumciditur, nomen ei imponitur Saluatoris: quo constet nullam dari salutem, sanguinis laborumque pretio. T.23.C.5.

7. *Vocatum est nomen eius Iesus.* Quando velut seruus circumciditur, Dominus appellatur: quia per humilitatis exercitium, melius quam per aliam viam dignitas asseritur, & conseruatur maiestas. T.21.C.6.

8. *Iesus*: hoc est, Saluator. Honorem suum Christus nostræ sociauit vtilitati, & gloriam suam nostro adstrinxit incremento. T.14 C.3.

9. *Iesus* Saluator vocatur, quando effundit sanguinem: quo declarat, quod veniat in mundum pro nostra salute, sed suo labore. T.17.C.6.

10. *Iesus.* Duo nomina habet Verbum incarnatum, Iesus, & Christus. Illud est laboris, hoc honoris: illud sibi soli voluit: ex hoc fideles omnes nominamur Christiani: etenim in pœnis esse vult solus, sed in gloria habere socios. T.6.C.2.

## IN EPIPHANIA DOMINI.

*Cùm natus esset Iesus.* Matth. 2.

1. CVm *natus esset Iesus*: hoc est, Veritas, vt cecinit Dauid: *Veritas de terra orta est. Ecce Magi.* q.d ecce mirabile quid contigit: Principes etenim ab Oriente quæsierunt illum quem adorarent. Et certè mirabilis casus, ob antipathiã, quam mundi Magnates & Proceres habent cum veritate. T.15.C.6.

2. *In Bethlehem.* D. Hieron. *In domo panis.* In domo panis nascitur Saluator mundi: quia venit in remedium & alimentum suorum subditorum: vt eum Reges & terræ Principes imitentur. T.18. C.3.

3. *Ecce magi.* Significat etiam hoc aduerbium festinationem, qua diuinæ vocationi responderunt, interrupta omni mora. Prudentissimum consilium,

filium, conuersionem in futurum non differre, cum nullam habeamus vitæ securitatem. T.19. C.4.

4. *Magi.* Secundùm opinionem grauium Doctorum, Imperfecti, Anselmi, Bedæ, Ruperti, & aliorum, Magi significat Sapientes: & cùm essent, dicunt quod vt quærerent Deum natum puerum, viderint stellam eius: *Vidimus stellam eius.* Si Sapientes erant, quid illis opus erat Ductore? Multum per omnem modum: acutissimus enim intellectus, nisi Deus illum illuminet sua gratia, delirat. T.2. C.1.

5. *Ab oriente.* Mysticum est quod ab Oriente venerint, vnde primus inobediens peccator egressus est, pater noster Adam: habitabat etenim in Oriente. *Plantauerat Dominus Deus paradisum*: legunt Septuaginta, *ad orientem.* Et ex eodem loco modo primi veniunt, qui humilem deferant clientelam, cultumque reuerentialem Redemptori: quasi Deus ex aliorum lucro velit solamen accipere ob ruinam quorundam. T.19 C.6.

6. *Vbi est qui natus est &c Audiens autem Herodes, turbatus est.* Herodes in regno suo turbatus, eius quoque Principes turbati; Magi verò peregrini, & aduenæ excitati: peccatores namque vecordes sunt: qui verò habent spiritum Dei, fortes sunt & animosi. T.23. C.2.

7. *Nequaquam minima es, &c. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.* Quomodo non parua, si Deo præter stabulum nihil dederit aliud? Et quomodo ex illa prodit Princeps & Rex Israël si palatium illi sit humile præsepium? Ob id equidem: nam in profundissima humilitate, dignitas eius & Maiestas clarius elucescit. T.21. C.6.

8. *Ite, & interrogate.* Et paulò pòst tyrannicam concepit puerorum Innocentium cædem. *Herodes iratus &c.* Verbia pia, sed intentio peruersa, dux eorum, qui pallio amicitiæ lanceam, vsque ad intima transmittunt. T.4. C 1.

9. Tyrannus hic diaboli quoque figuram prætulit, & animæ nostræ hostium; cuius priora dulcedinem spirant, sed posteriora fundunt amaritudinem. T.18 C.6.

10. *Qui cùm audissent Regem, abierunt.* Q. d. Euangelista: Cùm Regis tepiditatem aduerterent, & versutiam qua loquebatur, inde sumpserunt occasionem, vt tantò animosiùs iter suum prosequerentur, & feruentiùs mentis propositum exequerentur. Indubiè medium perfecit iter, salutis suæ negotio adlaborans, qui contrarium facit eius, quod Dei faciunt inimici. T.8. C.6.

11. *Stella antecedebat eos, vsque dum staret supra, vbi puer erat.* Sanctus Petrus Damian. ait: Stella ista denotabat B. V. Mariam, quæ ducem se præbet peccatoribus: illos etenim in portum adducit salutis æternæ. T.19 C.3.

12. *Responso accepto*, &c. S. Paschas. ad mores hæc verba trahens, ait, nos per illa moneri, vt ille, qui semel diabolo & peccato designato in Herode, renuntiauerit, hoc ita faciat, vt numquam ad eum reuertatur. T.9. C.1.

## In Festo S. Gundisalvi de Amarante Ordinis Prædicatorum.

*Ecce nos reliquimus omnia.* Matt. 19.

1. Ecce nos reliquimus omnia. Christus Dominus præceperat illis: *Venite post me*: at ipsi plura fecerunt: etenim omnia reliquerant. Obedire Christo eum sequendo, est diuina eius mandata seruare: quod autem aliquis omnia relinquat, diuinum est consilium; Apostoli verò secundum addiderunt primo: salutare namque consilium est, aspirare ad perfectionem, vt Christianam pietatem asseramus. T.2. C.5.

2. *Ecce nos.* Petrus sociorum meminit, quando obsequia sua commemorat, nec proprium quærit commodum cum præiudicio tertij. Hæc mundi praxis est quotidiana, qua singuli cum vitæ, vel honoris aliorum detrimento suam sectantur promotionem. T.17. C. 6.

3. *Reliquimus omnia. Ne diceret aliquis inopum* (inquit D. Chrys.) *Quid igitur, si non habuero, non potero esse perfectus? Interrogat Petrus, vt tu inops discas, quod in nullo huic diminutus es.* Miseri pauperes sumant animos, inquit Os aureum, quia non, quod pauperes sint, idcirco desinent esse perfecti, nisi Deo denegent quod habent, bonam nimirum voluntatem. Regi cœlorum sufficit, vt illi demus quod possumus, & vires nostræ patiuntur T.18. C.4.

4. *Et secuti sumus te.* In Christi Republica serui sequuntur Dominum suum, & Regem subditi: sed in Republica mundi, omnia inuertuntur. T.5. C.6.

5. *Secuti sumus te.* Origen *Potest dici secundùm omnia, quod Pater reuelauit Petro esse filium suum. Propter hoc quasi victor athleta interrogat, quæ sint præmia certaminis.* Qui Deum obsequijs deuincit, beneficia prætendit. T.14. C.1.

6. *Secuti sumus te.* Haymon. *Imitati sumus paupertatem tuam.* Maximi refert, vt ille qui docet alios, virtutem eam habeat, quam alteri persuadere contendit. T.6. C.5.

7. *Quid ergo erit nobis?* Iansen. *Metuens ne fortè minus fecissent.* Petrus parui faciebat, quæcumque fecerat: intelligebat autem vt iustus, quod durante vitæ decursu, non sit hærendum, sed semper progrediendum, nouas semper virtutes inquirendo. T.7.C.1.

8. *Quid ergo erit nobis?* Si Petro Christus iam claues regni cœlorum promiserat, quid vltra postulat? D. Chrysost. *Nihil à rebus caducis petebant.* Bona erant temporalia, & terrena dignitas: cor autem eius, ac sociorum ad bona cœlestia adspirabat: quod illa sola poterant implere: anima quippe semel affixa cœlestibus, difficulter mundanis afficitur. T.6.C 6.

9. *Vos qui reliquistis, &c. sedebitis iudicantes duodecim tribus Israël.* Obsequia D. Petri, cæterorumque Discipulorum, tam sublimem non merebantur honorem, nempe quo Christo in extremo iudicio Assessores assiderent: nihilominus dicit Dominus, quod in eorum præmium sessuri sint: vult etenim videri magis debita soluere, quàm ostendere suam liberalitatem. T.11.C.1.

10. *Sedebitis & vos.* Quid Domino opus erat socijs? Nullo modo: & nihilominus, notat D. Chrysost. quod illis dicat, quod socij futuri sint. *Manifestum est ergo, quia conregnabunt, & communicabunt in gloria illa: honorem enim & gloriam ineffabilem significauit per thronos.* Et huius ratio est, amor quo hominibus afficitur: indicat enim quod in gloria solus non inueniatur, nisi socios illos habeat. T.6.C.2.

## In Festo Baptismi, Siue in Octaua Epiphaniæ.

*Vidit Ioannes Iesum venientem ad se.* Ioan. 1.

1. Vidit *Ioannes Iesum venientem ad se.* D. Chrysost. hanc adfert rationem, ob quam Christus Ioannem accesserit: *Quia ipsum baptizauerat cum multis: vt nullus suspicetur, quia ex eadem causa, ex qua & alij ad Ioannem veniret, puta peccata confessurus, aut in pœnitentiam abluendus in flumine; propterea ergo accedit, dans Ioanni occasionem corrigendi hanc suspicionem, quam Ioannes per verba correxit: vnde sequitur & ait: Ecce Agnus Dei.* Tria hic consideranda: Primum: quod cœlum steterit pro honore Saluatoris: ne quis eum vt peccatorem haberet cùm esset innocens. T.10. C.4.

2. Secundum: quod quamuis Christus in anima purissimus esset, vt pote ipsa innocentia, voluit attamen famæ suæ consulere. Discant fideles muneris esse Christiani, non tantum conscientiam habere bonam quoad interiora, sed etiam quoad exteriora, famæ scilicet puritatem. T.15.C.1.

3. Tertium: tenentur Superiores, quia tales sunt, satisfacere non solum querelis de ipsis formatis, sed ijs quoque, quæ sine ratione formari possunt. T.15 C 2.

4. *Ecce Agnus Dei.* Theophilus. *Dantis scilicet Filium suum pro nostra salute in mortem.* Figuratus in ariete Abraham, quem obtulit vt Isaac viueret. Ita Christus, vt qui mortui eramus per peccatum, ad vitæ gratiam resurgeremus: Hæc omnia facta sunt eius impendijs: nobis autem commodum omne cessit. T.17.C.6.

5. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Requirebatur vt Agnus esset innocens, & omni culpa careret, quo culpas mundi posset auferre. S. August. *Qui enim de nostra natura peccatum non assumpsit, ipse est qui tollit nostrum peccatum.* T.9.C.3.

6. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit.* Non dicit, quod tollet, sed quod tollit in præsenti peccata mundi: quo docet nos, ne scelerum nostrorum pœnitentiam differamus: sed recenter commissa statim defleamus eaq; de anima nostra expungamus. T.19.C.4.

7. *Ecce qui tollit.* Theophilus. *Quasi semper hoc faciente ipso.* Discamus à nobis semper expellere peccatum, quoad effectum. T 9 C.2.

8. *Super quem videris.* Quando Christus profundiùs se humiliauit baptisatus vt peccator, tunc cælum declarauit illum tanquam verum filium Dei, & Maiestatem suam clariùs ostendit. Et quando S. Ioannes in tantum se demisit, vt indignum se clamaret, qui Christi corrigiam solueret, tunc eum Christus honorauit, se coram illo humilians: vt firma sit hæc veritas nemini vnquam ex humilitatis actibus quidquam decreuisse: quinimo hac via honorem sibi & auctoritatem conciliasse. T.21. C. 6.

## In Festo S. Sebastiani.

Vide Festum omnium Sanctorum.

## In Festo S. Vincentii Martyris.

*Nisi granum frumenti cadens in terram, &c.* Ioan. 12.

1. Nisi *granum frumenti &c.* D. Chrysost. *Se autem dicebat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum.* Ex consideratione eius, quod diuinum hoc granum pateretur manibus Iudæorum, solamen accipit ex fide futura Gentilium. T.19.C.6.

2. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Adferet, inquit, si mortuum fuerit, fructus plurimos: & vtilitates eius resurrectiones (quæro) numquid hominibus non prosunt? Vtique: porrò tali patitur affectu, quo nobis subueniat, ac si ipsi sub-

subueniret. T. 22. C. 5.

3. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Beda. *Solus mortuus est, cum multis resurrexit:* in tormentis solus, in gloria cum multis. T. 6. C. 2.

4. *Ipsum solum manet.* Cùm esset in gloria, censebat se quasi in deserto morari: illam etenim non indicat gloriam, quæ multis non communicatur. T. 6. C. 4.

5. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sibi non pepercit, modò cunctis proficeret: valde differens à Regibus & mundi Principibus. T. 17 C. 6.

6. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Docet nos diuinus Magister, ne amorem nostrum apponamus rebus ita vilibus, scilicet corpori; hoc quippe est illum perdere: tantum bonis animæ bene impenditur. S. Chrysost. *Dulcis quidem est præsens vita, his qui affecti sunt ei; si quis verò ad cœlum respexerit, videns quæ ibi sunt bona, citò contemnet vitam præsentem.* Idcirco expedit oculos cum S. Petro in cœlum conijcere & illos terrenis non applicare. T. 6. C. 6.

7. *Si mihi ministrat, me sequatur.* S. Chrysost. *Oportet eum qui ministrat eum, cui ministrat, sequi.* Cùm ergo simus serui Dei, Dominum nostrum sequamur, nec velimus, vt ille nos sequatur. T. 5. C. 6.

8. *Si quis mihi ministrat, me sequatur:* q. d. Voluntas mea debet esse regula actionum me sequentis, ita vt nullum aliud velle habeat, nisi meum. qui namque contrarium faciunt: non nisi serui mei nomen obtinent. T. 4 C. 3.

9. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Sicut mihi fecerit, sic faciet Pater meus illi. Qui seruitio deuincit, mercedem speret: solos quippe illos Pater æternus honorificabit, qui Filio suo ministrauerint. T. 14. C. 1.

10. *Si quis mihi ministrauerit.* Deus sibi seruientibus soluit: diabolus autem vult vt seruientes ipsi soluant. T. 3. C. 6.

## IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS.

*Postquam impleti sunt dies, &c.* Luc. 2.

1. POstquam impleti sunt. B. Virgo, nec se nec Filium purificandum obtulit in templo, sed vt famam suam purificaret: ne velut præuaricatrix legis accusaretur. Non sufficit conscientiam esse puram: sed plurimum refert famam esse iustificatam. T. 15 C. 1.

2. *Dies purgationis eius.* Cùm non haberet quod purificaret B. Virgo, se tamen purificat: quo doceat nos, quod quamdiu in hac lachrymarum valle viuimus, licet perfectissimi, semper tamen habeamus quod in actionibus nostris vitaque purificemus. T. 16. C. 1.

3. *Secundùm legem Moysi.* Titus. *Nam reuera non incumbebat necessitas Virgini sacræ, vt dies purgationis eius expectaretur: quæ cùm ex Spiritu S. concepisset, caruit coniugio:* eàm tamen pietas obstringebat: qui namque ad perfectionem aspirat, debet quoque consilia seruare, non contentus solâ mandatorum obseruatione: vt si fuerit perfectus, sit saltem Christianus. T. 2. C. 5.

4. *Tulerunt illum in Hierusalem.* Guilielm. Parisien. Ser. huius festi. *Eo quod Hierusalem erat locus sacrificij.* Eò tendere debemus quo Deo nos ire placuerit, non nostra nos impulerit voluntas. T. 4. C. 3.

5. *Et vt darent hostiam, secundùm quod scriptum est in lege Domini: par turturum, aut duos pullos columbarum.* Oblationem pauperum detulit SS. Domina: Rex enim cœlorum gratum habet si offeramus ei quod possumus, & vltra vires à nobis nihil requirit. T. 18. C. 4.

6. *Par turturum.* S. Cyril. *Occidebatur ergo turtur, aut columba: vt ipse per figuras nobis pandatur, passurus in carne pro vita mundi;* etenim vitæ suæ pretio, nostrã erat redempturus. T. 17. C. 6.

7. *Et ecce homo erat in Hierusalem, & homo iste iustus.* Meritò dicitur de S. Simeone: quod homo esset & iustus: si namque iustus non esset, nec homo esset, nisi in figura: peccato namque degenerat in brutum. T. 5. C. 5.

8. *Accepit eum in vlnas suas.* Beda mysterium notat, quod iustus Senex puerum Deum brachijs suis complexus sit, aitque significari, quod mundus per culpam senio confectus, morte Christi renouandus esset: quinimò vita Christiani, continua debet esse animæ renouatio. *Accepit senior infantem Christum, vt insinuet hoc sæculum, quasi senio iam defessum, ad infantiam & innocentiam Christianæ conuersationis rediturum.* T. 16. C. 1.

9. *Nunc dimittis, &c. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Oculi qui Deum viderunt, non habent quod amplius videant in terra. T. 6. C. 6.

10. *In pace.* Origen. *Quis est autem qui de sæculo isto recedit in pace, nisi is, qui nihil habet inimicum Deo, sed omnem pacem bonis in se operibus assumpsit.* Quicumque sanctam egit vitam, confidenter gloriosam expectet mortem. T. 14. C. 4.

## IN FESTO S. BLASII MARTYRIS.

*Si quis vult venire post me.* Matth. 16.

1. SI quis vult. Dixerat Christus Dominus se mortem Crucis subiturũ, & die tertia resuscitan-

tandum. D. Petrus conatus est hoc illi dissuadere: *Absit à te Domine*: quamobrem asperiùs illum Christus reprehendit, & tentatorem vocauit: *Vade post me Satana.* Nec hic substitit, sed addidit (vt notat D. Chrysost.) non solum Petro conuenire, vt Christus pateretur, sed insuper nisi & ipse Christum per mortem Crucis comitaretur, hoc est, si in præsenti vita non pateretur, saluari non posset. *Tu dicis mihi: Propitius esto tibi; ego autem dico tibi: quoniam non solum me prohibere à passione nociuum tibi est, sed neque saluari poteris, nisi patiaris & moriaris.* Resurrectio mortis filia est, nec gloria nisi dolorum pretio emitur. T.7.C.2.T.23.C.1.

2. Ex hac doctrina D. Chrysostomi quoque colligitur, quod loqui idiomate mundanorum idiomati contrario, nostrum confirmet. *Tunc dixit Iesus*, &c. T.2.C 2.

3. *Si quis vult.* D. Chrysost. *Non solis Discipulis suis, sed & commune hoc dogma orbi terrarum proponit, dicens: Si quis, id est, si mulier, si vir, si Rex, si liber, si seruus.* Omnibus Crucem propinat: omnes enim Saluator gloriæ suæ desiderat consortes: & illam non habet vt gloriam, quamdiu omnes eiusdem non sint participes. T.6. C.4.

4. *Abneget semetipsum.* Diu. Greg. Mag. *Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, & abnegamus, cùm vitamus, quod per vetustatem fuimus: & ad hoc nitimur, ad quod per nouitatem vocamur.* q.d. Quando quis seipsum abnegat, eo ipso culpæ statui in perpetuum renuntiat, & nouam vitam cum Dei adiutorio inchoat. T.16.C.1.

5. Per abnegationem intelligi quoque potest displicentia status præsentis licet boni, semper nouam intendendo virtutem, & ad maiorem aspirando perfectionem, in quo vitæ Christianæ summa consistit. T.7.C.1.

6. *Tollat crucem suam.* Notat Cardin. Toletus consilium hoc à Domino datum fuisse, statim postquam S. Petrus gloriosam illam prolocutus fuisset confessionem, ne fortè Discipuli sibi persuaderent solam fidem ad salutem sufficere: quia opera bona etiam requirebantur. T.16.C.6.

7. *Tollat crucem suam.* Crucem suam, dicit, non illam Saluatoris: illa namque singulorum viribus est commensatura: hæc verò diuinam requirit fortitudinem. T.18.C.4.

8. *Tollat crucem suam*: mea etenim non sufficit: nam salutis negotium est velut contractus societatis, & duplici constat cruce, nostra & Redemptoris. T.13.C.6.

9. *Tollat crucem suam.* Addit D. Lucas, *quotidie* hoc est, vt crux nostra sit quotidiana, per hoc denotans donum perseuerantiæ in virtutum exercitio: quamdiu in hoc mundo viuimus, semper nobis progrediendum est, nullusque bonis operibus terminus statuendus. T.7.C.1.

10. *Tollat crucem suam*, & relinquat alienam: vitam suam attendat, & aliorum non se misceat: quisque namque satis habet quod in seipso reformet. T.11.C 2. T.13.C 4.

11. *Et sequatur me.* Tollat crucem suam vsque dum in ea, sicut ego in mea, moriatur: perpetua namque debet esse pœnitentia, & nequaquam interrupta, neque ad certum tempus contracta. T. 20.C.6.

## IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

### *Confiteor tibi Pater.* Matth. 11.

1. R*Espondens Iesus, dixit, &c.* Cui respondit hic Saluator? Tacitæ obiectioni (inquit D Chrysost.) quare Iudæi ita sapientes non reciperent Euangelium: quod tamen Gentiles recipiebant? *Quia sciebat Dominus multos de superiori quæstione dubitaturos, scilicet, quod Iudæi Christum non receperunt, quem Gentilitas tam prona suscepit: respondet hic cogitationibus eorum*: & ostendit non fuisse maleuolentiam, sed misericordiam suam. Superiores & Præsules hinc discant, non solum querimonijs respondere, sibi propositis, sed etiam iniustè proponendis. T.15.C.2.

2. *Confiteor.* Notandum qualiter Christus Dominus, qui venit in mundum pro salute hominum, gratias agat æterno suo Patri, quod sua mysteria mundi potentioribus ac sapientibus abscon- derit. Cui respondetur: cùm enim sicut Deus præ- nosceret, quod illi velut præsumptuosi, illa non crederent, neque prædicatam reciperent fidem: actus fuit eius misericordiæ, quod illa non reuelauerit, ne grauior foret eorum damnatio. T.4 C 6.

3. *Domine cœli & terra.* Æternum Patrem appellat Dominum cœli & terræ: quod ex vna parte solatur, ex altera timorem ingerit: eo quod consideret aliquis quod Deo seruiat, Domino cœli & terræ, qui potens est beneficijs me, donisque cumulare: sed ex altera parte consideret: Si illum offendero, ab eo fugere non possum: quia Dominus est vniuersi: seruit hæc consideratio timori. T.8. C.1.

4. *Quia abscondisti hæc à sapientibus.* Semper Deus melius conuenit cum paruis & humilibus, quam cum magnatibus & superbis, ob antipathiam quam habent cum veritate. T.15.C.14.

5. *Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Quantumuis aquilano lumine humanus fulgent intellectus, si diuinæ tamen gratiæ lux illi non

non fulgeat, in mille labitur errores. T.2.C.1.

6. *Abscondisti hæc à sapientibus, &c. & reuelasti ea paruulis.* Eo momento, quo Christus asserit hæc mysteria à quibusdam abscondi, dicit quoque ea reuelari paruulis, quasi ex horum salute solamen accipiens, qui aliorum ruina tristabatur. T.19.C.6.

7. *Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te.* Sit ita: sic enim tuæ placuit voluntati. Iustus in omnibus vitæ casibus, hanc sibi considerationem obijcit: quod Dei voluntas in rerum dispositione falli non possit: vt suam illi per omnia conformet. T.4. C.3.

8. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quemadmodum homines ad Deum refugere non solent intricati vtique desiderijs acquirendi diuitias, ita excitat illos Redemptor ad sui amorem, dicens: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*: q.d. Ne animo despondeatis, licet me pauperem videatis: in hoc quippe paupere omnia habetis. *Ergo qui Christum habet, omnia habet*: inquit D. August. Si namque Christus Dominus omnia cœli & terræ bona possideat, omnia habebit, qui Christum habuerit. Christus se nostræ conformat inclinationi, vt nos ad se trahat. T.11.C 4.

9. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Loquitur peccatis oneratis, & pondere culparum oppressis: hisque solamen offert & quietem. Iustis quippe proprium est, aliena peccata non attendere, vt inde sumat scandalum, sed illis compati, vt subueniat. T.11 C.6.

10. *Tollite iugum meum.* Quomodo suades Domine vt ad te veniant, si noua illis imponere spondes sarcinam? Ratio est: quod sarcina Christi leuis sit & singulorum viribus proportionata. Et ita legit Clemens Alexan *Stateram* expendit Deus quid valeamus, vt secundùm hoc tribulationes immittat. T.18.C.4.

11. *Tollite.* Si Christus nobis præcipiat vt iugum eius tollamus, etiam nobis offert refectionem, qua nostram instauret infirmitatem; mundus & peccatum ex opposito volunt vt illis seruiamus, & insuper soluamus eis. T.3 C.6.

## In Festo S. Thomæ Aqvinatis Ecclesiæ Doctoris.

*Vos estis sal terræ.* Matth.5.

1. VOs estis sal terræ. Metaphora hæc obligationem denotat Prælatorum: quia sal in ipsa petitione moritur, nec minus vult quàm dissolui & consumi, vt pluribus prosit. Vt dixit Redemptor noster, quod vita sua nos redemerit: *Exinaniuit semetipsum.* Tales esse oportet Discipulos eius & successores: dissoluere se debent pro salute proximorum: & nequaquam alios dissoluere, vt sibi prosint. T.17 C 6.

2. *Vos estis sal terræ.* Diuus Hieronymus. *Certè legimus in Scripturis vrbes quasdam ita victorum sale seminatas, vt germen nullum in eis oriretur.* Sal terram reddit sterilē, ne quidquam valeat producere, & victores victorum terras sale conspergunt; optimè: venit etenim Christus in mundum, *vt destrueret corpus peccati.* Vt autem denuo non germinet, sale conspergit: *Vos estis sal terræ*: in signum quod vera peccati victoria, ea sit, quando ita vincitur, & deletur, vt aliàs non repullulet. T.9. C.1.

3. *Vos estis sal terræ.* Sal terræ, loquitur Saluator, non maris; quia vt fiat sal & conseruetur, ab aquis pelagi separatur: quod si denuo ad illas reuertatur, mutatur in illud quod prius erat; ita vt fiat sal Apostolicum, expedit exire de mundo: quod si iterum mundanis immisceatur, mutabitur in illa. Sis sal, & hoc sufficit: vt noueris quod eo momento quo redieris ad mare mundi, vnde sublatus es, dissoluendus sis, sicut sal in in mari. Quicunque se conseruare voluerit in virtute, fugiat, & ab occasionibus, quibus dissolui potest, se separet. T. 14.C 6.

4. *Vos estis sal terræ.* D. Petr. Chrysolo. Sal cibis omnibus saporem infundit, quando temperate miscetur. *Alioquin si sine modo est, & ipse penè, & quod salierit, perdidit: amarat enim nimietas, quod condiret mensura.* Discunt Principes non nimis excedere, suosque subditos vltra vires opprimere. T.18.C.4.

5. *Vos estis sal terræ.* Sal in lapide nihil efficit, cùm sit impenetrabilis, sed in pomo cuius saporem imbibit. Itaque ad cōuersionem nostram non tantum Deus eiusque debent ministri concurrere, sed nostra quoque voluntas, diuinis non contradicens illuminationibus: est etenim nostræ salutis negotium velut contractus societatis: atque idcirco benè comparatur luci: si namque huic pateat ingressus, nec aperiantur oculi, effectum suum non operabitur. T.13.C 6.

6. *Vos estis lux mundi.* D. Chrysost. *Sicut Doctores propter bonam conuersationem sunt sal, quo populus conditur, ita propter verbum doctrinæ sunt lux qua ignorantes illuminantur; priùs autem est benè viuere, quàm benè docere, & ideo postquā Apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem, dicens: Vos estis lux mundi.* Primò cognominat illos sal, & deinde lucem: sal in vita, lucem in doctrina: tunc enim Magister est vt audiatur, quando talis est vt attendatur. T.6.C.5.

7. *Vos estis lux mundi.* Idem Chrysost. Hom.9. ad Pop. differentiam perpendit inter lumen solis, & candelæ, & ignis. *Ignis natura alta petit, sidus verò*

*rò tam magnum ad inferiora vergit & ad terram respicit.* Ignis & candela, dum ascendunt, videntur velle illuminare cœlum: sol autem planeta fortissimus, cœlum relinquit, seque humiliat, vt terram illustret. Vos igitur vt Sol illuminabitis, atque in summo honorum culmine profundissimam exercebitis humilitatem. T.21.C.6.

8. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* In memoriam illis reuocat diuinus Magister, quod sint filij Dei: vt suam attendentes nobilitatem, muneri suo satisfaciant, vtque tales viuant. T.3.C.5.

9. *Qui ergo fecerit & docuerit.* Tunc efficax est doctrina, quando vita persuadet, quod verba docent. T.4.C.2. T.6.C.6. T.10.C.3.

## In Festo S. Patriarchæ Ioseph.

*Cùm esset desponsata.* Matth. 1.

1. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Non vacat mysterio quod Ioseph dicatur Sponsus B. Virginis: vt notat D. Hieron. *De nominibus Hebraicis.* Ioseph significat augmẽtum: quia Sancti huius anima semper in gratia donisque cœlestibus proficiebat, omni tempore quo vixit in mundo, in quo virtutis consistit eminentia. T.7.C.1.

2. *Cùm esset desponsata.* Quærunt SS. Interpretes, quare Christus Dominus desponsata Matre nasci voluerit? Dubio respondet D. Ambros. *Nec putauit ortus sui fidem, matris iniurijs adstruendam:* q.d. Verbũ Incarnatũ: Eligo potiùs, vt de me spargatur quod homo sim vulgari modo natus, quàm quod Matris meæ pudicitia suspicionem incurrat malo: dum sine viro, & cum prole fecunda conspicitur. Despõsetur, ne detur oblocutioni locus, licet mendacium sit, quod illi fuerit obiectũ. Optimum instructioni nostræ documentum. Non sufficit nos coram Deo iustos esse: sed talis esse debet, vita nostra, nostri nominis famæque tam bonus odor, vt omnibus materia fit ædificationis. T.15.C.1.

3. *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Quamuis iustus esset, sicut casum ignorabat, ita mysterium fecunditatis B. Virginis non penetrabat; quare & illam dimittere cogitabat. Et notandum quod B. Virgo dilecto sibi Sponso diuinum non reuelauerit secretum, donec Deus per Angelum suum illud aperuerit. Maluit autem SS. Virgo famam suam honorem, vitamque periculo exponi, quam humilitatem suam: quia periculo subiacebat cœlestes fauores publicando, & hunc potissimum, quo præclariorem Deus nulli communicauit creaturæ. Discamus ex humillima virgine propriam non aucupari gloriam. T.6.C.6.

4. *Hæc autem eo cogitante.* Quæ non argumenta S. Ioseph sibi proposuit ne Sponsam sanctissimam condemnaret. Proprietas hæc est iustorum: *Cùm esset iustus*: cùm enim perpendant quod iudicant, semper in bonam partem suspiciones accipiunt: è contra faciunt peccatores. T.13.C.3.

5. *Angelus Domini apparuit.* D. Chrysost. præter alias huius apparitionis rationes, hanc quoque profert. *Propter honorem ipsius Matris: nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspicione carere non poterat.* Et eo ipso quo B. Virgo tacebat, malum non attendens, quod ex silentio suo resultare poterat, occurrit cœlum: qui namque ministra læsus calumnia tacet, causam suam Dei manibus tradit suamq; defensionem illi imponit. T.10.C.4.

6. *Ioseph fili Dauid.* Angelus Ioseph appellat filium Dauid; non solum quoad sanguinem, sed fidem etiam & sanctimoniam: q.d. Hæc illius effectus est, & eo quod tam boni Patris sis filius, hinc tua tam honorabilis conuersatio, piaque vitæ norma. T.3.C.5.

7. *Noli timere.* S. Chrysost. monstrat eum iam timere, ne offenderet Deum quasi adulteram habens. Timebat Ioseph ne iudicio suo laberetur, eam iudicans peccatricem, quæ castissima erat: & hoc præter tot argumenta quot sibi formabat: *Eo cogitante*, subtilissimus enim intellectus, nisi à Deo collustretur, in mille præcipitabitur errores. T.2. C.1.

8. *Hæc autem cogitante.* D. Chrysost. *Magis credebat castitati eius, quam vtero eius.* Non tantum considerat prægnantem eius vterũ, quem videbat, quãtum castitatem & sanctitatẽ, quam in ea fuerat expertus. Prosit hoc nobis, ne proximum per partes consideremus, sed totum simul: nec manifestemus, quod nos possit offendere, sed illud inueniamus, quo erga illum deuinciamur. T.13.C.2.

## In Festo Annvntiationis B. Virg.

*Missus est Angelus Gabriel.* Luc. 1.

1. *Missus est.* D. Albertus Magn. *Deus mittens, & Angelus obediens.* In domo Dei Dominus imperat, & seruus obtemperat. Et in domo peccati è contrario, Dominus obedit, & seruus imperat. T.5.C.6.

2. *Missus est Angelus Gabriel.* Datâ opera misit Dominus vnum de supremis Archangelis cælo ad hanc legationem. Quia sicut fuit qui dixerit quod in creatione mundi Deus Angelos consulerit circa creationẽ hominis: ita vult vt sciatur, quod quamuis mentis propositum Angelis communicasset: numquam tamen hi Deo imperarint, sed semper his Deus imperauit. Documentum hoc est terræ

Prin-

Principibus vt Deum in regimine ſuo imitentur. T.12.C.3.

3. *Angelus Gabriel.* Fuit Angelus Gabriel boni nuntij legatus, mundi ſcilicet redemptionis: quia proprium eſt cœleſtibus & terreſtibus Angelis nuntia deferre iucunda & conſolatoria. T.23.C.4.

4. *Ingreſſus Angelus ad eam, dixit.* Quantum aberat D. Virgo à prætendendis dignitatibus, quandoquidem hæc legationis nouitas eam ita turbaret: *Turbata eſt.* Porrò praxis hæc eſt domus Dei: quod ille ad dignitates quæratur, qui earum præ cæteris obliuiſcuntur. T.7.C.5.

5. *Aue gratia plena* S. Thom. in Catena. *In illa doloribus partus eſt cauſa peccati punita: in hac per gaudium mœſtitia pellitur.* Lætetur quæ plena eſt gratia, & triſtetur qui illa caret: nec enim iuſtis paratur triſtitia, nec peccatoribus lætitia. T. 24. C.4.

6. *Dominus tecum.* D. Bernard. & alij SS. videntur ſentire quod primo Dei Verbum in viſceribus SS. Virginis incarnatum fuerit, quam Angelus legationem ſuam perfeciſſet. Et quamuis pia ſit hæc conſideratio, & contra cõmunem Interpretum expoſitionem, non tamen admirandum: Dominus enim veniebat ad paſſionem greſſu giganteo; ad aſcenſum verò in cœlum paſſu tardo & lento: fidelibus ad inſtructionem. T.7.C.2.

7. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Nota verbum Euangeliſtæ: quod SS. Virgo Domina noſtra turbata ſit non ex conſpectu, ſed alloquio Angeli. *In ſermone, non in viſione:* & ratio eſt, niſi fallar, quod tanta fuerit modeſtia, tantaque Virginis morum compoſitio, vt nec facie Angelum aſpexiſſe videatur. T 12.C 2.

8. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutio.* Antequam loqueretur, maturè Virgo præcogitabat. Iuſtis hoc innatum eſt, quorum verba prius ad limam reuocantur, quam ad linguam: peccatores oppoſitum faciunt. T.13.C.3.

9. *Cogitabat qualis eſſet,* &c. D Thom. in Catena. *Eua leuitatem eleuans:* noluit cito credere: meminerat enim quod Euæ cum malo Angelo cõtigerat: & ſicut hic ſe transfigurat in Angelum lucis: prudentis eſt cauſam noſtri commodi habere ſuſpectam id quod noſtri damni fuit inſtrumentum. T.20 C.6.

10. Deinde quemadmodum recordabatur calamitatis primæuæ noſtræ parentis, ita maturè proceſſit, ex alieno errore facta ſapientior. T.8. C.6.

11. *Ne timeas Maria.* Timor non cadit in iuſtos, nec in te Cœlorum Regina: habent etenim ſecum Deum: ſed metuant peccatores extorres à Deo. T.23 C.2

12. *Ecce concipies,* &c. *Hic erit magnus.* Quomodo illa connectuntur filium eſſe Virginis & vocari filium Dei? Optimè: tantùm enim abeſt, vt aliquid detrimenti ex humilitate patiatur, vt etiam Maieſtas eius tanto clarius effulgeat. T.21. C.6.

## In Festo S. Francisci de Pavla.

*Nolite timere puſillus grex.* Luc. 12.

1. Nolite timere puſillus grex. Finierat Chriſtus Dominus parabolam de diuite auaro: cui eo momento vita tollitur, vſque ad tartara rapitur, quo de horreis ſuis maiora faciendis cogitabat. Et immediatè Diſcipulis ſuis diuitiarum ſuadet contemptum, nec non erga pauperes miſericordiam: quaſi diſponens illos huius peccatoris exemplo, vt doctrinam eius melius caperent: q.d. illis, vt ex aliorum erroribus prudentiores euadere conarentur, eius oppoſitum facientes quod ille fecerat. T.8.C.6.

2. Vel etiam vt ex capite alieno caperent experientiam, & huius ſupplicium foret eorum inſtructio: hoc eſt: *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* T.8.C.6.

3. *Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Quando illos glorioſo illo nomine filij Dei vocat, cur dicit puſillos, & humilem gregem? Reſp. Beda. *Ob humilitatis deuotionem:* vt ex conſideratione ſupremæ dignitatis profundam conſeruent humilitatem. T.1. C.5.

4. *Quia complacuit Patri veſtro.* Illis in memoriam reducit nobilem ſuam progeniem, vt obligationibus ſuis ſatisfaciant, & tanto facilius terrenis ſe expediant: glorioſa quippe progenies glorioſa requirit opera. T.3.C.5.

5. *Dare vobis regnum: Vendite quæ poſſidetis.* Quomodo iſta cohærent, vocare illos Reges, & iniungere illis, vt bona ſua largiantur pauperibus. S. Petr. Chryſol. Ser.24. dicit: Optimè duo hæc ſibi reſpondent: qui namque natus eſt vt Rex ſit, natus eſt vt ſit liberalis: vnum idemque eſſe debet ad altiorem aſcendere gradum, & proprijs impendijs neceſſitatibus ſubditorum ſuccurrere. *Eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, vt aſcitis ad Regnum, quod fuit proprium, mox ciuibus indigentibus liberaliter erogare.* T.12.C.1.

6. *Quæ poſſidetis.* An omnia quæ poſſident erogare debent? Debent: verus etenim Princeps qui Principem imitatur æternitatis, panem ori ſuo ſubtrahere debet, vt ſubditorum ſubueniat neceſſitati, T.24.C.6.

7. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum: vendite.* Beda: *Ergo vt poſſideatis regnum cœlorum, opes terrenas contemnite.* Bonis caducis huius vitæ renuntiate, vt Deus pleniſſimâ manu cœleſtes vobis

bis thesauros communicet: nec enim dubium est, quin minimè conueniant bona cœli & terræ: quare expedit terrena desetere, vt cœlestia capiamus. T. 6.C.6.

8. *Facite vobis sacculos.* Christus cœlum vocat thesaurum & diuitias: vt auaræ nostræ conditioni se conformet. T.11.C.4.

9. *Facite vobis sacculos.* Eo tempore quo suadet illis bonorum erogationem, consulit illis vt thesaurizent: nec enim ipsâ eleemosynâ lucrum maius dari potest. T.12.C.6.

10. *Thesaurum non deficientem in cœlis.* Terrena bona caduca sunt, & peritura: quare in solis cœlestibus, quæ æterna sunt, collocandum est fundamentum. Ostendit illis quam mortalia sint terrena omnia, vt contemptum eorum illis persuadeat. T.1.C.6.

## In Festo S. Georgii Martyris.

### *Ego sum vitis vera.* Ioan. 15.

1. EGo *sum vitis vera, & vos palmites.* Vitis est quæ patitur, & hiemis inclementiam tolerat, ictus eam fodientis & putantis: palmites autem huius laboris fructibus gaudent: primò namque verè prodeunt virides & fructibus fecundi. Optimè: omnes labores futuri sunt mei: fructus autem vester: eo quippe fine in mundum veni, vt mei sanguinis pretio omnes saluificem. T.17.C.6.

2. *Ego sum vitis vera.* Postquam dixisset illis: *Surgite eamus,* sermonem suum prosequitur nec de loco se mouet: & quasi interrogationi tacitæ respondens, ait: *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* An non aduertitis Discipuli mei, quàm molestum sit viti quando vltrò præsciuditur, ramique illi resecantur: quandoquidem in doloris argumentum copiosas effundat lachrymas? Ne miremini igitur, si vobis dixero: *Surgite eamus hinc,* nec tamen discedo: quia mihi occurrit quam citò me sitis derelicturi: *Omnes relicto eo fugerunt:* & societate vestra destituendus sum. Hæc autem considerans, discedere non valeo: dum autem vos mihi non adestis, absentia vestra, lachrymas mihi elicit, & non leuem prouocat animi dolorem: etenim mœror est intolerabilis ei qui sincerè diligit, ab amato separari. T.21. C.1.

3. *Pater meus agricola est.* Qui ferrum de manu numquam dimittit. Aduertit Christus Dominus discipulos suos mœrore prostratos, pusillanimes, & deiectos, quia dixerat illis, quod ipse, & ipsi grauia essent toleraturi. Huic Saluator occurrit his verbis: *Pater meus agricola est,* qui cultrum de manu numquam demittit: quasi dicat: quamuis capi me, flagellari, & medium inter duos latrones crucifigi cernatis, sintque futura tam ferocia tormenta, vt Patri meo crucifixus quæritabundus exclamem, quasi derelictus: *Vt quid dereliquisti me?* Pater tamen meus est, nec patietur in filio suo tale quid, quod in maximam eius non cedat gloriam. Hoc tibi persuade, hiemem nunc esse, tempus putandi; postmodum ver elucescet resurrectionis, cui & vos quoque participabitis: hac vos armate consideratione; hæc namque quæcumque aspera tolerabitis, efficiet dulcissima. T. 23. C.4.

4. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* S Chrysost. *Ostendens quod sine operibus non potest aliquis esse in eo.* Non sufficit Christiano ad salutem, quod Christo per fidem vniatur, nisi per Charitatem quoque vnitus sit; hæc etenim est eius vita. T.18. C.6

5. *Et illum qui fecit fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat.* S. August. *Quis autem est in hac vita sic mundus, vt non sit magis magisque mundandus?* Nullus viuit Christianus quantumlibet bonus, qui agricolæ labore non indigeat. Semper animæ eius templum renouandum est, expoliendum & emundandum: T.16 C.1.

6. *Omnem palmitem.* Omnes palmites viti vniuntur: nihilominus quosdam agricola ferro purgat, vt fructum afferant, alios autem referat vt inutiles, & in ignem conijcit. Hoc sensu D. Hilarius hæc verba interpretatur. *Inutiles autem & inferaces palmites deserans, deputabit arsuros.* Hoc idem igitur, ait Redemptor noster, acturus est Pater æternus illis qui mihi per fidem sunt vniti, Qui bonorum operum fructum tulerint, purgabit eos, & copiosioribus abundent, & sapidioribus: inferaces autem & steriles deserabit, igni tartareo dominando. Ecce quanta calamitas; Cum eiusdem sint vitis palmites, tam diuera tamen sit eorum sors: quosdam enim agricola colit ad eorum salutem, alios vero resecat ad eorum damnationem. Sanguineis lachrymis deplorandum quosdam damnari, vbi alij saluantur, & perire, vbi alij fructificant. T 9.C.6.

7. *Et eum qui fert fructum.* Videtur quorundam sterilitas fertilitatem promouere aliorum: & in virtute proficere ex consideratione mali aliorum. T.8.C.6.

8. Similiter dici potest: quod ex malorum supplicio alij corrigantur, & in virtute progrediantur. T.8 C.5.

9. *Manete in me & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Alcuin.

*Qui manet in me credendo, obediendo, perseuerando: & ego in eo: illuminando, subueniendo perseuerantiam donando.* Ego gratuita dabo illi subsidia: ipse verò faciet quod in se erit. Itaque ex meis auxilijs, & ipsius diligentia constabit salutis eius negotium. Est instar contractus societatis, in quo homo adfert industriam suam, Deus verò principale. T.13. G.6.

10. *Manete in me, & ego in vobis.* Notat D. Aug. diuersum modum, quo palmites sunt in vite, & vitis in palmitibus. Vitis ex palmitibus nihil sumit, palmites autem omnia sumunt ex vite: ipsa namque tribuit illis vitale alimentum, quo sustentantur: illi verò viti nihil retribuũt *Ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis.* Talis fuit Rex gloriæ, & eius exemplo esse debent Christiani Principes, suis, non sibi. T.18.C.3. Et si cogat necessitas, panem ori suo suffurentur, quem subditis sibi subministrent. T. 24.C.6.

## In Festo S. Hermenegildi Regis et Martyris.

*Si quis venit ad me.* Luc. 14.

1. Si quis venit ad me. Theophilus. *Quia enim multi comitantium ipsum, non ex toto affectu, sed tepidè sequebantur. ostendit qualem deceat esse suum Discipulum.* Ille tantum qui non intelligit quid sit Deus, quærit aliquid extra ipsum. Tales erant aliqui ex Christũ sequentibus, quos his verbis tetigit, quibus illos saniora docet, quod ille solus sit eius Discipulus, qui solo Deo contentus est, & reliqua vitæ huius aspernatur; vnicum amat Deum & quidquid extra illum est, abominatur, vt fecit D. Petrus. T.6.C 6.

2. *Si quis venit ad me.* Ita temporalia rapiunt oculos hominis: ita trahit illum pater, mater, vxor, & visibilium affectus tanta vi cogit, vt velit Deus hæc omnia illi desint, vt ab omnibus sit liber occasionibus, quibus à Deo posset separari. T.14.C.6.

3. *Et non odit patrem suum.* S. Ambros. *Neque ignorare naturam, neque sæuire Dominus iubet, sed ita indulgere naturæ vt venereris auctorem, nec à Deo parentum amore desistas.* Non vult Deus vt naturali non satisfaciamus obligationi: sed vt in omnibus quibus possumus, parentibus nostris subueniamus: & hoc nobis rigorosè præcipit. T.10.C.6.

4. *Si quis venit ad me,* &c. S Gregor. Hom. 37. in Euang. exponens odium illud, quod vobis Christus imperat erga parentes, sic ait: *Quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Hoc est: in tantum illos odiamus, in quantum nobis impedimento sunt salutis: quo casu illos non vt amicos, sed vt inimicos habeamus. Itaque qui nobis præcipit: *Diligite inimicos vestros corporales:* idem mandat, vt odio habeamus illos, qui inimici sunt spirituales, & à Deo nos student separare. T.2 C.3.

5. *Et qui non baiulat Crucem suam, & venit post me, non potest meus esse Discipulus.* Necesse est vt quisq; Crucem suam tollat, vt Discipulis Christi annumeretur. Quænam est hæc Christi sollicitudo, qua Crucem tollamus, vt toties hoc in suo Euangelio repetat? Indubiè fetus est desiderij quo feruet vt regnemus: etenim mediante Cruce sua Regnum cœleste consecutus est: *Quia Dominus regnauit à ligno.* Psal. 95. & D. Paulus ad Hebræ. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum:* & eandem Dei Maiestas viam ostendit, vt illi corregnemus. T.23.C.1.

6. *Et non baiulat Crucem suam.* In quolibet statu Crux inuenitur, atque ex quolibet patet homini ascensus ad regnum; sed à malo est, quod reliqui velint alienam, & non propriam Crucẽ tollere: alienam regere vitã, propriæ obliti. T.11.C.2.T.13.C 4.

7. *Qui non baiulat Crucem suam.* Non ait, *meam:* quia vires nostræ Cruci tam graui, qualis est Christi, sunt multum impares. Nec grauius vult nobis pondus inijcere, quàm quod commodè ferre possumus. T.18 C.4.

8. *Qui non baiulat Crucem suam.* D. Chrysost. *Non autem hoc dicit, vt trabem super humeros apponamus: sed vt semper mortem præ oculis nostris habeamus.* Efficax namque est mortis memoria, qua transitoria omnia contemnamus & ad cœlestia aspiremus. T.1.C.6.

## In Festo S. Marci Evangelistæ.

*Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* Luc. 10.

1. Designauit Dominus, &c. *& misit illos binos in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus.* Primò mittit Dominus Discipulos suos, & statim ipse eos sequitur: refert enim plurimum vt Superior ministros suos visitet: cuius assistentia & præsentia valet ruinas eorum reparare. T.24.C.3

2. *In omnem ciuitatem & locum,* &c. D. Gregor. *Prædicatores suos Dominus sequitur: quia prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt: atque per hoc veritas in mente suscipitur.* Primò Christum prædicantem homines audierunt, quam ipsum viderent: quia docetur mysteria eius prius credenda esse quàm videnda. T.4.C 4.

3. *Ecce ego mitto vos sicut agnos.* Notat Toletus, quod post resurrectionem eos miserit sicut oues: *Mitto vos sicut oues, & non sicut agnos.* Quare quando agni sunt, non eos manibus fidit tyranno-

tum: sicut dixit, quando oues iam erant minores, & gratiâ Spiritus S. quâ receperant, roborati. *Quando missi sunt post resurrectionem, erant homines perfectissimi, iam in eos misso Spiritu S.* à nobis vltra vires nihil expostulat. T.18. C.4.

4. *Ecce ego mitto vos.* Idem fuit illis præcipere & obedire: iustus etenim Dei voluntatem habet actionum suarum regulam. T.4. C.3.

5. *Ecce mitto vos:* Mitto vos vim non infero, & meritò; nam serui Dei non proficiscuntur ad tribulationes humana tracti violentia, sed diuino capti amore. T.22. C.1.

6. *Sicut agnos inter lupos.* Lupus agnos solet inuestigare: vos autem ne expectetis donec quæramini, sed currendo & volando manibus eorum vosipsos tradite ab ipsis cruciandos: quo testemini quam libenter patiendi occasiones amplectamini. T.7. C.1.

7. *Ecce ego mitto vos.* Christus tanquam Dominus mittit illos, illi verò sicut serui obedierũt. Hoc in domo Dei fit, & oppositum est confusio Babylonica, & Satanæ tyrannis. T.5. C.6.

8. *Nolite possidere sacculum neque peram.* Tolet. Curtam pauperes, & inermes? Quia prædicaturi mittebantur contemptum temporalium bonorum: quos si populus videret cum sacculo & pera, ex eorum doctrina nihil proficeret: quia contra se habebant præsumptionem. *Ac ab omni auaritiæ suspicione, apud eos quibus prædicaturi erant verbum, carerent.* Qui namque in se suscipit alios instruere, oportet vt mundus viuat ab omni culpa, & eius vmbra, vt ex doctrina sua lucrum reportet. T.10. C.3.

9. *Neque calceamenta.* Non permittit diuinus Magister calceamenta Discipulis suis nisi quædam sandalia ad eum modum quo illa modò gestant Religiosi reformati: nolebat enim vt plura possiderent, quã satis erat naturę Cõceptus hic est Cardin. Tolet. *Prohibetur tantum vsus calceamentorũ, quæ totum pedem contegunt, non autẽ sandaliorum, quæ interiorem tegunt partem, nempe plantã. Voluit enim Christus, eo quod necessarium erat retẽto, quod superfluũ erat, etiã in pedibus cõtegẽdis resecare.* T.12. C.5

10. *Rogate ergo Dominum messis.* Dicit Redemptor Discipulis suis: Messis quidem multa. Rogate Dominum messis vt mittat operarios. Notat Card. Tolet. *Non autem dicit, rogate, vt mittat vos in messem:* & ratio est: *quia nemo debet à Deo petere Episcopatus & munia Ecclesiastica.* Verus Dei seruus non est honoripeta, nec solet Dei Maiestas dignitates tribuere ambitiosè illas quærentibus, imò verò humiliter reijcientibus. T.7. C.5.

## In Festo S. Petri Martyris Ordinis Prædicatorum.

*Vide Euangelium* In Festo S. Blasii *Martyris.* Licet Euangelium sit, Luc. 9.

## In Festo SS. Apostolorvm Philippi & Iacobi.

*Non turbetur cor vestrum.* Ioan. 14.

1. Non turbetur cor vestrum. Iam Christus D. Petro dixerat, quod eum esset negaturus. *Amẽ dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me abneges,* cui immediatè subiungit: *Non turbetur cor vestrum,* Discipuli mei, neque timeatis: q.d. illis: Non vos ruina D. Petri commoueat: quem si labentem aspexeritis, non idcirco despondeatis animo: sed in fide stabiles estote & constantes: & contrarium eius facite vt permaneatis securi. T.8. C.6.

2. *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite.* q.d. In quantum in Deo & in me spem vestram collocaueritis, in tantũ in gratia mea mansuri estis, meamque conseruaturi amicitiam. vnde ratio vobis non suppetit timendi, vel mali quid suspicandi. Fides vos reddit securos, & amor vobis fiduciam præbet, vt à vobis omnẽ expellatis timorem. Si ab hoc caderetis, merito formidaretis: virtus etenim ita animosa est, vt vitium meticulosum. T.23. C.2.

3. *Non turbetur cor vestrum.* Causa similiter turbationis Discipulorũ ea fuit, quod Christus illis dixisset. *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum: quo ego vado, vos non potestis venire.* Verba hæc Saluatoris ita blanda fuerant, tantoq; affectu pronunciata, vt omnes hæc audientes summopere cõmouerentur, cordaque eorum tristitia replerentur, videntes quod dulcissimi Magistri forent societate destituendi: dolor etenim est ipsa morte crudelior ex corde diligẽti dilecti carere præsentia. T.21. C.1.

4. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sicut Christus Discipulis suis dixit quod fugerent, eumque desererent, ex quo non parum tristabantur, & desolabantur, sibi persuadentes quod per hoc cœlestis ille Magister illos à gratia sua exturbaret, & partem in regno suo nõ tribueret: ita nũc timori huic occurrit & diffidentiæ, dicendo: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* hoc est, diuersa loca, quædam innocentibus, qui numquam peccarunt: alia peccatoribus de culpa pœnitentibus. *Per quod à turbatione recreantur, certi, ac fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Deũ cum Christo esse mansuros:* ait D. Augusſt. nec enim minoris æstimat Deus veros pœnitẽtes, quam innocẽtes T.20 C.3.

5. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* D. Chrysost. *Quia Dominus supra dixerat Petro. Quò ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea. Ne existiment soli Petro promissionem hanc esse datam, dixit. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, hoc est, & vos regio ista suscipiet, quæ & Petrum* copia

*copia enim ibi est multa mansionum.* Gloriæ quippe perfectio in eo cõsistit, quod nõ vni, nec aliquibus, sed multis & omnibus communicetur. T.6 C.4.

6. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* D. August. allegoricè verba hæc interpretatur: & per domum Dei capit animam, vel templum & Domini habitaculum: quæ viatrix multas habet mansiones: quia semper progreditur, & de virtute proficit in virtutem. *Quam putas esse domum Dei, nisi templum Dei, de quo Apostolus dicit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos? Hac ergo domus Dei adhuc ædificatur, adhuc præparatur.* Quamdiu viuimus semper aliquid est renouandum, & reparandum. T.16.C.1.

7. *Mansiones multæ sunt.* Falsa sunt omnia, quæ finem habent: & illa tantum vera, quæ æternam habent durationem; idcirco Dominus cœlestia vocat mansiones, ad discrimen terrenorum, quæ non nisi transitoria sunt. T.18.C.5.

8. *Et si abiero, &c. vsque ad meipsum.* Graues Interpretes notãt, non dici à Saluatore, Veniam, in futuro, sed, Venio in præsenti: in illis quippe rebus, quæ spectant ad salutem, nihil vult de futuro repræsentare: quo docet quàm festinandum sit in salutis negotijs: quandoquidem futuri temporis non sumus Domini. T.19.C.4.

9. *Domine, nescimus quo vadis.* Intolerabilis videbatur Discipulis Magistri sui absentia: sicut & Christo Discipulorum. D. Chrysost. *Interrogabant autem eum, ex multa dilectione & timore.* Molestè etenim fert (vt suprà diximus) qui syncerè diligit, à dilecto separationem. T.21.C.1.

10. *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Audire debuerat Philippus, quod Moyses in hac vita Deum vidisset: vnde idem postulat beneficium: sed magna fuit hæc eius stultitia T.19.C.5.

11. *Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis: id est, nihil plus quærimus:* inquit D. Chrysost. & iustè quidem: qui namque ita felix est, vt intelligat quid sit Deus, eoque gaudet; illi terrena omnia fastidiunt. T.6.C.6.

12. *Domine, ostende nobis Patrem.* Reprehenditur Philippus, quia voluit hic beatus esse: tempus etenim præsens, non nisi merendi tempus est, & gloriæ seruatur merces fructus tribulationum, quæ pretio tribulationum emitur. T.23.C.1.

13. *Ostende nobis.* Petit Apostolus videre volẽs, vt credat: fideles etenim credunt vt videant. T.4.C.4

## In Festo Inventionis S. Crucis.

*Erat homo ex Pharisæis.* Ioan.3.

1. Erat homo. S. Aug. *Superius dixerat, quod cũ esset Hierosolymis, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa & prodigia, quæ faciebat. Ex his autem erat Nicodemus, de quo dicitur: Erat autem homo ex Pharisæis, &c.* Itaque quamprimũ Nicodemus credidit, continuo vocat eum Euangelista hominem: si namque fide sicut prius caruisset, non eum Euangelista hoc nomine appellaret: infidelis enim in brutum degenerat: & præter figuram nihil habet hominis. T.5.C.5.

2. *Erat homo ex Pharisæis Princeps.* Prius eum vocat hominem quam Principem: ijs documento qui tales sunt: vt in sublimioribus dignitatum gradibus, abiectæ suæ recordentur humilitatis. T.1. C.5.

3. *Hic venit nocte Christum quæsiturus.* Beda. *Cupiens scilicet secreta eius allocutione, plenius discere mysteria.* Vt diutius, opportunius & securius de salute sua cum Domino colloqueretur. O prodigium! vt Princeps informari velit de veritate, secundùm illud quod ipsi fatebantur. *Numquid aliquis de Principibus credidit in eum?* Quia tales auersionem habent maximam à veritate: vnde illis *hic* admirationem denotat. T.15.C.6.

4. *Nisi quis renatus fuerit.* Difficilem illi ostendit Christus potentiam sciendi perfectè diuina mysteria, nisi præcedat regeneratio. Non intelligebat Nicodemus natiuitatem, de qua Christus loquebatur, & arbitrabatur ab illo doceri, quod ad dies reuerti deberet illos, quibus natus fuerat, vnde dicit illi Dominus, non mirum esse si cœlestem suam doctrinam non caperet, quamdiu diuina gratia non illuminaretur. *Amen amen dico tibi, &c. Hoc est,* inquit D. Chrys. *si tu non natus fueris desuper, & dogmatũ susceperis certitudinem alicubi extra, erras, & longè es à regno cœlorum:* acutissimus enim intellectus, magistri licet & Doctoris, nisi diuina luce collustretur, à veritate delirat. *Et tu Magister in Israël, & hæc ignoras?* T.2.C.1.

5. *Non mireris, quia dixi tibi: quia oportet vos nasci denuo.* D. August. *Sed cur nascatur denuo, nisi renouandus à vetustate?* Non solum anima per baptismum, veterem exuit, & nouum induit Adam: sed vita quoque Christiana esse debet perpetua renouatio. T.16.C.1.

6. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Notat D. Greg. non velle Christum dicere, quod sine nobis reuersurus sit in cœlum: sed quod ipse, qui venit solus passurus, reuertetur per corpus suum mysticum, quod sumus nos fideles, regnaturus. *Quia dum nos vnum cum illo iam facti sumus, vnde solus venit in se, solus redit etiam in nobis.* Solus in pœnis, & in gloria multis sociatus. T.6.C.2.

7. *Nemo ascendit.* Etiam dici potest, quod solus Dominus reuersurus sit in cœlum, & solus regnaturus, quia tanti facit nostram salutem, vt eam tanquam gloriam suam habeat. T.22.C.5.

8. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Hoc ait D. Paul *qui descendit, ipse est qui ascendit*

*cendit super omnes cœlos* : quia humilitas Crucis gradus extitit ad resurrectionis gloriam. T.23.C.1.

9. *Nemo ascendit in cœlum.* Tantum abest vt vel atomum perdat suæ Maiestatis ob descēsum suum de cœlis in terrā: vt etiam hac via dignitatem suam de promouerit: & idem contingit illis qui humilitatis exercitijs se totos impendunt. T.21.C.6.

10. *Sicut Moyses exaltauit serpentem, &c. ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, &c.* Metaphora serpentis exaltati in deserto, qui à serpentibus læsis mederetur, significat, quod vita Regis cœlorum in Cruce perdita, causa fore vitæ spiritualis nostrarum animarum. Seruiat hæc doctrina terræ Principibus, vt proprio sudore subditis sibi medeantur. T.17.C.6.

11. *Oportet exaltari.* Theophilus. *Intelligas etiam per exaltationem gloriam.* Itaque Dominus crucifixum esse vocat exaltatum esse: quasi gloriam teneat, quod pro nostra salute patiatur. T.14.C 3.

12. *Omnis qui credit in ipsum.* D. Ambros. l. 1. de pœnit. *Cùm omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur. Non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat. Omnis inquit, hoc est ex quocumq; statu, si credat, perire non timeat.* Quamuis peccator si contritus fuerit, velut innocens reputabitur. T.10.C.3.

## In Festo S. Ioannis Evangelistæ ante portam Latinam.

Vide tractatum Mercurij tertij Quadragesimæ.

## In Festo S. Catharinæ Senensis.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Matth. 23.

1. SImile est. Quemadmodum in mundo variæ sunt voluptates, & differentes conditiones: & quisque iuxta propriam voluptatem ac sensum de rebus iudicat: ita Christus cælestis Magister varias proposuit doctrinas, diuersasque comparationes regni cœlorum: vt quisque se illi possit applicare, quam gustui suo viderit magis conuenire. T. 11.C.4.

2. *Simile est regnum cœlorū grano sinapis.* S Hilar. Can. 13. *Grano sinapis seipsum Dominus comparauit acri semini, & omniū minimo seminum, cuius virtus pressuris accēditur.* Et quo magis premitur, molitur, confringitur & in partes minuitur, eo fortius virtutem suam ostendit. Ita Christus quo sæuioribus fuit attritus tormentis, eo patentius feruentissimum charitatis ignē, quo pectus eius ardebat, manifestauit: cōtestatio quippe amoris est passio. T.21.C.4.

3. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Nonnulli secuti D. Hilarium, dicunt; sicut granum sinapis contritum demonstrat virtutem suam, fastidium tollit, & comedendi prouocat appetitum; ita consideratio Christi tormentis contriti, & mortui fidelibus excitat appetitum patiendi, & labores eorum reddit suauissimos. T 21.C.6.

4. *Quod accipiens homo seminauit in agro suo.* Verbum Dei, eius fidem & ipsum Dominum debet quisque in agro cordis sui seminare: portò dolendum est, quod quidam velint non in proprio, sed alieno corde Deum plantare. T 11.C.2.T.13.C 4.

5. *Quod accipiens homo.* D Hier. hoc intelligit de Christo Domino, qua fidem suam & doctrinam seminat in cordibus nostris: quæ si bonā in eis dispositionem repererit crescit, teque arborem facit. *Homo qui seminat in agro suo à plerisq; Saluator intelligitur, qui in animis credentiū seminat.* Duo requiruntur vt granum crescat: vt illud seminator in agro seminet: deinde vt ager virtutem habeat & capacitatem, qua semen excrescat; ita quoque ad salutis tuæ negotium necessaria sunt auxilia diuina, & nostra cooperatio: & si hæc deficiat, granum non fructificabit T.13.C 6.

6. *In agro suo.* Hic homo seminauit in agro suo, & nequaquam in alieno: & ideo plurimam collegit messem: qui namque in agro seminat alieno, vultque ex illo quasi ex proprio referre fructum, & fructum & semen amittit. T.8.C.2.

7. *Quod minimum quidem est omnibus seminibus & crescit & fit arbor.* Notate viam qua Christus suam confirmat dignitatem; se namque velut granum sinapi paruum efficiens, eousque ascendit, vt ad dexteram æterni Patris sederet. Conceptus hic tribuitur D. Ambr. ser. 2. de his verbis. *Arbitror hoc ipsi Christo Domino rectius comparari, qui nascendo in hominem humiliatus vt granum est: ascendendo ad cœlum, exaltatus vt arbor est.* quo docemur, neminem ex actibus humilitatis quidquam amittere. T.21.C 6.

8. *Crescit & fit arbor.* Granum non de repentè fit arbor: paulatim crescit, donec arbor fiat magna, & lata. Via Sanctorum paulatim in virtute proficit, nunc hanc, nunc illam acquirendo, atque in illis radices figendo, atque de paruis principijs semper ascendendo vsque dum ad vitam perueniant æternam. T.7.C.1.

9. *Crescit & fit arbor.* Postquam Auctor vitæ, velut diuinum quoddam granum, mortificatū fuit, & in nouo sepulchri sui sulco seminatus, ad maiestatem & gloriam resurrectionis accreuit: vnde dolores eius velut scalæ fuerunt, quibus ad tantam ascendit dignitatem D. Gregor. *In se quidem est granum sinapis, qui in horto sepultura plantatus, arbor magnum surrexit.* T.23.C.1.

10. *Vt veniant volucres cœli, & habitent in ramis eius.* Per aues cœli, in huius arboris ramis nidificantes, intelligit Syluester Principes mundique Imperatores: qui commoditate Ecclesiæ allecti, & veritate doctrinæ eius conuicti, in ramis eius nidifi-

dificarunt. Quare Christus Dominus narrat illud vt prodigium: *Ita* propter antipathyam quam Magnates habent cum veritate. T.15.C.6.

11. *Et habitent in ramis eius*. S. Gregor. *In istis etiam ramis volucres cœli requiescunt: quia sancta anima, quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se subleuant, in eorum dictis atque consolationibus ab huiusmodi fatigatione vitæ respirant:* qui namque ad tantum perfectionis culmen ascendit, terrena omnia illi nauseant. T.6.C.6.

## In Festo Coronæ Domini.

Vide Tract.22. Conf.3. de Corona.

## In Festo Ascensionis Christ. Dom.

*Recumbentibus vndecim Discipulis*. Marc.16.

1. *Recumbentibus vndecim Discipulis, &c.* Primò notanda occurrit conuenientia finis Euangelij cum eius principio: incipit enim cum reprehensione, qua Christus Discipulos redarguit: *Exprobrauit incredulitatem eorum, &c.* & finit cum obedientia eorum diuino mandato: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique:* in quo laudem merētur quandoquidem non solum patienter tulerint reprehensionem, sed etiam se gratos propter illum exhibuerint. T.24.C.5.

2. *Apparuit illis Iesus*. Notat S. Marcus quod Dominus illis personaliter apparuerit, & per interpositam personam non reprehenderit: quippe ad resurrectionem casus subditorum, plurimum producit præsentia Superioris. T.24.C.3.

3. *Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiā cordis*. Et statim: *Euntes in mundum vniuersum*. Dicunt Interpretes: Christus ex industria seruauit in illud tempus reprehensionem: cùm enim eos per orbem mitteret qui homines reprehenderent, illisque maximum iniūgeret officium, & summam daret dignitatem, ad quam aspirare poterāt, illos præuenire voluit, & anticipatiuè superbiam curare, qua tentari poterant ex tanto honoris gradu, illos humiliando, & culparum præteritarum memoriam refricans: vult etenim Deus vt serui sui in summa dignitate profundissimā seruēt humilitatē. T.1.C.5.

4. *Quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Etiam dixerat illis Dominus, quod tertia die resurgeret, & illos non reprehendit, quod verbis eius non crediderint, sed quod in dubium reuocassent ab illis dicta qui viderant eum resuscitatum: quo declarat, se grauius aliorum iniurias quàm suas accipere. T.10.C.5.

5. *Euntes in mundum vniuersum:* vna manu flagellat, & altera demulcet: vt sciamus in domo eius esse omnia: quem si dulcem diligamus, timeamus vt amarum, atque inter amorem & timorem securi procedamus. T.8.C.1.

6. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. S. Hier. *Potest omnis creaturæ nomine omnis natio gentium designari: antè enim dictum fuerat: In viam gentium ne abieritis: nunc autem dicitur: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Vt scilicet à Iudæa prius repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset*. De Gentilibus hic loquitur Redemptor: q. d. vt Euangelium, quod Hebræi repulerant, gentibus prædicarent. Vnde quasdam elicio considerationes.

Prima: In domo Dei non solent dari sedes vacuæ: sed locus qui per expulsionem indigni relinquitur, statim alteri digno tribuitur. T.8.C.4.

7. Secunda: Christus Dominus ex quorundam ruina tristis, aliorum salute delectatur. T.19.C.6.

8. Tertia: incredulitas Iudæorum promouit fidem gentilium. T.8.C.6.

9. Quarta: Eorum supplicium nostra fuit instructio. T.8.C.5.

10. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quantus hic dolor: vt nonnulli ibi pereant, vbi alij saluantur! T.9.C.6.

11. *In nomine meo dæmonia eijcient*. Verba hæc sensum hunc referre possunt. Eijciēt dæmonia, sicut ego illa eijciebam: quia sic egredientur, vt numquā ad illos sunt reuersura, quos occupabant. T.9 C.1.

12. *Linguis loquentur nouis*. Qui spiritum Dei habet, alio quā peccator idiomate loquitur. T.9.C.4.

13 Vel etiam diuersimodè loquetur, quàm loquū solent peccatores.

14 *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, &c.* Illud *assumptus* denotat quod quasi coactus fuerit idem ipse, qui proficiscēs Hierusalem *Præcedebat eos:* quia ad mortem properabat Crucis: ad passiones currit, ad gloriam verò quasi vim passus procedit. T.7.C.2.

15. *Dominus quidem Iesus assumptus est in cœlum*. Quam breues & succincti fuerint Euangelistæ in enarrando gloriosum triumphum quo Redēptor noster cœlos ascendit, & quàm fusi in referenda Passione eius ac morte: volebat enim Dominus abscondere gloriam suam & manifestare contumelias. T.6.C.3.

16. *Assumptus est in cœlum*. Corpore & animâ ascendit Saluator noster velut diuina quædam aquila: vt nos filij eius eo figamus oculos, ibique sit cor nostrum, vbi noster est thesaurus: vt etiam nouerimus (inquit S. Leo) quod *Ascensio Domini nostra est prouectio*. hoc est quod ibi futura sint mēbra, vbi est caput: quia licet in pœnis fuerit solus, plures tamen velit habere secum in gloria. S. Bern. *Non sine mēbris caput inuenitur in regno*. T.6. C.2

17. *Quidem Iesus*. q. d. Euangelista: idem qui

 nostri

nostri amore tantum se demisit, vt de cœlo descenderit in terram: hic modo sic exaltatur, vt in maiestate & gloria æqualis sit Patri Itaque per gradus humilitatis ad tantam ascendit dignitatem. D. Hieron. hoc ita concepit: *Dominus Iesus, qui de cælo descenderat, ad liberandam infirmitatis nostræ naturam, ipse etiam super cælos ascendit:* quo doceremur nemini aliquid decrescere ex actionibus humilitatis, imò verò auctoritati suæ dari conseruationem. T.21.C.6.

18. *Assumptus est in cœlum.* Ad cœlum veluti inuitus assumitur: ad terram autem, gressu giganteo properat. Ita molestè fert Dominus à suis absentiam, vt terram habeat pro patria; *In propria venit*; & cœlum vt desertum; *Peregrè profectus est: assumptus est.* T.21.C.1.

19. *Sedet à dextris Dei.* Denotat hæc sessio stabilitatem & firmitatem gloriæ, bonorumque cœlestium, ad differentiam terrenorum, qui tantum suā in mutabilitate constantiam habent. T.18.C.5.

20. *Illi autem profecti.* Prædicabant, & doctrinam miraculis confirmabant, quam docebant: vt sciant Ministri Euāgelij signa debere videri in operibus suis, quibus verbis suis dent efficaciā. T.4.C.2

## Nota In Festo Pentecostes.

Vide paginam sequentem colum. 2.

## In Festo SS. Trinitatis.

### *Data est mihi omnis potestas.* Matth. 28.

1. DAta est mihi omnis potestas. D. Hier. *Illi autem potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo,* q. d. Pretio mortis ac Crucis hanc potestatem assecutus est. T.23 C.1.

2. *Data est mihi.* Vel ita: mihi, quem heri despectum ita & humiliatum vidistis: data est potestas & dominium super cœlum & terram: tantum abest vt aliquid dignitatis meæ perdiderim ex humilitate: imò verò inde sublimatus, & exaltatus. T.21.C.6.

3. *Data est mihi omnis potestas, &c. euntes ergo.* Cōstitutus sum Dominus, ite & facite quod vobis iniungo. Habes hic, meo iudicio, repræsentatā electionem Superioris, quem dum eligimus, damus ei vniuersalem in nos potestatem, cui & in omnibus debemus obedire. In Republica Dei, Dominus præcipit, & seruus obtemperat: contrarium fit in domo peccati. T.5.C.6.

4. *Data est mihi omnis potestas, &c. euntes ergo.* Potestatem habeo: ite igitur de salute hominum acturi. Bonus Princeps, cuius potestas extenditur in bonum subditorum. T.18.C 3.

5. *Data est mihi omnis potestas.* Notū vobis facio, quod nunc Pater æternus mihi potestatem tradiderit super cœlū & terram, vt omnia sceptro meo meoq; dominio se submittant. Et quamuis plenariā fulgeam potestate, rigore tamen & supplicio nolo sæuire, nec iuxta iustitiæ terminos procedere, sicut possem, sed misericordia vti & indulgentia. Adeo benignus est Dominus iam rediuiuus, vt totus suauis sit & amabilis. T.23.C.6.

6. *In cœlo & in terra.* D. Hier. *Vt qui regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris.* Et quare voluit Redemptor meus per fidem credentium in terra regnare, si regnabat in cœlo? Vt video non perfectè regnat in cœlo, dum eo non gaudent homines de terra: eamque tantummodo completam indicat gloriam, qua non solum Angeli, sed homines quoque perfruuntur. T 6.C.4.

7. *Euntes docete omnes gentes.* Beda. *Qui ante passionem suā dixerat: In viam gentium ne abieritis. surgens à mortuis dicit: Ite, docete omnes gētes.* Vidit Dominus modicum fructum quem Euangelij prædicatio referret apud Hebræos: idcirco eam transtulit ad Gentiles, qui illam receperunt, & statim ad fidem Christi se conuerterunt, quem vt Deum & Redemptorem suum fatentur & adorant. Vbi notandum, quantopere lugendum sit, quosdam damnari vbi alij saluantur. T.9.C.6.

8. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Duo facit Baptismus: expellit peccatum, & imprimit in anima fidei characterē: licet neuter effectus corporalibus pateat oculis, nisi sola exterior corporis ablutio. Et ratio est: quia differt inter diuina mysteria, & res humanas: quia hæ videri debēt vt credantur: illa verò credi vt videātur. T.4.C.4.

9. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Non sufficeret si in nomine vnius tantūmodo personæ baptizarent: quia fieri debet in virtute omnium: & rationem meam tibi proponam. Erat homo infirmus multi temporis: vt autem à tam inueterata culpæ infirmitate sanaretur, nominatur Deus Trinus, quo datur intelligi, necessarium esse Deum, qui quasi tribus valeat, ad eum sanandum. T.14.C.5.

10. *Docentes eos seruare.* Mandat illis Dominus, vt recipientes fidem docerent id quod requiritur ad salutem: quia licet acutissimus sit hominis intellectus, nisi luce diuinæ gratiæ, & cœlesti doctrina collustretur, aberrabit. T.2.C.1.

11. *Docentes eos seruare omnia.* Rabanus. *Quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Non sufficit quod fideles credant, sed expedit vt operentur: etenim ad portam cœli, non tantum vocibus, sed etiam manibus pulsatur. T.16 C.6.

12. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* S. Chrysost. *Rememorat autem eis & consummationem, vt eos magis attrahat: & ne præsentia solum inspiciant, sed & futura bona, & sine fine manentia.* Finem eis proponit caducorum & periturorum huius vitæ: vt ex eorum consideratione ad cœlestia adspirent, quæ semper permanent. T.1.C.6.

## IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

### *Caro mea verè est cibus.* Ioan. 6.

1. *CAro mea verè est cibus.* Optimus Rex: nec enim propriam intendit commoditatem cum detrimento subditorum: sed proprio labore salutem illorum. T.17.C.6.

2. *Caro mea verè est cibus.* Crebrò legimus quod Christus alijs de cibo prouiderit, & raro quod ipse comederit: vt exemplo sit Regibus ac Dominis, quibus incumbit panem sibi subtrahere, quo subditos alant. T.24.C.6.

3. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quando quis alterius sibi vult conciliare voluntatem, nosse studet cui sit inclinatus, & in quid feratur eius appetitus, vt per illum sibi deuinciat: quem si comperiat cibi potusq; auidum, ad mensam suam illum inuitat, fercula proponit illi delicata, & opiparis recreat dapibus. Deus hominis pulsum seu conditionem tentauit, reperitq; illum gulosum, cibo potuique addictum: nam pro vnica buccella sibi in paradiso proposita, cœlum permutauit, vitam suam animamque tradidit; dicit igitur Deus: si homo sit adeo gulosus, volo me reddere delicias: si cibi sit appetens, buccellam illi præparabo, in qua promittam & dem illi diuinitatem, vt hac via illum ad me alliciam, eiusque voluntatem mihi conciliem. T.11.C.4.

4. *Caro mea verè est cibus.* Redemptor noster corpus suum, nominat verum cibum: quia alimentum est quod dat vitam animæ. Non talis est mensa mundi, cuius principia sunt dulcia, sed postrema amara, & inuitans ad vitam, mortem tribuit æternam. T.18.C.6.

5. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Videtur panis, sed est caro: videtur vinum, sed est sanguis: quare cœleste hoc mysterium, sicut cætera fidei nostræ, credenda sunt vt videantur, & non sicut mundana omnia, videnda vt credantur. T.4.C.4.

6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* quibus nutritur & conseruatur animæ vita. Porrò effectum hunc tantum producunt in iustis: peccatoribus enim indigne accedentibus, mortem adferunt. *Mors est malis, vita bonis*, ait D. Thom. Quàm dolendum, quod ipsa vita sit vitæ gladius? T.9.C.6.

7. *Caro mea verè est cibus* Quod post Incarnationem se præbeat Christus in cibum, confirmat quod ex vno beneficio gressum faciat ad secundum. T.21.C.3.

8. *Caro mea verè est cibus. Qui manducat meam carnem.* In Incarnatione seipsum omnibus in communi dedit: in hoc verò Sacramento singulis in particulari: vt dilectionem suam erga nos testaretur: cùm pro singulis id faciat, quod pro omnibus fecit. T.24.C.1.

9. *Caro mea verè est cibus.* Diuinitatis non meminit, sed carnis tantùm ac sanguinis, vt pateat, iuxta D. Thom. quod *quidquid de nostro assumpsit, nobis contulit ad salutem:* & intelligatur, quod nobis retribuens quod à nobis sumpsit, non tam videatur esse liberalis, quam debitũ soluere. T.11.C.1.

10. *In me manet, & ego in eo.* Vnionem cum suis hic prætendit, contra eorum absentiam, quam ipsa morte tulit acerbius. T.21.C.1.

11. *Hic est panis qui de cœlo descendit* pro vobis. Perpende quam graue futurum sit crimen, illum indignè recipere; cum ille offendatur, qui supremum omnium confert beneficium. T.17.C.3.

12. *Non sicut patres vestri manducauerunt manna.* Ne vobis cum veritate contingat, quod patribus vestris cum figura. Discite ex eorum capite, & attendite qualiter accedatis ad hunc cibum, nisi velitis, sicut illi, mori. T.8.C.5.

## IN FESTO PENTECOSTES.

### *Sic Deus dilexit mundum.* Ioan. 3.

1. *SIc Deus dilexit mundũ.* Illud *Dilexit* antiquitatem denotat amoris Dei, quo mundo afficitur: ne nos mirabiles eius effectus obstupefaciant: si namq; filium Dei in illo tempore in mortem tradiderit, ratio fuit, quia Deus ab æterno mundum dilexit. Itaque tanto feruentior fuit amor, quanto vetustior. T.21.C.5.

2. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Hæc verba Saluatoris etiam significant; quod Deus mundum creans formansque hominem, eo ipso se ad eius redemptionem obligauerit. T.21.C.3.

3. *Sic Deus dilexit mundum.* Quemadmodum perfectio amoris diuini in eo patuit, quod mundũ inimicum suum dilexit: teste D. Paul. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quia cùm adhuc inimici essemus, pro nobis secundum tempus mortuus est.* ita qui diligit inimicum suum, diuinitatem eius imitatur. T.2.C.2.

4. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et Abraham an idem non fecit? Vtique. Porrò in hoc diuinus amor excelluit erga hominem: vt quia daturus erat suum, ab Abraham petijt, vt Isaac illi offerret, quatenus videretur quod debitum solueret, & non liberalitatem exerceret. T.11.C.1.

5. *Vt filium suum vnigenitum daret.* Theophylactus: *Dedit Deus filium suum in mortẽ* pro mũdo. Et quare magis filium suum, quam aliam diuinitatis personam? Quia erat Sapientia Patris. Et cùm

essent

essent illum crucifixuri, necesse fuit vt Deus sapientia sua vteretur, qua tantas perferret iniurias, & insuper offensoribus suis benefaceret. T.21.C.2.

6. *Vt Filium suum vnigenitum daret.* Primi doni meminit, quando nos secundum celebramus: q.d. amor illum obligauit, vt daret quidquid habebat. *Impleta est terra possessione tua:* hoc dixit Dauid, & per terram intelligit D. Anton. hominem, cui Deus Filium suum, & Spiritum S. dedit: quo docemur, quod si Christianæ charitati non satisfaciamus, si proximo nostro necessitatem patienti non faciamus quod possumus. T.12.C.4.

7. *Vt Filium suum vnigenitum daret.* Iuxta doctrinam Theophilacti: *Dedit filium suum in mortem:* non potuit Deus efficaciùs mundo amorem suum probare, quam quod pro illo mortuus sit: pati namque dilectionem confirmat. T.21. C.4.

8. *Dilexit mundum.* ait Christus: & quod illum in singulari amauerit, fatetur de se D. Paul. *Qui dilexit me & tradidit semeipsum pro me.* nec ambo sibi contradicunt: cùm certum sit, quod Deus pro singulis in particulari non minus fecerit, quàm pro omnibus in communi. T.24.C.1.

9. *Dilexit mundum.* Caietan. *Mundum dicit, non hominem: non quia non dilexit hominem: sed quia homo pars est mundi, & bonum partis, pars est boni totius; parùmque fuit vt Creatori mundi assignaretur potiùs dilectio totius, quam dilectio partis.* q.d. homo, pauca dicit, nihil amplius quā hominem: sed verbum hoc mūdus multa denotat: quia significat hominem, & omnes creaturas mūdi, quo multa comprehenduntur, in quibus nulla erat culpæ noxa: & videtur quod Deus in illa omnia oculos suos conjecerit, vt illis benefaceret: quo nos instruit, ne in proximis nostris quod malum est, attendamus quo possumus offendi, sed in omne quod nos potest obligare. T.13.C.1.

10 Ex hac Caietani annotatione aliud formatur argumentum: vt enim diuinus amor libenter se multis communicat, & non paucis: idcirco non ait: Dilexit hominem, sed mundum. Videtur quasi confundi, si paucis se impendat: cuius maxima hæc est gloria, si multis proficiat: quinimo ea de causa perfectam illam non arbitratur, si omnis illa non potiantur. T.6.C.4.

11. *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Duo requiruntur ad salutem: sanguis Redemptoris nostri. & gratia quam per illum promeruit, fides informata charitate, hoc est bonis operibus fecunda, est velut contractus societatis, in quo homo ponit industriam suam, & Deus principale. T.13.C6.

12. *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum.* S. Aug. *Quare enim Saluator mundi dictus est, nisi vt saluet mundum? Ergo quantum in medico est, & saluare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult, aut contemnit:* & ipse damni proprij mortisque est causa. T.8.C.3.

## IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI.

### *Hoc est præceptum meum.* Ioann. 15.

1. HOc est præceptum meum vt diligatis inuicē. Hoc est in quo volo ostendere, vobisque legem ponere, vt diligatis inuicem: & quemadmodum mutua amicitia redundat in vtilitatem vestram: ita honori meo & gloriæ duco id, quod scio vobis esse commodum. T.14.C.3.

2. *Hoc est præceptum meū:* q.d. Mundus, caro, diabolus sua vobis imponunt præcepta, & persuadent vt crudeles sitis & iniuriarum vindices: ego verò vobis contrarium iubeo, vt multa dilectione inuicem ametis, nec sint in vobis schismata. Et ad huius doctrinæ confirmationē sufficit, quod opposita sit illi, quam tā peruersi magistri vos docēt. T.2.C.2.

3. *Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Congruè docere vos potest doctrinam vt diligatis inuicem, qui prior vos exemplo dilectione docuit. T.4.C.2.

4. *Sicut dilexi vos:* id est. Sicut vos dilexi amore vestri, ita vos inuicem diligatis amore aliorum: in hoc quippe consistit summa dilectionis: *Amo te propter te,* inquit D. Thom. sed hoc modo amare, solus nouit Deus, & solus potest Deus. T.18.C.3.

5. *Sicut dilexi vos.* Hoc non videtur fieri posse: velle namque amare sicut Christus nos amauit, est impossibile: sed docet nos per hoc Deus, vt ad perfectiora aspiremus, vt saltem minora faciamus, & conati diligere sicut Deus, diligamus saltem sicut homines. T.2.C.5.

6. *Sicut dilexi vos.* Christus homines dilexit inimicos suos: sed non amauit inimicos animæ, mundum, carnem & diabolum; hoc enim esset inimicos Dei diligere: & vult Dei Maiestas inimicos nostros diligamus, & nequaquam inimicos suos: quos concedit nobis vt odiamus. T.2.C.3.

7. *Sicut dilexi vos.* Certo quodam modo diuinitati participat, qui illam imitatur iniuriatorem suum diligendo. Hunc spiritum habere quoque possunt hæc verba: *Sicut delexi vos.* T.2.C.6.

8. *Maiorem hac dilectionem.* Vltima dilectionis ratio est, pro dilecto vitam profundere. Vnde colligitur, quod amoris contestatio sit pro illis pati, quibus bonum cupimus. T.21.C 4.

8. Similiter ad illa verba: *Hoc est præceptum meum,* expendi potest doctrina D Chryso. Ho.6 in Acta. *Præcepta solus Deus, diabolusque monstrantur.* Hoc est Præcepta Dei cognoscūtur in eo quod tibi præcipiat quod est factu facile. vt est amare inuicem, & res ita in manu nostra: diabolus verò onera imponit intolerabilia, nostrasque vires excedentia. Imitentur illū Principes, nec sequātur vestigia diaboli. T.18.C.4.

## *In Festo S. Antonii de Padua Ordinis Minorum.*

### *Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.*

1. SInt lumbi vestri præcincti. Postquam Christus discipulis suis præceperat, ut omnia quæ possidebant venderent, darentque pauperibus, illis ait, ut ad bella se prepararent: hoc enim est *præcincti*: quàm primum enim aliquis Deo servire proponit, statim in eum infernus insurgit. T.3.C.1.

2. *Sint lumbi vestri præcincti, &c. & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Hoc primum agit Redemptor noster, salutares nobis prælegit admonitiones, & documenta necessaria ad vitam, & statim ad mortem. Ad vitam, docens nos qualiter sit vivendum, ad cœlum acquirendum; ad mortem, præmonens nos, ne præoccupati die mortis, socordes inveniamur: & certum est, quod qui præcinctus vivit, & mortificatus, dum venerit Dominus inveniet illum bene præparatum: est etenim mors Echo vitæ. T.14.C.4.

3. *Sint lumbi vestri præcincti, &c. quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Vt eis pœnitentiam persuadeat, mortis meminit, utpote ad hunc effectum efficacissimæ. T.1.C.2.

4. *Sint lumbi vestri præcincti.* Reformate vos, & præcingite vos, & hoc usque ad mortem: *expectantibus* toto namque vitæ decursu semper habemus quod emendemus, quod expoliamus. T.16. C.1.

5. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* S. Gregorius: *Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.* Non sufficit conscientiam esse bonam, sed insuper fama bona requiritur. T.15.C.1.

6. *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Per lucernas ardentes communiter SS. Patres intelligunt fidem, & per manus, opera: Quasi dicant nobis: sola fides sine operibus non sufficit, sed utraque sunt necessaria ad salutis securitatem. T.16.C.6.

7. *Præcinget se, & faciet illos discumbere.* Dominus non tantùm admittit servos suos ad nuptias: sed ait, quod præcinctus serviet illis: quasi retribuens illis, quod præcincti Domino servierint: hic Deus est, qui postulat ut illi serviamus: *Sint lumbi vestri præcincti, &c.* ut quando nobis retribuit, videatur quasi debita solvere, & nequaquam suam erga nos ostendere liberalitatem: Quasi dicat, quia cinxistis vos amore mei, ego quoque propter vos me præcingo. S. Cyrillus: *Ex quo percipimus, quod similia nobis attribuet, dum succinctis se præcinget.* T.11.C.1.

8. *Præcinget se & faciet illos discumbere.* Quomodo hæc sibi correspondent? Regnare & servire non conveniunt. Quod Christus Dominus in terra serviret dum viveret, non miror: quandoquidem ad hoc venerit: *Non veni ministrari, sed ministrare*: sed gloriosus in cælo, impassibilis & immortalis: ô prodigium! Alii suum ferant judicium, meum hoc est, quod Dominus per hoc docere servos suos voluerit, ut tunc essent humiliores, quando sunt quoad statum digniores: atque in supremo honore profundam præferrent humilitatem. T.1.C.5.

9. *Faciet illos discumbere, & quiescere.* Quies in cælo supponit labores in terra; nam idcirco quiescunt ibi boni servi, quia hic deliciosam fugerunt vitam, seque præcinxerunt, & coarctarunt severitate pœnitentiæ: hoc enim significat: *Præcincti.* Si certam tibi velis reddere gloriæ quietem, hic arripe mortificationem, pœnitentem, strictamque vitam; gloria namque dolorum pretio emitur. T.23.C.1.

10. *Præcinget se, & faciet illos discumbere.* Alias expendi convenientiam inter servire & regnare, & dico: quod sicut Christus bonum suorum æstimat gloriam suam, ita servire illis, ipsi est regnare. T.14.C.3.

11. *Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Necesse est præcingere se & vigilare: quia nescitis horam, qua vocandi estis. Stultitia magna foret ei differre pœnitentiam, qui vitæ certitudinem non habet. T.19.C.4.

## *In Festo S Ioannis Baptistæ. Elisabeth impletum est tempus pariendi. Luc. 1.*

1. ELisabeth impletum est tempus pariendi: inquit D. Luc. Deus promisso suo stetit, & tempore addicto peperit Elisabeth: quasi nobis indicans, quod Dominus in eo fecerit quod debebat, magisque satisfaciebat obligationibus, quam liberalitatem ostendebat. T.11.C.1.

2. *Impletum est tempus pariendi, & peperit Filium.* Cui serviret concepisse nisi pareret? Ad mores hoc trahamus. Quot prægnantes dignæ sunt lamentis & lachrymis! Videre est animam gravidam bonis desideriis, proposita germinantem, & quantum apparet, magnos rerum fætus, conversionem ad Deum, pœnitentiam peccatorum, emendationem vitæ, satisfactionem operum, & postmodum omnia

omnia in fumum evanescunt. Prægnantes, quæ ad lucem non prodeunt, filii abortivi desideria, qui in ventre matris suffocantur. Magna miseria, quod bona hæc proposita non perficiantur. T. 19. C. 4.

3. *Audierunt vicini & cognati, &c. Et congratulabantur.* Insigne bonum, & gloriam sibi judicet in terra Respublica illa, in qua cives ex aliorum prosperitatibus gaudent. T. 23. C. 3.

4. *Et audierunt vicini.* Notant Doctores, non dici ab Euangelista, quod vicini hæc viderint, sed audierint, ac si fidei fuissent Sacramenta, prærogativæ Baptistæ, quæ non oculis, sed auribus percipiuntur: *inter Sacramenta concessus*: inquit D. P. Chrysol. Reliquorum SS. prærogativę videntur, ut credantur, S. Ioannis autem, audiuntur & creduntur, ut videantur. T. 4. C. 4.

5. *Magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa.* Loquendi nota modum: quod Dominus misericordiam suam cum partu Elisabeth magnificaverit. Videbatur debuisse dicere contrarium: misericordia Domini magnificavit sanctam mulierem. Sed ratio est: quod sicut filius venit ad bonum suum, & in ipsa ad bonum totius orbis, ita Deus honorem suum reputat utilitatem nostram. T. 14. C. 3.

6. *Quis putas puer iste erit?* Non dicunt: quis est, sed quis erit? Supponentes quasi certum futurum virtutum ejus incrementum. Et merito: quandoquidem *Manus Domini erat cum illo*: quos enim illa dirigit, non nisi in cælo sistunt. T. 7. C. 1.

7. *Quis putas puer iste erit?* Tam fausta principia, qualia sunt D. Ioannis, quænam augmenta, quosnam sunt habitura terminos? Erunt indubie fines ejus gloriosi: qui namque bene inceperit, boni finis prænuntium habet. T. 14. C. 4.

8. *Innuebant patri ejus.* Signis patri ejus Zachariæ loquebantur: effectus hic erat incredulitatis, ut notat hic D. Chrysost. relatus à D. Thom. *Quia incredulitias ei affatum eripuerat, & auditum.* Quo docemur filios nostrorum scelerum esse corporalia mala quæ patimur. Et ita advertit D. Ambros. quam primum credidit, solutum est vinculum linguę ejus. *Linguam, quam vinxerat incredulitas, solvit fides.* T. 9. C. 5.

9. *Ioannes est nomen ejus.* Amici vocari puerum volebant nomine patris sui Zachariam: ut primogenito nomen familię inderetur. De hoc disputatum est, sed auditis rationibus, vocatum est nomen ejus Ioannes, de cęlo illi datum. Nota, quam resignatos & humiles se monstrarint divinæ voluntati: utpote tam justi, tamque sancti. Quis dubitat, quin gratum fuisset parentibus, ut nomine patris vocaretur, ut certo quodam modo in filio æternum viverent? sed scientes hanc esse Dei voluntatem, omnes juri suo cedunt: quo movemur, quod proposita Dei voluntate, omnia debeant cedere, & hæc esse debeat nostrarum regula actionum. T. 4. C. 3.

## *In Festo S. Petri Apostoli. Venit Iesus in partes Cæsareæ. Matth. 16.*

1. QVem dicunt homines esse filium hominis? Origen. *Vt nos semper scrutemur, qualis opinio sit apud homines de nobis. Vt si quid mali dicitur de nobis, occasiones illius præcidamus.* Nec enim sufficit conscientiam habere bonam ad Deum: sed clara decet ut sit quoque fama nostra. T. 15. C. 1.

2. *Quem dicunt homines?* D. Chrysostomus: *Non autem dicit, quem me dicunt Scribæ & Pharisæi esse: sed quem me dicunt homines esse, plebis mentem, quæ ad malum prona, inflexa non erat, investigans.* Non magnatum, sed pusillorũ opinioné indagavit: quia hi facile recte judicant, illi viro raro scopum attingunt, quia veritati nimis acriter resistunt. T. 15. C. 4.

3. *Esse filium hominis.* D. Hieron. *Vbicumque in veteri testamento scriptum est filius hominis, in Hebræo positum est filius Adam.* Vbi notandum, quod dum Christus semper dicitur filius Adam, & numquam Dei, divinum tacetur, & humanum publicatur, instruimur gloriam nostram abscondere & infirmitates nostras manifestare. T. 6. C. 3.

4. *At illi dixerunt: alii Ioannem Baptistam.* Dixerunt discipuli bona quæ de Christo homines spargebant, & mala subticebant, quæ de ipso intellexerant: ut enim Prælati futuri erant, ex nunc discebant alienos tegere defectus. T. 7. C. 3.

5. *Alii Ioannem Baptistam, &c.* Tertullian. l. 4. contra Marc. *Nullum novum Deum a Christo probatum, illa etiam opinio declaravit: quia Christum Iesum, alii Ioannem, alii Eliam, alii unum ex veteribus Patribus asseverabant.* Ita similis extitit vita Redemptoris nostri vitæ veterum Sanctorum, ut unus ex illis videretur. Optima lectio: Sanctus ut reliqui sancti, nec velle novas in virtute vias sectari: hoc etenim Deo multum displicet. T. 1. C. 3.

6. *Alii Eliam.* Opinio cæteris magis disparata ea fuit, quæ sentiebat Christum esse Eliam: Elias namque multorum cæde potestatem suam asseruit: Christus autem veniet in mundum, ut morte sua dilectionem suam testaretur, sibique non parceret, ut omnibus mederetur. T. 17. C. 6.

7. *Alii Ioannem, &c.* Bona proferunt, & mala subticent; utpote quod Samaritanus diceretur, & dæm onium

dæmonium habens: justorum enim cor non patitur mala nuntia deferre, aut aliquid dicere quo proximus contristetur: imo vero quod illum lætificet. Tract. 23. C.4.

8. *Vos autem quem me esse dicitis?* D.Hieron. *Ac si dicat; illi quia homines sunt, humana opinantes, vos qui Dii estis, quem me esse existimatis?* Quasi dicat: Vos oppositum ejus quod dicit mundus, sentire debetis, ut scopum attingatis. T.2.C.2.

9. *Vos autem.* Raban. *Non autem quasi nesciens inquirit: sed ideo Discipulos, quid de se sentiant, interrogat: ut confessionem rectæ fidei digna mercede remuneret.* Vult videri debito satisfacere, remunerando fidem Petri: & non exercere liberalitatem, dum eum extollit. T.11.C.5.

10. *Beatus es Simon Barjona.* Quando Christus Petrum ad summam evehit dignitatem, eum appellat filium Joannis: Hoc quippe nomine Pater ejus vocabatur, eique in memoriam reducit abjectam suam progeniem: quo Petrum nosque omnes doceat in ipso, ut in supremo statu sublimati profundam semper conservemus humilitatem. T.1.C.5.

## *In Festo Visitationis B. Virginis Mariæ. Exurgens Maria abiit. Luc.21.*

1. *Exurgens Maria abiit in montana.* Beda ad mores trahens hanc B. Virginis profectionem, ait: *Omnis autem anima, quæ Verbum Dei mente concipit virtutum statim celsa cacumina gressu conscendit amoris.* B. Virgo præfigurat illas animas, quæ Dei Verbum in se concipiunt, quibus non sufficit illud credere, statim contendant illud exequi, se charitatis operibus impendentes: utpote scientes quam nauci valeat apud Deum fides mortua, hoc est operibus destituta. T.16.C.6.

2. *Abiit in montana, &c.* Origen. hanc Virginis festinationem attribuit Verbo æterno, quo jam prægnans pergebat: quia tendebat ut Præcursorem suum Joannem sanctificaret: *Festinabat Christus, qui in utero illius erat, adhuc in ventre matris positum, sanctificare Joannem.* Notandum, quod dum Angelus B. Virgini nuntiat in visceribus suis purissimis Incarnandum Dei Verbum, illi dixerit: *Quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur.* Quare optime convenit sanctificatio Joannis, cum sanctitate: solus etenim ille poterat à laqueo culpæ dissolvere, qui ab illa liber erat. T.9.C.3.

3. *Cum festinatione.* Perpendo quam festine Deus intendat justificationem peccatoris, currendo, & tamquam veredarius ejus remedio prospiciendo: ut ex eo peccator addiscat quam debeat adhibere pro salute sua diligentiam, non usque in ultimum differendo pœnitentiam, cum ejus sit plane incertus. T.19.C.4.

4. *Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Non ait: intravit in domum Elisabeth, sed Zachariæ: quia maritus erat ejus Dominus, & non uxor: quo moraliter instruimur: quod tunc animæ nostræ domus bene sit ordinata, quando spiritus imperat, & caro obtemperat. T.5.C.6.

5. *Et salutavit Elisabeth.* D.Ambros. *Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur, Maria ad Elisabeth.* Tantum abest ut Dei Genitrix vel hilum perdat, quia cognatæ suæ servivit Elisabeth, jam Dei Mater, ut in hac humilitatis actione dignitas ejus magis effulserit: unde & illam cœlum manifestat ore Elisabeth, tamquam Dei sui Matrem: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* T.21.C.6.

6. Deinde suo nos exemplo docet SS. Virgo: ut quanto dignitate sublimiores emersimus, tanto humilitate profundiores nos deprimamus. T.1.C.5.

7. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ, &c.* Notum tibi sit, ô Domina (sic Elisabeth Mariæ cognatæ suæ loquitur) quod magnum mihi miraculum evenerit, hoc nimirum: quod aures meas penetrante tua salutatione, continuo puer utero meo conclusus, exultaverit signaque summi gaudii ediderit. Adverte, quod Christus tamquam instrumentum sumpserit, quo Joannem de carcere peccati liberaret suam SS. Matrem: quo daretur intelligi, quod ejus intercessione peccatores donum veræ pœnitentiæ consequerentur. T.19.C.3.

8. *Ut audivit salutationem.* Verbis salutationis B. Virginis, Elisabeth Baptistæ salutem attribuit, inquit D. Bern. Serm.9. de septem verbis Virg. T.3. cum enim verba SS. Virginis de fornace charitatis animæ ejus prodirent, erant divini amoris scintillæ, quibus scoria peccati Joannis consumebatur. *De hoc igitur corde quasi de fornace divini amoris Virgo beata protulit verba bona, id est, verba ardentissima charitatis, cum Elisabeth allocuta est illam salutando.* Veritas enim est constantissima, quod verba sint pulsus seu signa animæ. Tract. 9. C.4.

9. *Exultavit infans.* Quam primum se à peccato liberum sensit, gavisus est puer, non autem dum illo adhuc tenebatur: quia sit hoc certissimum sibi non convenire peccatum, & gaudium. T.24.C.4.

10. *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te.* Fidei SS. Virginis partus Redemptoris futurus adscribitur: ac si divinum non esset beneficium, sed ejus meritum. D. Ambr. *Vides non dubitâsse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam.* Deo proprium est, quod eo modo beneficia conferat, ut videatur debita solvere, & nequaquam uti liberalitate. T.11.C.1.

## *In Festo S. Mariæ Magdalenæ. Rogabat Iesum quidam Pharisæus. Luc. 7.*

1. ET eccè mulier in civitate peccatrix attulit alabastrum. Publicè obtulit Christo libidinis suæ & vanitatis instrumenta, & coràm omnibus veræ pœnitentiæ signa exhibuit: ut enim ejus peccata erant notoria, nisi publica fuisset ejus confessio, famam suam non recuperaret. Non sufficit, fideles, Deo per justam conscientiam satisfacere, sed insuper requiritur, ut proximum nostro exemplo ædificemus. T.15.C.1.

2. *Ut cognovit.* S. Bernardinus: *Habuit splendorem veritatis in intellectu, & ideo Lucas ait: Ut cognovit quod Jesus recubuit.* Si divina luce non collustraretur, illum non cognosceret: acutissimus etenim intellectus, si hac luce non illuminetur, cæcutit. T.2.C.1.

3. *Ut cognovit, attulit alabastrum unguenti.* Quàm primum Deus cor ejus tetigit, non se cohibuit, sed continuo manus operibus adhibuit, & pœnitentiam pro peccatis suis arripuit, mutavitque vitæ consuetudines: stultitiam namque præfert illam differre, cum futurum tempus non sit nostrum. T.19. C.4.

4. *Attulit alabastrum, & stans retrò secùs pedes ejus, lachrymis cœpit rigare, &c.* Ex omnibus illis pœnitentia constat, quæ fuerant utensilia peccati: quo dabatur intelligi, quod illud non ad tempus relinqueret, sed ut numquam ad illud reverteretur. T.9.C.2.

5. *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus:* inquit D. Lucas, sed non dicit, quod finem illis imposuerit: etenim fuerunt ejus lachrymæ continuæ, quas sola mors abstersit. T.20.C.6.

6. *Et capillis suis tersit.* S. Bonaventura de Vita Christi cap. 41. ait: Non tantum capillos adhibuit ut mappam mundandis Christi pedibus, sed etiam laqueos, quibus ita caperetur, ut posthac ab illis non separaretur. *Capillis suis pedes tersit, ne vultum ab illis elongaret.* Amica hac & benigna demonstrans actione, quod ita divino Christi caperetur amore, ut non posset vel unico instanti vultum avertere ab eo, ubi cor suum habebat. Ita molestum est syncere diligenti ab amato se elongare. T.21.C.1.

7. *Vides hanc mulierem?* Lachrymæ pœnitentiales ita Magdalenam purificarunt, ut alia, quàm prius fuerat, evaserit, tamque justificata, ac si numquam peccasset. S. Ambrosius: *Sic igitur meretrix effecta est honestior virginibus.* T. 20. C.3.

8. *Cœpit rigare.* Ploravit etiam in horto, & in morte fratris sui Lazari; non tamen dicunt Euangelistæ tam copiosas fuisse ejus lachrymas, ut ad terram defluxerint, ut hic notat D. Lucas: & ratio fuit, quia has lachrymas pro peccatis suis effudit, & pro illis tantum effundi debent, ut bene impendantur. T.20.C.5.

9. *Vides hanc mulierem?* Defendit Christus honorem Magdalenæ, perversum Pharisæi de illa notans judicium. Vetus hic illi mos erat, suos defendere dum injuste calumnias sustinent. T.20.C.4.

10. *Osculum mihi non dedisti.* De leproso conqueritur Christus, quod osculum pacis illi non tribuerit, non propter id quod ex illa actione Domino resultabat, sed ut salutem corporalis & spiritualis lepræ consequeretur, si divinæ ejus communicaret respirationi. Peccator hic in malis suis contentus hærebat, & medicinam respuebat. T. 5. C. 4.

11. *Hæc autem lachrymis rigavit, &c.* Hæc defectus tuos supplevit, & quod urbanitas tua non fecit, ejus pietas perfecit. Solamen hoc Christo fuit aliorum ruinæ, dum alii meliores efficiuntur. T.19.C.6.

12. *Hic si esset Propheta.* S. Gregorius: *Eccè Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter justus, ægrum reprehendit de ægritudine, medicum de subventione: quæ profecto mulier, si ad Pharisæi pedes venisset, calcibus repulsa discederet.* Proprietas est hæc reproborum, aliorum culpis scandalizari: justorum autem illis compati, ut subveniant. T.11.C.6.

13. *Remittuntur tibi peccata tua.* Tibi magnæ peccatrici, & non aliis in civitate: ne quisquam se tradere audeat peccatis, de eadem, qua tu, præsumens gratia. T.19.C.5.

## *In Festo S. Iacobi Apostoli. Vide 3. die Mercurii Quadragesimæ. T. 7.*

## *In Festo S. Annæ. Simile est regnum cælorum Thesauro abscondito in agro. Matth. 13.*

1. SImile est regnum cœlorum thesauro abscondito. SS. Ambrosius, Euthymius, & Theophylactus intelligunt per regnum cœlorum fidem, quia per illam habet anima id omne, quod desiderare potest. Dicitur *Absconditus*, quia fides est circa illa, quæ sensibus absconduntur: undè credenda sunt ut intelligantur; ex opposito, quæ sunt vitæ hujus, capiuntur ut credantur. T. 4. C. 4.

2. *Thesauro abscondito.* Cum homines appetant thesauros, Christus avaræ & cupidæ hominum conditioni se conformans; proponit illis regnum cœlorum sub nomine thesauri, ut tanto facilius illis persuadeat, ut faciant ea, quibus illud assequantur. Tractat. 11. Consid. 4.

3. *Thesauro abscondito.* Per hunc thesaurum multi cum D. Hieronymo capiunt Christum Dominum: *Thesaurus iste Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus.* Et juste, qui illum invenit, omnia relin-

relinquit, ut illum possideat: qui namque adeo felix fuerit, ut cum Deo loquatur, terrena omnia illi nauseant. T.6.C.6.

4. *Abscondito.* S.Hieron. *Quod autem abscondit, non de invidia facit, sed de more servantis.* Servavit illum ne perderet: virtutes enim (ut hic notavit D. Gregor. citatus à D. Thom.) ne fascino oculorum inquinentur, abscondi debent. T.1. C.4.

5. *Quem cum invenit homo.* Et quomodo invenit illum? Patet quod laborando, & fodiendo: *Sicut thesauros effoderis illam.* Nec enim aliter cœlum obtinetur, nisi laboris sudorisque pretio. Tractat. 23. Consid.1.

6. *Invenit homo.* Sicut ille qui fodit, videtur sepulchrum aperire. Certa est consequentia in virtute hujus actionis vel mysticæ ejus repræsentationis, agere tantum de bonis cœlestibus, & terrena omnia vilifacere: *Vendidit omnia.* T.1.C.2.

7. *Præ gaudio.* Lætus & alacer vivit ille, qui secum habet Deum: sicut illi qui propter peccata sua ab illo separantur, nullam habent delectationem. T.24. C. 4.

8. *Vendidit omnia.* Quamvis (ut inquit D.Hilar.) inventio hujus thesauri gratuita sit: requiritur tamen ut homo ex parte sua faciat quantum potest, ut illum inveniat: salutis etenim negotium est velut contractus societatis: in quo homo confert industriam suam, & Deus principale. T.13.C.6.

9. *Vendidit omnia.* Non quod condignum sit pretium (inquit D.August.) sed quia pro eo plura dare non valemus: *Quia amplius dare non possumus.* Deo sufficit, si demus pro viribus nostris, nec impossibile à nobis postulat. T.18.C.4.

10. *Et emit agrum illum.* Suadet nobis Christus ut cœlum emamus: cum ita sit, quod secundum D.Hilarium, sit ejus misericordia: *Hic quidem thesaurus gratis invenitur*: quia videri vult solvere, magis debitum, quàm ostentare liberalitatem. Tract.11. Consid.1.

## *In Festo S. Marthæ. Vide Festum Assumptionis SS. Virginis.*

## *In Festo S. P. N. Dominici. Vide Festum S. Thomæ Aquinatis.*

## *In Festo S. Mariæ ad Nives. Extollens vocem quædam mulier. Luc. 11.*

1. F*Actum est cum hæc diceret, &c. Extollens vocem.* Diversi notentur effectus, quos operatum est miraculum, & doctrina Redemptoris: in his mortem, in aliis vitam: & de hoc quis non contristetur. T.9.C.6.

2. *Extollens vocem.* Quando Christus acerbioribus oppugnatur injuriis, prodit ad ejus defensionem cœlum, idemque solet facere, quando justi injustè à reprobis indigna patiuntur. T.10.C.4.

3. *Extollens vocem quædam mulier.* Notat Hugo Cardinalis, quod mulier hæc adeo humilis fuerit, ut nomen ejus ignoretur; & nihilominus ita fortem se ostendit, ut præsentibus Pharisæis, & Doctoribus Hierusalem suum liberè ferat judicium: virtus enim animosa est, sicut è contrario peccatum, valde timidum. T. 23. C. 2.

4. *Extollens vocem.* Verba sunt indices cordis: & quemadmodum verba Judæorum blasphemantium, perversam eorum loquuntur intentionem: ita verba mulieris hujus sanctæ fidem ejus, & devotionem commendant. T.9.C.4.

3. *Quædam mulier.* Jurassem ego quod una persona particularis esset creditura: & confessura Redemptorem, & nequaquam Magnates ac potentiores: hi namque veritati semper adversantur. T.15.C.6.

6. *Beatus venter.* Videtur hæc mulier indicare, quod Christus de pectore matris suæ benedictæ virtutem illam suxerit, quam ostendit: non quod hæc hæreditariè veniat, sicut peccatum: sed quia plurimum conducet ad virtutem, ex parentibus nasci virtute præditis. Tract.3. C.5.

7. *Beatus venter.* S. Lucas singulariter hujus fœminæ meminit, & occasionis, qua in hæc verba prorupit, quasi significans quod ejus laudibus Christus lenimen acciperet contra Judæorum calumnias, & ejus profectu contra illorum perditionem. T.19.C.6.

8. *Beatus venter qui te portavit.* Contraria loquitur iis quæ dicebant inimici de Christo, & quem illi blasphemabant, illa prædicabat. Et idem agamus omnes, hoc est, loquamur, & agamus contrarium quod reprobi, si scopum velimus attingere. T.8.C.6.

9. *Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Non sufficit audire Verbum Dei, hoc namque pertinet ad fidem: *Fides ex auditu*: sed expedit illud servare: hoc est executioni mandare, quo vitam æternam consequamur. T.16. C.6.

10. *Beati qui audiunt.* Quasi dicat: Non habeo illam tamquam beatitudinem, quæ est unius tantum: sed illam quæ multis communicatur. T.6.C.4.

## *In Festo Transfigurationis Domini. Vide Domin. 2. Quadrag. T. 6.*

## *In Festo S. Laurentii Martyris. Vide in Festo S. Vincentii Martyris.*

## *In Festo Assumptionis B. Virginis. Intravit Iesus in quoddam Castellum. Luc. 10.*

1. INtravit Jesus, &c. Eo die quo Mater Ecclesia gloriosum, & triumphantem celebrat Assumptionem SS. Virginis in cœlum, Euangelium adducit, quod narrat obsequia quibus germanæ sorores Martha, & Magdalena, figuræ SS. Virginis, Christum exceperunt: gloriæ quippe consideratio, quam SS. Dei genitrix possidet, suaves nobis reddit labores, quibus hic sive in activa, sive in contemplativa vita desudamus. T. 23. C. 5.

2. *Sedens secus pedes Domini.* Nesciebat Magdalena de pedibus avelli Salvatoris: qui namque vel semel gustavit quam suavis sit Dominus, terrena omnia illi vertuntur in fastidium. T. 6. C. 6.

3. *Porro unum est necessarium.* Magni facit Deus opera charitatis: Porro vult ut ex temporalibus sumamus naturæ sufficientia, & à superfluis abstineamus. T. 12. C. 5.

4. *Maria optimam partem elegit.* Oleaster in c. 12. Num. *Maria cum à sorore apud Christum accusaretur, non respondit, sed causam Domino committit, qui pro ea tacente jus dixit:* eamque tacentem acriter defendit. T. 10. C. 4.

5. *Maria optimam partem elegit.* S. Gregorius; *Sed Marthæ cura non reprehenditur: Maria vero laudatur.* Ita Christus approbavit Mariæ partem, quam elegerat, ut tamen occupationem Marthæ non reprehenderit: unam laudavit, & alteram non damnavit: quo movemur ita nostræ saluti intendere, & profectui, ut vitæ honorique alterius non noceamus: cujus contrarium in mundo est frequentissimum. T. 17. C. 6.

6. *Maria optimam partem elegit.* Juxta allegoriam Sanctorum, qua utitur Ecclesia, & intelligendo hæc verba de SS. Virgine, valde notandum est: quod quando fit mentio gloriosi triumphi, quo recepta fuit in cœlesti Hierusalem, in compendium redigantur merita Marthæ & Magdalenæ: videtur enim velle dilectus ejus filius, ut omnes norint, quod gloria, qua fruitur Regina cœlorum, non sit donum gratuitò collatum, sed ex justitia illi debitum. T. 11. C. 1.

7. *Maria optimam partem elegit.* Si gloria, ut dicit D. Thom. secutus D. Augustinum; sit *aggregatio omnium bonorum*, quare dicitur quod SS. Virgo optimam partem elegerit, & nequaquam quod tota gloria fruatur? Ratio sit: quod sicut nos tantopere diligit: videtur, quod dum omnes non habet secum ibi regnantes, gloriam suam non judicet perfectam. T. 6. C. 4.

8. *Maria optimam partem.* Eam quoque partem vocat: quia totum ejusdem studium non est ut beata Deo fruatur, sed etiam ut nostras coràm Deo partes tueatur, ut dicit contemplativus Bernard. *Advocatam præmisit peregrinatio nostra.* Quocirca se etiam impendit, ut mundo misericordiam postulet, & donum pœnitentiæ peccatoribus, quæ ibidem eis conceditur potenti ejusdem intercessione, quamvis hic eam illi obtineant. T. 19. C. 3.

9. *Maria optimam partem elegit.* Ad pedes Domini humiliter se Magdalena prostravit: ipsam autem Christus mirifice sublimavit: privilegia sunt hæc humilitatis, ut omnibus constet, neminem quidquam ex humilitatis actionibus amittere: imo vero per illas dignitatem suam tanto fortius solidari. Sicut SS. Virgo propter hoc exaltata fuit super omnes Angelos: *Exaltata est S. Dei Genitrix super choros Angelorum:* quia descendit ad Ancillæ reputationem: *Ecce Ancilla Domini.* T. 21. C. 6.

10. Si Prædicator agere velit de fœlicissimo B. Virginis transitu, & notare, quod præ amore mortua sit, ut dicit Albert. Mag. *Beata Virgo præ amore, & sine dolore mortua est.* Dicat non mirum est, quod præ amore moriatur, qui ex amore vivit: cum ordinaria hæc sit regula unumquemque ita mori, sicut vixit. T. 14. C. 4.

## *In Festo S. Hyacinthi. Euntes prædicate, dicentes, &c. Matth. 10.*

1. EVntes, prædicate. Mysticum est hoc verbum: quandoquidem Christus per illud à se ableget illos quos tenerrime diligebat, quis dubitat quin Apostoli maxima potirentur consolatione, dulcissima Christi societate gaudentes? Et nihilominus eis injungit, ut particulari suæ renuntiantes voluptati, suo obtemperent imperio. Et valde credibile est, quod effusis lachrymis ab illo secesserint: dolor etenim est nulli comparandus syncere amanti, à dilecto debere separari. T. 2. C. 1.

2. Euntes

2. *Euntes prædicate.* Quod si, ô Domine, malint divinæ tuæ Majestati comites adhærere, tuæque cœlestis doctrinæ auditores esse, an hoc tibi Domine non placeret? Nequaquam: etenim servi mei ita debent propriam omnem exuere voluntatem, ut mea debeat actionibus eorum ut regula deservire. Tractat. 4. Consid. 3.

3. *Prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum.* Cœlum annuntiate bonis, non ait, & infernum malis: qui namque spiritu Dei aguntur, nova non prædicant, quæ pungant, sed ungant. Tract. 23. Consid. 4.

4. *Prædicate, dicentes: appropinquavit regnũ cœlorũ.* Si verba hæc rigorose capiantur, significant, dicite hominibus: quod regnum cœlorum illis appropinquet: mystica verba, venit regnum cœlorum ad nos accedens: quia tales sumus, quod si Christus nos non quæreret & rogaret, imo amica traheret violentia, nec pedem moveremus ut illud assequeremur. Tract. 6. Consid. 1.

5. *Prædicate, dicentes: appropinquavit regnum cœlorum.* Quodque veniat homines quæsiturum, qui sint ejus incolæ: ut etiam ad illud accedant, & nequaquam fugiant: etenim in negotio salutis sibi occurrere debent Deus & homo, nec solus Deus debet proficisci, & homo quiescere: nam est velut contractus societatis. T. 13. C. 6.

6. *Regnum Cœlorum: infirmos curate.* In hoc patet, quod Rex sim cœlorum: nec enim ad terram descendi meæ utilitatis ergo, sed subditorum meorum. T. 18. C. 3.

7. *Regnum cœlorum.* Docete jam appropinquasse regnum cœlorum: hoc est, jam finitum esse regnum peccati, jam Principem tenebrarum non regnaturum: quia verus Rex Christus Jesus accessit, qui tyrannum hunc intrusum, de injusta sua possessione, qua regnabat, sit exturbaturus: solus autem Deus ejusque gratia regnabit. T. 9. C. 1.

8. *Infirmos curate.* Doctrinam vestram miracula confirment: ut verba vestra mentibus hominum tenacius infigantur. T. 4. C. 2.

9. *Dæmones ejicite.* S. Remigius dicit: Christus singulariter meminit expulsionis dæmonum, quasi per hoc judicans, quod infirmitates, quas patiebantur, accidissent, eo quod diabolus eorum cæpisset possessionem. *Dæmoniaci sunt, qui in potestatem diaboli redacti sunt.* q. d. quod idcirco tunc homines morbis in corpore vexarentur, quia diabolus eorum animas possidebat. T. 9. C. 5.

10. *Nolite possidere aurum neque argentum:* Ne mundus judicet vos idcirco Dei verbum præponere, ut divitias vobis cumuletis, nequaquam vero, ut fructum referatis animarum: *Nam si hæc habuissent, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare*, inquit D. Hieron. Non vult autem Christus ut Discipuli contra se præsumptionem habeant. Quo docet nos, non sufficere justam ad Deum habere conscientiam: sed talem esse debere vitam nostram, tamque bonum famæ nostræ odorem, ut omnibus sit materia ædificationis. T. 15. C. 1.

11. *Nolite portare aurum neque argentum, neque baculum.* S. Ambros. *Ut incentiva eriperet litis & ultionis*, abstulit illis omnem altercationis & dissidii materiam. T. 14. C. 6.

12. *Nolite possidere aurum.* Notat S. Chrysost. Hom. 33. in Matth. dum Christus Discipulos potentes efficit ex dono miraculorum, tunc illi persuadet modestiam, humilitatem & paupertatem: ut dignioribus exaltati statibus, profundam conservent humilitatem. Tract. 11. Consid. 5.

## *In Festo S. Bartholomæi Apostoli. Exiit Iesus in montem orare. Luc. 6.*

1. Exiit *Jesus, &c.* Solus Salvator noster vacat orationi, & ea finita duodecim elegit ex discipulis suis quos mundi Apostolos faceret: *Elegit duodecim ex illis.* Honor hic erat omnium supremus. Itaque quod laboris, vigiliæ & orationis erat, sibi soli Christus servavit: quod vero honoris, & mundi magisterii, aliis quoque communicavit. Tractat. 6. Consid. 2.

2. *Exiit in montem arare.* Secessit ad solitudinem montis, nec publico loco orare voluit. S. Cyrillus: *Semotim & secreto nemine vidente:* Per hoc nos instruens, quod virtutum exercitia mundi oculis occultari debent. T. 1. C. 4.

3. *Et erat pernoctans in oratione Dei:* Quia non sufficit Christiano quodcumque in actionibus virtutis studium: sed requiritur perseverantia in eis. T. 7. C. 1.

4. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Nolo quod orationem humanam vocet Euangelista orationem Dei. Et ratio est: quia quando hæc divinæ conformatur voluntati, vult Deus id quod petimus: unde refert, ut bene cum Deo negotiemur, voluntatem nostram divinæ per omnia conformemus. T. 4. C. 3.

5. *Erat pernoctans in oratione Dei.* Quando Christus orat, & laborat, dormiunt Discipuli, & quiescunt. Quia idcirco Dominus laboravit, & sudavit ut nos perfectam quietem veramque obtineremus libertatem. T. 17. C. 6. T. 8. C. 3.

6. *Et cum dies factus esset, &c.* Electionem facit Christus de die, quæ idcirco optima fuit: diem vocat illũ Apost. *Dies autem appropinquavit.* Et certum est quod nisi divinæ gratiæ lux intellectui nostro illuceat, quantumvis subtilis sit, omnino delirabit. T. 2. C. 1.

7. Voca-

7. *Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim.* Vocati sunt ad dignitatem Apostolicam, cujus si fuissent ambitiosi, absque dubio illam non fuissent assecuti. T.7.C.5.

8. *Simonem quem cognominavit Petrum.* Euangelistæ semper cæteris præmittunt S.Petrum: nec enim propter commissam negationis culpam primatum suum perdidit: quia ejus pœnitentiam fecit: unde in priori statu permansit, ac si non deliquisset. Tractat. 20. Consid. 3.

9. *Et descendit cum illis.* Dum promovens illos quos ad Apostolicam extulit dignitatem, cum illis de monte descendit, forsitan hac actione docet ipsos, quod idem in eis deberet esse, ad supremam ascendere dignitatem, atque in propria æstimatione ad profundam descendere humilitatem. T.1.C.5.

10. *Qui venerant ut audirent illum, & sanarentur à languoribus suis.* In SS. Litteris audire Deum, est illum amare, eique per divinorum suorum præceptorum observantiam servire. *Si audieritis Dominum, &c.* Mystice ergo junxit Euangelista sanitatem morborum corporis, ei quod audierint Dominum: quia transgressio præceptorum Dei, causa morborum est quos toleramus. T.8.C.3.T.9.C.5.

## *In Festo S. Ludovici Regis. Homo quidam nobilis. Luc. 19.*

1. HOmo quidam nobilis. S. Cyrillus: *Homo enim factus est Deus, Verbum existens, & quamvis servus factus sit, est tamen nobilis secundum ortum à Patre.* Quando Christus Dominus se vocat hominem & servum, tunc se dicit nobilem: quo instruimur neminem ex actionibus humilitatis quidquam amittere, imo vero per illas dignitatem sibi conservari. T. 21. C. 6.

2. *Homo quidam nobilis.* Hominem se indigitat quando Regis Investituram accipit: quo nos exemplo suo moneat, ut dum in sublimi nos cernimus honoris, vilissima nobis occurrat nostra conditio. Tractat. 1. Consid. 5.

3. *Abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Euseb. citatus à D.Thoma per profectionem illam ad peregrinam longamq; regionem intelligit Ascensum Salvatoris in cœlum. Idem opinantur Orig. D. Hieron. & Beda: & vocat quoddam exilium ob suorum absentiam, quibus multum afficiebatur, & quos in mundo relinquebat: *Vel per hoc quod ad regionem longinquam ascensum proprium à terra in cœlum designat.* Caro constat diligenti syncere à dilecto separari. T.21. C. 1.

4. *Abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reverti.* S. Chrysost. & Theophyl. per hanc profectionem intelligunt illam, qua Dei filius in mundum venit factus homo, & quærens homines quos salvaret. Supposita hac explicatione notemus dici, quod venerit accepturus sibi possessionem regni, & Propheta dixerat: *Rex tuus venit tibi.* Hoc est, Dominus veniet in mundum sibi, & Regnum ejus hominum serviet utilitati. Ratio est: cum enim tantopere afficiatur hominibus, idem illi est regnare ipsis ac sibi ipsi. T.14.C.3.

5. *Accipere sibi regnum.* Quando regni meminit, recordatur se hominem, quo denotet mundanæ gloriæ brevitatem & instabilitatem, qua mundi proceres finem accipiunt. T.18.C.5.

6. *Vocatis autem servis suis.* Omnes vocat Dominus, ut illis bona sua & talenta dividat. Dolendum est, à nonnullis curam hanc suscipi, quos tamen Deus non vocat: clarum etenim est argumentum, & non reprobanda probatio, quod illis honorari non mereantur. T.7.C.5.

7. *Negotiamini dum venio.* Dum Deus servis suis bona sua partitur, quibus negotientur, singulis auxilia dat & dona gratuita, quibus salutem suam confirment: cujus negotium est instar contractus societatis, in quo homo suam confert industriam, & Deus principale. T.13.C.6.

8. *Jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam.* Æqualis fuit pecuniarum divisio, quibus negotiarentur, hoc est, decem mnas, vel decem talenta tradidit: & lucrum fuit inæquale; quidam enim lucratus est quinque, & alter decem, nihilominus Domino placuit: nam huic & illi mercedem contulit: nam adeo suavis & benigna est ejus conditio, ut à nobis ultra vires nihil expostulet, & capacitate nostra contentus sit. T.18.C.4.

9. *Domine, ecce mna tua, &c. Metis quod non seminasti.* Tertius servus Domino reddens rationem pecuniæ sibi traditæ, ait: Messem, Domine mi, colligis, fructúmque metis, ubi non seminasti. Bene locutus est; si hæc fuisset ejus intentio, dicunt nonnulli Doctores: quia in rei veritate Deus mala peccatorum, & offensas divinæ suæ Majestatis non seminat: & nihilominus crebro ex illis messem fructusque colligit copiosos. T. 8. C. 5. & 6.

10. *Auferte ab illo mnam.* Præcipit Dominus pecuniam ab illo auferri quam illi tradiderat, eamque ei consignent qui plura lucratus fuerat. Actio hæc suam habet difficultatem: quia jam tempus non erat negotiandi: cum vita namque tempus expirat metendi. Verum est, inquit Cajetan. in C. 25. Matth. Porro *tollite non quoad usum: quia non est amplius tempus meriti, sed quoad gaudium.* Trade illi pecuniam, non ad majus meritum, sed ad novum gaudium. Itaque, quo Christus gaudium significet beatitudinis, ait, quod gaudium illorum qui illa fruuntur, tantum sit, ac si pe-

cuniaꝫ

cunias reciperent ac possiderent, ut supposito quod homo pecuniarum ita sit avarus, saltem lucro allectus, ad laborem animetur, quo præmium assequatur, & verè sit avarus. Ecce qualiter Deus noster eruditioni nostræ se conformet, quatenus inæstimabiles ejus divitias nobis acquiramus. T.11.C.4.

## *In Festo S. Augustini: Vide in Festo S. Thomæ Aquinatis.*

## *In Festo Decollationis S. Ioannis Baptistæ. Herodes misit ac tenuit Ioannem. Marc. 6.*

1. *Herodes misit ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem.* Infelix illa Respublica, & domus, in qua fœmina viro imperat: Hoc enim idem est, ac si caro spiritui dominaretur, cujus oppositum Dominus vult & mandat. T.5.C.6.

2. *Non licet tibi.* Magnum prodigium, quod homo particularis audeat Regi in faciem suam objicere peccatum. Porro terribiles sunt virtutis vires, sicut nec minor peccati socordia. T.23.C.2.

3. *Metuebat eum: quia sciebat eum virum justum & sanctum.* Glossa citata, à D. Tho. ait: *Justum quoad homines, & sanctum quoad Deum.* Talis esse debet Christianus ut professionis suæ muneri satisfaciat. T. 15. C. 1.

4. *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis & saltasset.* Testature S. Marc. horrendi hujus sacrilegii occasionem fuisse saltationem filiæ Herodiadis. Theophilus arbitratur, diabolum fuisse hunc saltatorem, figuram induens hujus novariæ: ipsi namque magis, quam sibi ipsi fidit, ut intentum suum assequeretur, nempe Baptistæ mortem, & Herodis in peccato suo contumaciam. *Dum enim convivium fit, Satanas per puellam saltat, & jurisjurandum perficitur sceleratum.* Et merito: vir etenim ac mulier aptiores sunt tentatores ipso diabolo. T.3.C.4.

5. *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* Perpendo quod puella postulet sibi dari in disco caput Joannis. Qualem triumphum crudelis hæc mulier obtinet hoc modo de Baptista quem oderat? An forte delicatum illi est ferculum? Quomodo non attendit, quod guttur hoc adhuc vivens delicias suas amaricaverit: nunc autem gladio dissectum, calamitatem suam atrocius sit cruciaturum? Hoc faciat si videre illud desideret, ut ei in cuspide deferatur lanceæ suspensum, ut victores solent Duces facere: sed cur in disco? Non capio. Multa proferunt hic Oratores Euangelici. Mea hæc est sententia, divinitus hoc decretum: ut vitæ mors S. Joannis conveniret. Omnis ejus vita quædam fuit invectiva contra delicias, dapes & convivia: uno verbo, velut ipsa abstinentia. Homo igitur, qui vivens epulas arguebat, hoc eodem munere in morte sua fungatur. Et quandoquidem pedibus ejus hoc fieri nequeat, veniat delatus in disco, & suo silentio, ac tacito pallore deliciosam convivarum Regis mensam confundat: quisque namque talis moritur, qualis vixit. T. 14.C.4.

6. *Contristatus est Rex.* Beda: *Scelus excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret.* Sub prætextu virtutis, & simulatione amicitiæ vitam aufert Herodes Baptistæ: hoc significat ficta ejus tristitia: & quod hodie in mundo est frequentissimum. T.4.C.1.

7. *Contristatus est Rex:* Non ex facto juramento contristatur, sed peccatum suum illi mœrorem adfert: nec enim peccatum sociari potest lætitiæ. T.24.C.4.

8. Hinc sequitur quod delictum Herodis non fuerit repentinum, sed præmiditatum: circumstantia hæc multum aggravans. T.17.C.2.

9. *Misso spiculatore, &c.* Misit Herodes carnificem qui Joannem decollaret. Itane Deus suos excipit amicos? Si Joannes antonomastice fuerit *amicus Sponsi*: occasioni eum exposuit patiendi: ut amoris ejus omnibus pateret eminentia. T.21. C.4.

10. *Misso spiculatore, &c.* S. Remig. *Ac per hoc datur intelligi, quod minus peccatum factum est ei causa majoris peccati.* Adulterium causa fuit sacrilegii & homicidii. Minus quippe peccatum disponit ad alia graviora. T.4.C.5. T.7.C.4.

## *In Festo nativitatis B. Virginis. Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1.*

1. *Liber generationis.* Præcepit Christus librum conscribi temporalis suæ generationis: & de æterna vix quatuor verba scripsit D. Ioan. quo monemur gloriosa nostra abscondere, & infirma publicare. T.6.C.3.

2. *Liber generationis.* Nullus alius additur titulus, quam *liber generationis Christi:* cum ita sit, quod continent quidquid Dominus pro homine fecit, supponendo quasi certam consequentiam, quod factus homo, reliqua quoque pro illo faceret. T. 21.C.3.

3. *Liber generationis.* Memoriale eorum omnium quæ Deus non sui gratia facere dignatus est ut ei grati simus: alioquin si tantis acceptis beneficiis peccaremus, gravissimam sibi à nobis inferri censeret injuriam. T17.C. 3.

4. *Liber generationis Iesu Christi.* Liber, in quo legamus & studeamus, quatenus memores beneficiorum, quæ nobis contulit, hæc illi præsentemus ut per hoc illum ad conferenda nobis alia devinciamus. T.14.C.2.

5. *Filii David, filii Abraham.* Communis est SS. Doctorum & interpretum opinio, quod Christus particulariter dicatur filius David, & Abrahã, quia illis singulariter incarnationẽ suam pollicitus est. Et videri vult per illam regulam solvere magis debita, quam liberalem se ostendere. T.11.C.1.

6. *Filii David, filii Abrahã:* istorũ duorũ: quia unus sibi non pepercit, nempe Abraham: alter vero omnibus pepercit, scilicet David: quia Dominus illos erat imitaturus, sibi non parcens ut omnibus subveniret. T.17.C.6.

7. *Filii David, filii Abraham.* Euangelista juniorem præfert seniori: quia tam innocens ac purus extitit David de peccato pœnitens, ac si numquam peccasset: quare ita est sublimatus, ut illo se Christus coronet. T.20.C.3.

8. *Filii David, filii Abrabam:* de cujus progenie Iudæi tantopere gloriabantur, ut notant interpretes, ut saltem tanquam nobilem illum reciperent ut Messiam suum. Eorum attemperat se conditioni: nam non nisi de nobilitate agebant, ut hoc medio salventur. T.11.C.4.

9. *De qua natus est Iesus.* De utero matris suæ natus est Salvator: ex quo probatur, quod tam Mater, quam filius omni culpa careant: si namque salvare hominem, sit illum de carcere peccati redimere: non illum de laqueis suis solvere potuisset, nisi ab illis liber fuisset. T. 9.C.3.

10. *De qua natus est Iesus.* De visceribus SS. Virginis natus est Redemptor, quo nobis asseritur, quod ejus patrocinio nequissimi quique peccatores, licèt æternæ damnationi proximi, salutem adipiscerentur. T.19.C.3.

## *In Festo Exaltationis S. Crucis. Nunc judicium est mundi. Ioan. 12.*

1. NVnc *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Præcipuus effectus mortis Salvatoris fuit expulsio dæmonis, principis tyranni animarum. D. August. *Prævidebat enim Dominus post Passionem & glorificationem suam per universum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, qui quando ei ex fide renunciant, ejicitur foras.* Et quandoquidem qui regnaturus est, Christus sit, Dominus ac Redemptor noster, & ejus regnum sit æternum: ex formali consequentia sequitur: quod egressus diaboli non esse debeat ad tempus, sed ut numquam amplius revertatur. T.9.C.1.

2. *Ejicietur foras*, inquit Dominus: per mortem etenim ejus diabolus possessione animarum exuetur. *Sed numquid de cordibus veterum justorum non est ejectus foras? Quomodo ergo dictum est, nunc ejicietur foras?* Quærit D. August. Si iam ejectus fuerit de cordibus veterum justorum, quomodo dicit Christus, quod denuo ejicietur foras? D. August. aliam sequitur viam: ego vero, docet nos Redemptor qualiter diabolum è cordibus nostris expellamus, semel per effectum, & semper per affectum. T.9.C.2.

3. *Et ego si exaltatus fuero, &c.* D. August. *Exaltationem suam dicit in Cruce passionem:* quod enim nobis est commodum, illi est gloria. T.14.C.3.

4. *Omnia traham ad meipsum.* S. Chrysostomus: *Hoc autem plus fuit dicere, quàm resurgam. Si enim hoc dixisset, nondum manifestum esset, quod traheret: dicendo vero traham, utrumque demonstrat:* arbitratus quod gloriam suam non satis explicaret, nisi diceret quod ea multi fruerentur. T.6.C.4.

5. *Traham.* S. Chrysost. *Dicit autem, traham, quasi à tyranno detentos, & per seipsos nequeuntes accedere, & illius manus effugere.* Verbum hoc denotat per vim educere, eò modo quo captivus extrahitur de manu Prætoris. Et sic est. salus etenim Christus, quem culpæ laqueus non apprehendit, potuit illos solvere, quos culpa tenebat captivos. T.9.C.3.

6. *Traham.* Verbum hoc quandam indicat violentiam secundum interpretationem doctorum, & Syntaxim Latinorum. Quomodo hoc? An necesse est ut violenter trahantur, quatenus de servitute exeant diaboli? Utique: ita namque plures libenter vitiis inhærent, ut captivitatem præponant libertati. T.5.C.4.

7. *Traham.* Deus amicâ violentia trahit homines, ut illos ad se ducat: tales namque sunt, ut nisi manu eos duceret, nec pedem moverent, ne fatigarentur: licet cælo deoque privarentur. T.6.C.1.

8 *Omnia traham ad meipsum.* Quia dum crucifigitur, humilitas hæc quam infideles irridebant, fidelibus est formosissima, & ad se rapit, cor edurum emollit, & vitam maxime flagitiosam emendat. T.22.C.6.

## *In Festo S. Matthæi Apostoli. Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.*

1. VIdit *Iesus hominem.* D. P. Chrysolog. *Vidit hominem, ut non videret peccata hominis.* Erat Matthæus, inquit, velut in duas partes divisus, bonam unam, & malam alteram: quod bonum habebat, esse erat hominis, quod malum, erat publicum esse peccatorem. Quid igitur egit Christus? Coniecit oculos suos in quod illum poterat obligare, & nequaquam quod offendere poterat. T.13.C.2.

2. *Sedentem*

2. *Sedentem in telonio.* Data opera hærebat Matthæus in contractu illo injusto : quare perspicacia, & virtus requirebatur divini intuitus : nec non virtus, & efficacia verbi cœlestis, quo reduceretur ille, qui pertinax ita culpis suis affigebatur : *Pertinaciâ animi temporalibus lucris inhiantem*, ait Beda. *T.*14.*C.*5.*T.*5.*C.*4.

3. *Matthæum nomine.* Solus Matthæus, inter omnes Euangelistas, proprium scribit nomen : & ratio fuit; cum enim fuisset electus ut Apostolus, & Magister mundi, dignitas est hæc omnium suprema, ad quam ascendere poterat, manifestat qualis erat, dum Christus eum sacro suo collegio adscripsit: in summo honoris gradu profundam conservans humilitatem. Tract. 1. C. 5.

4. *Matthæum nomine.* S.Hieron. *Cæteri Euangelistæ propter verecundiam, & honorem Matthæi noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi : duplici enim vocabulo fuit.* Porro nomen illud Levi non ita passim cognitum erat : ne ad memoriam revocarent peccata præterita. Proprium hoc justis est, alienos defectus occultare. T.7.C.3.

5. *Et ait illi : sequere me.* Quam primum Salvator oculos suos in illum conjecit, statim secuti sunt illum cordis oculi, ut illi succurreret. *T.*13.*C.*1.

6. *Sequere me.* Cognoscens Dominus Matthæum esse publicum usurarium, & scandalosum peccatorem; non inde tamen scandalum sumpsit ut eum expelleret : imo vero compassus est illi, cui mederetur. *T.*11.*C.*6.

7. *Sequere me.* Vocatio hæc Matthæum non cœpit, sed incitavit illum : liberum ejus arbitrium non supplantavit : attamen fortiter traxit illum amicam inferens illi violentiam ut sequeretur : si hæc etenim ex parte Dei deficeret, tales nos sumus, ut illum minime sequeremur : & ne passum pedis progrederemur, ac Deo cœloque privaremur. *T.*6.*C.*1.

8. *Surgens secutus est eum.* Nondum quomodocumque secutus est, sed eo modo ut numquam ad officium suum sit regressus. D. Petrus piscatum repetiit, non autem telonium Matthæus. Et ratio fuit : quia ex conversione D. Petri ad navim nullum emergebat inde periculum : cum non esset injustum officium : ex regressu vero Matthæi ad telonium, valde magnum; cum ministerium hoc passim ab omnibus reprobetur, ob malum ejus usum : quo movemur, peccatorum occasiones non ad tempus, sed tota vita fugiendas. T.20. C,6.

10. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis?* Quasi dicat: Cum peccatoribus familiariter agitis, ergo illis compares esse vos oportet : proprietas hæc reproborum est justis defectus suos imponere. T. 13.C.3.

## *In Festo S. Michaëlis Archangeli. Accesserunt Discipuli ad Iesum, &c. Matth.* 18.

I. *In illa hora accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum.* S.Chrysost. Hom.50. in Matth. *Humanum quid passi sunt Discipuli in illa hora, quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit.* Cor eorum non ferebat alium sibi præferri, & quisque sibi primatum ambiebat, licet reliquos conculcando, & diminuendo, ambitiosis hoc inolitum. *T.*17.*C.*6.

2. *Quis putas major est in regno cœlorum :* Notat Origen. interrogationem hanc certo quodam modo bene propositam : cum à Christo hujus peterent solutionem ; *In his autem imitatores Discipulorum esse debemus, si quando aliquod in nobis dubium quæritur, & non invenitur : ut cum omni consensu accedamus ad Jesum, qui potens est illuminare corda hominum, ad intelligendam solutionem omnium quæstionum.* Manifestum etenim est, quod subtilissimus intellectus, adeo non illustratus, aberret. *T.*2.*C.*1.

3. *Major est in regno cœlorum.* S. Chrysost. & Euthym. opinantur quod Apostoli se monstrarent viros egregios, & virtutis : quæ namque in quæstionem ventilabant, talia erant, quibus Deus meliora, & digniora non creavit : cœlum scilicet. Et ratio erat : cum enim Christo Domino comites essent adscripti splendori Paternæ gloriæ, terrena non desiderarunt, sed cœlestia: qui namque gustavit quam suavis sit Dominus, mundana omnia in fastidium illi vertuntur: *Tu autem considera primum, quod nihil eorum, quæ sunt in terris, quærunt*, inquit D. Chrysost. *T.*6.*C.*6.

4. *Nisi conversi fueritis, &c.* Discipuli mei (ita Christus) oportet vos nasci denuo, pueros fieri, humiles, inquam, sicut pueri. Divinus Magister docet nos quod humilitatis eminentia consistat in eo, ut quis magnus sit operibus, & in opinione parvus, atque in factis sublimioribus infimam præferat humilitatem. Hoc autem mysterium in eo comprehenditur, quod Ecclesia proponat Euangelium, quod agit de hominum ambitione, quando memoriam celebrat Angelorum, ut illos confundat exemplo tam humilium spirituum, qui cum creati sint in gratia, & beati, non dedignentur tamen ad terram descendere hominibus famulaturi. *T.*1.*C.*5.

5. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste.* Idem fuit illos per puerum illum, reprehendere ac respondere propositæ ab ipsis interrogationi, & dicere : qui fuerit hic in terris humilior, erit in cœlis sublimior : accrescit per gradus humilitatis ipsa dignitas : unde non dicit quod *erit*, sed jam *est.* *T.*21.*C.*6.

6. *Qui susceperit parvulum in nomine meo, me suscipit.* Magni facit Deus beneficium quod humilibus confertur : quandoquidem ut obligationem statuat pie-

tatem, benignitatem, & charitatem parvulis exhibitam, per id, quod docet nos opera charitatis bene ordinare. T.5.C.2.

7. *Qui autem scandalizaverit, &c.* Qui proximo movet scandalum, non meretur inter homines vivere. Supposita hac doctrina, tenetur quisque ita vitam suam instituere, ut nedum Deo satisfaciat, sed etiam hominibus bonus appareat. T.15. C.1.

8. *Qui autem scandalizaverit, &c.* S. Chrysost. & Euthym. dicunt, quod scandalizare hic non capiatur in propria significatione, sed dicere vult, malum facere. Et hoc fieri potest dupliciter, operibus vel verbis: nec videatur leve verborum esse scandalum: piis etenim, & illustribus, nihil aliquem sic offendit, ac lingua detrahentis. T.15.C.5.

9. *Expedit ei, &c.* Expedit lapide molari in profundo pelagi demergi, quam pusillum humilemque scandalizare. Ratio clara est (inquit D. Hieron.) quia primum est pœna temporalis, solum corpus tangens: secundum est pœna æterna, culpæ supplicium: atque duobus malis eligendum est minus: minus autem malum est pœna corporis quam animæ. D. Hieron. *Expedit ei: quia multo melius est brevem recipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus.* Porro contrarium est mundo commune: nec enim verentur homines culpæ malum committere: & pœnæ mala solummodo formidant. T.17.C.

10. *Mola asinaria.* S.P. Chrysol. Serm. 27. in illud Luc.17. *Utilius est illi, &c.* Mysterium invenit, quod exemplum statuatur in mola asinaria magis quam in alia: & ait rationem esse, ut supplicium sit tanto severius, dum illi mortis est causa, quod aliis est vitæ: quando quidem farinam molat qua nutriatur: *Ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Quantus hic dolor, quosdam ibi perire, ubi alii salvantur! T.9.C.

## In Festo S. Hieronymi. Vide in Festo S. Thomæ Aquinatis.

## In Festo S. Francisci. Vide in Festo S. Matthiæ Apostoli.

## In Festo S. Lucæ. Vide in Festo S. Marci.

## In Festo undecim millium Virginum, & Martyrum. Simile est regnum cælorum decem Virginibus. Matth.25.

1. SImile est, &c. *quæ accipientes lampades suas, &c.* Dicit Salvator, quod omnes istæ Virgines, sive Christiani per illas denotati, exierunt cum lampadibus suis obviam Sponso. Et statim addit, quod *fatuæ non sumpserunt oleum secum.* Hoc est, non sufficiens lampadibus suis oleum. Orig. Fatuæ autem acceperunt lampades, in primis quidem accensas, sed tantum oleum non acceperant, ut eis sufficeret usque ad finem. Defecit illis oleum, & in virtute elanguerunt, per quod perierunt: quia durante vita, non est in ea sistendum, donec ad gloriæ nuptias intromittamur. T.7. C.1.

2. *Quæ accipientes lampades suas.* Valde proprie fides lampadi comparatur, cujus lux oleo fovetur, quia ipsa operibus charitatis conservatur; quæ si deficiant, lux ejus obscuratur. Et ad cœli portas, non vacuis clamatur lampadibus, sed oleo plenis: nec sola fides sufficit, qua ad Sponsi nuptias admittamur, si eam opera non comitentur. Quocirca dicit Imperfectus Homil. 52. *Fatuæ autem Virgines sunt, quæ fidem quidem Christi integram habent, opera autem justitiæ non habent.* T.16.C.6.

3. *Exierunt obviam Sponso, & Sponsæ.* Itaque non hæserunt, usque dum Sponsus eo accederet, ubi ipsæ erant, sed quod venerit illas quæsiturus, ipsæ vero exierunt illum recepturæ. Habes hic descriptum salutis nostræ negotium. Deus vos quærit, & vos debetis exire ei obviam, Deus ex parte sua facit, & vos ex vestra facite. T.3.C.6.

4. *Non sumpserunt oleum secum.* D. Salvianus dicit, certum est quod sumpserint aliquid, quandoquidem timerent, ne lampades suæ extinguerentur: sed cum non sumpserint quod debebant, dicit de illis Dominus, quod nullum habuerint: quia in operibus charitatis, aliquem non facere quod potest, est nihil facere. T.11. C.4.

5. *Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Notate adversativam *verò*: hoc prudentes contrarium fecerunt fatuis: Salutare est documentum aliorum errores advertere, ut eos fugiamus, iisque contrarium facere, ut salutis nostræ negotium asseramus. T.8.C.

6. *Media nocte clamor factus est.* De repente venit Sponsus, & fatuas inopinato comprehendit: unde valde turbatæ fuerunt, quia lampades suas non paraverant, quamvis longum vitæ spatium ad hoc habuissent, deceptæ fuerunt. Hoc optimum bene moriendi consilium est, illico pœnitentiam agere, & tempestive saluti su-

co

consulere, sibique persuadere, quod præsens vitæ momentum, ejus possit esse postremum. T. 19. C. 4

7. *Date nobis de oleo vestro: Responderunt prudentes;&c.* Prudentes fatuis oleum negarunt: & meo judicio, justum fuit Dei judicium: quod qui vivens oleum secum non detulit, hoc illi in hora mortis deficiat: cum certum sit, quod hæc Echo sit vitæ. T.14.C.4.

8. *Domine, Domine, aperi nobis. Nescio vos.* In vanum clamat ad portam, qui mortuam defert lampadem; & velle de manu Dei sperare beneficia, quem obsequiis non devinxisti, manifestam declarat amentiam. Tract. 14.C.1.

9. *Domine, Domine, aperi nobis. Nescio vos.* Notat Mendoza T.2. in C.4. Reg. annot. 12. Sect. 1. N. 17. quod illis non Sponsa sed Sponsus responderit: hoc est: non B. Virgo, sed Filius ejus infaustis illis, quibus hoc imputandum est, quod rejectæ fuerint: nam si quemadmodum ad illum recurrerint, sponsæ patrocinium implorassent, indubie receptæ fuissent, & finalem egissent pœnitentiam. *Vnde in hoc etiam illæ virgines se fatuas præbuerunt: nam si quemadmodum Domine, Domine, inclamaverunt; ita inclamarent Domina, Domina, illam fortasse repulsam non paterentur: quia Mater misericordiæ filii justitiam temperaret.* T.19.C.3.

10. *Amen dico vobis, nescio vos.* Finem harum virginum perpende, quam diversas habuerint sortes; prudentes ad cælestes Sponsi nuptias admittuntur: & ignorantes rejectæ, confusæ, repulsæ. Casus hic lachrymas extorquet. T.9.C.6.

## *In Festo SS. Apost. Sim. & Iudæ. Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Ioann. 15.*

1. H*Æc mando vobis ut diligatis invicem: si mundus vos odit.* Prædicit illis divinus Magister, quod eos mundus odio sit habiturus & persecuturus: quos ad amorem & patientiam adhortatur: illis persuadens ut inimicis suis bona pro malis referat, quinimo idcirco quia mundus illos abominatur debent in amore præcellere: nam ut saluti suæ bene prospiciant, agere contrarium debent ei quod mundani faciunt. T.8. C.6.

2. *Hæc mando vobis.* Christus præceptum hoc proponit eo modo, ut reddat illud admodum facile, etiam in eo quod difficile videtur, ut est diligere inimicos: ut enim vices nostras expendit, gravius nobis non imponit onus, quam ferre possumus: quidquid nobis injungit facile est & leve. T.18. C.4.

3. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Vt patienter ferre possint odium mundi, ad cujus tolerantiam statim illos adhortatur, amorem præcipit; hoc etenim dura reddit suavia; patientia namque sigillum est amoris. T.21.C.4.

4. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Hortatur illos Christus, ut in gravioribus mundi persecutionibus, considerent quam sæva mundus illum tyrannide persequatur: quandoquidem non destiterit, donec illum crucifixisset: ut exemplo suo animet ipsos ad patientiam: ut dicit D. Bern. relatus à D. Tho. Ser. hujus diei. *Considerabitis dolores Domini nostri, & levius dolores vestros portabitis:* nec enim dubitamus: quin amici servique Dei ex consideratione Christi crucifixi, leniantur in adversitatibus quas patiuntur. T.22.C.6.

5. *Si mundus vos odit, &c.* Non ait vos oderit, & vos illum oderitis: quia per mundum hic intelligit homines; nam si per mundum intelligat peccatorem & animarum nostrarum hostem, permittit nobis ut illum odio habeamus. T.2.C.3.

6. *Si mundus vos odit.* Non vobis arduum sit amare, persecutionē odiumque patientibus: etenim in persecutione purificatur amor, & passio dilectionis est testimonium. T.21.C.4.

7. *Scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Exemplum à me sumite: cum enim sim filius Dei, persecutionem ab hominibus toleravi; & ea non obstante eorum fui benefactor. Hoc autem scitote, quod si me imitati fueritis, vestros diligentes offensores, eritis & meæ divinitatis participes. T. 2. C.6.

8. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, &c. nunc autem & viderunt & oderunt me.* Quod me persequantur tot à me receptis beneficiis, circumstantia hęc peccatum eorum aggravat, & severiori dignos reddit supplicio. T.17.C.3.

9. *Nunc autem excusationem non habent de peccato.* S. Aug. *Adventus enim ejus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitialis factus est.* Quis non doleat, quod idem Salvatoris adventus quosdam de peccato liberaverit, aliis occasio peccati fuerit: & nonnulli pereant, ubi alii salvantur. T.9.C.6.

10. *Quia odio habuerunt me gratis.* Non ait Dominus: amant bonum, quamvis nec hoc faciant: sed præterquam quod hoc non faciant, illud odiunt, in quo cogitatione peccarunt. T.17.C.2.

## In Festo omnium Sanctorum. Videns Iesus turbas ascendit in montem. Matth. 5.

1. *Ascendit in montem.* S. Chrysost. *Per hoc autem quod non in civitate & foro, sed in monte, & solitudine sedet, erudivit nos nihil ad ostentationem facere & à tumultibus discedere.* Docet nos Salvator suo secessu, ut si de rebus cœlestibus velimus agere, virtutisque operibus vacare, solitudinem eligamus, ne mundus oculorum fascino nos inquinet. T.1.C.4.

2. *Aperiens os suum docebat eos.* S. Chrysost. *Ut discas quoniam tunc quidem docebat os aperiens in loquendo: nunc autem vocem quæ est ab aperibus emitotens:* Et necessario efficax esse debebat ea doctrina, quam bona exempla præcedebant. Tract. 4. Consid. 2. Tract. 6. Consid. 5.

3. *Beati pauperes. Beati mites.* Salvator præmium appendit, virtutis sectatoribus. Ut nos ad virtutis exercitium animet. T.24.C.5.

4. *Beati pauperes.* Mundus nobis suas proponit beatitudines: Christus quoque suas proponit: non hoc tamen discrimine: quod mundus beatificet delicias, divitias, &c. Christus vero paupertatem, afflictiones, &c. Quo movemur nobis loquendum & agendum contrarium iis quæ reprobi loquuntur vel agunt: ut nostræ saluti prospiciamus. Tract. 8. Consid. 6. Tactat. 2. Consid. 2.

5. *Beati pauperes spiritu.* S. Chrysost. legit. *Beati humiles spiritu.* Intelligit Sanctus hic per pauperes, eos qui voluntarie se humiliant, & de istis affirmat Christus quod Reges futuri sint: *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sit igitur manifesta veritas, quod nullus unquam per exercitium humilitatis quidquam amiserit: imo vero ad sublimiorem ascenderit dignitatem. *Quia proprium est* (addit S. Chrysost.) *ut qui se humiliat exaltetur.* T.21.C.6.

6. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non eis ait Redemptor, ipsorum erit regnum cœlorum: sed jam in præsenti, ipsorum est: quasi gloriam statuat in ejus meritis. Videtur velle Dominus ut non intelligatur quod illos extollens exerceat liberalitatem, sed solvat debitum. T.11.C.1.

7. *Ipsorum est regnum cœlorum.* Quomodo ipsorum est regnũ cœlorum, si proprium sit Christo, eique soli ex justitia debitum: Ratio est, quia nec in regno cœlorum, nec in regno terreno quidquam aliud prætendit Christus, quam suorum salutem & bonum: & consequenter tunc verum se Regem æstimat, quando ipsi cum eo regnant. T.14.C.3.

8. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Cum cælo amplecti terram viventium, & nolle quidquam de mundo, medium est hoc efficacissimum, ut quieti, & ab omni contentione liberi vivamus. S. August. *Rixentur immites & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus; sed beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram, illam, inquam, terram, de qua in Psalmo dicitur: Portio mea in terra viventium.* Hæc ratio fuit ob quam D. Petrus noluerit de monte descendere, se videns in atriis terræ viventium. T.6.C.6.

9. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* S. Hilar. *Lugentes enim hic dicuntur, non orbitantes, aut contumelias, aut damna mœrentes, sed peccata vetera flentes.* Tantummodo lachrimis pro peccatis effusis promittitur hic consolatio; hæ namque solæ utiliter impenduntur. T.20.C.5.

10. *Beati qui lugent.* S. Ambros. in Luc. *Cum hoc feceris, ut scilicet sis pauper, &c. Memento, quia peccatores, luge peccata.* Quamdiu in hac valle lachrimarum vivimus, etiam perfectissimi, habemus quod lugeamus, quod in vita nostra corrigamus, & in operibus purificemus. T.16.C.1.

11. *Beati qui lugent.* Hoc intellige de viatoribus: ut enim lachrimæ Deo sint acceptæ, & præmium accipiant tota vita durent, & non pro tempore tantum. T. 20. C. 6.

12. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* S. Hieron. *Non nobis sufficit velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem: ut sub hoc exemplo numquam nos satis justos, sed semper esurire justitiæ opera intelligamus.* In virtute non sistendum, sed semper progrediendum, donec ad portum gloriæ pervenerimus. T. 7. C. 1.

13. *Beati qui esuriunt.* Qui famet & sitit, sibi famet & sitit, non autem alteri: virtutem quisque sibi procuret, nec sollicitus sit ut eam alii habeant, sui oblitus. T.11.C.2.T.13.C.4.

14. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* S. August. *Beatos autem dicit esse, qui subveniunt miseris: quoniam eis ita rependitur, ut de miseria liberetur;* Magna sunt viri misericordis lucra, ob quæ Deus illi sancto fœnora rependit. T.12.C.6.

15. *Beati qui persecutionem patiuntur.* Tunc Deo servire incipimus, quando ejus gratiâ potimur: unde solos illos reputemus vitæ dies, quibus passi sumus. T. 5. C. 1.

16. *Gaudete & exultate.* Duplici daudio fruentur justi in cœlo, uno gloriæ propriæ: & altero sociorum, T.13.C.3.

## *In Festo S. Martini Episcopi & Confessoris. Nemo accendit lucernam. Luc. 11.*

1. NEmo accendit lucernam. S. Cyrillus: *Dicebant Judæi Dominum exercere miracula non propter fidem, sed propter applausus videntium. Reprobat igitur præsentem calumniam, inducens exemplum lucernæ, cum dicit: Nemo accendit, &c.* Quæ non accenditur ut abscondatur, sed ut ingredientes egredientesque illuminet, utque totus eum videat. Non sufficit ut justi simus coram Deo: sed expedit similiter ut luceat fama nostra coram hominibus. Tract. 15. Consid. 1.

2. *Nemo accendit lucernam.* Christus lucernæ ardenti se comparat (expunctis ejus imperfectionibus) & Prælatos Ecclesiæ, ut notat S. Gregor Nazians. *Ecclesiæ lucerna est Prælatus.* Quia sicut illa liquefit, & dissolvitur ut omnes illuminet: ita Principes oportet ut se consumant, & impendant, ut subditis suis se communicent & benefaciant ad imitationem Christi, qui sibi minime pepercit ut omnibus prodesset. Tract. 17. Consid. 6.

3. *Nemo accendit lucernam.* Lucerna accensa, & in sublimi collocata, quam primum ardere incipit & illuminare, discendit & minuitur. Tales esse debent luminaria Ecclesiæ, Principes ac Prælati illam gubernantes: ut quantò Deus altius illos extollit, suisque donis nobilitat, tantò descendant humilius. Tractat. 1. Consid. 5.

4. *Nemo accendit lucernam.* Si cum gravioribus Interpretibus hæc verba velimus de Discipulis intelligere, notandum est, quod Christus qui prius illos vocaverat lumen mundi: *Vos estis lux mundi:* statim moderetur, vocetque lumen lucernæ: *Nemo accendit lucernam*, quia lux cæli nullum habet defectum, lux vero lucernæ mucum generat, & emunctione opus est. Non est quod loquamur de hominibus, quamvis admodum justis: habent enim quod emendent & expoliant. T.16.C.1.

5. *Neque sub modio.* Non vacat mysterio quod Dominus mentionem hic faciat modii: quod si confirmare voluerimus ejus dictum; dicemus rationem esse: quod qui spiritu Dei aguntur, nullam noverint benefaciendi mensuram. T.7.C.1.

6. *Sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant; totusque mundus illud conspiciat.* Beda apud Tolet. Annot. 78. *Quia dixerat Christus se non daturum signum, nisi Jonæ incredulis: subdit se non denegaturum fidelibus, sed lumen lucis suæ divinitatis eis daturum promittens: quia lucerna est succensa posita super candelabrum.* Signa dat fidelibus, quia scit quod & illis proficient: & negat incredulis: ne sint eis gravioris occasio damnationis. Tract. 4. Consid. 6.

7. *Ut qui ingrediuntur lumen videant.* Hoc est: ut populus in Prælato videat lumen virtutis, & nequaquam tenebras peccatorum: & tunc libenter audientur, quando prælucent operibus. T.6.C.5.

8. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Per lucernam corporis intelligunt S. Chrysost. & S. Hieron. intellectum: Hæc debet accendi, ut opera sint clara & formosa: si namque tenebris obscuretur, etiam actiones necessario contrahent caliginem. Et ita debemus à Deo petere, ut intellectum nostrum luce divinæ suæ gratiæ illuminet: si namque illa defecerit, indubitanter in mille prolabemur errores. T.2.C.1.

9. *Si oculus tuus fuerit simplex:* Quasi dicat. Si Prælati & Superiores qui sunt oculi Reipublicæ bene sint dispositi, nec affectus habeant, quibus visus eorum perturbetur, totum corpus erit lucidum; verumtamen, hi aliquo modo obtenebrentur, totum corpus indubiè tenebrosum erit. T.17.C.1.

## *In Festo S. Didaci Confessoris. Vide in Festo S. Michaëlis.*

## *In Festo Præsentationis B. Virginis. Vide in Festo Nivium.*

## *In Festo S. Catharinæ V. & Martyris: Vide in Festo undecim millium Virginum.*

## *In Festo S. Andreæ Apostoli. Ambulans Iesus juxta mare. Matth. 4.*

1. AMbulans, &c. *Prædicatores enim vocat ad ambulandum:* ait Hugo Card. Magni namque momenti est, si Prælatus vel Princeps subditis suis præsens assistat. T.24.C.3

2. *Mittentes rete in mare: erant enim piscatores.* Dominus prædicatores veritatis non adscivit sibi sapientes, nec mundi Primates, sed humiles piscatores: veritas etenim parvulis magis convenit & humilibus, quam magnatibus & superbis. T.15.C.6.

3. *Piscatores hominum.* Piscatores vocat, quos Apostolos & Ecclesiæ suæ Prælatos consecrat: Ut in sublimi gradu meminerint originis suæ vilioris nec innanites

niter superbiant, dum se considerant esse quod non fuerunt. T.1.C.5.

4. *Piscatores hominum*. Facit eos piscatores, juxta naturalem sibi conditionem: Deus inclinationi nostræ se conformat, ut salvet nos. T.11.C.4.

5. *Venite post me*. Servi semper sequantur Dominos suos: & hi non debent ab illis gubernari: talis etenim non esset Respublica Christi, sed diabolica tyrannis. T.12.C.3.

6. *Venite post me*. Si Deus nos minime vocaret, imo manu duceret ad cælum; ne fatigaremus nos, ne passum quidem pedis progrederemur, ut illud assequeremur. T.6.C.1.

7. *Venite post me*: non tam corporis gressibus, quam mentis affecti bus: ita D.P.Chrysol. ad illa verba: *Et ipse ibat cum illis.* T.4.C.1.*per totam.*

8. *Faciam vos fieri*: Et non vosipsos vos facietis: nec enim hic est jugum hominis: ad honores etenim non eundum, sed trahi oportet. T.7.C.5.

9. *Continuo relictis retibus*. Conversio procrastinanda non est quandoquidem aliud non habeamus tempus, quam præsens, & nesciamus an ad futurum venturi simus. T.19.C.4.

10. *Relictis retibus*. Vocat illos Auctor vitæ, at illi omnia quæ possident, relinquunt, & plura faciunt, quam rogentur, & merito: nam ad perfectiora aspirandum, ut saltem boni simus Christiani. T.2.C.5.

11. *Relictis retibus*. Omnia relinquunt, & tantum ejus sequelæ recordantur. Qui Christum videre dignus fuerit, & suavissima ejus præsentia gaudere, nihil amplius de mundo desiderat. T.6.C.6.

## *In Festo S. Nicolai Episcopi. Homo quidam peregre proficiscens. Matth. 25.*

1. HOmo *quidam*. Cum Deus sit magnus, tamen parvum se vocat hominem: quo nos instruit ut in maximis dignitatibus profundam servemus humilitatem. T.1.C.5.

2. *Homo quidam*. Non se manifestat tamquam Deum, sed velut hominem: ut ex illo discamus quæ gloriosa sunt, tegere, & infirma propalare. T.6.C.3.

3. *Peregre proficiscens*. Christus mundum habuit ut patriam: cælum autem ut exilium: in qua amoris ejus emicat excellentia. T.21.C.1.

4. Peregrinus est qui nullibi fixam habet sedem: ita Dominus noster in quantum homo, quidquid gaudii consecutus est, inconstans fuit. D.Thom. *Præponitur peregrinas quasi homo, non sicut filius Dei.* T.18.C.5.

5. *Tradidit bona*. In initio dividit bona sua, & postmodum in carcerem tradit, ut inter amorem vivamus & timorem: & si fiducia qua nobis fidit, nos animet, severitas qua rationem exigit, nos refrænet. T.8.C.1.

6. *Vni dedit*, *&c.* Deus talenta partitur, nos industriam adferimus: salutis etenim nostræ negotium, contractus quidam est societatis. T.13.C.6.

7. *Qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est, similiter & qui quinque acceperat, &c.* Singuli tantum lucrati sunt, quantum illis Dominus dedit. Deus à nobis ultra vires non requirit, sed talentis conformem exigit usuram: *Pro accipientium viribus,* inquit D. Hieronymus. T.18.C.4.

8. *Suprà pauca fuisti fidelis*. D. Hieronymus: *Quia omnia quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur, & plurima, tamen comparatione futurorum parva, & pauca sunt.* In consideratione bonorum æternorum, hæc caduca omnia, & peritura, nulla sunt. T.1.C.6.

9. *Accedens autem & qui unum talentum accepit, ait: Domine, scio, quia homo durus es, &c.* Nulla dari potest gravior amentia, quàm quod homo querelas deponat, cum Deus sit pars læsa. D. Hieronymus: *Qui debuit simpliciter inertiam confiteri, & orare Patremfamilias, è converso calumniatur.* T.16.C.5.

10. *Tollite ab eo talentum*. Talentum vocat bona cœlestia, Deus nos ducit naturæ nostræ conformiter, seque illi inclinat, ut salvet nos. T.11.C.4.

11. *Intra in gaudium: Mittite eum in tenebras.* Quosdam cœlo, quosdam inferno. Lugete, quod aliqui pereant, ubi salvantur alii. T.9.C.6.

12. Hoc gravissimum fuit servi hujus malum, qui talentum non expendit, quod sibi in eo quod fecerat, beneplacuerit, ac si rem optimam fecisset. S. Hieronymus: *Et dicit se prudenti fecisse consilio.* Peccare, & sibi congratulari supremus est nequitiæ gradus. T.15.C.4.

*In Festo*

## *In Festo Conceptionis B. Virginis. Vide in Festo ejus Nativitatis.*

## *In Festo S. Luciæ Virg. & Mart. Vide in Festo S. Annæ.*

## *In Festo Expectationis partus B. Virginis. Vide in Festo Annuntiationis.*

## *In Festo S. Thomæ Apostoli. Thomas autem non erat cum eis. Ioan. 20.*

1. THomas *autem non erat cum eis.* Singularitas semper fuit perniciosa,& Deo exosa. Ex D. Bernardo. T.1.C.3.

2. *Dixerunt alii Discipuli: Vidimus Dominum.* Condemnat Euangelista Thomam non credentem Apostolis Resurrectionis Dominicæ testibus, sed nec ei quod Dominus ante mortem suam illi cæterisque dixerat: quo intelligimus Dominum gravius tulisse injuriam factam Apostolis, quàm offensam in se commissam. T.10.C.5.

3. *Nisi videro.* Erravit Thomas dum videre vult, ut credat; divina namque mysteria credere nos oportet, ut intelligamus. T.4.C.4.

4. *Et post dies octo venit Iesus.* Ex amore erga Thomam incredulum, venit iterum Jesus, quia fidelem eum fuerat expertus tempore præterito, quando reliquos hortatus est: *Eamus & moriamur cum eo.* Eum non ex parte, sed totum expendit. T.13.C.2.

5. *Et post dies octo.* Nota quanti referat subditis præsentia superioris: quandoquidem per illam ruinas instauret. T.24.C.3.

6. *Et post dies octo.* Observat D. Chrysost. quod Christus in omni statu idem ipse semper maneat. nam eadem benignitate quærit illos jam redivivus ut subveniat, qua quæsierat adhuc mortalis. Filii Adam hoc nequaquam faciunt. T.24.C.2.

7. *Deinde dicit Thomæ. Non expectabat à Thoma interrogari:* ita D Chrysost. si namque noverat infirmitatem, quamobrem expectaret donec rogaretur à Thoma? Ipse prior adest Thomam erecturus: atque in hoc consistit summa charitatis. T.5.C.3.

8. *Dominus meus & Deus meus.* Quando Dominus ita se demittit, ab immortali & glorioso statu quasi degenerans, tunc Thomas eum proclamat Dominum ac Deum suum: quo significatur neminem ex humilitate humiliari, sed potius exaltari. T.21.C.6.

9. *Cognosce loca clavorum.* Sacrorum vulnerum cicatrices signaque Dominus servavit, inquit D. Chrysost. *ut discerent quod ipse erat, qui crucifixus fuerat:* ostendens hoc maximopere gloriam suam æstimare, quod illam pretio vulnerum obtinuisset. T.23.C.1.

10. Notandum quoque cum D. P. Chrysol. quod Redemptor noster voluerit ut Thomas aliquo modo passionem suam renovaret: quo declaravit, quod non minus unicam animam, quam omnes diligat: quandoquidem quod pro omnibus, pro unica faciat. Tract.24. C.1.

## *In Festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum. Luc. 2.*

1. E*Cce euangelizo vobis gaudium magnum.* Accurrant Angeli de cælo hominibus congratulaturi ipso Natalis Domini die, eorum lucrum,& gaudium quasi proprium æstimantes. T.23.C.3.

2. *Vobis*: vobis simplicibus pastoribus optimæ viris intentionis. S. Chrysost. *Non autem Angelus ivit Hierosolymam, non requisivit Scribas & Pharisæos*, non Doctores quibus divinam communicaret lucem. *Et claritas Dei circumfulsit illos:* Et idcirco Salvatorem non receperunt. *Et sui non receperunt illum*: etenim quantumvis sublimis sit hominis cõcursus, Dei lumine privatus, aberrat. T.2.C.1.

3. *Natus est vobis hodie Salvator.* Vt omnes salvet divinus hic nascitur infans: unde nemo non doleat, quosdam ibi damnari, ubi alii salvantur. T.9.C.6.

4. *Natus est vobis hodie Salvator.* Nativitatem Domini vocat Angelus *Gaudium magnum*: quia usque ad adventum Christi in mundum, nulla erat lætitia: cum homines implexi essent peccatis; sed quam primum venit Redemptor, qui tyrannicum ab eis jugum auferret, jam possunt debentque exultare. T.24.C.4.

5. Gaudium illud omni populo futurum prædicit, *Quod erit omni populo.* Non satis erat Angelo dixisse quod illis Salvator veniret, aut tantum Hebræis; quia nulla datur aut salus aut gloria perfecta, quæ multis non communicatur. T.6.C.4.

6. *Natus est vobis Salvator.* Non venit ut proprio labore seipsum salvaret ut alii mundi salvatores, sed ut proprii sanguinis impendio nos redimeret. T.17.C.6.

7. *Qui est Christus Dominus.* Duplici nomine puerum natum appellat Angelus, ait D. Tho. *Quorum primum, id est, Salvator, est actionis, alterum autem Majestatis:* ut si ratione prioris illum amare teneamus, nunc ratione posterioris, timeamus: & inter amorẽ & metum

viventes dignius ejus Natalitia celebremus. T.8.C.1.

8. *Et hoc vobis signum: invenietis infantem.* Pastoribus humilibus & egenis signa dat humilitatis & paupertatis: utpote statui eorum & conditioni magis conformi ut fidelius propositæ credant veritati. Tract. 11. C. 4.

9. *Et claritas Dei circumfulsit illos.* Notat D. Ambros. quod dum humilitas præsepii demonstratur, majestas clarius effulgeat, & montes ut cœlum luce, & splendore collustrentur: *Ex utero funditur, sed coruscat è cœlo: terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine viget.* Quo constet, quod nedum aliquid non amiserit ex humilitate: imo vero magnam acquisiverit majestatem. T.21.C.6.

10. *Transeamus usque Bethlehem.* Ita Pastores. Non dicunt, ut notat Divus Bernardus Sermone tertio de Nativitate: *Pertranseamus Bethlehem*: cum enim ibi lateat mundi Salvator, quid ultra quærimus, quid appetimus? cum enim anima ad Deum accesserit, nō est quod ultra desideret, aut investiget. T.6.C.6.

11. *Et invenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Subtiliter advertit hic S. Bern. ser. *de verb. Apost. Signum magnum*, quod prima omnium in stabulo Pastoribus occurrat B. Virgo. *Numquid non ab initio primum venisse Pastores, & primum omnium Mariam invenisse leguntur? Invenerunt, ait Euangelista, Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio*, quo significetur, quod per illum homines licet peccatores, ingressum ad Deum sint habituri. T.19. C. 3.

## *In Festo S. Stephani Protomartyris. Ecce ego mitto ad vos. Matth. 13.*

1. Ecce ego mitto ad vos Prophetas. Ipse Deus occasionibus patiendi nos objicit: unde injuste contra persecutores nostros expostulamus: quandoquidem non sint nisi divinæ voluntatis executores: etenim hoc ita disponit ad majus nostrum meritum. T. 2. C. 4.

2. *Mitto ad vos.* Non opus est vim inferre Dei servis, ut ejus amore patiantur: ipsi namque ad ejus imitationem occasiones quærunt patiendi. Tract. 7. Consid. 2.

3. *Prophetas, & sapientes & Scribas*: Non satis est dicere, sanctos, cur additur sapientes & scribas? quia sapientiores ad majorem tenentur patientiam. Tract. 21. Consid. 2.

4. *Persequemini de civitate in civitatem.* Non sufficiebat eis, si persequerentur eos & affligerent in propriis regionibus: sed res eos de una ad alia in insequebatur, ut in eis furorem suum exequerentur. Hæc circumstantia peccatum aggravat: cum subitaneæ non essent, sed præmeditatæ eorum tyrannides. T.17.C.2.

5. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus.* Ostendit Christus eorum peccata causam esse suarum calamitatum, suisque criminibus imputandum quidquid paterentur. Idem significat: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, (ut vocat S. Chrysost.) nec enim Dominus notare se vult ut ruinæ ipsorum causam. T. 8. C. 3.

6. *Ut veniat super vos.* Notat D. Chrysost. *Non imputat illis suæ mortis peccatum: imputat autem illis mortem Apostolorum, cæterorumque Sanctorum.* Et ratio est: *Nam benigni, & justi judicis est, suas injurias contemnere.* Proprias dissimulat injurias; servorum vero suorum punit: qui has utique molestius fert quam suas. T.10.C.5.

7. *Usque ad sanguinem Zachariæ. Zacharias*, inquit Origenes, *interpretatur memoria Dei*: unde Dominus non sine mysterio Prophetam hunc singulariter nominavit: qui denotat memoriam Dei, quasi significans, quantum sit crimen Deum offendere, dum ejus si memoria, & quantum ei debeamus. T.17.C.3.

8. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas.* S. Chrysost. *Hæc autem duplicatio miserentis est, & valde diligentis.* Ratio est: quia Christus recordabatur, cui omnia erant præsentia, stragis illius quam Romani civitati erant illaturi: cujus consideratione cor ejus pia commiseratione movebatur. Proprietas hæc est justorum, aliena mala non attendite ad offendiculum, sed ad compassionem. T.11.C.6.

9. *Quæ occidis & lapidas.* S. Chrysost. *Non dicit: occidisti, aut lapidisti, sed occidis & lapidas: id est, hoc quasi propriam & naturalem consuetudinem habes, ut occidas, & lapides Sanctos.* Malitia tibi quasi naturalis est: unde nulla spes datur emendationis. T. 14. C. 5.

10. *Et noluisti.* S. August. expendit quod Christus dicit, quod voluerit illos convertere, & noluerint. An non posset licèt illi nollent? *Ubi est autem illa omnipotentia, quæ in cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit, fecit?* Huic respondet: idem non est in negotio salvationis: ut enim est contractus quidam societatis, duæ requiruntur voluntates, divina & humana. T.13.C.6.

## *In Festo S. Ioannis Euangelistæ. Dixit Iesus Petro: sequere me. Ioan. 21.*

1. Sequere me. Occasionem attendo, qua dixit Petro Jesus, ut sequeretur eum per mortem Crucis ita namque S. August. explicat hanc sequelam, quod fuit, cum dixisset illi, quod pateretur jam senex manibus aliorum. *Cum autem senueris, &c.* Itaque post tot annos obsequiorum Dei, quibus Apostolus servierat,

vierat, vitamque triverat, vult Dominus ut ejus passionem imitetur: quemadmodum enim in actu Martyrii potissimum emicat perfectio charitatis, ita vult Dominus, ut tanto ferventius illum diligat, quanto illum dilexerat, tantoque amor sit ejus ardentior, quanto fuerit antiquior. Hoc est, *Et cum hoc dixisset, dixit ei, Sequere me.* T.21.C.5.

2. *Sequere me.* Cum ita sit, quod reliqui Discipuli martyrium quoque pro Christo essent subituri: cur verba hæc Petro singulariter dicta fuerunt? Respondet S. August. *Quia non solum mortem, sed mortem Christi expertus est.* Placet solutio: sed occurrit circumstantia in morte S. Petri, in qua multum similis est morti Salvatoris, quod hæc contigerit postquam tantam gratiam recepisset: jam in monte gloriæ spectator gloriæ: jam propter confessionem dictus beatus, jam Princeps Ecclesiæ, & Pastor Deus universalis institutus. Et nemo negat, quin gravissimum sit tormenti genus, tolerare pœnas, post adeptas glorias, ut Salvatori nostro contigit. T.18. C.6.

3. *Sequere me.* In Petro fidelibus omnibus loquebatur, seque crucifixum proponit, ut ejus exemplo pati non recusent. Magna est potentia magnaque virtus Crucis Salvatoris, magnosque in nobis operatur effectus. T.22.C.6

4. *Sequere me.* Euge age, sequere me, in cruce moriens. Quam apte sibi manus dantesse Pastorem & mori pro grege suo, pro ut Salvator fecit. T. 17. C. 6. Ubi nonnulli leguntur discursus ad hujus argumenti probationem.

5. *Sequere me.* Non illi hoc ait divinus Magister, quando mortem Crucis ab eo conabatur avertere: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc:* Quia Petrus imperfectus tunc erat & languidus; & mortem tantum audiens animi patitur deliquium: sed nunc animosior est & fortior: aspectus etenim Christi crucifixi tribulationes valde dulcorat, quas ad ejus imitationem patimur. T.22.C. 6.

6. *Conversus Petrus vidit illum discipulum, &c.* Merito de se dicere poterat S. Joannes quod ipse diligeret Jesum quoque: & tantum dicit, quod Dominus illum amaret. Optima praxis, quâ nova consquamur beneficia, dum merita nulla nostra proferimus, nisi tantum recepta beneficia. T.14.C.2.

7. *Qui recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine quis tradet te?* Et noluit D. Petrus, qui longiùs aberat, quæstionem Domino proponere: cum enim jam esset Prælatus, ovium suarum honori consulebat: nec voluit ut ejus culpa manifesta fieret. T.7. C.3.

8. *Domine, hic autem quid?* S. Chrysost. *Qui in cœna non audebat interrogare, sed Joanni interrogationem commisit, huic & præpositura fratrum credita est: & non solum non committit alteri interrogare, quæ ad ipsum pertinent: sed de reliquo ipso pro aliis Magistrum interrogat.* Ita per pœniteniam promovetur, ac si non peccasset. T.20.C.3.

9. *Quid ad te? Tu me sequere.* S. Chrysost. *Opus tibi commissum attende & perfice: hunc vero si voluero manere hic quid ad te?* Servi sphærum suam non excedant, nec velint Domini sui cordis secreta scrutari. T. 12.C.3.

18. *Sic eum volo manere.* Indicat Christus (ita Theophilac.) quod Euangelista non moreretur, nisi in fine mundi, quodque tunc martyrio coronaretur: *Volo eum manere, id est, vivere usque ad mundi finem, & tunc pro me patietur martyrium.* Eidcirco dicit hic Author, quod S. Joannes vivat certo quodam loco soli Deo cognito constitutus, ut sit secundi adventus Redemptoris Præcursor: & tunc per Anti-Christum martyrio afficietur. Supposita hac doctrina ut probabili Joannes absens à Jesu gravissimum tolerat martyrium. Tract.21. C.6.

## *In Festo SS. Innocentium. Surge, & accipe puerum. Matth.2.*

1. SUrge, & accipe puerum, &c. Mandat Angelus Joseph, *fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.* Ita fecit Joseph conformavitque se vadens, & rediens divinæ voluntati. Et idem faciunt veri Dei servi: hanc etenim sibi suarum actionum regulam præstituunt. T.4.C.3.

2. *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus.* Tantillo tempore, tanta mutatio? Modo Reges eum adorant, & continuo discedit exul? Ita Deus decrevit ut plura pateretur, cum certum sit, pœnas transactis lætis, esse graviores. T.18.C.1.

3. *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus.* Herì à Pastoribus, & Principibus Orientis humili colitur submissione, & reverentia, & hodie ut peregrinus ejicitur? Utique. Ut in seipso, velut homine mundanæ gloriæ doceret instabilitatem: cum nec illi fuerit fidelis, & constans. T.18.C.5.

4. *Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Rex cœli proprii sanguinis pretio salutem subditorum suorum meditatur: terræ vero Reges subditorum sanguine suæ student conservationi. T. 17. C.6. T.24.C.6.

5. *Futurum est enim, &c.* S. Augustin. *Putabat enim infelix tyrannus Salvatoris adventu, regali se solio detrudendum: sed non ita est: non enim ad hoc venit Christus, ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret.* Ut neminem bonis suis spoliaret, sed ut sua communicaret. T.18.C.3.

6. *Futurum est enim, &c.* S. Chrysostom. ad mores trahens hanc Herodis persecutionem, ait: *Ut si tu in-*

*cipiens alicui spirituali rei deservire, videris te tribulari, non turberis : sed omnia viriliter feras, hoc habens exemplum* : idem etenim est virtutis initium ponere, & hostem contra nos conspirare, quos à proposito divertat. T.3.C.1.

7. *Ad perdendum eum.* Non quærebat Herodes puerum, ut inveniret, sed perderet. Ita multi Christiani illum invenientes, iterum perdunt : & relinquentes felicem gratiæ statum, iterum ad peccata relabuntur. T.9. C.1.& 2.

8. *Qui consurgens accepit puerum, &c.* Multa hic de secessu Domini SS. Doctores adferunt. D. Hilarius opinatur, quod apud extraneos refugium quæsierit, quia apud suos nullum inveniebat : ex suorum ruina contristatus solamen accipit ex aliorum incremento : *Jam enim post Judæorum institutionem, Judæam relinquens ignoranti sæculo colendus infertur.* T.19. C. 6.

9. Item dici potest, hic significari, quod in domo Dei nullæ soleant esse vacuæ sedes : sed quam primum uni aufertur gratia, quia illam non meretur, alteri traditur qua proficit. T.8. C.

10. *Tunc Herodes, &c. usque in Bethlehem.* Tyrannus sanguinis pretio regnum sibi conservare studuit. E contra Rex cœli proprium effundit sanguinem, ut hominibus succurrat. T.17. C.6. T.24. C.6.

11. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem : Vox in Rama, &c.* D. August. & D. Hieron. volunt mysticas hasce lachrymas pro filiis fusas : nec enim martyrium merebantur : quia forte mortui erant in statu damnationis : *Sive quod eos in æternum morituros existimaret.* Et merito Rachel à lachrymis non desistit : quæ namque pro peccatis effunduntur, non ad tempus, sed tota vita durare debent. T. 20. C.6.

Advertat Indicis hujus Lector plurimas Patrum sententias hîc adductas, desumptas esse ex Catena Aurea Angelici Doctoris S. Thomæ.

FINIS.

domo
primum
eri tri-
8. C.
Tyran-
duit. E.
, ut ho-
24. C. 6.
*Hiere-*
*&c.* D.
chrymas
ur: quia
*quod eos*
Rachel à
is effun-
bent. *T.*

ctas,